THEOLOGIA MORALIS,

BREVI, CLARAQUE METHODO COMPREHENSA,

ATQUE

JUXTA SACROS CANONES,

Et Novissima Decreta SUMMORUM PONTIFICUM diversas PROPOSITIONES damnantium, ac probatissimos Auctores, succinctè resolvens omnes Materias Morales.

AUCTORE R. P. F.

ANACLETO REIFFENSTUEL,

Ordinis Minorum S. Francisci Reform. Provinc. Bavariæ.

EDITIO DECIMA,

CÆTERARUM OMNIUM NOVISSIMA ATQUE LOCUPLETISSIMA, JURI CANONICO EJUSDEM AUCTORIS POTISSIMUM CONFORMATA.

Pluribus Additionibus, præsertim quoad Tractatus de LEGIBUS, JURE & JUSTITIA, BENEFICIIS, IMMUNITATE ECCLESIASTICA, de SACRAMENTIS, atque modo extraordinario eadem administrandi condemnatis ad mortem, pestiferis, infirmis, aliisque hominum statibus: item quoad IMPEDIMENTA MATRIMONII, & Praxin impetrandi dispensationes adaucta; nec non compendiosa Propositionum Damnatarum Declaratione *una & altera* illustrata à

R. P. F. MASSÆO KRESSLINGER,

Prov. Bav. ejusd. Ord. Lect. Jub. & Tertio Exprovinciali.

Copioso insuper ornata BULLÆ CRUCIATÆ explanativo Tractatu, per

JACOBUM ESTEVA

ORDINATO.

Cum Appendice, continente modum legendi & scribendi citationes utriusque Juris.

TOMUS SECUNDUS.

ANTVERPIÆ,

Sumptibus MARCI-MICHAELIS BOUSQUET & Sociorum.

MDCCLVIII.

ELENCHUS

Tractatuum, Distinctionum, Quæstionum & Paragraphorum hujus Libri.

TRACTATUS XIII.

De Censuris ac Irregularitate, aliisque Poenis Canonicis.

Distinctio Prima.

De Censuris, & Pœnis Canonicis in genere.

Quæstio I. Quid, & quotuplex sit Censura Ecclesiastica, 1
II. Ob quam causam Censuræ fieri possint, 2
III. An ignorantia, metus, vel aliud quidpiam excuset ab incurrenda Censura, 4
IV. Quid, & quotuplex sit Pœna Canonica? ubi & de Depositione, Degradatione, & Infamia, 6

Distinctio Secunda.

De Excommunicatione, Suspensione, & Interdicto.

Quæst. I. Quid, & quotuplex sit Excommunicatio, 7
II. Qui sint effectus Excommunicationis majoris, 8
III. Quinam Excommunicati, & in quibus casibus sint vitandi, 11
IV. De nonnullis Excommunicationibus in particulari, 12
Append. De modo tollendi Excommunicationem semel latam, 15
V. De Suspensione, & variis ipsam attinentibus, 17
VI. Quid, & quotuplex sit Interdictum, & qualis effectus ipsius, 19

Distinctio Tertia.

De Irregularitate.

Quæstio I. Quid, & quotuplex sit Irregularitas? ubi varia ipsam attinentia, 21
II. De Irregularitatibus ex delicto provenientibus, 22
III. De Irregularitatibus ex defectu, 25
IV. De Irregularitate ex homicidio, vel mutilatione, 27
Append. In qua compendiose recapitulantur dicta præcedentia, & exinde succincte resolvuntur aliqui casus ad utilitatem Confessariorum, 30
V. Quis possit dispensare in Irregularitatibus, 32

TRACTATUS XIV.

De Sacramentis.

Distinctio Prima.

De Natura Sacramentorum in genere.

Quæstio I. Quid, & quot sint Sacramenta novæ Legis, 35
II. De Materia, & Forma Sacramentorum, 36
III. Quænam Intentio ex parte Ministri, ac Recipientis requiratur ad valorem Sacramentorum, 38
IV. Quænam ex parte Ministri requirantur ad legitimam Sacramentorum administrationem, 39

Distinctio Secunda.

De effectibus, ac necessitate Sacramentorum.

Quæstio I. An, & quomodo Sacramenta conferant gratiam, 41
II. An omnia Sacramenta conferant primam gratiam aut æqualem in inæqualiter dispositis, 42
III. Qualis requiratur dispositio ad fructuose recipienda Sacramenta, & præsertim SS. Eucharistiam, 43
IV. De Charactere, ubi & de Sacramentis cum Fictione susceptis, 45
V. An, & quomodo singula Sacramenta sint necessaria ad salutem, 46
VI. *Append.* Quænam Sacramenta, & quomodo pestiferis sint administranda? 47

Distinctio Tertia.

De Baptismo, & Confirmatione.

Quæstio I. Quid sit Baptismus, & quo tempore institutus, quæque ejus obligatio, 51
II. Quæ sit materia Baptismi, qualisque requiratur ablutio baptizandi, 52
III. De Forma Sacramenti Baptismi, 53
IV. De Ministro, & quibusdam aliis Baptismum concernentibus, 54
V. De Sacramento Confirmationis, 56

Distinctio Quarta.

De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

Quæstio I. De Natura, institutione, ac Unitate Sacramenti Eucharistiæ, 57
II. De materia Sacramenti Eucharistiæ; ubi præcipue de Pane. *ibid.*
III. De Vino, seu materia Consecrationis Calicis, 59
IV. De aqua vino consecrando apponenda, *ibid.*
Append. ad præcedentes tres Quæstiones. De aliis quibusdam conditionibus ex parte panis & vini, tamquam materiæ consecrandæ requisitis ad valorem Consecrationis, 60
V. De forma Consecrationis Eucharistiæ, 62
VI. De Reali præsentia Christi in Eucharistia, 64
VII. De necessitate sumendi Eucharistiam sub alterutra specie; ubi & de ejus Effectibus, 65

Distinctio Quinta.

De Sacrificio Missæ.

Quæstio I. De natura Sacrificii in genere, 66
II. De Missa, & qua ratione in ea offeratur verum Sacrificium, 68
III. Qui sint offerentes Missæ Sacrificium, & in quo consistat essentia ipsius, 69
IV. De effectibus Sacrificii Missæ, 71
V. Quantus sit valor Sacrificii Missæ, 72
VI. Pro quibus possit offerri Sacrificium Missæ, 74
VII. De applicatione Missæ, 75
VIII. De obligatione celebrandi Missam, quam ex variis Titulis habent Sacerdotes, 77
Append. Continuatur Quæst. Octava de obligatione celebrandi, vel etiam juxta intentionem dantium stipendium applicandi Missas, 80
IX. De tempore celebrandi Missam, 83
X. Quo in loco sit celebranda Missa? ubi de violatione Ecclesiæ, 85
Append. I. Continens specialia de Oratoriis, & privatis Cameris, an, quibus & quando liceat ibidem celebrare Missam? 87
Append. II. Qualenam debeat esse Altare, & quomodo instructum, ut Missa in eodem celebrari valeat? Ubi etiam de execratione altarium, 90
Append. III. De variis præter Ecclesiam, & altare requisitis, ac scitu necessariis ad Missam rite celebrandam, 91
XI. De aliis notabilibus Dubiis circa Sacrificium Missæ, 97

Distinctio Sexta.

De Sacramento Pœnitentiæ.

Quæst. I. De institutione, natura, & necessitate Sacramenti Pœnitentiæ, 100
II. De materia Sacramenti Pœnitentiæ, *ibid.*
III. De forma Sacramenti Pœnitentiæ, 102
IV. De Contritione, seu Pœnitentiæ virtute, quæ est prima pars materialis Sacramenti Pœnitentiæ, 105

Distinctio Septima.

De Confessione, quæ est altera Pars materialis Sacramenti Pœnitentiæ.

Quæstio I. Quæ conditiones requirantur ad Confessionem Sacramentalem, 109
II. Quomodo Confessio debeat esse integra, 112
III. De necessitate confitendi circumstantias aggravantes, Peccata dubia, &c. & præmittendi examen Conscientiæ, 114
IV. An absolvendus sit moribundus, qui amplius confiteri non potest, 117

Distinctio Octava.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

Quæstio I. Quis sit Minister Sacramenti Pœnitentiæ, & quomodo indigeat Jurisdictione, & Approbatione? 119
Append. Continens varia adhuc quæsita de Approbatione, 121
II. De probitate, scientia, & prudentia Confessarii, 122
III. De interrogationibus à Confessario faciendis, 125
Append. I. Quid agendum Confessario, si Pœnitentes proponant in Confessionali, se esse maleficiatos, vel etiam obsessos, aut se tenere diabolum, vitro, sive annulo inclusum, vel se subscripsisse dæmoni? ubi quoque resolvuntur varia, si conquerantur Pœnitentes de pecoribus maleficio infectis, vel de spectris suas domos infestantibus, 128
Append. II. Quomodo à Confessario prudenter tractandi sint illi, qui in Confessionali proponunt, se habere Extases, Apparitiones, ac Revelationes Divinas? 133
Append. III. Quid observandum sit Confessario, si excipit Confessiones Captivorum, præsertim Reorum pœnæ capitalis, 136
IV. Quid agendum Confessario circa constitutos in occasione proxima, Recidivos, & laborantes ignorantia; 140
V. Quidnam observandum Confessario quoad denuntiationem solicitantium pœnitentes in sacro Tribunali ad inhonesta? 143
Append. Quidnam attendendum Confessario circa alios diversos Hominum status? 145

Distinctio Nona.

De Casibus Reservatis, & Sigillo Confessionis.

Quæstio I. Quid sit Reservatio Casuum, & à quo fieri possit? 149
II. De Absolutione à Casibus reservatis in, & extra articulum mortis, 151
III. De Sigillo Confessionis, 153

Distin-

Distinctio Decima.

De Satisfactione, ut tertia Parte Sacramenti Pœnitentiæ.

Quæstio I. De Satisfactione Sacramentali; ejusque acceptatione, & impletione, 156
II. Quænam opera pro Pœnitentia Sacramentali injungenda sint, 159

Distinctio Undecima.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

Quæstio I. Quæ sit materia, & forma Sacramenti Extremæ Unctionis, 161
II. De effectibus, subjecto, & iterabilitate Sacramenti Extremæ Unctionis, 163

Distinctio Duodecima.

De Sacramento Ordinis.

Quæstio I. Quid, & quot sint Ordines? ubi, & de prima Tonsura, 164
II. De materia, forma, & officiis singulorum Ordinum, 167
III. De ætate, & qualitatibus Ordinandorum, 169
IV. De Ministro Sacramenti Ordinis, 171
V. Solvuntur varia Quæsita circa Sacramentum Ordinis, 172

Distinctio Decima Tertia.

De Sacramento Matrimonii.

Quæstio I. Quid, & quotuplex sit Matrimonium & quæ Bona ipsius, 174
II. De materia, forma, & Ministro Sacramenti Matrimonii, 175
III. An, & qualis consensus requiratur ad valorem Matrimonii, 176
Append. Continens adhuc tria Quæsita circa consensum matrimonialem, 178
IV. Utrum sit licita pluralitas Uxorum, 179
V. De indissolubilitate Matrimonii, 180
VI. De cohabitatione, & onere debiti Conjugalis, 182
VII. De Divortio, 186

Distinctio Decima Quarta.

De Impedimentis Matrimonii.

Quæstio I. A quo possint statui Impedimenta Matrimonii, 188
II. Quæ sint impedimenta niere impedientia Matrimonii, 189
III. De Sponsalibus, eorumque obligatione, & dissolutione, 190
Continuatio præcedentis Quæstionis Tertiæ, de Dissolutione Sponsalium, 192
Append. Continens utilia adhuc notanda circa difficultates, defectus, & qualitates, ob quas sponsalia semel contracta iterum dissolvi possunt. Item: an pro majori firmitate sponsalium possit adjici Arrha, vel Pœna? 195
IV. De impedimentis dirimentibus Matrimonii, 197
§. I. De Impedimento Erroris, ibid.
§. II. De Impedimento Conditionis, ibid.
§. III. De Impedimento Violentiæ, 198
§. IV. De Impedimento Impotentiæ, ibid.
§. V. De Impedimento Ligaminis, 200
§. VI. De Impedimento Ordinis, ibid.
§. VII. De Impedimento Voti, 201
§. VIII. De Impedimento disparitatis Cultus, ibid.
§ IX. De Impedimento Criminis, 202
§. X. De Impedimento Cognationis, tum Carnalis, tum Spiritualis, ac Legalis, 203
§. XI. De Impedimento Affinitatis, 207
§. XII. De Impedimento Justitiæ publicæ Honestatis, 209
§. XIII De præsentia Parochi, ac duorum Testium, 210
§. XIV. Solvuntur varia Dubia circa præsentiam Parochi, ac Testium, 212
§. XV. De Impedimento Raptus, 215
Quæst. V. De Dispensatione Impedimentorum Matrimonii, ibid.

Distinctio Decima Quinta Additionalis.

In qua continetur Praxis obtinendi Dispensationes quoad Impedimenta Matrimonii.

Quæstio I. Quomodo practice ab Episcopis possit impetrari Dispensatio, etiam pro Foro externo, 218
II. Quomodo practice circa impedimenta Matrimonii possit Dispensatio obtineri à Sacra Pœnitentiaria pro Foro interno, 220
III. Quomodo practice Dispensatio in causis Matrimonialibus obtineri queat à Dataria tam pro Foro interno, quam simul etiam externo, 223

TRACTATUS XV.

DE BULLA CRUCIATÆ.

Distinctio Prima.

De pertinentibus ad Bullam magnam, seu vivorum.

Quæstio I. Prologomena, 229
II. De locis, & personis quibus concedatur Bulla, 231
§. I. In quo de locis, & Personis Secularibus tractatur, ibid.
§. II. In quo de Regularibus agitur, 235
Quæst. III. De gratiis concessis euntibus ad bellum contra Infideles, & operibus ad consecutionem earum præstandis pertractans, 239
IV. De Summario Bullæ accipiendo ab iis qui aliqualiter contribuunt pro expedit. Sac. eleemosynarum taxis, 242
§. Unicus, ibid.
V. De quantitate eleemosynæ tribuendæ pro receptione summarii Bull. Cruc. 243
VI. De duratione Bullæ, 247
VII. De privilegiis tempore interdicti concessis, 251
§. I. De Oratoriis, eorumque approbatione requisita, ibid.
§. II. De participibus privilegii audiendi Sacrum in Oratorio privato, 252
§. III. De onere fundendi preces, quando utitur privilegio audiendi Sacrum, vel celebrandi in Oratorio privato tempore interdicti, 253
VIII. De privilegio utendi Sacramentis interdicti tempore, 255
IX. De privilegio ecclesiasticæ sepulturæ, 256
X. De privilegio celebrandi, vel celebrare faciendi in Oratoriis privatis extra tempus Interdicti, 257
XI. De privilegio circa cibos vetitos; usum carnium in diebus prohibitis, & jejunia, 258
§. I. Resolvens an per privilegium usus carnium in diebus prohibitis aliquid concedat Pontifex, aliasque difficultates hanc gratiam concernentes, ibid.
XII. De privilegio edendi ova, & lacticinia, 260

Distinctio Secunda.

De Bulla lacticiniorum.

Quæst I. Præcipuas difficultates investigans super hac ortas, 265
§. I. De primordiis ejus, ibid.
§. II. De Sagimine, Sanguine, & Lardo aliquas difficultates pertractans, 266
II. De partialibus Indulgentiis summarium accipientibus concessis, 267
§. I. Quid intelligatur per verba concessionis Pontificis, 268
§ II. De participatione bonorum operum, 269
III. De Indulgentiis oblatis in visitatione Ecclesiarum, vel quinque Altarium, 270
IV. De privilegio eligendi Confessarium, & approbatione requisita, ut eligi possit, 273
V. De casuum reservatorum absolutione, 275
§ I. Facultatem ab iis absolvendi inquirens, ibid.
§. II. De absolutione conditionali; aliisque absolutionem à censuris concernentibus, 278
VI. De privilegiis commutandi vota, 280
§. Unicus. De conditionibus requisitis ad commutationes exercendas vi Bullæ, ibid.
VII. De votis, quæ possunt, & non commutari vi hujus privilegii, 282
VIII. In qua de praxi commutandi vota vi Bullæ agitur, 286

Distinctio Tertia.

De Bulla Defunctorum.

Quæst I. De Purgatorio aliisque ipsum concernentibus, 287
II. De aliquibus expendentibus qualitatem suffragiorum, 288
III. Quid sit hæc Bulla, quidque per eam concedatur, 291

Distinctio Quarta.

De Bulla Compositionis.

Quæstio I. Quid sit, quæque facultates per eam concedantur, 292

Distinctio Supernumeraria.

De facultate Commiss. Gen. Bull. Cruciat. pertractans.

Quæst. I. De speciali jurisdictione Comm. Gen. concessa, 298
II. De potestate suspendendi Indulgentias, aliasque gratias, ibid.
III. De facultate revalidandi gratias per Bullam suspensas, 299
IV. An facultas suspendendi aliquid valeat super privilegiis Religionibus concessis, pro ipsis Regularibus, 300
V. De Indultis Mendicantium in ordine ad Sæculares, ibid.
VI. In qua potestas Comm. super Irregularitatibus examinatur, 301
VII. De facultate Comm. ad validandum matrimonium irritum, prolemque legitimandam, 303
Quæst. ultima. De facultate dispensandi in hora celebrandi, sacrumque audiendi, 305
Append. continens modum legendi, & scribendi Citationes utriusque Juris, 305

THEO-

THEOLOGIÆ MORALIS

BREVI, SIMULQUE CLARA METHODO COMPREHENSÆ

TRACTATUS XIII.

DE CENSURIS AC IRREGULARITATE, ALIISQUE POENIS CANONICIS.

1 TRactatus de Censuris Ecclesiasticis valde utilis est, scituque necessarius omnibus, qui sive in Foro exteriori Ecclesiastico judicant, eo quod ipsæ partim sint Pœnæ medicinales *c.* 1. *De Sentent. excom. in 6.* partim pertineant ad *Nervum Ecclesiasticæ disciplinæ* numquam disrumpendum *c. Cum inter. De Consuetud.* Quia vero Censuræ sub Pœnis Canonicis, tamquam species sub genere continentur, breviter de his agendum, ita tamen, ut materia Irregularitatum exactius declaretur.

DISTINCTIO I.

De Censuris, & Pœnis Canonicis in genere.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Censura Ecclesiastica?

SUMMARIUM.

1 *Utilitas hujus Tractatus.*
2 *Censura generatim.*
3 *Censura Ecclesiastica, quid?*
4 *Est pœna spiritualis,*
5 *Ac medicinalis,*
6 *Declarantur aliæ ejus particulæ.*
(*a*) Juxta dicenda Dist. 3. n. 24. & seqq.
7 *Censuræ Ecclesiasticæ, quot?*

2 CEnsura apud Romanos significabat tum officium Censoris, tum sententiam ejusdem Censoris, mores corrigentis, aut pœnam decernentis. Unde occasione hujus posterioris acceptionis factum est, quod Censura significet correctionem quamdam, & punitionem, juxta illud *Juvenalis*, *Satyra* 1. *De Junone* canentis: *Dat veniam corvis, vexat Censura columbas.* In proposito tamen nomine Censuræ intelligimus solam Ecclesiasticam, de qua loquendo, sit

3 CONCL. I. *Censura Ecclesiastica est* pœna spiritualis, ac medicinalis, pro culpa inflicta, privans usu aliquorum spiritualium bonorum, per Ecclesiasticam potestatem imposita, ut Fidelis a contumacia desistat. Ita in re communis, & patebit explicando singulas particulas.

4 Dicitur, *pœna spiritualis*: tum ad differentiam pœnarum corporalium; siquidem Censuræ Ecclesiasticæ non versantur principaliter circa privationem bonorum temporalium, aut afflictionem corporis, quamvis per accidens, & secundario nonnumquam hæc sequatur ex illa: tum quia pœna spiritualis latius patet, quam Censura; unde hæc particula stat loco generis, cetera vero habent rationem differentiæ.

5 Dicitur ulterius, *ac medicinalis*: quia Censura Ecclesiastica proprie non est pœna vindicativa sceleris jam patrati, sed potius est pœna medicinalis, intendens futuram correctionem delinquentis contumacis *arg. cap.* 1. *De Sentent. excomm. in* 6. ibi: *Cum medicinalis sit excommunicatio, non mortalis, disciplinans, non eradicans; dum tamen is, in quem lata fuerit, non contemnat.*

6 Additur, *pro culpa inflicta*: quia Censuræ Ecclesiasticæ non infliguntur, nisi ob culpam: per quod differunt ab Irregularitate, quæ quandoque incurritur absque ulla culpa ex mero defectu aliquo. (*a*) Et additur rursum, *privans usu aliquorum bonorum spiritualium*: qualia sunt administratio, vel receptio Sacramentorum, Suffragia Ecclesiæ, Sacrificium Missæ, ac hujusmodi. Dicitur tandem, *per Ecclesiasticam potestatem imposita*: quia potestas ferendi Censuras convenit soli Ecclesiæ, cui dicta potestas competit Jure Divino; prout habetur *Matth. c.* 16. & 18. quamvis institutio, atque ipsa impositio Censurarum sit de Jure humano Ecclesiastico.

7 CONCL. II. Censuræ Ecclesiasticæ sunt tantum tres, videlicet Excommunicatio, Suspensio, & Interdictum. Ita omnes Doctores; & habetur clare *cap. Quærenti De Verb. signif.* ubi Pontifex interrogatus, quid per Censuram Ecclesiasticam debeat intelligi? *Respondet, quod per eam non solum interdicti, sed suspensionis, & excommunicationis sententia valeat intelligi.* Unde patet, has tres esse Censuras Ecclesiasticas, & quidem solas.

QUÆSTIO II.

Ob quam causam Censuræ ferri possint. Item quid Judex practice observare debeat, ut easdem valide infligat?

SUMMARIUM.

8 *Excommunicatio, aut alia Censura fertur ob solum peccatum mortale.*
9 *Dempta Excommunicatione minori,*
10 *Ac Suspensione levi.*
11 *Peccatum illud debet esse externum;*
(b) Tract. 2. Dist. 1. n. 46. & Tract. 4. Dist. 4. n. 26.
12 *Ac in suo genere completum.*
13 *Et quod habeat annexam contumaciam, sive inobedientiam delinquentis.*
14 *Quomodo etiam ob alias causas quis excommunicari possit?*
15 *Qualis contumacia requiratur, & sufficiat?*
16 *Corollarium.*
17 *Censura proprie non infligitur ob peccatum mere præteritum.*
18 *An possit imponi Suspensio v. g. per modum pœnæ?*
19 *Censura ipso jure decreta non requirit aliam monitionem; bene tamen, si ea feratur ab homine.*
20 *Censura, an possit infligi ob peccatum alterius? Affirmatur de Interdicto.*
21 *Negatur de Excommunicatione. Tota Communitas non debet excommunicari, quomodo?*
22 *Disparitas inter Interdictum, & Excommunicationem. Excommunicatio pœna gravissima.*
23 *Probatur responsio ex Jure.*
24 *An si excommunicetur tota Communitas, teneat Excommunicatio?*
25 *Suspensio non incurritur, nisi ob propriam culpam.*
26 *Disparitas inter hanc, ac Interdictum.*
* *A quonam possit ferri censura? Addit. I.*
* *Observantia practica pro Judice Censuram aliquam infligente. Addit. II.*

8 CONCL. I. Ob solum peccatum mortale, externum, & in suo genere completum potest infligi Excommunicatio major, vel alia Censura Ecclesiastica gravis. Ita Doctores passim. Ratio primæ partis est: quia pœna, ut sit justa, debet commensurari culpæ, sive eam non excedere: Excommunicatio major autem est gravissima pœna; ergo etiam gravem, seu mortalem culpam requirit.

9 Dicitur notanter, *Excommunicatio major.* Siquidem ut notat Reginaldus *lib.* 32. *n.* 147. cum communi, Excommunicatio minor potest imponi non solum ob peccatum mortale, sed etiam ob veniale, nempe ob communicationem cum excommunicato vitando in alloquio, mensa aliisque commerciis humanis, in quibus non reperitur notabilis irreverentia DEI, vel læsio sui, aut Proximi. Et ratio est: quia effectus Excommunicationis minoris non est adeo gravis, cum privet solum participatione seu receptione Sacramentorum, quæ non quovis tempore est necessaria.

10 Et additur, *vel alia Censura Ecclesiastica gravis.* Siquidem nihil prohibet, quin propter levem, sive venialem culpam quandoque imponatur Suspensio levis v. g. Suspensio ab uno actu electionis, aut Missa celebranda per unum vel alterum diem; prout notat Pirhing *tit. de Sent. excommun. n.* 207. Layman *l.* 1. *Tr.* 5, *p.* 3. *c*, 3. *n.* 2. Suarez, Navarrus, & alii.

11 Altera pars Conclusionis, quod ob solum peccatum externum incurratur Censura, ex eo suadetur: quia Ecclesia non judicat de occultis. Et hinc alibi (b) jam dictum est cum communi, licet hæretici ipso jure incurrant Excommunicationem, nihilominus eum, qui hæresin solo animo fovet, Excommunicationem non incurrere, priusquam verbo vel opere externo eam sufficienter manifestarit.

12 Ultimæ tandem partis, quod peccatum in suo genere debeat esse completum, ratio est: quia leges pœnales sunt stricte interpretandæ *c. Odia. De Reg. Jur. in* 6. simulque earum verba accipienda cum effectu *arg. cap. Hæc autem verba. De Pœnit. dist.* 1. Hinc, qui conatus fuit percutere Clericum, sed erravit, aut impeditus fuit, non incurrit pœnam Excommunicationis latam in Percussores Clericorum. Similiter, quamvis dicta Excommunicatio sit statuta etiam in mandantes, vel consulentes percussionem Clericorum, ea tamen ab ipsis non incurritur, nisi percussio Clerici actualiter sit secuta; & idem dicendum de similibus.

13 CONCL. II. Non ob quodlibet peccatum mortale potest ferri Excommunicatio, aut alia proprie dicta Censura Ecclesiastica; sed requiritur ulterius, ut peccatum illud habeat annexam inobedientiam, & contumaciam delinquentis, per quam Reus Ecclesiæ monentis, ac præcipientis auctoritatem spernere censeatur. Ita Navarrus *c.* 27. *Manual. n.* 9. Sannig *Dist.* 1. *de Censuris q.* 3. *n.* 12. Abbas, & alii. Et hoc colligitur ex Sacra Scriptura; nam *Matth.* 18. dicitur: *Si Ecclesiam non audierit* (id est, si ei obediens non fuerit) *sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*; id est, tamquam exclusus ex gremio Ecclesiæ. Idem desumitur ex definitione Censuræ ut sic, qua dicitur, Censuram esse infligendam, ut Fidelis a contumacia desistat: & hinc Censura Ecclesiastica censetur esse pœna medicinalis.

14 Nec dictis obstat, quod quis non solum ob contumaciam, sed ob alias quoque causas excommunicari possit; prout desumitur ex *c. Qua fronte De Appellat.* ibi: *Sane si quis pro contumacia, vel alia qualibet causa, interdicto vel excommunicatione tenetur adstrictus.* Respond. quippe cum Abbate *ad cit. cap. n.* 10. ad Excommunicationem semper requiri contumaciam, quæ sit causa immediata Excommunicationis; sive præcesserit delictum, sive non. Et hoc ultimum idcirco additur, quia potest *in aliquem interdicti, vel excommunicationis sententia proferri pro contumacia tantum, quia scilicet citatus stare noluit juri. text. clar. c. Ex parte* 23. *De Verb. signif.* Quod si vero aliud delictum præcesserit, ac proinde Excommunicationis sententia proferatur non tantum propter contumaciam, sed etiam pro illa causa alia, sive pro delicto; tunc istud erit causa Excommunicationis non immediata, sed mediata.

15 Nihilominus id, quod dicitur, ad incurrendam Censuram requiri ex parte delinquentis contumaciam, non sic intelligendum est, quasi requiratur contumacia atque contemptus formalis; sufficit enim inobedientia generalis, & contemptus interpretativus, in hoc consistens, quod quis sciens, quidpiam ab Ecclesia esse prohibitum sub Censura, nihilominus illud facere non vereatur. Unde

16 Infertur I. Excommunicationem, aut aliam Censuram numquam incurri ob peccatum solo Jure naturali, aut Divino prohibitum; nam ulterius requiritur præceptum Ecclesiæ, sub Censura quidpiam præcipientis, aut prohibentis, quod a Reo transgressore contumaciter spernatur.

17 Infertur II. Censuram proprie dictam non esse ab homine infligendam ob peccatum mere præteritum; id est, quod penitus cessavit, & nullam præsentem inobedientiam ac contumaciam adjunctam habet. Ratio est: tum quia Reus alioquin non posset dici contumax: tum quia Censura proprie dicta non est solum pœna seu vindicta, sed simul medicina, ut Fidelis a contumacia desistat; ergo, cum inobedientia & contumacia non respiciat præterita, quæ jam non sunt in potestate hominis, propter solum peccatum præteritum nequit Censura proprie dicta infligi.

18 Dicitur notanter, *Censura proprie dicta.* Quia propter peccatum præteritum potest quidem imponi pœna v. g. privatio Officii, vel Beneficii, imo & Suspensio ferri potest ob culpam mere præteritam, atque per modum pœnæ, ut notat Abbas *in c. Reprehensibilis, n.* 3. *de Appellat.* & Layman *cit. Tract.* 5. *part.* 3. *c.* 3. *n.* 3. verum hujusmodi Suspensio, seu pœna non est Censura proprie dicta;

cta; cum non infertur per modum medicinæ ad avertendum hominem a peccato: sed est mera pœna spiritualis, vindicativa peccati jam facti; cum tantum imponatur in pœnam admissi sceleris. Bassæus v. *Censura n.* 15. & alii passim, quod bene est notandum, ne umquam Suspensio quatenus Censura confundatur cum Suspensione; quæ præcise est pœna vindicativa.

19 CONCL. III. Quamvis, si ipso jure decreta est Censura latæ sententiæ, alia monitio necessaria non sit (quia tunc Lex, seu commune præceptum semper monet, ac proinde alia trina admonitione prævia opus non est, *arg. c. Reprehensibilis. De Appellat.*) nihilominus, quando Censura fertur ab homine, ea numquam infligenda est, nisi trina & legitima monitione prævia, cum intervallo dierum aliquot saltem duorum aut trium, ut censurandus habeat sufficiens tempus ad exhibendam emendationem, vel præstandam satisfactionem, aut proponendam suam defensionem, alioquin non solum injusta, sed etiam irrita foret Censura: licet aliquando, si necessitas facti id suadeat, possit una etiam admonitio peremptoria sufficere. Ita habetur expresse *c. Statuimus* &c. *c. Constitutionem De Sent. excom.* in 6. cum concordantiis; estque communis Doctorum.

20 Quæres I. An possit infligi Censura Ecclesiastica ob peccatum alterius? Resp. I. Loquendo de Interdicto, sententiam affirmativam esse tenendam. Sic quippe propter peccatum Regis potest interdici totum Regnum, *arg. c. Non est vobis. de Sponsalibus*; & pro peccatis Episcopi terra ipsi subjecta, *c. Sane quia* 11. *De Officio delegati*; & propter delictum Domini vel Rectoris Civitas, *c. Si Sentent. De Sent. excomm. in 6.* & Monasterium ob peccatum Prælati contumacis, *c. Cum dilectus. de Religiosis domibus*, ac notat Fagnanus *c. Responso n.* 42. *de Sentent. excommunic.* Et sic quandoque puniuntur aliqui, qui non peccaverunt, vel potius in suis subditis Superiores, ut publica coercitione confusi citius resipiscant, atque a sua desistant contumacia: præsertim, cum pœna Interdicti non tam multis bonis privet, sicut Excommunicatio major.

21 Resp. II. Excommunicatio major ob peccatum alienum non incurritur: ac proinde, ne innocentes cum nocentibus pœna adeo gravi involvantur, simul & collective excommunicari non debet tota aliqua Communitas, sive Collegium, aut Civitas; quamvis singuli, adeoque etiam omnes distributive, qui de tali Communitate nocentes reperiuntur, excommunicari valeant. Ita D. Thomas *P.* 3. *Supplem. q.* 22. *art.* 5. Tannerus *tom.* 4. *disp.* 6. *qu.* 10. *dub.* 3. *n.* 42. Layman, Pirhing, & alii communiter. Ratio est: quia Excommunicatio major non est infligenda, nisi propter peccatum mortale; peccatum vero, cum consistat in actu, non est Communitatis, sed singularium personarum. Accedit, quod in Communitate plerumque soleant esse aliqui innoxii, & non consentientes peccato aliorum: atqui æquum non est, ut condemnetur justus cum impio, præsertim pœna tam gravi, qualis est Excommunicatio major.

22 Nec obstat, quod secus fiat in Interdicto, negatur enim paritas: siquidem Interdictum non est tam gravis pœna, neque tam multis privat bonis sicuti Excommunicatio major: hæc enim est separatio non solum a Divinis, sed etiam a communione Fidelium, atque ideo pœna gravissima, sive, ut loquitur D. Augustinus, relatus *c. Corripiantur*, 24. *q.* 3. *qua pœna in Ecclesia nulla major est.* Quare ad hanc deveniendum non est, nisi magna adhibita circumspectione, & postquam præviis monitionibus, ac plerumque aliis levioribus pœnis & Censuris nihil obtineri potuit; ut recte monet Concilium Trident. *Sess.* 25. *Cap.* 3. *de Reform.* juncto *can. Ecce autem*, 24. *qu.* 3. Quinimo, cum ipsa sit medicinalis, neque tunc ad eam deveniendum est, nisi appareat spes aliqua fructus, vel ad ipsum Reum emendandum, vel saltem ad bonum publicum promovendum. Layman *loc. cit. part* 2. *cap.* 1. *n.* 6.

23 Ceterum, quod unus non sit excommunicandus propter peccatum alterius, utputa filius pro delicto parentis, ad longum resolvit D. Augustinus *Epist.* 75. *ad Auxilium Episcopum*, ac refertur *c. Si habes.* 24. *q.* 3. Quod autem tota communitas aliqua (intellige, simul & collective; secus distributive, dummodo omnes sint Rei) excommunicanda non sit, statuitur *c. Romana. De Sentent. excomm. in* 6. ibi: *in Universitatem, vel Collegium proferri excommunicationis sententiam, penitus prohibemus, volentes animarum periculum vitare, quod exinde sequi posset, cum nonnumquam contingeret, innoxios hujusmodi sententia irretiri: sed in illos dumtaxat de Collegio, vel Universitate, quos culpabiles esse constiterit, promulgetur.*

24 Utrum autem, si dictis non obstantibus excommunicetur tota Communitas, sententia Excommunicationis valida sit, nec ne, ad longum disputat Fagnanus *c. Responso, n.* 88. *de Sentent. excomm.* Et quamvis non pauci Doctores censeant, ipsam esse invalidam, ponderando dictionem illam, *penitus prohibemus*: nihilominus idem Fagnanus *n.* 102. tenet contrarium, asserens cum Gloss. *in cit. c. Romana* v. *Penitus*, & aliis, quod si sententia Excommunicationis lata sit in Communitatem, non obstante, quod fuerit illicite lata, & hac ratione injusta, adhuc bene teneat, & liget singulos de tali Communitate doli capaces: tum quia Pontifex prohibuit quidem, ejusmodi ferri sententiam, sed hanc non irritavit: tum quia, ut dicitur *c. Ad Apostolicam. De Regularibus. multa fieri prohibentur, quæ, si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.* Accedit, quod *sententia Pastoris, sive justa, sive injusta fuerit, timenda sit*, *c. Sententia*, 11. *q.* 3.

25 Resp. III. Suspensio stricte accepta non incurritur, nisi ob culpam propriam. Ita Navarrus *cap.* 27. *Manual. n.* 165. Layman *lib.* 1. *Tract.* 5. *part.* 3. *cap.* 3. *n.* 1. Suarez, & alii. Ratio est: quia Suspensio est proprie dicta pœna, quippe directe cuipiam adimens usum Ecclesiasticæ potestatis: atqui pœna talis non incurritur sine culpa propria; quinimo *peccata suos auctores tenere debent*, prout habetur *c. Quæsivit. de his, quæ fiunt a majori parte Capituli.*

26 Nec urget, si fiat instantia de Interdicto: nam neque Interdictum personale solet incurri, nisi ob peccatum proprium. Et quamvis Interdictum locale etiam astringat innocentes, id tamen fit dumtaxat indirecte, ac quamdiu sunt in loco interdicto: nam extra illum possunt interesse Divinis, atque, si moriantur; in loco sacro sepeliri. Econtra suspensus nullibi potest exercere usum potestatis Ecclesiasticæ.

Additio I.

* Quæres II. A quonam possit infligi aliqua Censura? Resp. Ab omni illo, qui habet potestatem Ecclesiasticam etiam pro foro externo, qualis præprimis est Summus Pontifex respectu Christianorum totius mundi. II. Cardinales in Ecclesiis sui Tituli. III. Legati Apostolici in territorio suæ Legationis. IV. Episcopi in sua Diœcesi. V. Capitula Cathedralia Sede vacante. VI. Vicarii Generales tam Episcopi, quam Capituli Sede vacante. VII. Prælati & Præpositi Ecclesiarum Collegiatarum, non item Parochi. VIII. Superiores Regulares non solum Abbates, Generales & Provinciales, verum etiam per se loquendo Superiores Locales respectu suorum subditorum, uti Rectores, Priores, Guardiani &c. Dixi *per se loquendo*, etenim per accidens subinde illorum potestas per Constitutiones particulares Ordinis limitatur. Videantur præsens Auctor *lib.* 5. *Decret. Tit.* 39. *num.* 7. & Elbel *de Censuris. Conferentia* 1. *num.* 4.

Additio II.

* Quæres III. Quidnam practice Judex observare debeat, ut cum minori impugnationis periculo Censuram alicui infligat? Resp. Talem Judicem partim juxta jam dicta, partim juxta adhuc dicenda debere potissimum

mum attendere ad sequentia. I. Videat, num habeat jurisdictionem, & quidem non impeditam respectu talis personæ, cui intendit Censuram infligere. II. Num adsit valde gravis causa infligendi Censuram; ubi non debet in hoc puncto esse præceps. III. Num crimen, ob quod Censuram infligere intendit, forsan non sit tale, cui annexa jam est alias Censura à Jure. IV. Si non sit annexa Censura à Jure, necessario ante inflictionem ejusdem ab homine præcedere debet monitio conformiter dictis *n.* 19. & ceteroquin in ipsa inflictione observari Juris ordo juxta dicenda *n.* 37. V. Quod si crimini tali annexa jam foret censura à Jure, videndum, num illa sit Censura *ferendæ sententiæ*, id est infligenda primum per sententiam condemnatoriam Judicis, vel potius Censura *sententiæ latæ*, quæ nimirum infligitur actu per ipsummet Jus, & incurritur absque nova sententia condemnatoria Judicis. VI. Quando Censura à Jure tali crimini annexa primum foret *sententiæ ferendæ*, adhuc deberet necessario præcedere prævia monitio ante sententiam, *arg. c. Reprehensibilis, 26. De Appellat.* VII, Quando autem dicta Censura Juris est *latæ sententiæ*, ac ipso facto jam incurritur, tunc Judex Ecclesiasticus taliter delinquentem potest publice denuntiare per sententiam declaratoriam censuratum v. g. excommunicatum absque prævia aliqua admonitione; debet tamen is, saltem nisi delictum & contumacia omnino notoria essent, prius citari ad hoc, ut se defendere possit, si forsan causam habeat excusantem à Censura, per textum, & Glossam *Clement.* 3 *De Censibus, & Clement.* 2. *De Pœnis.* Nam etsi juxta *Tract.* 2. *De Legibus, dist.* 2. *q.* 4. *n.* 39. Censura *latæ sententiæ*, si vera, & proprie dicta sit Censura, & non potius pœna vindicativa, privans jure jam quæsito, ac possesso, de Jure communi statim contrahatur in foro conscientiæ, quamprimum ipsum crimen, cui dicta Censura annexa est, committitur: nihilominus in foro externo Judex declarans, seu publice denuncians taliter censuratum, securus regulariter haud erit de impugnatione, si prius delinquentem non citet ad audiendum; quare non deberet contra ipsum proferri sententia declaratoria. Videantur Engel *lib.* 5. *Decret. tit.* 39. *n.* 9. Navarrus *eodem Consil.* 9. *n.* 4. & Ludovicus abAmæno *in practica Criminali, tit. ult.* §. 7. *n.* 61. *ac* 62. Quod si citandus studio subterfugiat citationem personalem abscondendo se, poterit citari per edictum affigendo illud publicis locis, & post debitum tempus, eo non comparente, nihilominus procedi ulterius in causa. *

QUÆSTIO III.

An ignorantia, metus, vel aliud quidpiam excusat ab incurrenda censura?

SUMMARIUM.

27 *Regula generalis circa hoc.*
28 *Ignorantia facti excusat a Censura.*
29 *Ignorantia facti excusat a Censura, dummodo non sit crassa.*
30 *Corollarium.*
31 *Rustici, & homines simplices sæpius per hoc excusantur à Censuris.*
[c] Juxta dicta Tract. 2. Dist. 2. n. 25. & seqq.
33 *Etiamsi actus Jure naturæ prohibitus existat.*
34 *Excommunicatio, aut alia Censura fit invalida,*
35 *Ob defectum Jurisdictionis, & hoc dupliciter.*
36 *Per appellationem, quando impediatur effectus Censuræ?*
* *Item quando per oppositionem nullitatis sententiæ?*
37 *II. Ob defectum substantialis Ordinis Judicii.*
38 *III Ob defectum justæ causæ, & hoc tripliciter.*
39 *Censura lata contra innocentem, qui in judicio probatur nocens, an sit servanda?*
40 *Quid de Clerico innocente, & secundum publicas probationes excommunicato?*
41 *Forma absolvendi a Censuris, quæ?*
42 *Suspensio, & interdictum quandoque non indigent absolutione.*
43 *Absolutio à Censuris, an possit dari extra Confessionem, aut absenti?*

27 Supponendum pro Regula generali, cum juxta dicta *n.* 8. *ac seqq.* & Doctores passim, ad incurrendam Censuram Ecclesiasticam requiratur culpa mortalis, & talis, qualis ibidem est descripta, quotiescumque aliquis per ignorantiam, inadvertentiam, vel animi passionem, aut parvitatem materiæ excusatur a peccato mortali, eum etiam ab Excommunicatione majori, gravi Suspensione, atque interdicto personali fore excusandum. Hoc prænotato, quantum attinet ad statum propositæ Quæstionis, sit

28 CONCL. I. Ignorantia facti, qua quis ignorat, factum suum esse tale, quod sub Censura prohibitum est, excusat ab ipsa Censura: hinc, si quis v. g. percutiat Clericum, quem putat esse Laicum, adeoque invincibiliter ignorat esse Clericum, excusatur ab Excommunicatione. Ita communis, & habetur *c. Si vero aliquis. De Sent. excom.* ibi: *Si vero aliquis in Clericum nutrientem comam manus injecerit violentas, propter hoc non debet Excommunicatione notari; dummodo ipsum Clericum esse ignoraverit.* Imo in tali casu sufficit ad evitandam Censuram ignorantia probabilis, ut explicat Glossa ibidem.

29 CONCL. II. Ignorantia invincibilis, & probabilis Juris Ecclesiastici, præcipientis, vel prohibentis quidpiam sub Censura, imo & sola ignorantia ipsius Censuræ, dummodo non sit crassa, seu supina, excusat a Censura incurrenda. Ita Doctores communiter; & habetur clare ex *cap.* 2. *De Constit. in* 6. ubi dicitur: *Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes; dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina.* Quæ decisio, cum sit favorabilis, multumque rationabilis, non tantum in Statutis Episcoporum, sed etiam Constitutionibus Pontificiis locum habet; nam etiam Papa est Ordinarius, & quidem *Ordinarius Ordinariorum.*

30 Infertur proinde, quod, licet quis sciat, opus aliquod esse prohibitum, vel præceptum, sive lege naturali, aut Divina, sive Ecclesiastica, si tamen invincibiliter, aut probabiliter ignoret, ipsi esse annexam Excommunicationem, aut aliam Censuram Ecclesiasticam, hanc ipse non incurrat. Patet hoc tum ex citato textu Juris Canonici; tum ratio hujus ulterior est: quia ad incurrendam Censuram requiritur contumacia, & virtualis quidam contemptus, quo quis recusat obedire Legi, sub tali pœna seu Censura quidpiam præcipienti: atqui is qui ignorat illam pœnam seu Censuram, jam non est taliter contumax; ergo.

31 Infertur ulterius, Rusticos, aliosque homines simplices sæpius ex hoc fundamento excusari ab incurrenda Censura excommunicationis: eo quod eam esse hic & nunc latam, rarissime sciant, imo vix audierint aliquid de Excommunicatione. Dummodo excipias excommunicationem in percussores Clericorum latam, & vix alicui ignotam, atque alias Censuras communiores, vel publice denuntiatas.

32 CONCL. III. Qui ex gravi metu mortis, mutilationis, infamiæ, aut hujusmodi transgreditur Legem Ecclesiasticam sub pœna censuræ impositam, is non incurrit annexam Censuram. Ita Pirhing *tit. de Sent. excom. n.* 47. Suarez & alii. Ratio est: quia Leges Ecclesiasticæ regulariter non obligant cum tanta severitate, seu periculo vitæ, aut membrorum: (*c*) atqui lex Censuram imponens est Ecclesiastica: ergo.

33 Nec obstat, quod talis non tantum contra Legem Ecclesiasticam, sed etiam contra Naturalem, ac Divinam operetur, ac proinde peccet: ut si quis gravi metu mortis adactus Matrimonium contrahat, & consummet cum consanguinea, vel Moniali. Resp. enim, quamvis talis peccet contra Legem Divinam & Naturalem, eo quod Matrimonium sit irritum, simulque propter nullum metum

tum sit faciendum peccatum, adhuc tamen eum non incurrere Excommunicationem, quæ ipso jure lata est contra taliter contrahentes. *Clem. un. De Consang. & Affinit.* Nam hæc jure dumtaxat Ecclesiastico, quale in casu tanti metus non obligat, statuta est: incestus autem prohibetur Jure naturali & Divino, quo ex nullo metu licitum est transgredi.

34 CONCL. IV. Insuper ex triplici capite potest Excommunicatio, aut alia Censura Ecclesiastica reddi invalida, ita ut nullum producat effectum: videlicet ob defectum jurisdictionis, ob defectum substantialis ordinis Judicii, & ob defectum justæ causæ. Ita Pirhing *loc. cit. num.* 40. & alii communiter. Et quidem

35 I. Censura ab homine lata redditur invalida, adeo ut non obliget, ob defectum jurisdictionis in ferente: ut si imponens Censuram, vel simpliciter careat jurisdictione eam imponendi, vel ipsam habeat impeditam per Excommunicationem, aut Suspensionem; nam *excommunicatus*, vel suspensus ab officio, *alium excommunicare non potest*, *c. Audivimus*, 24. *q.* 1. juncta Glossa.

36 Idem dicendum, si Prælatus habeat jurisdictionem suspensam per appellationem, legitime ab alio interpositam, ante sententiam absolute latam: ut si is ferat sententiam contra Sempronium, quod, nisi intra tot v. g. dies satisfecerit, noverit se esse excommunicatum, atque interim Sempronius appellet, & ad diem statutum non satisfaciat: nam ipse Censuram ejusmodi non incurrit, eo quod per legitimam appellationem, ante eventum conditionis interpositam, impediatur effectus Censuræ sub conditione latæ, vel alterius postea primum infligendæ; prout habetur *c. Præterea*, 40. *De Appellat.* Secus foret, si appellatio primum fieret post latam sententiam Censuræ in aliquem: nam hujus effectus per appellationem subsequentem non impeditur, neque suspenditur, *text. clar. c. Is cui. De Sentent. excomm. in* 6.

Additio.

* Qualiter a Sententia Censuræ absolute lata appellari amplius nequeat, fusius explicatur in Jure Canonico *lib.* 2. *Decret. tit.* 28. *n.* 212. *ac seqq.* ubi tamen etiam ex eodem *lib.* 2. *Decret. loc. cit. n.* 24. adverte, quod non sit idem *appellare a sententia*, & *opponere nullitatem sententiæ*; nam ista duo in pluribus differunt, principaliter in hoc, quod exclusa appellatione non censeatur sublata oppositio seu querela nullitatis sententiæ; hincque etsi interdicta semel appellatione nequeam ad altius tribunal appellare, potero tamen adhuc querelare (uti ajunt) id est opponere nullitatem sententiæ, e. g. ex defectu jurisdictionis, vel ratione substantialis ordinis non observati, de quo ordine illico. Quare *

37 II. Censura Excommunicationis, aut alia redditur invalida, & nullius roboris ob defectum substantialis ordinis Judicii: ut si Judex Censuram laturus nullam omnino, ne unicam quidem, præmittat admonitionem, vel si omittatur citatio Rei, isque ad sui defensionem non admittatur, aut si legitima probatio causæ, ob quam Censura fertur, desit. Pirhing *loc. cit.* Suarez, & alii.

38 III. Censura est invalida ob defectum justæ causæ, si nimirum ob nullam, aut omnino levem, & non commensuratam culpam feratur. Porro justitia causæ rursum tripliciter potest deficere. Primo, si nec reipsa, nec secundum allegata & probata crimen subsit: ut si quis excommunicetur, quod pauperi eleemosynam tribuerit, vel non fecerit id, quod agere illicitum & pravum erat, aut hujusmodi, Censura sic lata haud dubie invalida est, cum contineat *errorem intolerabilem*, ut Jura loquuntur *c. Per tuas. De Sentent. excomm.* & *c. Venerabilibus. §. Potest. Eod. in* 6. Deinde potest justitia causæ deesse, quando crimen, ob quod Censura fertur, fuit quidem a parte rei commissum, sed de eo Reus nec est legitime convictus, nec confessus: sic enim causa subsistit solum secundum se, non autem in ordine ad Judicium, seu forum externum; & consequenter sententia Censuræ, ob id inflictæ, est nulla. Tandem potest deficere causa, si a parte rei causa seu crimen non subsistat, tamen juridice contra Reum probetur; tunc enim non adest vera causa ferendi Censuram, bene tamen præsumpta, cum Reus reipsa sit innocens, qui tamen juridice probatus est nocens. Verum de hoc ultimo casu loquendo, & pro vera ejus intelligentia, sit

39 CONCL. V. Censura lata contra innocentem, qui secundum allegata & probata in Judicio censetur nocens, etsi reipsa, & in Foro conscientiæ non privet eum communibus Ecclesiæ Suffragiis, aliisque spiritualibus commodis ac facultatibus (revera enim Censura talis ob defectum causæ est nulla) tamen in Foro externo atque in facie Ecclesiæ debet servari, donec vel ab ea quis fuerit absolutus, vel innocentia ipsius atque error Censuræ publice innotuerit, Ita Covarruvias *in c. Alma mater, part.* 1. §. 7. *n.* 5. Navarrus *cap.* 27. *Manual. num.* 3. Pirhing *n.* 41. & alii. Sic quippe habetur *can. Si quis a proprio* 11. *q.* 3. & *S.* Gregorius, relatus *can.* 1. *ead. caus.* 11. *q.* 3. ait: *Sententia pastoris, sive justa, sive injusta fuerit, timenda est.* Accedit ratio: quia hoc necesse est ad publicam utilitatem atque disciplinam, ipsamque Judicis ex officio secundum allegata & probata judicantis auctoritatem tuendam; cui bono communi merito bonum privatum postponi debet. Et certe alioquin malevolis lata porta aperiretur, quaslibet Censuras contemnendi; cum dicere possent, se coram DEO esse innocentes, quamvis in Foro externo per falsa allegata & probata sint damnati nocentes.

40 Infertur proinde, quod, si Clericus innocens, sed secundum publicas probationes a Judice excommunicatus actum sui ordinis postea exerceat, is non contrahat Irregularitatem: quia revera Excommunicatio fuit nulla. Si tamen in Judicio ipse hac de re accusetur, & convincatur, tanquam irregularis a Judice condemnari potest: cum enim in Foro externo censeatur excommunicatus, consequenter etiam irregularis declarari debet si in tali excommunicatione celebrasse demonstretur. Quod si vero talis monitus desistere nolit, tunc de novo vere excommunicari poterit, propter suam inobedientiam & contumaciam, atque apparentem contemptum Ecclesiasticæ potestatis.

41 Quæres. Quænam sit forma absolvendi a Censuris? Resp. Nulla determinata forma verborum requiritur ad tollendas Censuras, sed sufficit, quibuscumque verbis voluntas absolventis sufficienter significetur. Solet tamen communiter hujusmodi forma observari: *Absolvo te a vinculo excommunicationis, quam incurristi propter* N. (exprimendo causam ipsius) & *restituo te sanctis Sacramentis, & communioni Fidelium, in Nomine Patris &c.* A Suspensione tantum: *Ego te absolvo a vinculo suspensionis, quam incurristi propter* N. (exprimitur causa) & *restituo te executioni Ordinum, in Nomine Patris &c.* Quando vero Censura est dubia, servetur hæc vel similis forma: *Si teneris aliquo vinculo excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, in quantum possum, & tu indiges, in Nomine Patris. &c.*

Quinimo, si Suspensio fuit lata ad determinatum dumtaxat tempus v. g. ad unum, aut duos annos, vel usque ad positionem certæ conditionis v. g. dicendo, *Sis suspensus, donec satisfeceris*: tunc elapso illo tempore, adimpleta conditione, utputa præstita satisfactione, per se ipsam cessat Suspensio, neque opus est alia formula absolutionis, sive sententia restitutionis *arg. c. Quia sæpe. De Election. in* 6. juncta Glossa *ibidem* V. *Donec.* Idem dicendum de Interdicto taliter lato. Layman *cit. tr.* 4. *cap.* 5. *num.* 1. Ceterum extra hosce casus necesse est, adhiberi veram absolutionem a Censuris, ab habente legitimam facultatem absolvendi datam;

datam; prout, alias rationes tacendo, clare patet ex Decreto Alexandri VII. inter alias Propositiones sequentem, ordine 44. condemnatis: *Quoad Forum conscientiæ Reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant Censuræ.*

43 Tandem sciendum, quod absolutio a Censuris ab habente potestatem ordinariam possit dari etiam extra Confessionem Sacramentalem, imo & absenti, ac invito. Dicitur, *ab habente potestatem ordinariam*: nam habens potestatem delegatam ad absolvendum a Censuris debet absolvere juxta tenorem suæ delegationis, ejusque formam exacte observare. Sannig. *Dist.* 1. *de Censuris, q.* 6. & alii.

QUÆSTIO IV.

Quid, & quotuplex sit Pœna Canonica? ubi & de Depositione, Degradatione, & Infamia.

SUMMARIUM.

44 *Pœna Canonica latius patet, quam Censura.*
45 *Pœna Canonica, quid?*
46 *Irregularitas, quando habeat rationem pœnæ?*
47 *Declaratur ulterius data definitio.*
48 *Pœnæ Canonicæ sunt septem.*
49 *Depositio, &*
50 *Degradatio, quid?*
51 *Et quomodo privent Clericali munere?*
52 *Degradatio privat etiam omni Clericali privilegio.*
53 *Utraque infligitur primum a Judice.*
54 *Forma Degradationis.*
55 *Infamia, quid?*
56 *Alia juris, alia facti.*
57 *Infamia juris, ob quæ crimina contrahatur?*
58 *Enarrantur potiora.*
59 *Quomodo tollatur?*

44 ADvertendum, quod Pœna Canonica latius pateat, quam Censura Ecclesiastica: siquidem Pœna Canonica respectu censuræ Ecclesiasticæ se habet, sicut genus respectu speciei; omnis enim Censura Ecclesiastica est etiam Pœna Canonica, non autem econtra. Hoc prænotato, sit

45 CONCL. I. Pœna Canonica est *pœna inflicta per Canones, vel secundum Canones, prohibens, vel arcens punitum ab aliquo gradu Ecclesiastico, qui alias sibi liceret.* Ita Doctor Subtilis 4. *dist.* 25. *q.* 1. estque in re communis.

46 Dicitur, *pœna*: quæ particula sumitur late, prout non tantum comprehendit pœnam proprie dictam, seu quæ procedit ex culpa, sed etiam Irregularitatem absque ulla culpa mortali quandoque provenientem, hæc enim habet rationem pœnæ saltem large & improprie dictæ, in quantum est malum, ac pœnale homini cupienti ordinari, habere ejusmodi impedimentum. Additur autem, *inflicta per Canones, vel secundum Canones*: quia quædam Pœnæ Canonicæ infliguntur ipso jure per Canones, quædam vero per sententiam Judicis secundum Canones; alioquin enim ejusmodi sententia Judicialis non esset justa, nisi infligeretur secundum Canones.

47 Dicitur ulterius: *prohibens, vel arcens punitum ab aliquo gradu Ecclesiastico*; quia Pœnæ Canonicæ a potiori prohibent hominem a susceptione, vel executione Ordinum: & licet quædam earum, ut Excommunicatio, ac interdictum, privent ulterius quibusdam aliis bonis spiritualibus, hoc tamen satis denotatur per appositum ly *Arcere.* Et additur, *qui alias sibi liceret*: si enim alioquin talis gradus, vel actus Ecclesiasticus cuipiam non liceret, jam non esset ipsi pœna, eo privari. Hinc quippe non est pœna Laico, vel mulieri, quod non possit celebrare Missam, eo quod talis actus aliunde sibi non competat; bene tamen Sacerdoti id foret pœnale.

48 CONCL. II. Pœnæ Canonicæ, sunt septem, videlicet Depositio, Degradatio, Infamia, Irregularitas, Excommunicatio, Suspensio, & Interdictum. Ita Scotus *loc. cit.* & alii; atque patebit ex diversis textibus Juris Canonici in progressu citandis.

49 *Depositio* est privatio perpetua Clericalis muneris, per Canonicam sententiam cum debita solemnitate prolatam.

50 *Degradatio*, quæ plurimum convenit cum depositione, est privatio perpetua Clericalis muneris, & privilegii, facta post Canonicam sententiam, adjuncta reali actione & cæremonia per Canones instituta, Additur, *quæ plurimum convenit cum Depositione*: adeo, ut a nonnullis pro una pœna computetur *arg. c. Degradatio. De Pœnis, in* 6. ibi: *Verbalis degradatio, seu depositio ab Ordinibus*, & notat Fagnanus *c. Qualiter lib.* 2. *num.* 76. *de Accusat.* Nihilominus est notabilis differentia inter ipsas: nam Degradatio fit actione reali, & simul includit privationem privilegii Clericalis, quæ duo in Depositione verbali non habentur, prout patebit ex declaratione utriusque definitionis.

51 Dicitur I. in utraque data definitione, *privatio perpetua Clericalis muneris*; quia tam Depositio, quam Degradatio privat in perpetuum, ac sine spe remissionis omni munere Clericali, id est; omnibus Beneficiis Ecclesiasticis, nec non & licentia exercendi actum cujuscumque Ordinis. Non tamen privatur quis Charactere Ordinis, quia hic est indelebilis: neque potestate valide consecrandi (si fuerit Sacerdos) quia & hæc potestas est simpliciter inimpedibilis: neque facultate absolvendi pro mortis articulo moribundum, quia tunc nulla est reservatio Casuum. Insuper Depositus, aut Degradatus non liberatur ab onere recitandi Breviarium, aut servandi perpetuam Castitatem: ne alioquin ex suo peccato commodum reportet.

Dicitur II. In definitione Degradationis, *& privilegii*: quæ particula in definitione Depositionis est omissa: siquidem per Degradationem (non tamen per solam Depositionem verbalem) privatur quis tum privilegio Fori, tum etiam privilegio Canonis. Privilegio quidem Fori, in quantum ejicitur a Foro Ecclesiastico, & traditur Foro, seu Curiæ sæculari; ita, ut deinde sit constitutus sub jurisdictione Magistratus sæcularis, a quo proin, quasi esset Laicus, poterit capi, incarcerari, ac juxta Leges Civiles de commissis criminibus puniri: quamvis, dum Clericus degradatus propter sua crimina traditur Curiæ sæculari, efficaciter pro eo debeat Ecclesia intercedere, ut citra mortis periculum quoad eum sententia moderetur *c. Novimus. De Verb. signif.* Privatur insuper Degradatus privilegio Canonis; ita ut ejusdem invasor, aut percussor, quamvis injustus, non incurrat Excommunicationem latam in percussores Clericorum.

53 Dicitur III. in utraque definitione, *post Canonicam sententiam cum debita solemnitate factam*: tum quia neutra earum infligitur ipso jure, sed quælibet a Judice, seu per sententiam Canonicam debet infligi: tum quia tam ad Depositionem, quam ad Degradationem requiritur certa solemnitas a jure præscripta, quæ refertur in *c. Degradatio. De Pœnis in* 6.

54 Dicitur tandem in Definitione Degradationis, *adjuncta reali actione*: quia, ut habetur *cit. c. Degradatio. De Pœnis, in* 6. „ Clericus degradandus, vestibus sacris indutus & habens instrumenta illa in manibus, „ quæ spectant ad Ordinem suum, ad Episcopum adduci debet, ab eoque Ordine retrogrado (id est, incipiendo ab illo vestimento, quod ultima vice in sua Ordinatione acceperat; usque ad primum quod datur in collatione primæ Tonsuræ,) omnibus suis vestibus, & ornamentis sacris, cum certis verbis exuitur, ac tandem caput illius raditur, vel tondetur, ne Tonsuræ, vel Clericatus vestigium in eo remaneat: „ & hisce peractis, Degradatus primum traditur Curiæ „ sæculari. „ Hæc omnia tamen non reperiuntur in simplici Depositione: nam hæc fit per solam sententiam in

in criminosos canonice latam, neque privat omni privilegio Clericali, aut Fori. Abbas *c. Tuæ, de Pœnis*, ubi insuper notat, quod isthæc Depositio alio nomine dicatur *Degradatio verbalis, c. Degradatio. Eod. in 6.*

55 Quantum attinet ad *Infamiam*, quæ est tertia Pœna Canonica, advertendum, quod infamia idem sit, ac privatio seu diminutio bonæ famæ; sive, ut alii loquuntur *arg. l. Cognitionum, ff. de extraord. cognition. Infamia est læsæ dignitatis status, vita ac moribus reprobatus.*

56 Duplex autem communiter assignatur Infamia, videlicet *Infamia juris & Infamia facti.* Hæc posterior accidit, quando quis tale aliquid perpetrat, propter quod ejus bona existimatio apud probos & honestos viros læditur, licet jure aliquo expresso notetur Infamia. *Infamia juris* est, quæ ipso jure infligitur, seu decernitur in certa crimina committentes. Idque adhuc fit dupliciter, nempe dum vel ipso facto Infamia contrahitur, vel primum per sententiam Judicis secundum juris declarationem decernitur.

57 Quæres. Ob quæ crimina contrahatur Infamia juris? Resp. I. Regula generalis est, Jure Canonico omnes eos censeri infames, quicumque Jure Civili habentur infames; nisi Infamiam Jure Civili introductam Canones speciatim sustulerint. Prior pars habetur clare ex *c. Omnes, 6. q. 1.* ubi Hadrianus Papa inquit: *Omnes vero infames esse dicimus, quos Leges sæculi infames appellant.* Concordat *c. Infames, 6. q. 1.* ibi: *Infames esse dicimus omnes, quos Ecclesiasticæ, vel sæculi leges Infames pronuntiant.* Altera vero pars probatur ex *cap. ult. De Secundis nuntiis*, ubi Infamia Jure Civili *L. 1. C. De Secundis nuptiis*, decreta mulieri intra annum luctus nubenti fuit sublata.

58 Resp. II. Quænam personæ censeantur Jure Canonico infames, refertur *cit. can. Infames, q. 1.* Et sunt fures, sacrilegi, incestuosi, homicidæ, perjuri, raptores, malefici, venefici, adulteri, de bellis publicis fugientes, criminibus capitalibus irretiti, sepulchrorum violatores, & alii ejusmodi ibidem enumerari. Et de talibus loquitur *Reg. 87. Juris; in 6. Infamibus portæ non pateant dignitatum.*

59 Ceterum Infamia Canonica, quando orta est ex crimine occulto tollitur per pœnitentiam, secus quando ortum habet ex crimine manifesto; ut post Glossam *c. Illi qui, 6. q. 1.* notat Fagnanus *in c. Vestra, n. 37. de Cohabit. Cler.* Unde Infamiam juris ex crimine manifesto subortam auctoritative tollere, seu abolere, spectat ad Principem, sive ad SS. Pontificem, tanquam Conditorem Juris Canonici *arg. c. Cum te. De Sent. & re judicata*, & notat idem Fagnanus *in c. Vergentius, n. 38. de Hæreticis.*

DISTINCTIO II.

De Excommunicatione, Suspensione & Interdicto.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Excommunicatio?

SUMMARIUM

1 *Excommunicatio vi nominis, quid?*
2 *Excommunicatio, & Anathema, an differant?*
3 *Datur in Ecclesia potestas ferendi Excommunicationem, aliasque Censuras.*
4 *D. Paulus potestate excommunicandi aliquoties usus fuit.*
5 *Excommunicatio, quid?*
6 *Dividitur in majorem & minorem.*
Absolute posita denotat majorem.
7 *Excommunicatio minor, quid?*
Ejus effectus, quis?
8 *Excommunicatio major, quæ?*

1 Excommunicatio juxta nominis ethymologiam idem est, ac *extra communionem separatio.* Sed in proposito sumitur ipsa pro Censura Ecclesiastica, per quam homo Christianus a communione Ecclesiæ separatur. Dicitur etiam alio nomine *Anathema*: nam anathema græce significat separationem alicujus a reliquis partibus, & quidem frequentius, prout ejusmodi separatio fit ab Ecclesia, tanquam alicujus execrandi & maledicti, prout hæreses & hæretici, aliique peccatores incorrigibiles ab Ecclesia anathematizantur.

2 Interim, licet Excommunicatio, & Anathema essentialiter non differant (utraque enim importat separationem alicujus ab Ecclesiæ communione) differunt tamen quoad solemnitatem: nam Excommunicatio quandoque incurritur ipso jure, quandoque infertur per sententiam Judicis in scriptis comprehensam: Anathema vero cum certis ceremoniis *c. Debent. 11. q. 3.* præscriptis, ad terrorem ceterorum peragitur, Siquidem debent duodecim Presbyteri Episcopum circumstare, & lucernas ardentes in manibus tenere, quas post latam Anathematis sententiam in terram projiciunt, & pedibus conculcant, cui solemnitati aliæ quoque maledictiones, & execrationes verbales addi solent. Hinc *c. Cum non ab homine. De Judiciis.* Clericus depositus incorrigibilis primum excommunicari, deinde vero crescente contumacia Anathematis mucrone feriri jubetur.

3 CONCL. I. Datur in Ecclesia Catholica potestas ferendi Excommunicationem, ac alias Censuras Ecclesiasticas, Jure Divino eidem concessa. Ita omnes Catholici, atque desumitur tum ex perpetua praxi, & sensu Ecclesiæ; tum ex illo generali dicto Salvatoris, *Matth. cap. 16. Et tibi dabo claves Regni Cælorum: Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis. Et Matth. cap. 18. Dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.*

4 Et tali potestate jam usus fuit D. Paulus Apostolus, dum *1. Corinth. 5.* quempiam Sathanæ tradidit, hoc est, excommunicavit, seu ex consortio Fidelium ejecit; prout ipsemet Apostolus ibidem indicat dicens: *Et non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit.* In quem locum D. Augustinus relatus *c. Omnis, 11. q. 3.* ait: *Omnis Christianus, qui a Sacerdotibus excommunicatur, Sathanæ traditur. Quomodo? Scilicet, quia extra Ecclesiam Diabolus est, sicut in Ecclesia Christus. Unde illos, quos tunc Apostolus Sathanæ esse traditos prædicat, excommunicatos a se esse demonstrat.* Quinimo Scotus *4. dist. 19. q. un. §. De quinto*, notat, in Epistolis D. Pauli legi, quod ipse tribus vicibus excommunicaverit, nempe *1. Corinth. 5.* ut jam dictum. Et *1. Timoth. 1.* ibi: *Ex quibus est Hymenæus & Alexander, quos tradidi Sathanæ, ut discant, non blasphemare.* Et *Galat. 1. Si quis vobis evangelizaverit præter id, quod accepistis, anathema sit.*

5 CONCL. II. *Excommunicatio* est Censura Ecclesiastica, qua homo Christianus a communione Fidelium separatur. Ita Doctor Subtilis *loc. cit. § De quinto*, ubi ait: *Excommunicatio simpliciter, quæ est sola major, est exclusio alicujus a communione Fidelium; non quidem exclusio corporalis, quæ fit in incarceratione, vel exclusione ab aliis, sed excludendo per prohibitionem, ne communicet cum aliis, nec alii cum eo*: estque in re communis. Dicitur, *Censura Ecclesiastica*, quæ particula stat loco generis, nam reliqua stant loco differentiæ. Et additur, *qua homo Christianus separatur a Communione Fidelium*: tum quia Ethnici, & numquam baptizati nequeunt excommunicari; cum necdum re ipsa in Ecclesiam fuerint ingressi per Baptismum: tum quia per hanc particulam Excommunicatio differt ab aliis Censuris Ecclesiasticis, ut magis patebit ex dicendis.

6 CONCL. III. Excommunicatio ut sit ex parte boni, quo privat hominem, proprie ac principaliter dividitur in majorem, ac minorem; eo quod possit quis a communione Fidelium separari vel ex parte solum, vel ex toto; quamvis, si nomen *Excommunicationis* absoluta

absolute ponatur, nec aliud exprimatur, illud sit intelligendum de Excommunicatione majori. Ita Scotus *loc. cit.* estque communis; & habetur *c. Si quem. De Sentent. excomm.* ubi dicitur. *Si quem sub hac forma verborum: Illum excommunico, vel simili, a Judice suo excommunicari contingat, dicendum est, eum non tantum minori, quæ a perceptione Sacramentorum, sed etiam majori Excommunicatione [quæ a Communione Fidelium separat] esse ligatum,*

7 CONCL. IV. *Excommunicatio minor* est Censura Ecclesiastica, privans hominem perceptione Sacramentorum. Ita habetur ex *cit. c. Si quem Sentent. excomm.* juncto *c. Si celebrat. De Cleric. excomm. &c.* ubi de excommunicato Excommunicatione minori dicitur, quod *non videatur a collatione, sed participatione Sacramentorum (quæ in sola consistit perceptione) remotus.*

8 Unde infertur, quod proprius & adæquatus Excommunicationis minoris effectus sit, privare hominem solo usu passivo seu receptione Sacramentorum Ecclesiæ; ac proinde ipsa tantum separet secundum quid a communione Fidelium, videlicet quoad solam Sacramentorum participationem, sive receptionem. Per quod ea differt ab Excommunicatione majori, quæ longe plures, eosque gravissimos effectus habet, uti patebit ex *Quæst. seq.*

9 CONCL. V. *Excommunicatio major,* quæ est simpliciter Excommunicatio, bene definitur quod sit Censura Ecclesiastica, qua quis a Communione Fidelium simpliciter separatur. Ita desumitur tum ex Doctore Subtili *loc. cit.* tum ex *cit. c. Si quem De Sent. Excommunicat.* Quamvis enim ibidem non opponatur ly *simpliciter:* tamen textum illum loqui de separatione totali [id est, quæ fit tum per privationem Sacramentorum Ecclesiæ, tam recipiendorum, quam administrandorum; tum etiam per privationem communium Suffragiorum Ecclesiæ, nec non & convictus Civilis, seu exterioris communionis Fidelium] communiter intelligunt Doctores, prout mox amplius explicabitur, Hinc fit

QUÆSTIO II.

Qui sint effectus Excommunicationis majoris.

SUMMARIUM.

10 *Communio Fidelium, triplex. Pure interna.*
Vide dicta Tract. 12. dist. 3. qu. 7. per totum.
11 *Pure externa.*
12 *Et media, seu mixta.*
13 *Ecclesia non privat excommunicatum communione Fidelium mere interna;*
14 *Neque privatis orationibus Fidelium:*
(*b*) Et hoc amplius, n. 17.
15 *Bene tamen communione Fidelium tam media, quam pure externa.*
16 *I. Excommunicationis majoris effectus est privatio communium Ecclesiæ Suffragiorum. Hæc quæ sint.*
17 *Corollarium notabile.*
18 *II. Privatio communionis Sacramentorum, activæ, & passivæ.*
19 *Nisi justa causa excuset, & quæ?*
(*c*) Tr. 2. dist. 2. n. 25. & 28.
* *Ubi etiam aliud notabile.*
20 *III. Privatio usus Divinorum Officiorum. Divina Officia, quæ?*
21 *IV. Privatio sepulturæ Ecclesiasticæ.*
22 *Quid juris, si excommunicatus in loco sacro sepeliatur?*
23 *An hic effectus de facto locum habeat in omnibus excommunicatis?*
(*d*) Tract. 14. dist. 5. n. 126.
24 *Omnino impœnitens non est sepeliendus in loco Sacro.*
25 *Major difficultas de excommunicato non vitando, & pœnitente.*
26 *Solutio.*
27 *V. Incapacitas ad Beneficium Ecclesiasticum.*
28 *VI. Nullitas Rescripti Apostolici ab excommunicato impetrati.*
Absolutio ad cautelam a Censuris.
29 *VII. Privatio omnis jurisdictionis spiritualis.*
30 *Quid, si excommunicatus non erat vitandus?*
(*e*) De quo n. 26. & 36.
31 *VIII. Privatio communionis forensis.*
Limitatur in Reo.
32 *Atque excommunicato non vitando.*
33 *IX. Insordescens per annum in Excommunicatione fit suspectus de hæresi.*
34 *X. Privatio omnis Civilis communionis.*
Hoc procedit de excommunicato non tolerato, sed vitando.

10 NOtandum hic cum D. Bonaventura 4. *dist.* 18. *art.* 1. *q.* 1. & aliis, quod triplex sit communio Fidelium, nempe pure interna, pure externa, & media seu mixta. *Communicatio, seu Communio Fidelium pure interna* consistit in Fide & Charitate per quam Fideles inter se, & cum Christo Capite suo mystice copulantur: & ratione hujus unionis, seu communionis potest unus Fidelis impetrare alteri de congruo specialia beneficia, eique, si ceteroquin capax est, applicare proprias satisfactiones; juxta quod testatur David Psalm 118. *Particeps ego sum omnium timentium te.* Concordat illud Symboli Apostolici: *Credo Sanctorum Communionem.* [*a*]

11 *Communio Fidelium pure externa* est mere politica, consistens in Fidelium convictu, colloquio, aliisque commerciis. Et hæc olim prohibita fuit exhiberi excommunicatis Excommunicatione majori: verum hodie post Consilium Constantiense, circa annum Domini 1414. celebratum, per constitutionem Martini V. quæ incipit. *Ad evitanda,* generaliter ejusmodi prohibitio sublata est, exceptis duobus casibus, videlicet nominatim excommunicatis ac denuntiatis, & notoriis Clericorum percussoribus.

12 Tandem *Communio Fidelium media, seu mixta est,* quæ in exterioribus actionibus, seu cæremoniis Ecclesiasticis consistens interiorem ac spiritualem fructum ex propria institutione continet. Quo spectat inprimis usus tam activus, quam passivus Sacramentorum; id est, administratio, & perceptio eorum: deinde communia Ecclesiæ Suffragia, quæ in Sacrificio Missæ, aliisque publicis Officiis, utputa in Horis Canonicis, in Benedictionibus Cinerum, Palmarum, & hujusmodi, pro universa Ecclesia ad DEUM funduntur. Huc adde satisfactiones Christi & Sanctorum, quæ ex communi Thesauro Ecclesiæ per Indulgentias Fidelibus applicantur. His prænotatis, sit

13 CONCL. I. Certum est, quod Ecclesia per Excommunicationem neque velit, neque possit quempiam privare Communione Fidelium mere interna, quæ est per Fidem & Charitatem. Ratio est: quia talibus Virtutibus nemo potest privari invitus, & absque propria culpa mortali: imo vera Fides & Spes potest etiam manere in peccatoribus, ipsisque excommunicatis, si contra hasce Virtutes propria voluntate non delinquant. Porro Charitas non tollitur per Excommunicationem, sed supponitur jam sublata per peccatum mortale prævium; cum non nisi ob peccatum mortale Excommunicatio major infligatur: & potest contingere, ut homo, priusquam ab Excommunicatione absolvatur, per contritionem perfectam redierit in gratiam & amicitiam Dei. Layman *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 2. *cap.* 1. *n.* 3. & alii.

14 CONCL. II. Insuper certum est, quod Ecclesia excommunicatum non privet fructu orationum, & satisfactionum, quas alii Fideles proprio nomine, ac privata intentione ipsi applicant. Ratio est: quia hujusmodi bona opera sunt ipsius operantis propria; ergo spectant ad liberam ejus applicationem, non vero ad dispensationem Ecclesiæ. Unde nemo prohibetur pro excommunicatis privatim Deum orare. (*b*)

15 CONCL.

15 CONCL. III. Excommunicatio major privat excommunicatum communione Fidelium tam media, quam etiam pure externa, seu mere politica. Ita communis. Ratio est: quia non excedit potestatem Ecclesiæ, privare hominem criminosum, & contumacem communibus Ecclesiæ Suffragiis, utpote suo nomine factis, ac usu Sacramentorum, vel eidem interdicere externam conversationem & convictum Fidelium. Quomodo autem id intelligendum sit, patebit inductione, explicando plerosque effectus Excommunicationis majoris.

16 Primus itaque effectus Excommunicationis majoris est, privare hominem communibus Ecclesiæ Suffragiis, ita ut excommunicato non prosint, neque ea nomine Ecclesiæ possint pro ipso offerri. Porro hujusmodi communia Ecclesiæ Suffragia commode ad tria capita reducuntur: quæ sunt inprimis SS. Missæ Sacrificium; nam illud nomine totius Ecclesiæ offertur. Deinde Indulgentiæ, utpote quæ proveniunt ex communi Thesauro Ecclesiæ. Tandem huc pertinent Orationes publicæ, aliæque actiones sacræ, quæ a Ministris Ecclesiæ, in quantum tales sunt, ac nomine ipsius Ecclesiæ peraguntur: quales sunt Horæ Canonicæ, Benedictio solemnis Aquæ benedictæ, Candelarum, Palmarum, Consecratio Ecclesiæ, vel Altaris, Officium Defunctorum, & hujusmodi.

17 Infertur proinde cum Navarro *c. 27. Manual. n. 36.* & aliis, peccare eos mortaliter, qui orant pro excommunicato oratione publica, aut qui cum eo communicant in oratione publica, seu nomine totius Ecclesiæ facta. Verum hoc intelligendum est de excommunicato non tolerato, sed vitando. uti observat. cit. Navarrus. Intelligendum ulterius id est de Oratione publica, seu nomine totius Ecclesiæ facta: nam orationes privatæ, sub quibus comprehenditur *Memento* in Missa, a Sacerdote mentaliter orando factum, item & jejunia aliaque pia opera, quæ non fiunt nomine Ecclesiæ, neque ab ejus Ministris qua talibus, sed proprio cujuslibet nomine, ac ex privata devotione, non prohibentur fieri pro excommunicatis juxta dicta *n.* 14. Insuper Feria Parasceves, quo die Christus in Cruce pro suis inimicis oravit, etiam Ecclesia publice & solemniter orat pro Hæreticis ac Schismaticis, qui tamen sunt excommunicati. Item licitum est, solemniter orare pro extirpatione hæresum, & sic indirecte pro ipsis Hæreticis, ut a DEO convertantur, & hujusmodi.

18 Secundus effectus Excommunicationis majoris est, privare hominem communione Sacramentorum, tam activa, quam passiva, ita ut excommunicatus licite, & absque peccato mortali non possit ullum Sacramentum recipere, vel administrare. Et hoc intelligendum est non solum de Excommunicato adhuc impœnitente, utpote qui ratione sui peccati mortalis prohibetur Sacramenta suscipere, vel administrare, sed etiam de eo, qui per perfectam contritionem jam rediit in gratiam DEI. Siquidem talis non potest licite, & absque peccato mortali (nisi excuset justa causa) ullum Sacramentum recipere, vel administrare, donec fuerit absolutus a sua Excommunicatione: ageret enim contra præceptum Ecclesiæ, & expressam illius prohibitionem in materia gravi.

19 Additur notanter, *nisi excuset justa causa*: qualis foret ignorantia invincibilis, necessitas administrandi Sacramentum ob metum mortis, infamiæ, jacturæ bonorum, ac hujusmodi. Nam si quis excommunicatus, ignorans invincibiliter, se esse excommunicatum; administrat, vel recipit Sacramenta, certum est, quod non peccet, mortaliter, ratione ignorantiæ suæ invincibilis. Similiter, si quis excommunicatus occultus, sibi tamen conscius Excommunicationis, urgente gravi necessitate Sacramenta administret, vel recipiat v. g. ad vitandam mortem aut scandalum, vel gravem jacturam, non peccabit; dummodo in ejusmodi casu, quo non potest prius obtinere absolutionem ab Excommunicatione, perfectam contritionem præmittat receptioni, vel administrationi Sacramentorum. Ratio est, quia Lex Ecclesiastica, qualis est de privatione participationis Sacramentorum, tum activæ tum passivæ, cum tanto rigore non obligat; prout supra (*c*) jam dictum.

Additio V.

* Cæteroquin probibitione illa usus activi & passivi Sacramentorum tangit excommunicatos, non solum eos, qui ab Ecclesia tolerati non sunt, sed etiam toleratos, prout partim P. Elbel *de Censuris. Conferent. II. n.* 41. probat ex *cap. Si quem.* 59. *De Sent. Excommunicat.* quod Capitulum generaliter loquitur; partim etiam Kilianus Kazenberger in Supplement. Decal. P. Sporer *Tract. de Censuris. cap.* 3. *sect.* 2. *n.* 74. *ac seqq.* recte deducit ex *cap. Si quem. De Sentent. Excommunicat.* ubi receptio Sacramentorum prohibetur excommunicato Excommunicatione minori, qui utique est excommunicatus toleratus.

Quod si autem excommunicatus, qui antea non fuit debite ab Excommunicatione absolutus, Sacramentum quodpiam recipere præsumeret, equidem haud dubie peccaret, non tamen pœnam Ecclesiasticam exinde de novo incurreret, cum nulla in jure sit decreta, seu expressa. Excipitur Sacramentum *Ordinis*; hoc enim si recipiat excommunicatus, vel exerceat, incurrit irregularitatem, prout fusius declarabitur Distinctione sequenti.

20 Tertius effectus Excommunicationis majoris est privatio usus Divinorum Officiorum: ita, ut excommunicatus Missæ, aliisque Divinis Officiis (excepta Concione) non possit licite, & absque gravi peccato interesse. Ubi nomine Divinorum Officiorum intelligitur non solum Missa, sed & cantus Horarum Canonicarum, publica Oratio, Processio, Benedictio olei, aquæ, candelarum, & cætera Ordini Clericali annexa, *excepta Concione:* hanc enim etiam excommunicato non tolerato licet audire, ut sic magis & citius ad pœnitentiam excitetur *c. Responso. de Sent. Excommunic.*

21 Quartus effectus Excommunicationis majoris est privatio sepulturæ Ecclesiasticæ. Nam certum est, corpus excommunicati non posse sepeliri in loco sacro, seu destinato sepulturæ Fidelium; prout expresse habetur *c. Sacris. de Sepulturis.* allegata ea ratione, quia, *quibus non communicavimus vivis, non debemus communicare defunctis.* Quinimo hac de causa ibidem præcipitur, ut ossa excommunicatorum sepulta in cœmeterio Ecclesiastico, si possint discerni ab aliis ossibus non excommunicatorum, debeant exhumari, & inde amoveri: secus est, si amplius discerni non possunt.

22 Quod si qui scienter, ac temerarie præsumpserint excommunicatum sepelire in loco sacro, incurrunt & ipsi Excommunicationem ipso facto, ut dicitur *Clem.* 1. *de Sepulturis.* simulque ante exhumationem ejus, si ossa excommunicati discerni valeant ab aliis, non possunt in illo loco Fideles sepeliri, neque ibidem Divina Officia celebrari; & post exhumationem (idem dicendum, si corpus excommunicati ibi relictum fuit, eo quod ab Ossibus Fidelium discerni non potuerit) debet locus reconciliari. *c. Consuluisti. De Consecrat. Ecclesiæ.* Siquidem per sepulturam excommunicati locus sacer fuit pollutus. & ad Divina celebranda, Fideliumque sepulturam factus incapax. Henricx *disp.* 6. *de Censuris q.* 2. *n.* 30. & alii.

23 Dubitant vero Doctores, an prædictus effectus de facto post Concilium Constantiense locum habeat in solis excommunicatis vitandis, an vero generaliter in omnibus? Ratio dubitandi est: quia in excommunicatis non vitandis videtur cessare ratio ex Jure Canonico superius allata *quibus non communicavimus vivis non debemus communicare defunctis.* Nam excommunicatis non vitandis de facto communicamus in vita; & consequenter videtur, eis etiam de facto posse nos communicare defunctis in sepulchro. Et quidem per sepul-

sepulturam excommunicati tolerati non violari locum sacrum ob rationem allegatam, ultro (*d*) conceditur: num autem talis in loco sacro licite sepeliatur, major difficultas est; ad quam

24 Resp. I. Certum est, quod quando alicujus Excommunicatio est publica; & ipse fuit mortuus omnino impoenitens, talis non sit sepeliendus in loco sacro. Ratio est: quia, cum Excommunicatio major non feratur, nisi ob peccatum mortale, qui in ea moritur absque ullo poenitentiæ signo, censetur notorie mori in statu Peccati mortalis, sicque esse indignus sepultura Ecclesiastica. Et hac de causa Hæretici in sua hæresi absque dolore decedentes non sepeliuntur in loco sacro, etsi in vivis non fuerint vitandi.

25 Resp. II. Utrum excommunicatus, qui ante mortem dedit vera signa poenitentiæ, possit absque obtenta prius absolutione mortuus sepeliri in loco sacro post Concilium Constantiense, si vitandus non fuit, variant Doctores. Et quidem Navarrus *c.* 27. *Manual. n.* 36. & Layman *lib.* 1. *Tract.* 5. *part.* 2. *cap.* 4. *n.* 9. post Henriquez putant, talem ob rationem *n.* 23. allegatam posse sepeliri in loco sacro, quando eum pie mortuum esse præsumi potest.

26 Oppositum tamen videtur probabilius, atque tenendum cum Lud. Engel. *tit de Sepulturis. n.* 19. Herincx *loc. cit. n.* 31. Zoesio, & aliis; quando Excommunicatio est publica: quia tunc excommunicatus prius erit absolvendus, saltem post mortem, verberato, juxta Ritum præscriptum in Rituali Romano, ejus corpore, antequam sepeliatur in loco sacro: quæ quidem absolutio eo dumtaxat tendit, ut hujusmodi defunctus restituatur communioni Fidelium quoad publica Ecclesiæ Suffragia (quæ proinde imposterum pro ipso celebrari, atque offerri poterunt] ipsamque sepulturam Ecclesiasticam. Ratio fundamentalis hujus sententiæ est: quia Bulla Martini V. in Consilio Constantiensi edita, quæ incipit *Ad evitanda.* in fine expresse protestatur, quod *per hoc non intendat, excommunicatos in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari*; ergo publice excommunicati, sicut olim *c. a nobis. de Sent. Excommun.* ita & nunc privati existunt sepultura Ecclesiastica, donec absolvantur, non obstante, quod contriti decesserint. Quod si vero Excommunicatio sit occulta, & non nisi uni vel alteri cognita, non est ipsi neganda sepultura Ecclesiastica: nam ejus privatio, cum sit publica, requirit etiam publicam causam, ne alias, qui publice bonus habetur, hac via infametur.

Additio.

* Dices Si Excommunicati tolerati nequeunt in loco sacro sepeliri, consequenter Mercator Acatholicus in Germania, si forsan moreretur in sua secta in loco Catholico sub via, non posset ad instantiam suorum comitum, ibidem sepeliri in Coemeterio communi. Respond. juxta probabiliorem sententiam concedendo totum, si Coemeterium sit Catholicorum, nec alias ibidem Acatholici admitti soleant, & ubi alias exinde grave præjudicium timendum non est, si denegetur. In dubio consulatur Reverendiss. Ordinarius, si tempus patiatur. Vide partim *Tract.* 4. *dist.* 4. *Addit.* 1. *post. n.* 46. partim doctam resolutionem Patris Elbel *De Censuris. Conferentia II. n.* 60. *& seqq.* *

27 Quintus effectus Excommunicationis majoris est incapacitas, seu inhabilitas ad quodlibet Ecclesiasticum Beneficium accipiendum. Hinc præsentatio, vel electio alicujus excommunicati, item & institutio, ac confirmatio ipsius in Beneficio, sunt ipso jure irrita; prout habetur *c. Postulastis. De Clerico excomm. vel deposito.* ibi: *Cum Excommunicatis communicari non debeat, Clericis Excommunicatis vinculo innodatis Ecclesiastica Beneficia conferri non possunt; nec illi valent ea licite retinere, nisi forsitan cum eis fuerit misericorditer dispensatum; cum ea non fuerint Canonice consecuti.* cum concordantiis. Idque Covarruvias in *c. Alma mater. part.* 1. *§.* 7. *n.* 3. Lessius *lib.* 2. *cap.* 34. 117. Layman *c.* 2. *n.* 7. & communior aliorum, contra Navarrum, extendunt ad eum casum, quo excommunicatus, etiam toleratus, ignoravit suam Excommunicationem: nam licet ignorantia Excommunicationis (dummodo ea probabilis fuerit, & non crassa vel supina) juvet ad effugiendam Irregularitatem, aliasque poenas Juris latas contra excommunicatos, quidpiam sibi prohibitum agentes, non tamen sufficit ad habilitandum hominem in ordine ad ea, ad quæ per Excommunicationem factus fuit inhabilis.

28 Sextus effectus Excommunicationis majoris est, quod Rescriptum Sedis Apostolicæ ab Excommunicato impetratum, sit ipso jure nullum, ac irritum. *text. clar. c.* 1. *de Rescriptis. in* 6. Unde hac de causa hodie de stylo Curiæ Romanæ plerisque Rescriptis (id est, Litteris Pontificiis quidpiam ad alicujus consultationem, vel relationem respondentibus, aut ad ejus supplicationem concedentibus) præsertim impetratis a Regularibus, solet inseri absolutio ad cautelam a Censuris, in ordine ad effectum illius Rescripti certius consequendum. Inde enim fit, quod post talem a Censuris absolutionem, datam ad cautelam, postmodum ex hoc capite, quod impetrator illius Rescripti tempore impetrationis fuerit constitutus in Excommunicatione, illud nequeat impugnari.

29 Septimus effectus Excommunicationis est: quia Excommunicatus privatur omni usu, sive exercitio jurisdictionis spiritualis, ut proinde omnia acta invalida sint. Hinc Excommunicatus nequit alium excommunicare. *c. Audivimus.* 24. *quæst.* 1. neque potest conferre Beneficia. *arg. cap. un. Ne sede vacante &c. in* 6. nec valide eligere, *c. Cum dilectus. de Consuetud. &c. Cum inter.* 16. *De Elect.* ubi electio a suspensis celebrata, censetur irrita: omnis autem excommunicatus hoc ipso est suspensus ab Officio & Beneficio.

30 Verumtamen istud intelligendum est de excommunicatis non toleratis, seu de vitandis. Siquidem acta excommunicati tolerati valida sunt, quamdiu per oppositam exceptionem non repelluntur; prout notat Navarrus *c.* 27. *Man, n.* 21. id probans ex *c. Ad probandum de Sent. & re jud.* Pirhing. *tit. de Sent. excomm. n.* 18. Layman *cit. part.* 2. *c.* 2. *n.* 13. Lessius, & alii. Unde excommunicatus toleratus potest excommunicare, & Beneficia conferre, & eligere, & præsentare, aliaque hujusmodi jurisdictionalia valide exercere, nisi a parte adversa contra eum tamquam minus idoneum excipiatur. Accedit ratio: quia ex una parte tales excommunicati tolerantur, & consequenter sustinentur etiam eorum acta (nisi opponatur exceptio) ne alioquin plura incommoda, & inconvenientia oriantur, quæ Concilium Constantiense (*e*) sublata voluit: ex altera vero parte dictum Concilium ipsos excommunicatos nullatenus in aliquo relevare, vel eis quomodolibet suffragari voluit; ergo sicut antehac ita & nunc, saltem opposita exceptione, eorum acta sunt invalida.

31 Octavus est: quia Excommunicatio privat etiam communione Forensi: id est, impedit, quo minus excommunicatus possit esse Judex, Tabellio, Advocatus, Actor, Testis &c. etiam in causis Civilibus. Hoc tamen non obstante potest excommunicatus stare in Judicio ut Reus, id est, potest in Judicio conveniri, ibique accusari, & citari: ne alioquin, si accusari, & quocumque alio modo in Judicio conveniri non posset, videretur de sua malitia commodum reportare. *c. Intelleximus. De Judiciis.*

32 Quinimo & prior pars de facto solum procedit de Excommunicatis vitandis, seu non toleratis: nam, si tolerati sunt, recurrunt dicta n. 30. Et quamvis Judex teneatur excommunicatos non toleratos repellere ab agendo, patrocinando, & testificando, ne ipse atque alii illicite eis communicent. *c. Decernimus. de Sent. excomm. in* 6. juncta Glossa ibidem: si tamen ii sunt tolerati, non tenetur Judex eos repellere (etsi possit,

possit, dummodo Excommunicatio sit notoria) donec pars altera desuper excipiat, ipsamque Excommunicationem, si necdum est notoria, intra octo dies aperte demonstret. *arg. c.* 1. *de Except. in* 6. Layman *ibidem n.* 14. & alii.

33 Nonus effectus est, quod, si quis in Excommunicatione per annum continuum insorduerit, hoc est, pertinaciter perstiterit: is fiat suspectus de hæresi: quia videtur contemnere potestatem Ecclesiæ, cujus Claves atque Excommunicationem non timet. Unde contra talem, *tamquam de hæresi suspectum, procedi potest*, ut habetur in Concil. Trid. *Sess.* 25. *cap.* 3. *de Reformat.* Et, si quis propter suspicionem hæresis, aut alterius criminis conjuncti cum contumacia (ut quia legitime citatus non comparuit) excommunicatus fuit, atque in tali excommunicatione per annum perseveravit, censetur is etiam convictus de illo crimine *arg. c. Excommunicatus.* §. *Qui autem. de Hæreticis.* & cum communi tradit Covarruvias *in C. Alma mater.* §. 7. *n.* 16. fusius hanc pœnam deducens.

34 Tandem, ut omittantur quidam alii Excommunicationis effectus minus notabiles, de quibus Covarruvias *cit.* §. 7. Layman *lib.* 1. *tr.* 5. *part.* 2. *cap.* 2. & alii, Excommunicatio major privat excommunicatum omni Civili, seu politica communicatione Fidelium, adeo, quod non solum ipsi excommunicato sit interdicta quælibet Civilis conversatio, sive communicatio politica cum Fidelibus, sed etiam vicissim aliis Fidelibus prohibitum sit, ne excommunicati hominis societatem admittere, aut eidem communicare valeant. Alioquin enim, si alii Fideles scienter, & extra casus a Jure concessos communicarent excommunicato (quod tamen de facto intelligendum est de excommunicato non tolerato, seu de vitando) non solum peccarent, sed etiam ipsimet incurrerent Excommunicationem minorem. Quod ut melius intelligatur, sit

QUÆSTIO III.

Quinam Excommunicati, & in quibus casibus sint vitandi?

SUMMARIUM.

35 *Excommunicati alii tolerati, alii vitandi.*
36 *Excommunicati, qui de facto sint vitandi?*
37 *Notorius percussor Clerici, quis?*
38 *Casus, in quibus non licet communicare Excommunicatis.*
39 *Os.*
40 *Orare.*
41 *Vale.*
42 *Communio.*
43 *Mensa, quid importet?*
44 *Communicans Excommunicato vitando peccat,*
45 *Atque incurrit Excommunicationem.*
46 *Et qualem?*
47 *Causæ ab hoc excusantes.*
48 *Utile.*
49 *Lex.*
50 *Humile.*
51 *Res ignorata.*
52 *Necesse, quid denotet?*

35 PRæsens Quæstio procedit solum de Excommunicatis excommunicatione majori: nam Excommunicati excommunicatione minori dumtaxat numquam fuerunt vitandi, utpote quæ solum *separat excommunicatum a perceptione Sacramentorum. c. Si quem. De Sentent. excomm.* Ceterum de prioribus loquendo, de facto communiter distinguunt Doctores; ac dicunt, quod Excommunicati alii sint tolerati, quos ceteri Fideles vitare non tenentur: alii non tolerati, seu vitandi, quos nimirum alii Fideles tenentur evitare, nisi & ipsi excommunicationem minorem incurrere velint.

36 CONCL. I. Etsi olim omnes omnino Excommunicati excommunicatione majori fuerint vitandi, publici quidem publice, occulti vero occulte: hodie tamen post Concil. Constantiense, circa annum Domini 1414. celebratum, ex moderatione Martini V. nulli Excommunicati sunt vitandi, nisi sint specialiter & nominatim denunciati, vel nisi notorii percussores Clericorum. Ita Herincx *disp.* 6. *de Censuris. quæst.* 2. *n.* 22. estque Doctorum modernorum communis sententia. Prima pars patet ex Jure Canonico *c. Cum non ab homine, de Sent. excom.* cum concordantiis. Altera pars constat ex verbis Constitutionis Martini V. in Concilio Constantiensi editæ, quæ incipit, *Ad evitanda*, & inter alios refertur à Sylvestro, *V. Excommunicatio.* 5. *n.* 7. Unde jam more Ecclesiæ receptissimum est, ut non vitemus, nisi duas illas Excommunicatorum species, quas prædictum Concilium vitari jussit; & sunt Excommunicati nominatim denunciati, deinde notorii percussores Clericorum.

37 Notandum vero, quantum attinet ad percussionem Clerici, quod tunc censeatur quis esse *Notorius percussor Clerici*, quando factum adeo notorie constat, *ut non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo juris suffragio excusari*, prout loquitur Pontifex *in cit. Bulla.* Unde, si percussio Clerici est adhuc occulta, vel factum ipsum potest probabiliter excusari, v. g. si percussor dicat, se percussisse Clericum ex joco, aut inadvertenter, vel nesciendo esse Clericum, talis percussor Clerici, etiam manifestus, non erit vitandus. Herincx *ibidem.* cum aliis.

38 CONCL. II. Prohibitum est, communicare cum Excommunicatis vitandis in iis casibus, qui hoc vulgato carmine comprehenduntur.

Os, Orare, Vale, Communio, Mensa negatur.

39 Ubi per ly *Os* intelligitur confabulatio, seu collocutio cum Excommunicato, etiamsi fiat per litteras, vel internuncium, aut alia signa. Simiter ratione hujus particulæ intelliguntur prohibita oscula, amplexus, & alia hujusmodi signa amicitiæ, nec non & receptio munerum. Bonacina *tom.* 1. *disp.* 2. *de Excommunicat. punct.* 6. §. 2. & alii.

40 Per ly *Orare* prohibetur communio in Sacris sive in Orationibus, eo quod non liceat orare simul cum Excommunicatis vitandis, neque coram eis Missam celebrare. Quinimo, si Excommunicatus vitandus ingrediatur Ecclesiam, ut Missam audiat, monendus erit, ut exeat: quod si nominatim monitus exire noluerit, novam excommunicationem Papæ reservatam incurrit, juxta *Clem.* 2. *de Sent. excom.* ac potest per vim expelli. Si vero hoc fieri nequeat, erunt omittenda Divina Officia, atque ipsamet Missa; dummodo necdum fuerit inchoatus Canon, aut (ut aliqui volunt) Consecratio: tunc enim oportebit pergere usque ad Sumptionem, ne Sacrificium Missæ maneat incompletum; sed peracta sumptione Calicis Sacerdos debet discedere, ac reliqua peragere in sacristia, vel omittere, si talis locus non adsit. Verum alii astantes debebunt illico in tali casu exire ex Ecclesia, excepto Ministro Altaris; alioquin enim peccarent participando in Divinis cum Excommunicato vitando. Bonacina *loc. cit. punct.* 3. §. 1. *n.* 3. Herincx *disp.* 6. *de Censuris. quæst.* 6. *num.* 28. Sannig *dist.* 2. *de Excomm. quæst.* 2. *num.* 8. & alii.

41 Per ly *Vale* prohibetur omnis salutatio honorifica, etiam gestu facta. Notant tamen Doctores, licitum esse, prius salutantem resalutare, eo quod sit quædam debiti solutio, quæ etiam debetur inimicis.

42 Per ly *Communio* prohibetur quælibet societas, quæ fit communicando cum Excommunicatis vitandis in habitatione, contractibus, aut exercitio: unde non licet inire contractus cum Excommunicato vitando, vel idem opus facere cum eo, aut hujusmodi.

43 Tandem per ly *Mensa* prohibetur communicatio in cibo, & potu: ut quando unus alterum invitat ad mensam, & cum ipso manducat; etiamsi talis manducatio

catio fit eo modo, quo aliqui communem & socialem vitam agentes simul comedunt, uti fieri solet in Seminariis, aut Refectoriis Religiosorum.

44 CONCL. III. Quicumque absque rationabili causa excusante scienter communicat Excommunicato non tolerato, sed vitando, non solum peccat, sed etiam ipsemet incurrit excommunicationem, saltem minorem, imo quandoque & majorem. Ita communis Doctorum. Et quidem ptima pars patet ex eo: quia talis agit contra rationabilem Ecclesiæ prohibitionem, qua vetantur ceteri Fideles communicare cum Excommunicato vitando, ut eo citius resipiscat, & ad pœnitentiam, atque condignam læsis satisfactionem præstandam compellatur. Estque tale peccatum pro gravitate excessus quandoque mortale, præsertim si fiat ejusmodi communicatio in publicis Officiis Divinis, quandoque autem veniale: prout communicando in rebus civilibus, & actionibus humanis, ut plurimum peccari tantum modo venialiter, idque ob levitatem materiæ, notat Filliucius *Tract.* 13. *cap.* 3. *n.* 44. Navarrus *cap.* 17. *Manual. n.* 29. Bonacina *loc. cit. punct.* 6. *n.* 5. & alii.

45 Altera pars patet ex Jure Canonico variis in locis, ac præsertim ex *c. Excommunicatos.* 11. *quæst.* 3. ubi dicitur: *Nullus cum excommunicatis in oratione, aut cibo & potu, aut osculo communicet, aut Ave eis dicat: quia, quicunque in his, vel aliis prohibitis scienter excommunicatis communicaverit, juxta Apostolorum institutionem & ipsi simili excommunicationi subjacebit.* Hæc ibi; quibus similia habentur alibi.

46 Dicitur in Conclusione, *excommunicationem saltem minorem, imo quandoque & majorem:* quia plerumque ejusmodi excommunicatio est dumtaxat minor, & nulli reservata, qualis ob peccatum quoque veniale contrahi potest: nisi quis cum Excommunicato scienter in crimine communicet criminoso: id est, quando quis cooperatur crimini, vel contumeliæ, propter quam lata fuit excommunicatio, eidem consilium, favorem aut auxilium impendendo; tunc enim non solum peccatur mortaliter, verum etiam incurritur excommunicatio major, & quidem reservata, si alterius excommunicatio reservata fuit: *cum facientem & consentientem par pœna constringat,* prout statuitur in *c. Nuper.* & *c. Quod in dubiis, de Sent. excom.* cum concordantiis.

47 CONCL. IV. Sunt tamen aliquæ causæ, excusantes ab omni Censura & culpa eos, qui communicant cum Excommunicato vitando, quæ referuntur *can. Quoniam multos* 11. *quæst.* 3. & sequenti versiculo communiter continentur:

Utile, Lex, Humile, Res ignorata, Necesse.

48 Per ly *Utile* denotatur utilitas tum spiritualis, tum corporalis, sive ipsius Excommunicati, sive communicantis cum eo, vel alterius. Unde licitum est, tam verbo, quam facto Excommunicatum hortari ad resipiscentiam & conversionem: licitum quoque est, ab Excommunicato petere consilium pro se vel aliis, quando non adest alius, qui possit æque utiliter consulere; potest insuper ab ipso exigi debitum, imo & ipse Excommunicatus potest privatim (secus in Judicio, quia ibi non admitteretur) petere suum debitum ab aliis.

49 Per ly *Lex* intelligitur Matrimonium, ratione cujus potest uxor marito Excommunicato, etiam denuntiato, communicare quoad thorum & cohabitationem, atque in colloquiis familiaribus, in pertinentibus ad gubernationem domus; & in aliis omnibus obsequiis, quæ præstabat uxor ante mariti excommunicationem.

50 Per ly *Humile* denotantur subjecti, ut sunt liberi, servi, ancillæ, & mancipia, atque rustici servientes, de quibus omnibus fit mentio *cit. c. Quoniam multos.* 11. *quæst.* 3.

51 Per ly *Res ignorata* datur intelligi quælibet ignorantia, qua quis ignoranter communicat Excommunicato, sive ea sit ignorantia juris, sive facti, dummodo non sit affectata.

52 Tandem per ly *Necesse* intelligitur quæcumque notabilis necessitas, sive se teneat ex parte Excommunicati vitandi, sive ex parte communicantis cum eo, aut alterius; sitque vel necessitas animæ, vel corporis, vel famæ, aut fortunæ. Hinc Excommunicatus potest recipi hospitio, potest ei dari eleemosyna, & vicissim ab eodem peti, & accipi, quando quis indiget: potest etiam cum eo communicari in eo loco, ubi adhuc est bonæ famæ, si alioquin esset infamandus, & hujusmodi.

QUÆSTIO IV.

De nonnullis Excommunicationibus in particulari.

SUMMARIUM.

53 *Excommunicationes latæ, & ferendæ sententiæ, quæ!* (*f*) Tract. 2. dist. 2. n. 35. 36. & seqq.
54 *Aliæ reservatæ, aliæ non reservatæ.*
55 *Bulla Cœnæ Domini, quæ?*
56 *Excommunicationes, & casus in ea contenti breviter enumerantur.*
57 *Pœna absolventium a Casibus Bullæ Cœnæ.*
58 *Excommunicatio in percussores Clericorum lata declaratur.*
59 *Injectio manuum violenta, quæ?*
60 *Quid, si Clericus sit consentiens?*
61 *Alii modi violentæ manuum injectionis.*
62 *Quid de eam mandantibus, consulentibus, ratihabentibus?*
63 *Clerici, & Monachi nomine, qui hic intelligantur?*
64 Odia restringi, & favores convenit ampliari, *declaratur.*
65 *Ratio difficultatis.*
66 *Regula I.*
67 *Regula II.*
78 *Canon,* Si quis suadente, *an sit favorabilis, nec ne?*
69 *Qualis percussio requiratur ad incurrendam dictam Excommunicationem?*
70 *Casus, in quibus ea non incurritur.*
* *Enumerantur adhuc alii casus.*
71 *Aliæ Excommunicationes, remissive.*
* *Adducuntur aliquot in specie, & apponitur cautela pro Confessario. Addit. I. & II.*
72 *An possit quis sæpius excommunicari?*
73 *Solvitur instantia.*
74 *Corollarium.*
75 *Solvitur alia instantia.*

53 Notandum, quod *Excommunicationes* aliæ sint *latæ sententiæ*, aliæ primum *ferendæ sententiæ*. Priores sunt, quæ ipso jure imponuntur, & posito delicto mox incurruntur absque nova aliqua sententia condemnatoria: ut si in lege dicatur, *Qui tale delictum commiserit, sit ipso facto excommunicatus,* aut hujusmodi. *Excommunicationes ferendæ sententiæ* dicuntur eæ, quas Legislator comminatur delinquenti, suntque primum per sententiam condemnatoriam Judicis imponendæ: ut si dicatur, *Qui tale crimen commiserit, excommunicetur,* vel hujusmodi; prout amplius supra (*f*) jam dictum.

54 Notandum ulterius, quod Excommunicationes aliæ sint reservatæ, aliæ non reservatæ. *Excommunicationes reservatæ* dicuntur, quarum absolutionem Superior (nempe Papa, Episcopus vel Prælatus Excommunicationem ferens) sibi reservavit: unde ab his nemo potest absolvere; nisi ipsemet ille Prælatus aut illius Superior, vel qui commissionem absolvendi ab eisdem accepit. *Excommunicationes non reservatæ* econtra sunt, quarum absolutionem sibi Superior non retinuit: unde a talibus quilibet approbatus Confessarius absolvere potest, idque ex tacita commissione Superioris. *arg. c. Nuper. De Sent. excommunicat.* His prænotatis, loquendo de nonnullis Excommunicationibus in particulari, sit

55 CONCL.

55 CONCL. I. Inter Excommunicationes latæ sententiæ, & Summo Pontifici reservatas inprimis sunt Casus Bullæ Cœnæ Domini; quæ Bulla ideo sic dicta, quia annis singulis in die Cœnæ Domini publicari solet, ac renovari. Ejus exemplar tum in Ritualibus Diœcesanis, tum etiam in Bullario Romano, atque aliis libris passim reperitur; estque Bulla satis longa.

56 Porro Excommunicationes in Bulla Cœnæ Domini in diversas personas feruntur. I. Excommunicantur Hæretici, Apostatæ a Fide, Receptores, Fautores, & Defensores Hæreticorum, legentes eorum libros de Religione tractantes, imprimentes, defendentes, & Schismatici. II. Appellantes a sententiis, & mandatis Summi Pontificis ad futurum Concilium Generale. III. Pyratæ, seu Latrunculi maritimi, eorumque Fautores, &c. IV. Rapientes bona naufragantium Christianorum, ubivis terrarum. V. Imponentes nova Pedagia, seu Gabellas, præter habentes auctoritatem ad hoc: ut sunt Imperator, Reges, & Principes absoluti in terris suis. VI. Falsificantes Litteras Apostolicas. VII. Deferentes arma, & alia usui bellico idonea ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes, vel Hereticos expresse & nominatim a Sede Apostolica declaratos. VIII. Impedientes eos, qui victualia, aut alia necessaria Romam vehunt. IX. Afficientes injuriis eos, qui accedunt ad Sedem Apostolicam. X. Vexantes Romipetas. XI. Offendentes Cardinales, & Ecclesiæ Prælatos. XII. Offendentes eos, qui ad Romanam Curiam accedunt pro negotiis, negotiorumque gestores. Appellantes a gravamine, vel futura executione Litterarum Apostolicarum, ad Laicam Potestatem. XIV. Officiales, & alii, qui causas Ecclesiasticas avocant a Judicibus Ecclesiasticis. XV. Judices sæculares, qui personas Ecclesiasticas ad sua Tribunalia trahunt. XVI. Impedientes Prælatos, ne jurisdictione sua Ecclesiastica utantur. XVII. Usurpantes jurisdictionem Sedis Apostolicæ aliarumque Ecclesiarum, seu fructus, reditus, & proventus earum. XVIII. Imponentes Decimas, vel alia onera Personis Ecclesiasticis. XIX. Judices sæculares, qui in causis capitalibus Clericorum sese interponunt. XX. Occupantes bona & terras Ecclesiæ Romanæ, & supremam Jurisdictionem in illis usurpantes.

57 Tandem circa finem citatæ Bullæ Cœnæ Domini addit Pontifex: *Quod si forte aliqui contra tenorem præsentium, talibus excommunicatione & anathemate laqueatis, vel eorum alicui, absolutionis beneficium impendere de facto præsumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus.* Circa quæ verba recte notat Navarrus *cap.* 27. *Manual. n.* 74. (ubi a *n.* 55. *& deinceps*, explicat Bullam Cœnæ Domini) quod hæc excommunicatio, ejusque absolutio non sit reservata Papæ; cum talis reservatio ex littera non pateat. Deinde, quod hanc Excommunicationem non incurrat ille Confessarius, qui oblivione, incogitantia, vel ignorantia non crassa absolvit, quia fertur in eos, qui absolutionis beneficium impendere *de facto* (de jure enim talis absolutio non tenet ob defectum jurisdictionis, cum obstet reservatio) *præsumpserint*, hoc est, scienter ac deliberate, non obstante isthac Constitutione, attentaverint. De horum quippe numero non est, qui absolvit per oblivionem, incogitantiam, aut ignorantiam non crassam.

58 CONCL. II. Inter alias plurimas Excommunicationes, tum reservatas, tum non reservatas, quæ partim in Jure Canonico, partim in diversis Constitutionibus Apostolicis continentur, ceteris frequentior, atque adeo scitu magis necessaria est illa, quæ ipso Jure est lata contra percussores Clericorum. De hac *c. Si quis suadente diabolo.* 17. *quæst.* 4. sic habetur statutum ab Innocentio Papa II. in Concilio Lateranensi: *Si quis suadente diabolo hujus sacrilegii reatum incurrerit, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit anathematis vinculo subjaceat &c.* Concordat *Clem. Si quis suadente. De Pœnis.* Circa quam Excommunicationem.

59 Notandum I. Per manus violentas, Clerico, aut Monacho injectas, intelligi, quamcumque actionem corporalem injuriosam, quæ est moraliter peccaminosa, & violenter illata personæ Clerici, aut Monachi, vel rebus ipsius corpori adhærentibus. Unde hujusmodi Excommunicationem incurrit, qui Clericum, vel Monachum occidit, mutilat, vulnerat, vel percutit, sive id fiat manu, aut pede, gladio, vel baculo.

60 Quinimo hoc ipsum procedit, etiamsi hujusmodi injuriosa percussio, sive manuum injectio fiat in Clericum consentientem, atque subjicientem corpus suum certis percussionibus, quamvis hoc fiat in satisfactionem cujuspiam præcedentis injuriæ a Clerico alteri illatæ. Nam, etsi talis percussio non esset violenta, utpote exercita in consentientem, adhuc tamen ea foret injuriosa, atque redundans in opprobrium Status Clericalis, cujus favori privatorum pacto renuntiari non potest; prout expresse cavetur *C. contingit* 36. *De Sentent. excom.* juncto *c. Si diligenti. De Foro compet.*

61 Insuper ille censetur injecisse manus violentas, atque ipso Jure incurrere memoratam Excommunicationem latæ sententiæ, qui Clericum injuriose (licet absque alia læsione corporali) detinet in custodia publica vel privata, aut eum detrudit in vincula *c. Nuper. De Sentent. excom.* Item, qui sputum aut pulverem in faciem ejus projicit, vestimenta ipsi adhærentia dilacerat, aut violenter detinet, & hujusmodi. Secus est, si detineantur, dilacerentur, aut percutiantur vestimenta Clerico non adhærentia; utputa si Clericus fugiens amittat pileum, & alter pileum ex ira dilaceret, aut verberet.

62 Ulterius, licet ex textu citati Canonis comprehendantur soli physice offendentes Clericum vel Monachum, tamen ex aliis Canonibus extenditur hæc Excommunicatio etiam ad mandantes, consulentes, auxiliumve præbentes ad percussionem Clerici, dummodo effectus sit secutus. *c. Quantæ. De Sentent. excom.* nam *facientes & consentientes pari pæna plectendi sunt*, ut ibidem dicitur; idque clarius habetur *Clem. Si quis suadente. De Pœnis.* Item ad eos, qui ratam habent offensionem Clerici suo nomine factam. *text. clar. c. Cum quis* 23. *de Sentent. excomm. in* 6. Quia, ut ait *Reg.* 10, *Jur. in* 6. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari.*

63 Notandum II. Quod nomine *Clerici* hic intelligantur omnes saltem prima Tonsura insigniti, dummodo Privilegio Canonis privati non existant. Nomine autem *Monachi* hic intelliguntur omnes omnino Religiosi & Religiosæ, sive Viri sive Moniales sint, eorumque Conversi & Conversæ, imo etiam Novitii & Novitiæ. His addit Herincx *disp.* 6. *de Censuris. qu.* 2. *num.* 56. Canonissas sæculares, quamdiu Præbendam retinent, & in habitu Ecclesiastico patenter a sæcularibus feminis distinctivo incedunt. Item gaudent hoc privilegio Canonis Tertiarii, & Tertiariæ Ordinis S. Dominici, & S. P. N. Francisci, qui assumpto habitu Monachali se mancipaverunt obsequio alicujus approbatæ Religionis sub obedientia Superioris. Secus dicendum de Eremitis illis, qui sub nulla Regula & obedientia Superiorum vivunt, sed sunt vagi & nullam specialem Ecclesiasticam obligationem habent.

64 Si dicas. Juxta *Reg.* 15. *Juris in* 6. *Odia restringi, & favores convenit ampliari*: atqui *Can. Si quis suadente* 17. *q.* 4. versatur in materia odiosa, videlicet Excommunicationis ipso facto incurrendæ; ergo non debet extendi ad omnes dictas personas, sed restringi ad solos Clericos & Monachos, utpote de quibus dumtaxat Canon citatus expresse loquitur. Resp. cum Abbate *c. Non dubium. de Sentent. excom.* distinguendo min. atqui Canon ille versatur in materia odiosa ex parte percutientis, transeat (nam & hoc in dubium verti posset: *cum excomm. sit medicinalis cap.* 1. *eod. in* 6.) versatur in materia odiosa ex parte Clericorum, Statusque Clericalis, negatur minor. Sic enim is continet favorem; cum privilegium Canonis sit concessum non tam in favorem

vorem Clerici ordinati, quam in favorem Ordinis Clericalis, ut dicitur c. *Contingit. 36. de Sentent. excom.* ac proinde merito extendendum. Hæc responsio ut melius intelligatur,

65 Advertendum, quod plerumque, dum uni quidpiam favorabiliter conceditur, id alteri adimatur, ac proinde, quod uni est favor, id alteri soleat esse odium. Ad dignoscendum igitur, quænam materia sit favorabilis, & quænam odiosa, Doctores apud Covarruviam *lib. 1. var. resolut. cap. 11. n. 5.* & Sanchez *l. de Matrim. disp. 1. n. 4.* sequentes assignant Regulas.

66 I. Quoties favor & odium distingui, atque ab invicem separari possint, favor ut favor, & odium ut odium assumi debet: ac proinde ejusmodi Constitutio, qua parte est favorabilis, debet late explicari, & qua parte est odiosa, debet censeri strictæ interpretationis.

67 II. Quando Constitutio partim est favorabilis, partim odiosa, simulque favor ab odio separari nequit, tunc, ut dignoscatur, an sit favorabilis nec ne, attendere oportet ad principalem intentionem disponentis. Et si quidem principaliter in favorem alicujus statuta sit, Constitutio censetur omnino favorabilis, non obstante, quod in aliquod damnum, sive odium tertii redundet. Si autem principale intentum Constitutionis tendit in alicujus odium, seu pœnam, Constitutio censetur simpliciter odiosa, estque stricte interpretanda, haud obstante, quod simul cedat in aliqualem favorem tertii: siquidem ex primario suo fine mensuranda, & dijudicanda est ipsamet dispositio,

68 Hoc ad propositum applicando, cum Canon *Si quis suadente 17. quæst. 4.* principaliter latus fuerit in favorem status Clericalis & Monachalis, eo quod in ejus opprobrium & damnum cedat, injuste ab aliis verberari, atque iniquis vexationibus corporalibus malevolorum passim obnoxios esse Clericos & Monachos, ceteroquin inermes: hac ratione Constitutio illa censetur favorabilis, ac proinde extenditur etiam ad Conversos, Novitios, & alias personas enumeratas. At vero respectu ipsius criminis, seu injuriæ censetur odiosa, & stricte interpretanda: unde non sufficit solus conatus, aut sola injuria verbalis, sed requiritur vera læsio corporalis, sive injectio manuum injuriosa. Unde ulterius

69 Notandum III. Quod ad incurrendam hanc Excommunicationem requiratur injuriosa percussio, & quæ spectatis circumstantiis sit peccatum mortale. Unde ab hac excommunicatione excusatur, primo, qui tam leviter, aut ex joco, vel ex subita cholera percutit Clericum, ut vel ratione parvitatis materiæ, vel ratione inadvertentiæ, seu deliberationis non peccet mortaliter; prout *cap. 1. de Sentent. excom.* habetur, atque inter alia exemplificatur de Impubere Clericum percutiente.

70 Deinde excusatur, qui percutit Clericum causa correctionis & disciplinæ, habens ad hoc legitimam facultatem, ut si Magister Clericum Scholarem correctionis causa percutiat *cit. c. 1. de Sentent. excom.* vel si Prælatus subditum percutiat causa disciplinæ: quia talis correctio non potest censeri violenta manuum injectio. Insuper excusatur, qui Clericum vim sibi inferentem, aut sua bona auferentem, percutit cum moderamine inculpatæ tutelæ, nam *vim vi repellere, omnes leges, omniaque jura permittunt,* uti notatur *c. Si vero 3. de Sentent. excomm.* Rursum excusatur ab Excommunicatione, qui percutit Clericum, quem invincibiliter nescit esse Clericum *c. Si vero 4. eod.* Item ille, qui Clericum contempto Clericali habitu tyrannidi, & enormitatibus, se inverecunde immiscentem captivat, percutit, aut occidit, *c. Cum non ab homine.* & *c. Perpendimus. eod.*

Additio.

* Item excusantur ab Excommunicatione Rustici, qui Clericum ebrium, eosque injuste aggredientem repellunt, vel vestes ejus, aut brachia violenter detinent. Item Hospites, qui Clericum rixosum, ac varias insolentias, & turbationes in Hospitio causantem vi e domo ejiciunt, quando alias abire renuit, aliaque via non suppetit, quod tamen in Foro externo vix creditur, nisi per sufficientes testes probari queat. Similiter excusantur ab Excommunicatione mulieres, quæ Clericum pudicitiæ suæ insidiantem, quem verbis, aut fuga abigere non valent, inflictione alapæ, fuste, aliave violenta manus injectione repellunt.

Pariter ex speciali Juris constitutione *cap. Si vero 3. de Sentent. excomm.* ab Excommunicatione immunis est, qui in Clericum cum Uxore, Matre, Sorore, vel Filia propria turpiter inventum manus injecerit. Similiter excusantur Judices sæculares ex tacito Ecclesiæ consensu capientes Clericum in flagranti delicto deprehensum, ut eumdem sistant Judici Ecclesiastico, uti & Creditores Clericum debitorem de fuga suspectum detinentes. Similiter Religiosi e. g. sub via deprehendentes Apostatam suæ Religionis, eumdemque in occulto cum auxilio Patronorum Ordinis absque strepitu, etiam cum violentia, si sponte ire nolit, reducentes ad suum Prælatum: ubi tamen in locis Acatholicis id vix practicabile, vel certe cautissime in summo silentio foret procedendum, uti provide advertit Elbel. *Tr. de Censuris. Conferent. 3. n. 97.* Idipsum sentiendum est quoad exceptionem ab Excommunicatione in aliis nonnullis casibus, rarioribus tamen, de quibus consule Jus Canonicum *lib. 5. Decret. tit. 39. §. 4.* *

71 CONCL. III. Plurimæ aliæ Excommunicationes, tum reservatæ, tum non reservatæ, habentur in Jure Canonico, & aliis Constitutionibus Ecclesiasticis passim, quas omnes ob sui multitudinem enumerare difficile foret: in casu tamen emergentiæ de iisdem consulantur Libri de hac materia copiosius tractantes.

Additio I.

* Specialiter integrum Catalogum talium Excommunicationum affert P. Pichler *lib. 5. Decret. titul. 39. n. 17.* Potiores, qui excommunicatione, & quidem majori reservata Summo Pontifici ligati sunt, allegantur sequentes. I. Sacrilegi effractores Ecclesiarum, ut eam spolient. *cap. Conquesti. 22. De Sent. excommun.* II. Vexantes eos, qui Censuram in aliquos tulerunt, & intra duos menses non desistentes. *cap. Quicumque 11. de Sent. excomm. in 6.* III. Dantes, & recipientes ob ingressum Religionis. *Extrav. 1. De Simonia.* Item Simoniaci in Ordine, & Beneficio, *Extrav. 2. De Simonia.* IV. Ingredientes Clausuram Monasteriorum sub prætextu privilegii, seu licentiæ. Bulla Pii V. quæ incipit *Regularium* ordine 20. & altera Gregorii XIII. *Ubi gratia.* ordine 28. V. Committentes Duellum, & illud Consulentes, ac Principes territoriales concedentes locum, & permittentes Duellum in terris suis. Concil. Trid. *de Reform. sess. 25. cap. 19.* ac Clemens VIII. in Bulla *Illius vices.* ordine 11. VI. Dantes & recipientes pro gratia, aut justitia apud Sedem Apostolicam. *Extrav. de Sent. 1. exc.* VII. Extrahentes ex Asylo gaudentes eodem. Gregor. XIV. in Bulla *Cum alias.* Hanc Excommunicationem aliqui volunt non esse reservatam, praxis tamen Curiæ Romanæ & Declarationes Cardinalium annumerant cum communi DD. reservatis. Matthæucius *Official. Eccles. c. 24. n. 22.* & Wiestner *lib. 3. Decret. tit. 49. n. 185.* VIII. Docentes & Defendentes etiam disputative Propositiones damnatas. Decreta S. Officii emanata annis 1665. 1666. 1679. & 1690. IX. Regulares administrantes Sacramenta Extremæ Unctionis, aut Eucharistiæ infirmis, vel Matrimonia solemnizantes sine licentia Parochi, vel Episcopi, aut Papæ. *Clement. 1. de Privil.* X. Tertiarii portantes Habitum FF. Minorum. Leo X. in Bulla *Licet alias,* extra Bullarium. XI. Apostatæ a Religione, quamvis maneant in Fide Catholica: alias enim pariter incurrerent reservationem Bullæ Cœnæ.

Atque ista Excommunicatio, in quantum fuit lata à Pontifice. *c. 2. Ne Clerici. in 6.* equidem non reservatur: interea tamen specialiter reservatur a multis Religionibus, uti nostra, ac inter casus reservatos numeratur. XII. Absolventes sub prætextu Privilegiorum a casibus Bullæ Cœnæ, vel specialiter reservatis per Ordinarios. *Decret. sub Clemente VIII. emanatum ann.* 1601.

Inter excommunicatos Excommunicatione non reservata numerantur a citato Auctore.

I. Scienter contrahentes Matrimonium in gradibus prohibitis. *Clem. unic. de Consang.*

II. Imprimentes libros absque licentia Superiorum. Leo X. in Bulla duodecima respectu Bullarii.

III. Procurantes abortum fœtus animati. Greg. XIV. in Bulla *Sedes Apostolica*: ordine, octava.

IV. Cogentes vel impedientes mulieres ab ingressu Religionis. Trid. *de Regularibus. Sess.* 25 *cap.* 18.

V. Vexantes Ecclesiasticos, quod non elegerint eum, pro quo rogabatur *cap. Dicant.* 12. *De Elect. in 6.*

VI. Regulares adeuntes Curias Principum ad nocendum suis Prælatis vel Monasteriis. *Clement. Ne in agro. §. Quia vero. De Stat. Monach.* *

Additio. II.

* Hæ (ut supra jam memini) sunt potiores Excommunicationes, quæ in Germania contingunt. Tu Confessarie easdem attente relege, & pro consolatione tua ex Patre Alberto Reiffenstuel *part.* 1. *Instit. cap.* 6. *§.* 6. *n.* 468. sequentes tres Regulas cape. I. Quoad seculares plebejos non est multum scrupulizandum circa materiam Censurarum; vix enim audies, eosdem aliquam incurrere, dummodo tres casus excipias, utpote percussionem Clerici, Hæresin, & quando pro Excommunicato est quis sententialiter declaratus, seu publice denuntiatus: ubi tamen etiam quoad *primos duos casus* adverte, num omnes conditiones ad incurrendam Excommunicationem requisitæ, & superius specificatæ concurrerint; quoad *tertium casum* autem, num fuerit Excommunicatio latæ vel ferendæ sententiæ? *Regula.* II Quoad Clericos, vel doctiores seu honoratiores Laicos majus est subinde periculum, ne vel Excommunicationem aliquam contentam in Bulla Cœnæ, vel alias superius expressas incurrant; præsertim Clerici attendant, ne aliquam Censuram propter labem Simoniæ contrahant. Milites, & eorum Officiales, ne subjaceant pœnis duellantium. Laici Judices, ne lædendo immunitatem, seu libertatem Ecclesiasticam Excommunicatione Bullæ Cœnæ afficiantur. Hinc bene imprimant memoriæ inter specificatas superius *n.* 56. Excommunicationes Bullæ Cœnæ illas, quæ a casu XIV. usque ad XX. reperiuntur. *Regula* III. Quamvis Excommunicationes intra, & extra corpus Juris sint propemodum infinitæ, sufficit tamen Confessario noscere potiores, præsertim superius in Bulla Cœnæ, & extra specificatas; nam Judicium hoc Sacramentale exercetur humano modo: foret autem humanæ imbecillitati onus prorsus insupportabile habere obligationem noscendi omnes, & memoriter sciendi singulas Censuras in & extra Corpus Juris in varia crimina, aut excessus latas, vel comminatas. *

72 Quæres. An quis sæpius possit excommunicari? Resp. affirmative, *arg. c. Cum pro causa. De Sent. excomm.* & notat Glossa *in c. Engeltrudam.* 3. *q.* 4.

73 Nec obstat, quod ejectus ex Ecclesia non possit amplius ejici; sicut & occisus nequit iterum occidi. Resp. enim cum *citata Glossa*; Excommunicationem habere duos effectus, unum ejiciendi extra Ecclesiam, & alterum detinendi extra. Et licet Excommunicatio posterior non possit consequi primum effectum in jam excommunicato: bene tamen secundum.

74 Infertur proinde conformiter dictis, quod ligatus pluribus excommunicationibus possit absolvi ab una, & non ab altera, & qui vere vult absolvi ab omnibus, omnem causam, pro qua, vel quibus fuit excommunicatus, debeat exprimere *arg. cit. c. Cum pro causa. De Sent. excom.* juncta Glossa *ibidem.* ℣. *Tamquam excommunicatum.*

15 Nec obstat, quod unum peccatum non dimittatur sine altero, *arg. c. Majores. §. Sed adhuc. De Baptismo.* ibi: *Dominus, qui totum hominem salvum fecit in Sabbato, opus imperfectionis non novit; & ob hoc peccata non ex parte, sed ex toto dimittit.* Resp. quippe cum Fagnano *in cit. c. Majores. n.* 62. disparitatem esse, quia absolutio a peccatis est actus Divinus, qui non debet esse absque perfectione: secus est de absolutione ab Excommunicatione, quæ est actus humanus Ecclesiæ, utpote per quam introducta est Excommunicatio.

APPENDIX.

De modo tollendi Excommunicationem semel latam.

SUMMARIUM.

* *An excommunicatio semel lata tollatur absque Absolutione? Addit. I.*
* *Quisnam in articulo mortis possit ab Excommunicatione absolvere? Addit. II.*
* *Quisnam extra articulum mortis? Addit. III.*
* *An extra Italiam possint Regulares mendicantes absolvere ab Excommunicatione reservata a Clemente VIII? Addit. IV.*
* *An ab aliis Excommunicationibus extra casus Bullæ Cœnæ? Addit. V.*
* *An ab Excommunicationibus Bullæ Cœnæ in casibus occultis? Addit. VI.*

Additio I.

* Quæres I. Quomodo Excommunicatio semel lata iterum tollatur? Resp. *Ex lib.* 5. *Decret. tit.* 39. *n.* 240. ordinarie loquendo Excommunicatio major semel contracta, etiam cessante contumacia excommunicati, & præstita satisfactione, non tollitur sine absolutione, quamvis is, qui Excommunicationem tulit, vel ipse excommunicatus moriatur, etiam datis ante mortem signis Pœnitentiæ, quibus equidem cœlum promereri poterit, ad terrorem tamen aliorum in loco benedicto excommunicatus notorius, & non toleratus sepeliri nequit, antequam verberatis prius ossibus in tantum absolvatur, ut quoad suffragia, & preces communes iterum Ecclesiæ incorporetur. Ita habetur *Can. Si Episcopus ante.* 11. *q.* 3. & præcipue *cap. A nobis* 28. *De Sent. Excommunitat.* Dicitur notanter *ordinarie loquendo*, quia limitatur in casu, quo auctor Excommunicationis hanc tulit sub certa conditione, simulque declaravit, eam non nisi usque ad talis conditionis impletionem durare; tunc enim conditione adimpleta cessat Excommunicatio absque nova aliqua absolutione. *

Additio II.

* Quæres II. Quisnam possit ab Excommunicatione semel lata absolvere in articulo vel periculo mortis? Resp. In articulo vel periculo mortis quilibet Sacerdos potest absolvere a quavis Censura, nulla prorsus excepta. Ita expresse Concil. Trid. *Sess.* 14. *de Pœnitentia. cap.* 7. prope finem. De quo vide ulteriorem declarationem *Tract.* 4. *dist.* 4. *n.* 33. Simul etiam nota, si talis moribundus fuisset antea specialiter declaratus, seu publice denuntiatus tamquam excommunicatus, talem debere ante absolutionem jurare, vel saltem pro foro interno efficaciter promittendo se obligare, quod, si convaluerit, se sistere velit reservanti, ut obedientem se ostendat, & Mandatum, non novam absolutionem, de satisfaciendo ab eodem recipiat, quo postea non præstito in Excommunicationem reincidet. Pichler *lib.* 5. *Decret. tit.* 39. *n.* 14. Vide etiam desuper Marchant. in

in Tribunali, Jordanum, & Gobat. apud & cum P. Sporer *part.* 3. *Theolog. Sacrament. cap.* 6. *Sect.* 1. *n.* 724. qui etiam *part.* 3. *cap.* 3. *sect.* 4. *n.* 519. explicat, quid per periculum mortis intelligatur. *

Additio III.

* Quæres III. Quisnam ab eadem absolvere possit extra articulum, vel periculum mortis? Resp. I. Extra articulum mortis, si Excommunicatio, qua pœnitens afficitur, non fuit particulariter, & in specie contra ipsum lata ab homine, & præterea eadem in Jure non est reservata, potest quilibet legitimus Confessarius absolvere. Ita apud Pichler *loc. cit.* & apud Schmalzgrueber *lib.* 5. *Dec. tit.* 39. *n.* 96. cum plurimis aliis Divus Thomas *in Supplem. part.* 3. ac deducitur *ex cap. Nuper.* 29. *De Sentent. Excommunicat.* & *cap. Ex frequentibus.* 3. *De Institut. prope finem.*

Resp. II. Ab excommunicatione specialiter contra aliquem ab homine v. g. ab Episcopo lata, extra articulum mortis solus ille, qui tulit, vel legitimus Successor, aut Superior ejusdem, vel demum ab eodem delegatus absolvere potest, idque intelligendum pro utroque foro. Ita communis, & deducitur ex variis textibus Juris passim apud Canonistas videndis. Ratio est: quia lata per particularem sententiam Excommunicatione, censetur sibi ferens ex communi persuasione potestatem absolvendi specialiter pro utroque foro reservasse, ut sic excommunicatus magis adigatur ad parendum Judici; aut satisfaciendum parti læsæ.

Resp. III. Si excommunicatio, quam pœnitens incurrebat, est lata a Jure, & præterea ibidem reservata Summo Pontifici, nullus inferior absolvere potest, nisi quis habeat specialem desuper facultatem per privilegium, delegationem, vel etiam per ipsummet Jus. Ita apud Pichler *loc. cit.* teste Castropalao omnes, ac eruitur ex *cap.* 13. & *cap.* 58 *De Sent. Excom.* Ratio est: quia nullus inferior habet potestatem in Superioris Legem, nisi ab eodem, vel ab altiori concedatur.

Resp. IV. Episcopis per ipsummet Jus, nimirum per Concil. Trid. *Sess.* 24. *de Reformat. c.* 6. data est facultas *ab omnibus Censuris Sedi Apostolicæ reservatis, in quibuscumque casibus NB. occultis delinquentes quoscumque sibi subditos in Diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro Conscientiæ gratis absolvendi. Idem & in Hæresis crimine in eodem foro Conscientiæ eis, tantum, non eorum Vicariis sit permissum.* Ita in terminis *Concil. Trid. loc. cit.* Et licet disputetur inter AA. an post Bullam Cœnæ, singulis annis Romæ de novo cum suis efficacissimis clausulis derogatoriis promulgatam, hæc potestas ipsis adhuc competat de per se quoad speciales casus in illa Bulla contentos? de quo inquiri poterit apud Kazenberger *in Supplem. Theol.* P. Sporer *Tr. de Censuris cap.* 3. *sect.* 2. *n.* 107. Interea tamen videtur in Germania, in qua hereses sunt frequentiores; hæc disputatio quoad Praxin ex eo cessare, quia Episcopis specialiter desuper supplicantibus solet de novo concedi ista facultas non solum pro foro interno, sed etiam pro externo per se, vel per alios deputatos, prout verba formalia Concessionis plerumque sic sonant: *Datur insuper facultas absolvendi ab omnibus casibus reservatis etiam Bullæ Cœnæ in locis tamen, ubi impune grassantur Hæreses* &c. videatur Jus Canon. L. 5. T. 7. §. 7.

Resp. V. Regularibus Mendicantibus per speciale Privilegium data est facultas pro *foro Conscientiæ tantum*, & *extra casus Bullæ Cœnæ* seculares quoscumque accedentes absolvendi ab omnibus reliquis Censuris Papæ in Jure reservatis, si tamen casus adhuc isti necdum fuerint ad forum contentiosum deducti. Ita eruitur ex variis concessionibus SS. Pontificum, quas videre est in compendio nostrorum Privileg. ✝. *Absolutio quoad sæculares.* nec non in Jure Canonico. *lib.* 5. *Decret. tit.* 7. §. 8. *ac* 9. & *tit.* 39. §. 8. *n.* 255. Item fusius apud Hyacinthum Donati *Tom.* 1. *part.* 1. *tract.* 13. *quæst.* 17. & *tom.* 2. *tr.* 1. *quæst.* 17. & 18. ac utilissime apud Kazenberger *in supplem. Theol. Decal.* P. Sporer *De Censuris. cap.* 3. *sect.* 2. §. 2. *per totum.* Dicitur notanter, imo: *pro foro Conscientiæ tantum*; nam in foro externo, si Judex vult, potest adhuc non obstante hac absolutione procedere. Antequam tamen actu sic procedat, non tenetur necdum publice cognitus, quod fuerit antea excommunicatus, & modo sit in foro interno absolutus, se etiam quoad forum externum gerere tamquam excommunicatum. Dicitur notanter 2°: *si casus isti necdum sunt ad forum contentiosum deducti*; nam secus dicendum, si jam forent in foro contentioso, præsertim si quis ibidem per sententiam condemnatoriam, vel declaratoriam jam fuisset tamquam excommunicatus proclamatus. Dicitur notanter 3°: *exceptis casibus Bullæ Cœnæ*; quid enim de his in ordine ad Regulares Mendicantes sit sentiendum, adaperiet Quæsitum ultimum: interea continuando adhuc de Excommunicationibus reservatis extra Bullam Cœnæ. *

Additio IV.

* Quæres IV. An Regulares Mendicantes in Germania possint absolvere ab Excommunicatione circa quinque casus, quos sibi specialiter reservavit Summus Pontifex Clemens VIII? Ante responsionem suppono, casus illos quinque, quibus Clemens VIII. annectebat Excommunicationem, ejusque absolutionem specialiter sibi reservabat, esse sequentes, I. Extractionem Reorum ex Ecclesia vel Cœmeterio. II. Violationem Clausuræ Monialium ad malum finem castitati oppositum. III. Duellum in forma Trident. IV. Percussionem Clerici, dummodo non sit omnino levis. V. Simoniam realem, vel Confidentialem. H. N. Resp. Extra Italiam Regulares Mendicantes possunt absolvere pro foro interno ab Excommunicatione dictorum quinque casuum. Ita deducitur ex Decreto Urbani VIII. post Clement. VIII. anno 1628. 17. Novemb. emanato. Videatur Kazenberger *loc. cit. n.* 110. & 111. ubi integrum Decretum Urbani VIII. adducit. *

Additio V.

* Quæres V. An Regulares Mendicantes possint seculares extra casus Bullæ Cœnæ absolvere pro foro interno ab aliis Excommunicationibus Papæ reservatis, supposito, quod aliquis casus, ob quem talis Excommunicatio incurritur, equidem jam pluribus sit notus, interea tamen necdum ad forum contentiosum deductus. E. g. Ponamus, quod Petrus coram pluribus percusserit Paulum Clericum: quæritur, an is, si paratus sit Paulo omnimodam satisfactionem exhibere, possit ab hac Excommunicatione per Regulares mendicantes pro foro interno absolvi eo tempore, quo hæc percussio necdum fuit deducta ad forum contentiosum?

Resp. ad hoc dubium Sbogar *tract.* 40. *n.* 50. & Benjamin Elbel hic *de Censuris. Conferentia* 8. §. 2. *n.* 266. & *seqq.* affirmative, & P. Kilianus Kazenberger affert *loc. cit.* §. 2. *n.* 111. desuper speciale Privilegium ex Bulla Pauli III. data anno 1545. Confessariis Societatis JESU, & consequenter etiam Mendicantibus quoad Privilegia communicantibus, extra casus Bullæ Cœnæ absolute, & non tantum limitando ad peccata occulta, id concedens. Incipit autem hæc Bulla *Cum inter cunctas* &c. ubi sic asseritur: *Nec non illis ex vobis, qui Presbyteri fuerint, quorumcumque utriusque sexus Christi Fidelium ad vos undecumque accedentium, Confessiones audiendi, & ab omnibus & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus & delictis, quantumcumque gravibus & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, & a quibusvis ex ipsis casibus resultantibus Sententiis, Censuris, & Pœnis Ecclesiasticis (exceptis contentis in Bulla Cœnæ) absolvendi, ac eis pro commissis Pœnitentiam salutarem injungendi, plenam, ac liberam facultatem concedimus.* Interea tamen recte notatur in Jure Canon. *lib.* 5. *Decret. tit.* 39. §. 8. *n.* 270. ut, si Ex-

Excommunicatio fuerit contracta ob læsionem alterius, etiam pro foro interno non facile quis absolvatur, antequam parti læsæ actualiter satisfecerit. *

Additio VI.

* Quæres VI. An Regulares mendicantes possint sæculares absolvere ab Excommunicatione Bullæ Cœnæ in casibus occultis? Quæstio hæc movetur solummodo de casibus Bullæ Cœnæ occultis: nam, quod absolvere nequeant a publicis, nisi specialissimum haberent Privilegium, *non obstante Bulla Cœnæ* id concedens (prout de tali speciali Privilegio quoad hæresin mentionem fecimus *Tract. 4. dist. 4. in Addit. post n.* 31.) est omnium Doctorum, & clare eruitur ex ipsis clausulis derogatoriis Bullæ Cœnæ a Clemente X. emanatæ, ac singulis annis de novo promulgatæ. Hoc præscito, Resp. I. Si dubitatur, an hi vel illi casus in particulari comprehensi sint sub Excommunicatione Bullæ Cœnæ? possunt Regulares mendicantes absolvere. Ratio est: quia sic Clemens VIII. expresse concessit, prout testes sunt præter Passerinum, Dominicus Viva *in Trutina Theolog. Expositione Propositionis 3. ab Alexandro VII. damnatæ:* & Kilianus Kazenberger *loc. cit. n.* 111.

Resp. II. In casibus Bullæ Cœnæ certis, quamvis occultis, nequeunt Regulares mendicantes ab Excommunicatione absolvere loquendo quoad pœnitentes sæculares. Ita communis, & patet tum ex clausulis derogatoriis Bullæ Cœnæ videndis in Jure Canon. *lib. 5. Decret. tit. 7. n.* 352. tum ex Propositione damnata circa Hæresin pariter in Bulla Cœnæ contentam, estque propositio damnata ab Alexand, VII. ord. 4. hujus tenoris. *Prælati Regulares possunt in foro Conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab Hæresi occulta, & ab Excommunicatione per eam incursam.* Dicitur notanter: *loquendo quoad pœnitentes sæculares;* etenim quoad pœnitentes Regulares ejusdem Ordinis multi DD. adhuc defendunt, tales, si casum Bullæ Cœnæ incurrissent, posse absolvi a suis Superioribus, aut per se ipsos, aut per specialiter deputatos. Videantur Felix Potestas *Tom. 1. Examinis Confess. part. 4. cap. 5. n.* 3372. *ac seqq.* & Kilianus Kazenberger, qui plures AA. una cum Bullis Pontificiis *in Supplement. Theolog. Moral.* P. Sporer adducit: *Tract. De Censuris. cap. 3. sect. 3. §. 4. n.* 119. Accedit, quod Regulares (ne detur vagandi licentia) numerentur inter legitime impeditos adire Romam pro Absolutione: sed legitime impeditos suos subditos habens in eosdem potestatem Episcopalem vel quasi Episcopalem (uti habere censentur in suos Prælati Regulares) potest absolute absolvere a casibus Bullæ Cœnæ per se, vel etiam per suum delegatum: ergo. Adde praxin, qua in his terris videmus passim Prælatos absolvere Apostatas suæ Religionis deprehensos: consuetudo autem est optima legum interpres. Videatur Jus Canon. *lib. 5. Decret. T. 7. §. 8.* uti quoque *§. 9. n.* 417. *cum seqq.* Sporer. *part. 3. Theolog. Sacrament. cap. 6. sect. 2. n.* 750. *ac seqq.* & Antonius de Spiritu Sancto in Directorio Regularium *Tract. 2. disput. 1. sect. 1. §. 2. n. 28. & seqq.* atque si huic fides est, Sacra Pœnitentiaria anno 1617. taliter respondit, nimirum inhibitionem circa absolutionem a casibus Bullæ Cœnæ solum quoad Sæculares, non quoad Regulares intelligendam esse. *

QUÆSTIO V.

De Suspensione, ac variis ipsam attinentibus.

SUMMARIUM.

76 *Suspensio, quid?*
77 *Differt a Depositione, & Degradatione.*
78 *Suspensio latæ, & ferendæ sententiæ.*
(g) Vide dicta Tr. 2. Dist. 2. n. 35. 36. & seqq.
79 *Suspensio ab Officio, & Beneficio.*
80 *Totalis, & partialis; quid?*

81 *Suspensio ab Officio non includit Suspensionem a Beneficio, nec econtra.*
92 *Per se loquendo.*
83 *Idem dic de Suspensione ab ordine, & Jurisdictione.*
84 *Suspensio absolute lata, censetur totalis.*
85 *Corollarium.*
86 *Secus, Si Suspensio feratur determinate, cum Addit.*
87 *Suspensus, si exerceat actum sibi prohibitum, an fiat irregularis?*
88 *Qui Suspensionem possint incurrere?*
89 *Solvitur instantia.*
* *Qualiter incurratur Suspensio quoad Ordines? Addit. I.*
* *Aliquot aliæ Suspensiones in particulari. Addit. II.*

76 CONCL. I. *Suspensio* est Censura Ecclesiastica, qua prohibetur, seu arcetur Minister Ecclesiæ ab aliquo actu Ecclesiastico alias sibi competente, & hoc ad tempus. Ita Doctor Subtilis 4. *dist. 25. q. 1.* estque in re communis. Dicitur, *qua Minister Ecclesiæ*, id est Clericus: quia Suspensio est Censura propria Clericorum, & quæ Laicis non competit, quamvis Excommunicatio, & Interdictum sint Censuræ Clericis & Laicis communes. Dicitur ulterius, *arcetur ab aliquo actu Ecclesiastico*: quia hic est proprius & ædæquatus effectus Suspensionis, scilicet privare Clericum exercitio actus Ecclesiastici ceteroquin sibi competentis, ut non possit illum licite, & absque peccato exercere. Et per hoc differt Suspensio a ceteris Censuris, quæ plures alios & distinctos effectus habent, ut patet ex singularium explicatione.

77 Additur tandem, *& hoc ad tempus.* Per quod Suspensio differt a Depositione, ac Degradatione, quæ privant ministerio actuum Ecclesiasticorum in perpetuum, & absque spe restitutionis. Quod si ponas aliquam Suspensionem, quæ etiam perpetuo, & sine spe restitutionis privat ministerio Ecclesiastico, jam non foret Censura, sed conformiter dictis pœna vindicativa; sicuti si infligeretur ob peccatum mere præteritum.

78 CONCL. II. Suspensio varie dividitur. Ita omnes, & patet inductione. Nam inprimis *Suspensio* alia est *latæ sententiæ*, quæ scilicet ipso Jure infligitur delinquenti: alia *ferendæ sententiæ*, quæ primum per sententiam Judicis ob commissum delictum infligitur. (a)

79 Deinde ipsa dividitur in Suspensionem ab Officio, & a Beneficio. *Suspensio ab Officio* est, qua Clerico interdicitur executio suorum Ordinum, aut aliarum functionum, quæ ipsi ratione Ordinis, aut muneris Clericalis competunt. *Suspensio a Beneficio* dicitur, qua fructus sui Beneficii Ecclesiastici Clericus percipere prohibetur: prout amplius declarabitur in Conclusionibus.

80 Ex his utraque *Suspensio* subdividitur in totalem, & partialem. *Totalis* est, qua quis ab omni prorsus Officio Ecclesiastico, vel a perceptione omnium omnino fructuum beneficialium suspenditur, seu arcetur. *Partialis* est, qua vel unus specialis actus officii Ecclesiastici Clerico prohibetur: ut si Sacerdos ab exceptione Confessionum, aut Episcopus a collatione Ordinum suspendatur; nam talis potest alios actus Ordinis sibi competentes exercere; utputa celebrare Missam, & hujusmodi. Vel (loquendo de Suspensione partiali a Beneficio) si Clerico Beneficiario certa dumtaxat pars fructuum beneficialium subtrahatur, v. g. tertia, vel quarta solummodo pars eorum.

81 CONCL. III. Censura Suspensionis est strictæ interpretationis, ac proinde Suspensio ab Officio per se non includit Suspensionem a Beneficio, nec econtra. Ita Ludov. Engel. *tit. de Sent. excom. n.* 75. Navarrus *cap. 72. Manual. n.* 160. & alii. Ratio est: quia Suspensio est pœna, ob commissum delictum inflicta: atqui pœnæ sunt strictæ interpretationis; nam *odia restringi, & favores convenit ampliari*, juxta *Reg. 15. Juris. in 6.* simulque *in pœnis benignior est interpretatio facienda. Reg. 48. Juris. in 6.* Ex quibus mox sequitur, Suspensionem ab Officio non includere per se loquendo

Suspensionem a Beneficio, nec econtra: habent enim diversos effectus, & ab invicem separabiles.

82 Dicitur, *per se loquendo*; nam, si Suspensio ab Officio sit perpetua, & in effectu Depositio, tunc taliter suspensus per sententiam Judicis merito etiam privandus erit Beneficio: cum Beneficium detur propter Officium, quod tamen in perpetuum suspensus amplius exercere non potest. Intellige, dummodo ipsi suspenso præstentur alimenta ab Ecclesia, ne in opprobrium Ordinis Clericalis mendicare cogatur.

83 CONCL. IV. Similiter suspensus ab Ordine, non censetur suspensus a Jurisdictione Ecclesiastica, nec econtra. Ita cit. Engel *n.* 76. estque communis Doctorum. Ratio patet ex proxime dictis: quia Suspensio est strictæ interpretationis, ac proinde non extendenda ultra verborum proprietatem. Hinc Episcopus suspensus ab Ordine, licet Confessiones audire non possit, alteri tamen potestatem absolvendi, seu Confessiones audiendi delegare non prohibetur: nam hoc spectat ad potestatem jurisdictionis, illud ad potestatem Ordinis.

84 CONCL. V. Nihilominus, si absolute & sine limitatione Suspensio imponitur, neque ex adjunctis limitatio aliqua colligi possit, censetur ea esse simpliciter totalis. Ita Herincx *disp. 6. de Censuris. n. 63.* Layman, & communis. Ratio est: quia ex vi sermonis propositio indefinita æquivalet universali; simulque tunc non est ratio, cur potius Suspensio de uno, quam de altero lata intelligatur.

85 Infertur proinde, quod suspensus absolute sine ulla determinatione, intelligatur suspensus tam ab Officio, quam a Beneficio. Infertur ulterius, quod simpliciter & absolute suspensus ab Officio, censeatur suspensus tam ab Ordine, quam jurisdictione: quia officium includit utrumque, nec est major ratio de uno, quam de altero.

86 Dicitur, *si absolute & sine limitatione &c.* nam, si Suspensio feratur determinate ad certam materiam, utputa super certum actum Ordinis vel Jurisdictionis non exercendum, fatentur omnes, eam ultra ejusmodi actum non esse extendendam: cum pœnæ non sint extendendæ ultra verborum proprietatem. Sic suspensus a Confessionibus audiendis, potest celebrare Missam, Officium Diaconi solemniter exercere, ac hujusmodi.

Additio.

* Confessiones tamen nequit amplius *licite*, imo nec *valide* excipere talis a Prælato suo Regulari ob varios defectus in sacro Tribunali commissos vere suspensus: quia sic hunc Superior privat jurisdictione, quam non habet subditus Regularis, nisi dependenter a concessione sui quoad hoc legitimi Superioris. Dixi notanter, *vere suspensus*: Nam secus (loquendo de valore Sacramenti) foret dicendum, si Superior interdicendo tali subdito deinceps Confessionale; præcise adhibuisset sequentes terminos; *Prohibeo, interdico*; quia vi solius prohibitionis audiendi imposterum Confessiones equidem illicite contra Præceptum Superioris ageret: necdum tamen per hos terminos censeretur adimere Superior suo subdito jurisdictionem; sicque talis absolutio adhuc foret valida; uti docte & fusius resolvit Elbel *Tr. de Censuris*, *Confer. 4. n. 135. & seqq.* *

87 CONCL. VI. Suspensus per Censuram ab Officio, si actum sibi interdictum culpabiliter exerceat, contrahit Irregularitatem. *c. 1. De Sent. & re judicat. in 6.* At vero suspensus a Beneficio, si eidem se ingerat, & fructus percipiat, non efficitur irregularis, perdit tamen Beneficium ipso jure. *arg. c. Cupientes. §. Ceterum. De Elect. in 6.* Engel *loc. cit. n. 78.* Pirhing *de Sent. excomm. n. 209.* & alii.

88 CONCL. VII. Omnes, & soli Clerici, præter Papam, Suspensionis Censuram incurrere possunt. Ita Layman *lib. 1. tr. 5. part. 3. c. 1.* contra Henriquez, qui ex isti mat, etiam in Abbatissam Suspensionis censuram cadere posse. Patet Conclusio ex definitione Suspensionis *n. 76. & seqq.* explicata.

89 Nec urget instantia de Abbatissa, nam ipsa solum suspendi potest ab Officio suæ œconomiæ, ejusque actibus, non vero ab actu aliquo Ecclesiastico, cum sit incapax omnis Ordinis.

Additio. I.

* Quæres I. Ob qualia crimina ratione collationis vel receptionis Ordinum a Jure Suspensio infligatur? Supponit hoc Quæsitum *ab homine*, nimirum a Superiore Ecclesiastico posse infligi, uti excommunicationem, ita etiam regulariter Suspensionem ob varia gravia delicta, prout in Domino visum fuerit. Dubium igitur solummodo remanet, ob quæ *ab ipso Jure* Suspensio infligatur; & quidem in præsenti ratione Ordinum. H. S.

Resp. I. Loquendo *de Episcopo male ordinante* is incurrit Suspensionem I. Si primam Tonsuram det infanti. II. Idem dic, si illiterato, vel conjugato conferat: prout utrumque eruitur ex *cap. Nullus. De Temp. ord. in 6.* III. Si ordinet simoniace *cap. penult. De Simonia* IV. Si sacrum Ordinem conferat Religiosis necdum professis. *Bulla 75. Pii V.* V. Si ordinet Monachum sine licentia Abbatis, vel non subditum sine licentia proprii Ordinarii. Trid. *Sess. 23. cap. 8. de Reform.* VI. Si ordinet suum subditum in aliena Diœcesi sine licentia Ordinarii Diœcesis. Trid. *Sess. 6. cap. 5. de Reform.*

Resp. II. Loquendo de male ordinatis. I. Suspenduntur, qui recipiunt ordines simoniace. *cap. Penult. de Simonia:* II. Religiosi necdum professi recipientes Ordines sacros. *Bulla 75. Pii V.* III. Qui recipiunt Ordines sacros ante requisitam ætatem *cap. 14. de Temp. Ordin.* IV. Qui uno die duos sacros Ordines recipiunt. *cap. Litteras 13. de Temp. Ord.* V. Qui ordinantur extra Tempora *c. Cum quidam. Eodem.* VI. Qui ordinantur ab Episcopo alieno sine licentia Ordinarii proprii, & VII. Qui a proprio in aliena Diœcesi, absque debita licentia. Trid. *de Reformat. sess. 6. cap. 5.* & *sess. 23. cap. 8.* VIII. Qui recipiunt Ordines aliqua Censura irretiti. *c. 32. de Sent. Excommunicat.* IX. Qui ordinantur per saltum. Trid. *sess. 23. cap. 14 de Ref.* X. Qui citra speciale Privilegium ordinantur in Sacris, cum litteris Dimissoriis a Capitulo infra annum Sede vacante datis Trid. *Sess. 7. cap. 10. de Reform.* IX. Qui ordinantur ficto Titulo. Bulla *Secretis.* ab Urbano VIII. edita 1624. XII. Qui ordinantur in Sacris post Matrimonium etiam ratum tantum. *Extravag. Antiquæ. Joannis XXII. de Voto & Voti Redempt.* *

Additio II.

* Quæres II. Ob quæ alia delicta præter Suspensiones specificatas, & incurrendas in collatione, vel receptione Ordinum infligatur a Jure Suspensio? Resp. ob sequentia. I. Si Episcopi ingrediantur Monasteria Monialium in casibus non necessariis. Bulla 28. Gregorii XIII. II. Si Religiosi in Religionis ingressu a se admisso NB. *ex pacto* recipiant prandia, pastum, pecunias, aut localia. *Extravag. Sane. De Simonia.* III. Si Parochi jungant Sponsos alterius Parochiæ sine licentia proprii Parochi. Trid. *sess. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.* IV. Si Regulares pretextu Privilegiorum introducant mulieres in Clausuram Monasteriorum. Bulla 20 S. Pii V. de quo *lib. 3. Decret. Tit. 35. §. 2.* V. Si Clerici nefandum Sodomiæ crimen exerceant. Ita in Bulla Pii V. ordine 72, quæ est reperibilis *lib. 5. Decret. Tit. 16. n. 91.*

Hæc tamquam potiora delicta, ob quæ Suspensio incurritur, adduxisse sufficiat. In emergentia autem alicujus specialis casus dubii, qui ex dictis erui nequiret, inquiratur apud Canonistas præsertim *lib. 1. Tit. 11. de Temporibus Ordinationum.* & *lib. 5. Decretalium.* in quo plurimis Titulis tractatur de variis criminibus, & pœnas

pœnis ob eadem incurrendis. Ceteroquin pro praxi & ſpeciali Confeſſariorum ac Pœnitentium conſolatione quatuor bene adhuc notentur. I. Quod nulla ſuſpenſio afficiat Laicos, ſed tantummodo Clericos. II. Quod loquendo in ordine ad Clericos non omnes Suſpenſiones, quæ ſubinde in Jure vel libris reperiuntur, ſint illico *latæ ſententiæ*, ſed non raro primum *ferendæ*, quæ conſequenter in nullo foro contrahuntur ante ſententiam Judicis condemnatoriam. III. Quod conformiter dictis de Cenſuris Suſpenſio gravis tanquam Cenſura a Clericis non incurratur, niſi ob peccatum mortale deliberate perpetratum, cui annexam eſſe Cenſuram præterea cognoſci debet ſaltem in confuſo, alias cum indeliberatione vel cum ignorantia invincibili peccati, vel ſaltem Cenſuræ annexæ eadem non incurritur, & conſequenter nec Irregularitas contrahitur, ſi ſtante tali ignorantia actus aliquis Ordinis ſacri exercetur. IV Quod ſuppoſito etiam, omnia ad Cenſuram requiſita confluxiſſe, Confeſſarii adhuc Ordinis Mendicantium a qualibet Suſpenſione tamquam Cenſura, inflicta ab ipſomet Jure, & necdum ad forum contentioſum deducta, quamvis ceteroquin aliis nota, poſſint pro foro interno abſolvere, prout patet tum ex Bulla *Cum inter cunctas.* Pauli III. quæ eſt 7. in Bullario Rodriguez, tum ex *Compend. Privileg. S. J. V. Abſolutio §. 1.* *

QUÆSTIO VI.

Quid, & quotuplex ſit interdictum: & qualis effectus ipſius?

SUMMARIUM.

90 *Interdictum, quid?*
91 *Quomodo differat ab Excommunicatione, & Suſpenſione?*
92 *Interdictum locale, Generale, & Particulare, quid?*
93 *Interdicta Civitate cenſentur interdicta Suburbia &c.*
94 *Quid ſi Eccleſia ſit interdicta? Contigua quid?*
95 *Interdictum perſonale,*
96 *Et mixtum, quid?*
97 *Interdicto Clero, vel Populo, qui cenſeantur interdicti?*
** Specificantur Interdicta potiora.*
98 *Interdicti triplex effectus.*
99 *I. Privatio participationis quorumdam Sacramentorum.*
100 *Et quorum?*
101 *Quid de Baptiſmo, Confirmatione, Et confectione Chriſmatis?*
102 *Item de Pœnitentia, & Euchariſtia?*
103 *II. Prohibitio Divinorum Officiorum, & quorum?*
(*b*) Conformiter dictis ſupra n. 20.
104 *Limitatur hoc.*
** Alia adhuc limitatio.*
105 *III. Privatio ſepulturæ Eccleſiaſticæ.*
106 *Declaratur hic effectus.*
107 *Caſus practici circa hoc.*
** Quomodo Interdictum ſemel latum iterum tollatur?*
108 *Ceſſatio a Divinis, quid?*

90 CONCL. I. *Interdictum* recte definitur, dicendo: Interdictum eſt Cenſura Eccleſiaſtica, per quam prohibetur participatio certorum Sacramentorum, Divinorum Officiorum, atque ſepulturæ Eccleſiaſticæ. Ita in re communis.

91 Differt autem Interdictum ab Excommunicatione, quod hæc multo gravior exiſtat, utpote removens Fidelem non ſolum a participatione Sacramentorum, ſed etiam a communibus Suffragiis Eccleſiæ; ipſaque communione Fidelium. Item Excommunicatio non fertur in loca, aut integras civitates: ſecus, accidit in Interdicto locali. Differt etiam Interdictum a Suſpenſione: nam hæc fertur in ſolas perſonas Eccleſiaſticas; Interdictum vero etiam in Laicas ferri poteſt. Omittuntur aliæ differentiæ.

92 CONCL. II. Interdictum dividitur in locale, perſonale, ac mixtum. Ita omnes Doctores, & patet inductione. Siquidem *Interdictum locale* dicitur illud, quod directe fertur in locum, quatenus in ipſo interdicuntur, ſeu prohibentur fieri Divina Officia, & hujuſmodi. Et iſtud ſubdividitur in generale, & particulare. *Interdictum locale generale* eſt, quo interdicitur locus, varia ſub ſe loca complectens, v. g. Regnum, Provincia, Civitas. *Interdictum locale particulare* dicitur, quo interdicitur particularis aliqua Eccleſia. Porro Interdictum locale indirecte tantum afficit perſonas, dum ſcilicet ſunt in tali loco, vel Eccleſia: unde, ſi ejuſmodi perſonæ alibi exiſtant, poſſint ibidem Officiis Divinis intereſſe, Sacramenta recipere, atque in loco ſacro ſepeliri.

93 Et quidem loquendo de Interdicto locali, ſciendum ex *c. Si Civitas. De Sent. Excomm. in 6.* quod interdicta Civitate, Caſtro, aut Villa, etiam Suburbia, & continentia ædificia ipſorum intelligantur interdicta, ne ceteroquin Interdicti ſententia vilipendatur, ſi poſſent in prædictorum Suburbiis Divina celebrari, cum incolæ ad eadem abſque labore excurrentes, Interdicti vim paſſim eluderent.

94 Et ob eamdem rationem, ſi Eccleſia Interdicto ſubjecta exiſtat, neque in Capellis ejus Divina celebrari, neque in Cœmeterio eidem Eccleſiæ contiguo ſepeliri quis poterit: ſecus, ſi eidem Eccleſiæ contigua non ſint, prout ſubjungitur *cit. c. Si civitas. De Sent. Excomm. in 6.* Porro *contigua* dicuntur ea, quorum externa invicem ſe contingunt, ut ait Gloſſa ibidem: ſive, ut alii loquuntur, quando inter parietem Eccleſiæ, ipſamque Capellam, vel Cœmeterium, nihil aliud interponitur.

95 *Interdictum perſonale* eſt, quod immediate & directe fertur in perſonam; per quod videlicet certa perſona arcetur a participatione quorumdam Sacramentorum, Divinorum Officiorum, ac ſepulturæ Eccleſiaſticæ in quocumque loco. Unde hujuſmodi Interdictum ſequitur perſonam, quocumque ierit, ſicut umbra comitatur corpus, & lepra leproſum. *arg. c. Si ſententia. §. Cum vero, de Sent. Excommun. in 6.* Ubi additur, quod, ſi populus alicujus terræ Interdicto notetur, ſingulares perſonæ interdici cenſeantur, ne alioquin ſententia effectu careat.

96 Tandem *Interdictum mixtum* dicitur illud, quo locus, ac perſonæ ſimul interdicuntur: ut ſi interdicatur civitas, & omnes incolæ ejus. Unde Interdictum mixtum includit locale, & perſonale ſimul.

97 Ceterum quoad Interdictum perſonale eſt notandum, quod, ſi ſententia Interdicti proferatur in Clerum, non cenſeatur interdictus Populus; nec econtra interdicto Populo, cenſeatur Clerus interdictus, *text. clar. cit. c. Si ſententia, de Sent. Excommun. in 6.* Unde uno ipſorum interdicto alius licite admittitur ad Divina: ſiquidem materia pœnali, & odioſa, qualis eſt hæc, verba ſunt ſtricte interpretanda, juxta *Reg. 15. Juris. in 6. Odia reſtringi, & favores convenit ampliari, & Reg. 49. Eod. in pœnis benignior eſt interpretatio facienda.* Addunt Doctores, quod ſive Clerus, ſive Populus alicujus loci interdicatur, non comprehendantur Religioſi utriuſque ſexus, niſi exprimantur: nam, etſi in materia favorabili nomine Cleri contineantur etiam Religioſi utriuſque ſexus, ſecus tamen eſt in materia odioſa, idque per textus proxime allegatos, juncta *Clem. 1. de Supplenda neglig. Prælat.* ubi iſta ponuntur tamquam diverſa; & concordantiis.

Additio.

* Porro loquendo de potioribus Interdictis in ſpecie ab ipſo Jure determinatis,

 I.

I.

Quoad Interdicta localia.

Subjacent eo ipso Interdicto locali territoria illorum Dominorum, qui absolute non recipiunt, vel impediunt, ne Legatus, vel Nuntius Papæ fungatur suo officio, idque tamdiu, quamdiu Domini in sua contumacia persistunt. *Extravag. Super gentes. de Consuetud.* Videatur *lib.* 1. *Decret. Tit.* 30. *n.* 24.

Item ipso facto subduntur Interdicto locali *Collegia*, quæ exigunt Gabellas, aliudve contra libertatem Ecclesiasticam. Bulla 93. Gregorii XIII. Videatur in Jure Canonico *lib.* 3. *Decret. Tit.* 49. §. 9. & 10. Item Ecclesiæ Clericorum Sæcularium, vel Regularium ipso facto, qui aliquem inducunt, ut juret, vel promittat, ibi eligere sepulturam effectu secuto, & satisfactione desuper non præstita. *c.* 1. *de Sepult. in* 6. Videatur *Lib.* 3. *Decret. Tit.* 28. *n.* 32.

II.

Quoad Interdicta personalia generalia contra Universitates.

Tale interdictum incurrunt ipso facto Universitates, quæ Usurariis publicis locant habitationem, & fœnus publice exercere sinunt. *cap.* 1. *de Usuris, in* 6. Vid. *Lib.* 5. *Decret. Tit.* 19. §. 10. Item Collegia, Capitula & Universitates, quæ appellant a sententia Papæ ad futurum Concilium. *Bulla Cœnæ* §. *II.* Item saltem post sententiam Capitula cathedralia Sede vacante infra annum concedentia dimissoriales non arctatis Beneficio. Trid. *sess.* 7. *de Reform. cap.* 10.

III.

Quoad Interdicta personalia contra singulares.

Tale Interdictum ab ingressu Ecclesiæ incurrunt illi, qui violant Interdictum locale. *cap. Episcoporum, de Privileg. in* 6. Item, qui de manu Laici recipiunt Prælaturam Ecclesiasticam, vel Dignitatem, usque dum iterum dimittant. *Can. Si quis deinceps.* 6. *q.* 7. Item Clerici Concubinarii in Sacris constituti in crimine fornicationis, usque dum pœniteant. *c. Si qui sunt. dist.* 81. Item Rectores Ecclesiarum sæcularium, qui recipiunt onera perpetua Missarum sine licentia Ordinarii. Bull. *Cum sæpe contingat.* 43. Urbani VIII. Item Episcopi & Superiores Prælati usurpantes bona vacantium Beneficiorum. *Extravag. Unica. Ne Sede vacante &c.* Item Episcopi vel Prælati exigentes in Visitatione ultra frugalem victum aliquam procurationem. Trid. *sess.* 24. *c.* 3. *de Reform.* Semper tamen, ac pro semper habendum præ oculis, quod Censuræ Interdicti pœna non incurratur, nisi cum culpa gravi &c. uti antea notatum jam est quoad Suspensionem.*

98 CONCL. III. Triplex est effectus Interdicti, videlicet privatio participationis quorumdam Sacramentorum; prohibitio Divinorum Officiorum, & tandem privatio sepulturæ Ecclesiasticæ. Ita Doctores communiter; & patet non solum ex definitione Interdicti superius posita, sed etiam ex diversis textibus Juris Canonici in progressu allegandis.

99 Quantum attinet ad primum effectum Interdicti, notandum, quod privatio participationis quorumdam Sacramentorum sit intelligenda de participatione talium Sacramentorum tam activa, quam passiva, ita ut illa nec licite possint administrari, nec licite recipi tempore Interdicti, aut a persona interdicta.

100 Et dicitur notanter, *quorumdam Sacramentorum.* Nam tempore Interdicti localis, sive illud sit generale, sive particulare, non prohibetur administratio, & receptio omnium Sacramentorum, sed aliquorum duntaxat, videlicet Sacramenti Extremæ Unctionis, Ordinis, Eucharistiæ extra articulum mortis, ac etiam Benedictio nuptialis: quamvis juxta satis probabilem sententiam Matrimonium sine Benedictione nuptiali licite possit contrahi.

101 Sciendum proinde, quod Sacramentum Baptismi, & Confirmationis licite possit conferri, & recipi ab interdictis, ac etiam in loco interdicto, ut habetur *c. Responso. de Sent. excom.* & *c. Quoniam.* & *c. Alma Mater. Eod. in* 6. Siquidem Baptismus est Sacramentum summe necessarium ad salutem; Confirmatio autem est quasi complementum Baptismi, cum detur ad confirmandam, & fortiter profitendam Fidem Christianam in Baptismo susceptam. Et ob hoc *cit. c. Quoniam. Eod. in* 6. habetur, quod tempore Interdicti Chrisma in die Cœnæ Domini confici queat: quia vetus Chrisma non debet esse usui, & concesso principali censetur concessum accessorium, nempe confectio Chrismatis pro administratione dictorum Sacramentorum requisiti.

102 Similiter Sacramentum Pœnitentiæ potest tempore Interdicti non solum morientibus, sed etiam sanis (dummodo non fuerint excommunicati, nec sint in causa culpabili, ob quam latum est Interdictum) licite administrari *c. Alma Mater. De Sent. excom. in* 6. eo quod & istud Sacramentum sit valde necessarium propter pronitatem, quam habent homines ad peccandum. Sacramentum vero Eucharistiæ non nisi in mortis articulo (vel probabili periculo mortis) ministrari potest. *arg. c. Quod in te. De pœnit. & Remiss.*

103 Secundus effectus Interdicti, qui est prohibitio Divinorum Officiorum, hoc involvit, quod tempore Interdicti intelligatur esse prohibita celebratio, & auditio Divinorum Officiorum. Porro nomine *Divinorum Officiorum* comprehenditur non solum SS. Missæ Sacrificium, sed & (*b*) omnis publica solemnis Oratio, quæ ab Ecclesia instituta est, quod a Clericis ad DEI laudem exerceatur: cujusmodi sunt solemnes Benedictiones Aquæ benedictæ, Cinerum, Palmarum, & Candelarum, quæ nomine, & auctoritate Ecclesiæ a Sacerdotibus fiunt. Item Horæ Canonicæ, si publice legantur: quod ultimum idcirco additur, quia privatim tenentur Clerici, ad Horarum Canonicarum recitationem, obligati eas recitare non obstante Interdicto locali, vel personali.

104 Nihilominus hæc tam ampla Divinorum Officiorum prohibitio postmodum limitata fuit in *cit. c. Alma Mater.* ubi dicitur, quod, quando Civitas, vel locus alius Interdicto subjacet, singulis diebus in Ecclesiis & Monasteriis Missæ celebrentur, & alia dicantur Divina Officia, sicut prius, submissa tamen voce, januis clausis, excommunicatis & interdictis [intellige, nisi habeant speciale privilegium, nec dederint causam Interdicti] exclusis, & campanis non pulsatis. In Festivitatibus vero Natalis Domini, Paschæ, ac Pentecostes, & Assumptionis Virginis Gloriosæ campanæ pulsentur, & januis apertis alta voce Divina Officia solemniter celebrentur, excommunicatis tamen prorsus exclusis, sed interdictis admissis.

Additio.

* Idem Martinus V. & Eugenius IV. concesserunt ad Festum Corporis Christi, & per totam octavam, uti testatur Jus Canonicum *lib.* 5. *Decret. tit.* 39. *n.* 211. ubi adhuc plura de hac materia videre licet. Item Matthæucius *in Officiali Curiæ Regularis. cap.* 20. *n.* 15. affert privilegium speciale Seraphico Ordini a Clemente VIII. datum, ut *temporibus Interdicti quacumque, etiam Auctoritate Apostolica appositi, Festa, Sanctorum suorum, Francisci, Antonii de Padua, Ludovici, Bernardini, Claræ, Elisabeth, Portiunculæ, Didaci, ac Martyrum solemni ritu celebrare, perinde, ac si Interdictum hujusmodi minime appositum esset, libere possit. Non obstantibus constitutionibus Apostolicis, universalibus, Provincialibus, Synodalibus, Conciliis editis Generalibus, vel Specialibus &c.* Idem concessum defendunt Rodriguez, & Miranda aliorum Ordinum Mendicantium Ecclesiis in Festis suorum

Sanctorum. Item in Circumcisione Domini, Epiphaniæ, in Festis SS. Trinitatis, quatuor Principalibus Deiparæ, Apostolorum, Natalis S. Joannis Baptistæ, & S. Marci, S. Lucæ, omnium Sanctorum, in Dedicatione propriæ Ecclesiæ, & in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum. Vide Kazenberger hic *cap.* 3. *sect.* 3. *n.* 147.*

105 Tertius effectus Interdicti est privatio sepulturæ Ecclesiasticæ. Et hic effectus intelligendus est, ut in loco sacro interdicto nullus possit sepeliri, nisi habeat privilegium: quale datur (ut alii privilegiati taceantur) omnibus Clericis, qui tempore Interdicti generalis illud servaverunt, ad hoc, ut cum silentio possint sepeliri in loco sacro. *text. clar. c. Quod in te. De Pœnit. & Remiss.*

106 Nihilominus tempore Interdicti localis generalis (secus in personali, vel si alicujus terræ populus Interdicto notetur, nam etiam tunc singulares personæ censentur interdictæ. *c. si Sententia. De Sent. excomm. in* 6.) possunt homines illius loci, qui personaliter interdicti non sunt, extra illum locum efferri, & in alio loco non interdicto sepeliri, imo & ibidem interesse Divinis. *cit. c. Si sententia.*

107 Insuper, si quis sepultus fuerit extra locum sacrum tempore Interdicti, cessante Interdicto in locum sacrum est transferendus, si id commode fieri potest, ut post Glossam *in c. A nobis* 28. *De Sentent. excomm.* ℣. *Forma.* notat Navarrus *cap.* 27. *Man. n.* 176. Quod si vero contingat, contra prohibitionem Juris aliquem interdictum sepeliri in loco sacro, non erit is extrahendus: quia hoc non habetur Jure statutum. Glossa cit. & Engel *loc. cit. n.* 96. Nec obstat, quod secus sit dicendum de excommunicatis; quippe qui in loco sacro sepulti debent exhumari. *c. Sacris de Sepult.* Nam hæc pœna non est extendenda ad alium casum Jure non expressum: simulque Excommunicatio privat communione Fidelium, non vero Interdictum.

Additio.

*Quæres I. Quomodo Interdictum semel latum iterum tollatur? Resp. I. Si Interdictum latum est pro certo tempore, vel sub certa conditione, tempore finito, vel conditione adimpleta illud tollitur absque nova absolutione: utpote cum talis Interdicti duratio videatur annexa certo tempori, vel conditioni, Ita Glossa *in cap. Non est vobis. II.* ℣. *Donec. de Sponsalibus.* Abbas ibidem. *n.* 7. Sylvester ℣. *Interdictum. III. n.* 13. ac plures alii apud Schmalzgrueber *lib.* 5. *Decret. Tit.* 39. *n.* 398. Resp. II. In aliis casibus facienda est distinctio, num interdictum sit latum specialiter ab homine; vel Jure? Si *ab homine*, tollitur per eum, qui tulit, vel per ejus Delegatum, aut Superiores, vel Successorem. Quod si latum sit *a Jure*, Resp. III. Rursum debere discerni, num sit Interdictum locale, vel personale? Item num *Personale generale* latum contra Communitatem aliquam, ita ut singulæ personæ considerentur præcise quatenus membra hujus Communitatis, vel num *Personale particulare*, respiciens Personas qua singulares? Potiora exempla de similibus Interdictis jam sunt antecedenter assignata. Porro, quando est Interdictum personale particulare, Resp. IV. Eodem modo ratione Absolutionis cum grano salis discurrendum est; uti antea de absolutione ab Excommunicatione, vel Suspensione, quorsum Lectorem remitto. Quod si vero Interdictum actualiter jam latum ipso facto *a Jure* foret locale, vel personale Generale, id est latum vel immediate in ipsum *Locum*, vel in *Communitatem qua talem*, tum tolli potest solummodo ab eo, qui habet quoad hoc Jurisdictionem in foro externo, exclusis etiam Religiosis illis, qui alias privilegium obtinent absolvendi a Censuris. Ratio est: quia privilegium illud Regularium extenditur ad solum forum internum Pœnitentiæ, cui foro equidem ipsæ *Personæ* non autem *locus*, seu aliqua *Communitas qua talis* subjiciuntur: in Sacramento enim Pœnitentiæ non locus, vel integra Communitas qua talis, sed Personæ absolvuntur. Ita Schmalzgrueber *lib.* 5. *Decret. Tit.* 39. *n.* 400. Pichler ibidem *n.* 53. Kazenberger *De Cens. cap.* 3. *sect.* 4. *n.* 151.*

108 Quæres II. Quid sit Cessatio a Divinis? Resp. cum communi: *Cessatio a Divinis* (quæ & *Suspensio Organorum*, id est, laudis Divinæ dicitur) est Ecclesiastica prohibitio, ob quam Clerici cessare debent in certo loco a Divinorum Officiorum celebratione, & Sacramentorum administratione; nisi quatenus eam necessitas postulat.

109 Porro Cessatio a Divinis non debet indici, nisi ob gravem injuriam Deo & Ecclesiæ illatam, ut injuriantes resipiscant, & quod deliquerunt, emendent: suntque in ejus indictione plura observanda, quæ in Jure Canonico *c. Si Canonici, & c. Quamvis. De Offic. Ordinarii, in* 6. fuse præscribuntur.

110 Differt autem multipliciter Cessatio a Divinis ab Interdicto; nam I. Cessatio a Divinis non est Censura, sicut Interdictum. II. Violans Cessationem a Divinis, licet graviter peccet, non fit Irregularis; bene tamen violans Interdictum. III. Cessatio a Divinis numquam afficit personas, sed locum tantum: unde extra illum libere possunt Divina audiri a quolibet, vel celebrari: Interdictum vero quandoque est personale, & afficit personas. IV. Sepultura in loco sacro tempore Cessationis a Divinis, juxta probabiliorem sententiam, omnibus est concessa, dummodo fiat sine officio funebri; secus est in Interdicto.

DISTINCTIO III.

De Irregularitate.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Irregularitas? ubi varia ipsam attinentia.

SUMMARIUM.

1 *Irregularitas, unde sic dicta?*
(*a*) Ut dictum Dist. 1. n. 46.
2 *Irregularitas, quid?*
Declaratur amplius.
3 *Dividitur in Irregularitatem ex delicto, & ex defectu.*
4 *Et quomodo hæ differant?*
5 *Irregularitas non est Censura; cur?*
6 *Violans Irregularitatem non fit denuo irregularis; secus in Censuris.*
7 *Irregularitas non incurritur, nisi Jure exprimatur.*
8 *Ea non ab homine, sed solo Jure imponi potest: & quo?*
9 *An omnes solo Jure Ecclesiastico constitutæ sint?*

1 Quia Irregularitas inter alias causas contrahitur ob violationem Censuræ Ecclesiasticæ, merito de ipsa tractatur post Censuras jam explicatas. Ceterum *Irregularitas* nomen derivatur a ly *irregulare*, quod significat aliquid inter regulam non contentum, sive non secundum regulam existens. Verum in proposito Irregularitas magis stricte sumitur, ac prout ipsa est una ex septem Pœnis Canonicis, arcens hominem a susceptione, vel executione Ordinum: & dicitur Pœna Canonica, saltem large sumendo nomen pœnæ. (*a*)

2 CONCL. I. *Irregularitas* est impedimentum Canonicum impediens susceptionem Ordinum Ecclesiasticorum, eorumque administrationem. Ita in re communis. Ratio est: quia præcipuus Irregularitatis effectus est, impedire Ordinum susceptionem, aut susceptorum usum. Et hinc feminæ non possunt incurrere Irregularitatem; eo ipso, quia non sunt capaces susceptionis Ordinum, aut usus susceptorum. Ceterum sciendum est, quod ly *Ordo* in data definitione large sumatur, prout etiam primam Tonsuram includit siquidem Irregularis prohibetur primam quoque Tonsuram suscipere.

Ad-

Advertendum ulterius, quamvis Irregularitas impediat susceptionem Ordinum, ac susceptorum usum, non tamen ita impedire, ut, si ordo a viro baptizato in Irregularitate constituto suscipiatur, sit nullus ac irritus: adhuc enim Ordo valide suscipitur, quamvis illicite. Similiter, si Sacerdos irregularis præsumat celebrare Missam, valide celebrabit, etsi illicite.

3 CONCL. II. Irregularitas ut sic dividitur in Irregularitatem ex delicto, & in Irregularitatem ex defectu. Ita communis. Ratio est: quia Irregularitas non aliter dividitur, nisi propter causam, ob quam fertur. Unde, quia Irregularitas quandoque contrahitur ob aliquod delictum quandoque vero sine prævio delicto ex mero defectu naturali, aut inculpabili, recte ea dividitur in Irregularitatem ex delicto, & in Irregularitatem ex defectu ortam.

4 Porro inter has duas Irregularitates est hoc notabile discrimen, quod Irregularitas orta ex defectu sæpius tollatur sublato defectu; Irregularitas vero orta ex delicto semper maneat, donec legitime in ea dispensetur.

5 CONCL. III. Irregularitas non est Censura Ecclesiastica, imo in pluribus differt ab ea. Ita Doctores unanimiter, & patet inductione. Inprimis enim Irregularitas proprie non est pœna, sed potius inhabilitas quædam ad Ordines suscipiendos, vel exercendos; etenim pœna proprie dicta supponit culpam, sed Irregularitas quandoque contrahitur ex mero defectu naturali absque ulla culpa. Et quamvis detur Irregularitas orta ex delicto, seu quæ ob prævium delictum imponitur, ea tamen primario non imponitur per modum pœnæ medicinalis, sed impedimenti Canonici ex motivo conservandi exinde decentiam Status Clericalis. Econtra Censuræ Ecclesiasticæ imponuntur ut pœnæ medicinales.

6 Deinde violans Censuram Ecclesiasticam administrando Sacramenta, vel celebrando, incurrit Irregularitatem: at vero irregularis celebrans, vel administrans Sacramenta ante obtentam dispensationem, etsi peccet mortifere, non tamen incurrit novam Irregularitatem, prout notat Navarrus *cap.* 27. *Manualis, n.* 194. cum aliis satis communiter. Ratio est: quia prius Jure exprimitur, non autem posterius; atqui Irregularitas numquam incurritur, nisi id Jure exprimatur, ut mox dicetur; ergo. Hinc sit

7 CONCL. IV. Irregularitas non incurritur, nisi ea in Jure sit specialiter expressa. Ita Scotus 4. *dist.* 7. *quæst.* 5. & clare desumitur ex *c. Is qui. De Sent. excomm. in* 6. ubi dicitur: *Licet in hoc temerarie agat, Irregularitatis tamen (cum id non sit expressum in Jure) laqueum non incurrit.* Quinimo ex hoc textu recte infertur, quod defectus ille, ob quem Irregularitas incurritur, debeat esse specifice nominatus in Jure, neque ab uno ad alium casum, ob similem vel majorem rationem, extensio fieri possit: siquidem odiosa, & pœnalia sunt restringenda potius, non extendenda. Hinc Fagnanus *c. Si quis Presbyter, n.* 5. *De Cler. excomm.* inquit: *Qui dicit aliquem irregularem, debet dare casum Juris.*

8 CONCL. V. Irregularitates non ab homine per sententiam (id est, non per sententiam Judicis, uti Censuræ) sed solo Jure, & quidem Jure dumtaxat universali Pontificio, non autem Episcopali imponi possunt. Ita Layman *lib.* 1. *Tract.* 5. *part.* 5. *cap.* 1. *n.* 5. & alii. Ratio est: quia Irregularitas principaliter imponitur per modum Canonici impedimenti, ob decentiam ac reverentiam sacro Altaris ministerio debitam, atqui convenit, ut talia sint perpetua, totique Ecclesiæ communia, sicuti & Altaris ministerium, ejusque reverentia est communis Ecclesiæ universali; ergo. Accedit, quod nullibi in Jure concessum sit Episcopis, novas Irregularitates constituere, quamvis subditos transgressores & contumaces possint punire pœna Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti.

9 Ceterum non obstante, quod omnis Irregularitas Jure dumtaxat humano Ecclesiastico constituta sit, negari tamen non potest, multas Irregularitates Jure Ecclesiastico constitutas, ex Lege veteri & naturali originem traxisse. Siquidem pleræque, sive ob naturalem indecentiam, sive ad exemplum veteris Legis Divinæ, atque occasione illius, sunt statutæ; prout patet in Irregularitate ex homicidio, seu defectu perfectæ lenitatis proveniente, quam Ecclesia constituit, eo quod David Rex fuerit impeditus ab ædificatione Templi, ob multum sanguinem effusum, 2. *Reg. cap.* 7.

QUÆSTIO II.

De Irregularitatibus ex delicto provenientibus.

SUMMARIUM.

10 *Irregularitas ex delicto oritur ex Baptismo reiterato, Secus fit in Confirmatione.*
11 *Aut si Baptismus sub conditione reiteretur.*
12 *Oritur quoque ex violatione Censuræ.*
13 *Dummodo ministerium sit proprium Ordinis.*
14 *Quid, si peragantur ea, quæ sunt jurisdictionis.*
(b) Adde dicta Dist. 2. n. 87.
15 *Irregularitas oritur ob indebitam susceptionem Ordinum; idque varie.*
16 *Excommunicatio minor non sufficit ad Irregularitatem inducendam &c.*
17 *Quid de ordinato per saltum, vel ante legitimam ætatem &c.*
18 *Hæretici, Schismatici, eorumque fautores &c. sunt irregulares.*
19 *Crimina inducentia infamiam juris, inducunt Irregularitatem.*
20 *Quid, si crimina illa sint occulta?*
21 *Solvitur instantia.*
22 *Quid, si postea crimen illud fiat publicum?*
23 *Ex homicidio occulto oritur Irregularitas, & cur?*
* *Aliæ sex notabiles Additiones circa Irregularitatem ex delicto provenientem.*

10 CONCL. I. Irregularitas ex delicto oritur inprimis ob Baptismum serio & scienter iteratum, tam ex parte rebaptizantis, quam rebaptizati. Ita Doctor noster 4. *dist.* 6. *q.* 8. atque desumitur ex *c. Ex litterarum. De Apostatis,* & *c. Qui in qualibet,* 1. *q.* 7. & alibi. Secus est dicendum de Sacramento Confirmationis, nam, ut notat Doctor Subtilis 4. *dist.* 7. *q.* 5. cum communiori, ejusmodi Irregularitatem non incurrunt scienter reiterantes, vel iterato suscipientes Sacramentum Confirmationis: quia Irregularitas non incurritur, nisi in casibus a Jure expressis *c. Is qui. De Sent. Excommun. in* 6. estque proxime dictum *n.* 7. atqui nullibi Jure reperitur expressa Irregularitas contra reiterantes Sacramentum Confirmationis; ergo.

11 Adde ulterius cum Layman *c.* 2. *De Irregularitate, n.* 1. non contrahi Irregularitatem, si rebaptizatio fiat sub conditione, quamvis temere, & non præmissa debita inquisitione, utrum Baptismus antea fuerit collatus, id fiat. Ratio est: quia leges pœnales intelligi debent cum effectu; qui autem baptizatum sub conditione baptizat, *Si baptizatus non es, ego te baptizo &c.* is revera non baptizat; quia apposita conditio de præterito, aut præsenti, si non subsit, semper annullat, & impedit actum; ergo. Et ob eamdem causam, qui metu v. g. adactus, animo simulato exterius rebaptizat, non fit irregularis; cum non habeat animum baptizandi.

12 CONCL. II. Oritur insuper Irregularitas ex violatione Censuræ Ecclesiasticæ; si nimirum ea innodatus actum aliquem Ordinis solemniter exerceat. Ita habetur in Jure Canonico *toto tit. De Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante,* & alibi. Hinc Clericus fit irregularis, si exerceat actum proprium Ordinis constitutus in Excommunicatione majori, vel suspensus ab Ordine, vel ligatus Interdicto personali, aut in loco interdicto.

13 Requiritur autem ad incurrendam hanc Irregularitatem, ut ministerium, quod Clericus in Censura exercet,

exercet, ſit proprium Ordinis, ſeu tale, ut ab alio, qui talem Ordinem non habet, exerceri non poſſit. Unde Clerici in Minoribus vix poſſunt ex hac cauſa Irregularitatem contrahere: ſiquidem conſuetudo ferme obtinuit, ut eorum miniſteria a Laicis etiam ſolemniter obeantur. Layman *loc. cit. c.* 3. *n.* 4. Navarrus *c.* 37. *Manual. n.* 242. & 244. hoc ipſum docens de eo, qui cantat Epiſtolam ſub Miſſa, ſed ſine manipulo.

14 Inſuper Clerici excommunicati, vel ſuſpenſi non fiunt irregulares, ſi ea dumtaxat peragant, quamvis illicite, quæ ſunt officia ſolius juriſdictionis, non autem Ordinis. Ut ſi Epiſcopus tali Cenſura ligatus excommunicet, vel ab excommunicatione abſolvat, omiſſa tamen ſolemnitate precum & ſtolæ. Item, ſi Parochus aſſiſtat Matrimonio, ſed non benedicat nuptias, & ita loquendo de aliis actibus, qui ſunt ſolius juriſdictionis, non vero Ordinis: tales enim non violant Cenſuram Eccleſiaſticam exercendo in ea actum Ordinis ſibi prohibiti, cum talem revera non exerceant. (*b*)

15 CONCL. III. Ob indebitam ſuſceptionem Sacramenti Ordinis variis de cauſis incurritur Irregularitas. Ita omnes Doctores, & probatur inductione. Sic quippe fit irregularis, qui ſciens, aut ſcire debens, ſe excommunicatum eſſe excommunicatione majori, aut interdictum, vel ſuſpenſum a ſuſceptione Ordinum, ordinatur; prout ex variis textibus Juris probat Navarrus *cap.* 27. *Manual. n.* 241.

16 Et dicitur notanter, *excommunicatione majori.* Quia excommunicatio minor, quamvis ſufficiat ad peccandum, non tamen ſufficit ad Irregularitatem inducendam *c. Si celebrat. De Clerico excom. miniſtrante.* Deinde, qui ab Epiſcopo excommunicato, ſuſpenſo; interdicto, ſimoniaco, ſchiſmatico, hæretico, aut depoſito, vel degradato ordinatur, fit irregularis, quamvis characterem Ordinis ſuſcipiat *arg. c. Quod quidam,* & *c. Statuimus decretum,* 1. *q.* 1. ac notat cit. Navarrus. Accedit *c. Ordinationes,* 9. *q.* 1. & *c.* 1. *ac* 2. *de Schiſmaticis,* ubi irritæ cenſentur hujuſmodi ordinationes (non quidem quantum ad valorem Sacramenti, ſed quantum ad executionem Ordinis) niſi legitime cum aliquo fuerit diſpenſatum. Siquidem diſpenſatio proprie habet locum reſpectu Irregularitatis, non autem reſpectu ſuſpenſionis, utpote quæ ſolet tolli per abſolutionem, non per diſpenſationem: ac proinde hic non intervenit mera ſuſpenſio, uti quidam aſſerere videntur, ſed etiam Irregularitas.

17 Porro, qui Ordine ſacro ordinatur ante legitimam ætatem, vel extra tempora legitima, aut abſque litteris dimiſſorialibus (de quibus omnibus diſtincte *agitur Tract.* 14. *diſt.* 12.) item, qui per ſaltum ordinatur, accipiendo videlicet majorem Ordinem ante minorem, non eſt quidem irregularis (nullibi enim ejuſmodi Irregularitas reperitur in Jure expreſſa) bene tamen ipſo Jure ſuſpenſus: ſi autem, antequam abſolvatur a ſuſpenſione, ejuſmodi Ordinem exerceat, fit irregularis. Navarrus *loc. cit. n.* 241. & 242. id ex variis textibus Juris probans; Pirrhing. *tit. de Clerico per ſaltum promoto, n.* 2. & alii.

18 CONCL. IV. Etiam Hæretici, Apoſtatæ a Fide, Schiſmatici, eorumque fautores ac receptatores (id eſt, qui favent Hæreticis, vel Schiſmaticis formaliter ſumptis, ſeu qua tales ſunt) irregulares exiſtunt. Ita habetur *cap. Quicumque. De Hæreticis in* 6. & *can. Saluberrimum* 1. *q.* 7. cum concordantiis: quamvis ad hanc Irregularitatem incurrendam requiratur hæreſis externa, ſive ſigno quodam exteriori ſufficienter manifeſtata.

19 CONCL. V. Crimina inducentia infamiam juris, etiam inducunt Irregularitatem. Ita habetur *c. Infames,* 6. *q.* 1, ubi, cum dictum fuiſſet, fures, ſacrilegos, inceſtuoſos, homicidas, perjuros, raptores, maleficos, adulteros, & alios ibidem enumeratos, de jure infames eſſe, ſubdit textus: *Hi omnes, inquam, nec ad ſacros gradus debent admitti.* Et merito: quia puros & immaculatos, non autem ſceleratos atque infames convenit in ſortem Domini, & ſacrum ejus miniſterium coaptari.

20 Circa hoc tamen notandum, quod Clerici criminoſi, atque delictorum de Jure infamiam inducentium ſibi conſcii, ante actam veram pœnitentiam non debeant Ordines ſuſcipere, aut in jam ſuſceptis miniſtrare, v. g. celebrando Miſſam non præmiſſa Confeſſione Sacramentali, eo quod perdiderint teſtimonium bonæ conſcientiæ, ſicque non abſque novo peccato mortali id facerent. Nihilominus, ſi ejuſmodi crimina (excepto homicidio) ſint etiamnum occulta, tales poſt actam veram pœnitentiam prohiberi non debent, quo minus, ſi velint, in ſuſceptis Ordinibus miniſtrent, aut ad ſuperiores Ordines aſcendant; prout habetur *c. Ex tenore,* & *cap. ult. De Temporibus Ordinationum,* & tradit Pirrhing *ibidem, n.* 15. & *ſeqq.* ac Navarrus *c.* 27. *Manual. n.* 247. & alii. Et hinc inferes generaliter, quod ob crimina occulta non incurratur Irregularitas ratione infamiæ: quidquid nonnulli in contrarium dixerint, male (ut loquitur Navarrus) injicientes magnos ſcrupulos Eccleſiaſticis, qui ejuſmodi crimina in occulto commiſerunt.

21 Nec obſtat, quod certis criminibus, utputa perjurio, inceſtui, adulterio, &c. infamia ipſo Jure annexa ſit. Reſp. enim, id procedere de talibus criminibus, quando publica ſunt, ſecus, quamdiu illa ſunt occulta. Nam, quia infamia conſiſtit in diminutione bonæ famæ, ſicut hæc ſine publica rerum notitia comparari nequit, ita nec infamia incurri ob crimen mere occultum.

22 Quod ſi vero poſtea crimen publicum fiat, utputa per propriam confeſſionem, vel alias legitimas probationes in judicio factas, ſtatim abſque alia Judicis ſententia oritur infamia, utpote ipſo jam Jure ſtatuta pro tali crimine; & ſic exinde incurritur Irregularitas. Unde Layman *c.* 4. *de Irregularitate, n.* 8. ait, quod commiſſo ejuſmodi crimine, etiamnum occulto, contrahatur infamia fundamentaliter, atque in radice: accedente autem ejus publicatione efficiatur infamia formaliter, inducens Irregularitatem ipſo facto donec abolita infamia legitime cum aliquo fuerit diſpenſatum.

23 Additur notanter *n.* 20. *excepto homicidio*; iſtud enim, quantumvis ſit occultum, inducit Irregularitatem, ut habetur *cit. cap. ult. De Tempor. ordinat.* juncto Concilio Trident. *ſeſſ.* 24. *de Regular. c.* 6. cum concordantiis. Quamvis hoc non ratione contractæ infamiæ (hanc enim non parit crimen occultum, modo declarato) ſed ex ſpeciali Juris conſtitutione accidere videatur. Qua ratione pariter in occulto violans Cenſuram Eccleſiaſticam aut ſcienter Baptiſmum reiterans, Irregularitatem contrahit; nam talibus delictis ſecundum ſe, ac præciſa infamia, Jus ipſum ſtatuit Irregularitatem.

Additio I.

* Quæres I. Quale debeat eſſe peccatum, vi cujus contrahatur Irregularitas ex delicto? Reſpond. peccatum illud debet eſſe mortale. Ita poſt Navarrum, Sanchez, Maſtrium, Caſtropalao, Sporer & alios, Schmalzgrueber *lib.* 5. *Decret. tit.* 37. *n.* 76. & Kazenberger *in Decalog. cap.* 3. *ſect.* 4. *n.* 156. qui ultimus etiam pro ſe citat Scotum *in* 4. *Sent. diſt.* 13. *q.* 2. ex ea ratione: quia Irregularitas eſt malum valde grave, quale, ſi imponitur ob aliquod delictum; non præſumitur, niſi expreſſe aliter conſtet, ab Eccleſia tamquam benigna Matre injungi, niſi ob peccatum grave. Et hinc, ſi actus ob defectum inadvertentiæ, præcipitantiæ, imperfectæ deliberationis, aut ob levitatem materiæ excuſatur a mortali, non incurritur Irregularitas ex delicto, prout bene notandum pro praxi ad reſolvendos quamplures caſus.

Nec dicas: Irregularitas poteſt contrahi etiam ob nullum prorſus peccatum, prout ſtatim patebit ex Quæſtione ſequenti; ergo nec videtur requiri ad Irregularitatem ex delicto aliquod peccatum mortale. Reſp. enim negando conſequent. etſi enim Irregularitas *ex defectu* contrahi valeat ob omnino nullum, ne quidem veniale peccatum; interea tamen, ſicut ad eamdem contrahendam requiritur ſaltem aliunde gravis ratio, ita etiam ad contrahendam Irregularitatem *ex delicto*, prout diſtin-

distinguitur ab Irregularitate *ex defectu*, videtur requiri aliunde grave delictum: quoniam licet *primario* nulla Irregularitas imponatur tamquam pœna, sed potius conformiter dictis ad conservandam decentiam status Clericalis, nihilominus tamen saltem *secundario* Irregularitas, ob delictum imposita, videtur injungi aliquo modo tamquam pœna vindicativa. *

Additio. II.

* Urgebis. Ut contrahatur Irregularitas ex delicto ob homicidium indirecte voluntarium, sufficit, ut actus ille, ex quo sequitur mors, sit peccaminosus venialiter: ergo saltem non ad omnem Irregularitatem ex delicto requiritur peccatum mortale. Anteced. probatur; quia Monachus etiam peritus in arte chirurgica, & nullam in curando committens graviter peccaminosam negligentiam, seu culpam latam, adhuc incurrit Irregularitatem, si alter ex ejusdem incisione vel adustione moriatur præter intentionem, prout eruitur ex *cap.* 19. *de Homicidio, juncto Summario*, atqui talis Monachus utique non graviter in his circumstantiis peccavit exercendo illam artem chirurgicam, prout patet a pari, si alius Chirurgus sæcularis præstitisset idem cum talibus circumstantiis & limitationibus; ergo. Resp. hoc argumentum plane nimium, & sic nihil probare: sequeretur enim, si efficax foret probatio, quod Irregularitas ex delicto incurreretur absque ullo delicto etiam veniali, sic eo ipso non foret Irregularitas *ex delicto*. Etenim alius secularis Chirurgus, qui in iis circumstantiis cum debita præcautione, & adhibita morali diligentia adhibuisset eamdem cautionem, ne quidem venialiter peccasset, si per accidens, & præter illam Chirurgi intentionem sequeretur mors alterius. *

Additio III.

* Ut autem totius argumenti solutio fiat clarius in forma, & melius capiatur, hinc ad tollendam omnem obscuritatem & æquivocationem. Notandum I. posse actum quempiam esse vel hujus naturæ, ut ex eo etiam voluntarie, & deliberate exercito alias rarissime sequatur mors alterius, vel posse esse talem, ut eumdem aliquo modo frequentius mors alterius comitetur. In primo casu, si ex positione hujus actus sequatur præter intentionem homicidium, illud non censetur indirecte voluntarium, & consequenter nec imputatur tamquam peccatum mortale, nisi in extraordinario aliquo casu. Quod si foret *actus talis*, ex cujus positione aliquo modo sæpius sequatur mors alterius, pro eodem

Notandum II. talem actum, si is ceteroquin ex una parte non sit intrinsece malus, ex altera vero possit esse multum utilis bono publico, de per se non esse graviter prohibitum, si ceteroquin ad præcavendum circa similem actum mortis periculum adhibeatur ea diligentia, quæ adhiberi communiter debet; nam, dicta diligentia deliberate & scienter intermissa, committeretur culpa lata graviter peccaminosa. Exemplum cape in arte chirurgica, in cujus usu per adustionem, incisionem, & sectionem membrorum equidem sæpe subsequitur mors alterius: interea tamen a Chirurgis in arte peritis licite exercetur, si ita expediens videatur, & ceteroquin nulla culpa lata in intermissione diligentiæ moralis ad præcavendum periculum requisitæ committatur.

Notandum III. similem actum modo prædicto circumstantiarum, etsi non prohibitum, aut illicitum, posse tamen certo statui ex ratione, ut status iste adhuc remotior sit ab omni homicidio, graviter interdici: & ita Clericis in Sacris constitutis *cap.* 9. *Ne Clerici vel Monachi*, exercitium artis chirurgicæ quoad adustionem & incisionem membrorum, si alii sæculares hujus artis periti adsint, graviter prohibetur; quamvis ceteroquin & ipsi gnari sint ejusdem artis, & omnem diligentiam de præcavendo periculo moraliter possibilem adhibeant, vel saltem culpam latam quoad intermissionem ejus non committant; prout satis clare innuitur *cap.* 19. *de Homicidio, juncto Summario*: ubi exinde tales transgressores non tam contra præceptum naturale, quam Ecclesiasticum peccant. His bene prænotatis. *

Additio IV.

* Respond. in forma neg. anteced. quod nimirum ad contrahendam Irregularitatem ex delicto sufficiat actus præcise venialiter peccaminosus. Ad ejus probationem nego suppositum, quod talis Monachus, si alii sæculares in arte periti haberi potuerunt, non graviter peccaverit, scienter transgrediendo allegatam legem Ecclesiasticam. Ut enim Clerici in Sacris constituti adhuc remotiores sint a periculo mortis aliis inferendæ, Ecclesia absolute graviter præcepit, ut, quando alii sæculares haberi possint, Clerici, quamvis periti, & adhibita omni præcautione moraliter possibili, saltem quoad adustionem, abscissionem, & incisionem, ubi periculum mortis videtur respective majus, & suo modo frequentius, artem chirurgicam non exerceant. Dico notanter; *quoad adustionem, incisionem, seu abscissionem*: nam, si exercerent quoad alia minus periculosa, vel etiam minus periculosas medicinas alias ægrotis darent, adhuc Sayrus *de Cens. lib.* 7. *cap.* 6. *n.* 11. cum Sporer *Tract.* 5. *in Decalog. cap.* 3. *sect.* 5. *n.* 175. & cum Bonacina ac Henriquez notanter la Croix *lib.* 7. *n.* 529. *tom.* 8. (his tamen præsens Auctor contrarius videtur *lib.* 3. *Decret. tit.* 50.) defendit, id nullo textu Juris assignabili prohiberi, præsertim, si ex Christiana charitate porrigant pauperibus, & miserabilibus personis, & tales Clerici ceteroquin sint periti in arte, nec negotiationem seu lucrum speciale exinde quærant, qui consequenter nec conformiter his principiis incurrerent Irregularitatem, si in casu rariori mors sequatur præter intentionem, & adhibita debita diligentia. Scio equidem, quod in contrarium objiciatur textus Juris *cap. Ad aures* 7. *De Ætat. & qualitat. &c.* Ast præfatum Capitulum Canonico Coloniensi dat consilium &c. non præceptum, atque Summarium dicti Capituli loquens de promotione hujus Canonici ad sacros Ordines sic habet: *Eventus mortalitatis infirmi non impedit promoveri ejus medicum peritum, sollicitum, & traditiones artis observantem.* Viderint tamen Clerici, & Monachi, ne hac doctrina abutantur.

Additio V.

* Quæres II. An, ut contrahatur Irregularitas ex delicto, non solum debeat peccatum esse mortale, sed etiam resciri, huic fuisse a Jure annexam Irregularitatem? Ratio dubitandi, & affirmativam tenendi est; quia ad contrahendam Censuram Excommunicationis majoris non solum debet peccatum esse grave, verum etiam saltem in confuso resciri Censura: ergo pariter in præsenti debet resciri Irregularitas. Et ita quidem cum Reginaldo, Portell, Navarro, & aliis sentit Sporer *part.* 1. *Theol. Sacrament. cap.* 5. *sect.* 4. *n.* 79. ac probabile censent cum Suarez, Sanchez, Bonacina, Coninch, ac Diana, la Croix *Tom.* 8. *lib.* 7. *n.* 482. & Schmalzgrueber *lib.* 5. *tit.* 37. *n.* 108. Respond. tamen cum Belino, Cardena, Katzenberger & communiori negative. Ratio est: quia NB. primario loquendo omnis Irregularitas etiam ex delicto infligitur per modum potius inhabilitatis, quam pœnæ; sed inhabilitas contrahitur, quamvis non sciatur delicto annexa; ergo. Min. prob. ab exemplis: sic enim juxta communem ob impedimentum affinitatis ex copula illicita, & ob impedimentum criminis personæ redduntur inhabiles ad contrahendum Matrimonium etiam ignorantes hanc inhabilitatem annexam. *

Addi

Additio. VI.

* Quæres III. An ob causam dubiam censeatur contrahi Irregularitas, ita ut talis dubitans saltem se teneatur gerere tamquam irregularem? Ante Responsionem suppono, dubium circa Irregularitatem posse esse Juris vel facti. *Dubium Juris* dicitur, quando dubitatur, an in Jure ob tale factum sit imposita Irregularitas? *Dubium facti* censetur, quando dubitatur, num tale factum sit commissum, cui a Jure certo imposita est Irregularitas? H. S.

Respond. Si post debitam præviam inquisitionem maneat adhuc dubium, non censetur contracta Irregularitas, nec tenetur talis dubitans se gerere tamquam irregularem, sive dubium sit Juris, sive facti: excepto unico casu, & dubio facti, quo quis dubitat, an homicidium, quod quidem constat a parte rei esse commissum, a se per suam actionem, vel ab alio fuerit perpetratum, ubi stante hoc dubio erit abstinendum a celebratione. Ita Franciscus Bardi *disc. 6. c. 7. §. 4.* Castropalao *Tract. 29. D. 6. p. 3. n. 7.* Suarez *de Censuris. D. 40. sect. 6.* Sperellus *Decis. 57. a n. 31. & Decis. 119. n. 48.* Sporer *tract. 1. in Decal. cap. 1. sect. 4. n. 96. ac part. 1. Theolog. Sacrament. cap. 5. sect. 4. n. 79.* cum pluribus aliis. Ratio fundamentalis a P. Pichler *lib. 5. Decret. Tit. 37. n. 25.* recte sumitur *ex c. 18. De Sent. Excomm. in 6.* ubi asseritur, nullam Irregularitatem incurri, nisi in casibus a Jure expressis, sed, si dubium est Juris vel facti circa Irregularitatem, non reperitur expressa in Jure aliqua Irregularitas extra dubium facti de homicidio, de quo proxime; ergo. Accedit, quod in tali casu dubio libertas & immunitas ab Irregularitate existat in possessione, quæ nemini adimenda est, nisi efficax aliqua Lex stet in oppositum, qualis tamen assignari nequit extra dubium facti circa homicidium. Dico notanter *extra dubium facti de homicidio*: nam, quod in hoc dubio, supposito, quod ex una parte sciatur aliquem fuisse occisum, ex altera vero præcise dubitetur, num per suam, vel alterius actionem, quod (inquam) in hoc dubio tamquam homicida talis dubitans haberi debeat, & quamvis forte a parte rei homicida non sit, nihilominus a Sacerdotali Officio abstinere, habetur expressa Lex *c. 18. De Homicidio*, ac alibi: qualis Lex ex speciali ratione lata est quoad homicidium; quia homicidium quoad Sacerdotalem Statum specialem continet suo modo indecentiam: videtur enim specialiter minus decens, ut, qui alios vita privavit, Agnum offerat immaculatum, qui nobis vitam dedit. Solutiones objectionum videantur apud Schmalzgrueber *lib. 5. Decret. Tit. 39. n. 881.* & notabiles ac utilissimæ exinde pro praxi resolutiones apud Sporer *tract. 5. in Decalog. cap. 3. sect. 5. per totum.* Qualiter autem per homicidium certum incurratur Irregularitas, agetur *Quæst. 4.* *

QUÆSTIO III.

De Irregularitatibus ex defectu.

SUMMARIUM.

24 *Irregularitas ex defectu varie contingit.*
25 *Ex defectu animi sunt irregulares amentes.*
26 *Omnino inscii.*
27 *Neophyti; & qui sint tales?*
28 *Ex defectu corporis, qui censeantur irregulares?*
   * *Ubi de defectu pollicis.*
29 *Quid de carente oculo, aut visu ejus?*
30 *Præsertim oculi sinistri?*
31 *Quid de leproso, paralytico, phrenetico, &c.*
32 *Habente sex digitos, gibboso, & claudo? cum Addit.*
33 *Ex defectu natalium, qui sint irregulares?*
34 *Illegitime natus legitimatur per subsequens Matrimonium parentum.*
35 *Quid, si illegitimi Religionem intrent?*
   * *Quid de dubio, num sit illegitimus?*
36 *Ex defectu ætatis, &*
37 *Ex defectu libertatis oritur Irregularitas, & in quibus?*
38 *Ex defectu Sacramenti etiam ea oritur.*
39 *Et cur?*
40 *Bigamia triplex, nimirum Vera,*
41 *Interpretativa, &*
42 *Similitudinaria, quid?*
43 *Non fit irregularis, qui cum pluribus fornicatur.*

24 CUm Irregularitas duplex sit, una ex delicto, altera ex defectu; explicata priori, multiplici titulo proveniente, pergendum ad Irregularitatem ex defectu, quæ etiam multipliciter consurgit. Nam ipsa provenit I. Ex defectu animi. II. Ex defectu corporis. III. Ex defectu natalium. IV. Ex defectu ætatis, & libertatis. V. Ex defectu Sacramenti, sive ex Bigamia. Et tandem VI. Ex defectu lenitatis; id est, ex homicidio, etiam licite patrato, de quo *Quæst. seq.* Nunc priores Irregularitates ex defectu provenientes prosequendo, sit

25 CONCL. I. Ex defectu animi censentur vel maxime irregulares, qui penitus carent usu rationis; quales sunt amentes. Et hi non solum Jure humano sunt irregulares, sed etiam Jure Divino ac naturali sunt inepti ad suscipiendos Ordines; quamvis recipiant characterem, si ordinentur. Idem fit in infantibus.

26 Insuper defectus omnimodæ scientiæ facit hominem irregularem. Siquidem naturale lumen dictat, non esse admittendos ad aliquod munus eos, qui nesciunt illud munus exercere. Interim hæc Irregularitas seu potius ineptitudo de se, & absque alia dispensatione tollitur sublata causa, seu ignorantia per acquisitam debitam scientiam.

27 Rursum Neophyti sunt irregulares *arg. can. 1. dist. 48.* idque *ne in superbiam elati, incidant in laqueum diaboli*, ut monet Apostolus *1. Timoth. 3.* Dicitur autem *Neophytus*, qui ex lege Judaica, Mahometica, vel Ethnica nuper conversus ad Fidem Christianam, suscipit Baptismum in ætate adulta.

28 CONCL. II. Corpore vitiati, qui videlicet non possunt absolute obire Ordinis ministeria, vel non sine aliorum horrore, sunt irregulares. Ita desumitur *ex can. Illiteratos, dist. 36.* & *c. Presbyterum. De Clerico ægrotante*, cum concordantiis. Unde irregularis est, cui brachium vel manus deest, aut reddita est manca. Item, qui caret digitis dextræ manus, quibus formatur signum Crucis, vel cui duo digiti cum medietate palmæ abscissi sunt, *cap. 2. De Cler. ægrot.* aut si deficiat pollex *arg. c. 1. De Corpore vitiatis.*

Additio.

* Ubi tamen occasione Irregularitatis ob defectum pollicis contrahendæ bene notandum, quod alia dicatur Irregularitas totalis, alia partialis. *Totalis* est, quæ omni ordine suscipiendo, & suscepti exercitio privat: uti Irregularitas absolute & simpliciter posita supponit pro totali, nisi aliud ex circumstantiis & subjecta materia colligatur. *Partialis* est, quæ non impedit omne exercitium Ordinum, sed vel solo ascensu ad Ordinem superiorem vel tantum certo aliquo Ordinis ministerio privat: sicut fit in præsenti quoad Sacerdotem, qui sine sua culpa pollicem perdidit; nam talis excepta celebratione potest adhuc reliqua munera obire e. g. absolvere &c. Kazenberger *in Theolog. Decalog. Patris Sporer cap. 3. sect. 4. n. 155.* Quinimo, si pollex (qui, uti & index digiti Canonici dicuntur) non omnino abscissus, sed tantummodo mutilatus, seu truncatus, ita tamen firmus existat, ut aliquis Hostiam secure tenere, elevare, ac frangere possit, talis non solum ut jam actualis Sacerdos celebrare, sed etiam, si nondum sit initiatus sacro Presbyteratui, ordinari poterit. Sporer *part. 1. Theolog. Sacrament. cap. 5. sect. 4. num. 82.* Plura quoad similia emergente dubio videre poteris apud Canonistas, uti apud præsentem Auctorem *lib. 1. Decret. Tit. 17. & seqq. usque ad Tit. 23.* Interea tamen adhuc saltem aliquas

quas ex defectu corporis Irregularitates adducendo, *

29 Insuper censetur irregularis, cui oculus erutus est, ut dicitur *c. Si Evangelica. dist.* 55. ibi: *Nam illi, cui erutus est oculus, non possunt secundum Canones, Sacerdotii jura concedi*; siquidem hujusmodi carentia organi oculi notabilem parit deformitatem. Secus est dicendum de eo, qui caret solo lumine, aut visu dextri oculi, modo habeat utrumque oculum integrum: vel qui habet visum ac intuitum brevem, aut non videt sine perspicillis: quia hujusmodi vitium non inducit notabilem deformitatem.

30 Utrum autem, qui caret visu oculi sinistri, quem Stylus Romanus *oculum Canonis* appellat, eo quod necesse sit videre eo, ut quis Canonem Missæ sine indecora & nimia faciei conversione legere possit, sit irregularis, variant Doctores. Nam talis a quibusdam absolute censetur irregularis: alii tamen id limitandum æstimant, si absque notabili deformitate seu indecentia Canonem legere nequeat, aut defectus ille cum alia gravi fœditate faciei, seu oculorum sit conjunctus; prout notat Navarrus *cap.* 27. *Manual. n.* 199. & Barbosa *part.* 2. *de Offic. & potest. Episc. alleg.* 42. *n.* 31. cum pluribus aliis, quos citat. In dubio autem standum erit judicio Ordinarii.

31 Insuper ex hoc capite irregularis est leprosus, paralyticus, phreneticus, arreptitius, morbo caduco laborans. Verumtamen, si tales integre convaluisse videantur, ac jam ante ordinati erant, possunt admitti ad celebrationem. Sacerdos quoque, si morbo caduco laborans raro cadat, & etiam sputa ore non evomat, privatim celebrare potest, adjuncto ei socio Sacerdote, qui Missam prosequi possit, si alter deficiat. Layman *cap.* 7. *De Irregularitate, n.* 2. *& seqq.* citans alios.

32 Porro irregularis non est, qui sex digitos in manu habet: neque qui uno digito ex minoribus caret: neque gibbosus, nisi gibbositas conjuncta sit cum nimia deformitate, aut debilitate: nec etiam claudus censetur irregularis: nisi sit magna gressus deformitas; ita ut baculo, vel pede ligneo niti debeat; quod indecorum foret in altaris ministerio. In dubio autem, an corporis defectus sit notabilis, ut Irregularitatem inducat, nec ne, ad ordinarium Prælatum pertinet judicium. Barbosa *cit. allegat.* 42. Layman *loc. cit. n.* 6. & alii.

Additio.

* Ubi illud specialiter ex præsenti Auctore *Lib.* 1. *Decret. Tit.* 20. *n.* 12. circa vitiatos corpore addendum videtur, quod facilius a Prælatis ad executionem suorum Ordinum admittantur, qui dictos Ordines ante tale vitium receperunt, quam qui eodem vitio ante ipsam receptionem Ordinum laborant; nisi hoc vitium corporis valde notabilem, & quasi extraordinariam difformitatem præ se ferat. Sic a Patre Elbel hic *Conferent. VII. n.* 228. *& seqq.* ad celebrationem Missæ admittitur Parochus, cui accedente gangræna unus pes abscindi debuit, & in ejus locum alius ligneus substitutus fuit, etsi talis non ordinaretur in Sacerdotem juxta proxime dicta absque speciali dispensatione, si hoc vitio jam ante Ordines laboraret.*

33 CONCL. III. Ex defectu natalium censentur irregulares, qui sunt illegitime nati, sive dein illi sint nati a parentibus, inter quos tempore conceptionis, vel saltem nativitatis, poterat consistere Matrimonium, sive sint spurii, id est, nati a parentibus, inter quos tempore conceptionis, ac etiam nativitatis non potuit consistere Matrimonium. Ita habetur *cap.* 1. *&* 2. *De Filiis Presbyterorum*, & alibi. Ratio est: quia talis Irregularitas Jure Canonico est introducta; partim in detestationem sceleris paterni, partim ob turpitudinis notam, quam filius ex tali nativitate, juxta communem hominum æstimationem, contrahere censetur, partim quia timetur, ne filius paternæ incontinentiæ imitator existat.

24 Ubi tamen notandum, quod illegitime natus per subsequens Matrimonium inter parentes contractum legitimetur, si, dum suscipiebatur, inter parentes nullum suberat impedimentum dirimens, *cap. Conquestus*, & *c. Tanta. Qui filii sint legitimi, & §. fin. Instit. De Nuptiis.* Etenim fictione Juris, seu ex benignitate Legum, Matrimonium subsequens quasi retrotrahitur ad tempus conceptionis, vel nativitatis, in ordine ad hunc effectum legitimationis: qui etiam locum habet in successionibus hæreditariis, & officiis tam sæcularibus quam Ecclesiasticis, nec non & in Ordinibus atque Dignitatibus: quia Matrimonium omnia præcedentia purgat, prout probat Gloss. *cit. c. Tanta.* ℣. *Legitimi.*

35 Notandum ulterius, quod illegitimi, si Religionem ingrediantur, possint post emissam professionem ad Ordines promoveri *c.* 1. *De Filiis Presbyterorum.* Non tamen possunt tales ad Prælaturas Ordinis eligi, ut ibidem dicitur, nisi cum ipsis fuerit dispensatum.

Additio.

* Porro in dubio, num quis sit legitimus, nec ne, reputari debet legitimus, quoniam vitium ac peccatum Parentis non præsumitur, nisi probetur. Et hinc etiam expositi, quorum parentes ignorantur, censentur legitimi, sicque capaces Ordinum & Beneficiorum. De quo vide latius in Jure Canonico *l.* 4. *Decr. tit.* 17. *n.* 14. & *l.* 5. *tit.* 11. *n.* 20. Item censentur legitimi illi, qui nascuntur ex matrimonio a parte rei equidem nullo, quod tamen a contrahentibus parentibus credebatur bona fide validum, dummodo tale matrimonium fuerit in facie Ecclesiæ contractum; uti habetur *l.* 4. *Decr. Tit.* 17. *n.* 2. *

36 CONCL. IV. Defectus legitimæ ætatis, requisitæ ad Ordines, inducit Irregularitatem, quamdiu durat defectus. Ita desumitur ex *c. ult. De Temporibus Ordinationum* cum concordantiis. Dicitur notanter, *quamdiu durat defectus*: siquidem Irregularitas ex defectu ætatis proveniens cessat adveniente termino legitimæ ætatis, absque ulla alia dispensatione.

37 CONCL. V. Ex defectu libertatis inducitur Irregularitas in pluribus. Primo quidem in mancipiis proprie dictis, *c. De servorum* & *c. Consuluit De servis non ordinandis.* Nec non & in servis adscriptitiis, atque originariis, qui certæ glebæ seu prædio colendo sunt perpetuo obligati, atque ideo sine consensu dominorum ordinari non possunt *can. Generalis* & *can. Admittuntur dist.* 54. Insuper & in conjugatis: nam conjugati non admittuntur ad Ordines, sine licentia uxoris votum continentiæ emittentis *c. Uxoratus De Convers. conjugat.* His accedunt obligati ad ratiocinia (hoc est, Procuratores, Actores, Executores, seu Curatores pupillorum, & hujusmodi) nam hi ordinari non possunt nisi deposito onere, atque reddita ratione: *Si enim ante libertatem negotiorum, vel officiorum fuerint ordinati, Ecclesia infamatur*, ut dicitur *cap. un. De obligatis ad ratiocinia.*

38 CONCL. VI. Ex defectu Sacramenti, sive ex Bigamia oritur Irregularitas. Ita habetur in Jure Canonico *Tit. de Bigamis non ordinandis.* Et quidem hujusmodi Irregularitas, Bigamiæ annexa, procedit ex traditione Apostolica; ut colligitur ex illo 1. *Corinth.* 2. *Oportet Episcopum unius uxoris esse virum* & infra, *Diaconi sint unius uxoris viri*: intellige, non quod debeant esse uxorati, sed quod non debeant habuisse plures uxores.

39 Porro hæc Irregularitas dicitur oriri *ex defectu Sacramenti*: siquidem Matrimonium consummatum significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, per carnis assumptionem, juxta illud Apostoli *ad Ephes. c.* 5. *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico, in Christo & Ecclesia.* Hæc autem significatio deficit in Matrimonio cum secunda uxore, vel cum vidua, aut corrupta contracto, cum non sit conjunctio unius cum una, eaque virgine, sicuti Filius Dei copulavit sibi Ecclesiam unam, & ab alio non assumptam

40 Triplex communiter a Doctoribus assignatur Bigamia, scilicet vera, interpretativa, & similitudinaria: & harum quælibet inducit Irregularitatem, ut constat ex *toto tit. De Bigamis non ordinand.* Porro *Bigamia vera* est, quando quis valide contraxit Matrimonium cum duabus, illudque consummavit. Et additur, *illudque consummavit*: nam ex solo Matrimonio rato cum secunda inito non consurgit Bigamia, nisi illud sit etiam consummatum *can. ult. dist.* 34. & *c. Debitum De Bigamis non ordinand.*

41 *Bigamia interpretativa* est, quæ contrahitur ab eo, qui quadam Juris interpretatione censetur habuisse duas uxores, etsi vere illas non habuerit: ut si quis duxerit viduam, quæ prius Matrimonium consummaverat, vel si quis ducat ab alio corruptam, vel si cognoscat propriam uxorem post adulterium ab ipsa commissum, aut hujusmodi. De quibus extant diversi textus Juris Canonici, ut *c. Maritum, dist.* 33. & *c. Si cujus*, & *c. Si Laici, dist.* 34. & alibi.

42 Tandem *Bigamia similitudinaria* est, quæ contrahitur ex attentatione & consummatione Matrimonii, quamvis invalidi, post Votum solemne Castitatis emissum in Religione approbata, vel post receptionem Sacrorum Ordinum. Tales enim aliquo modo similes sunt contrahentibus duplex Matrimonium, quatenus post connubium spirituale cum Christo initum ab eo recedentes, attentant Matrimonium carnale contrahere, & consummare: sicque incurrunt Bigamiam similitudinariam, *arg. c. Quotquot*, & *c. Monacho, 27. q. 1.*

43 Advertendum tamen, nullam in Jure impositam esse Irregularitatem viris, qui extra Matrimonium constituti cum pluribus fornicantur, aut plures habent concubinas. Imo Presbyterum, qui plures habuit concubinas, ex eo non esse bigamum, neque irregularem, expresse decisum habetur *c. Quia circa. De Bigamis non ordinand.* Siquidem hic non intervenit defectus Sacramenti, cum nullum præcesserit Matrimonium, significans conjunctionem Christi cum Ecclesia.

QUÆSTIO IV.

De Irregularitate ex homicidio, vel mutilatione.

SUMMARIUM.

44 *Irregularitas ex homicidio dupliciter contingit.*
45 *Causa eam statuendi.*
46 *Injuste mutilans, vel occidens fit irregularis.*
47 *Dummodo sit baptizatus.*
48 *Ac secuto effectu.*
(c) Vide Tract. 9. Dist. 3. n. 33. & seqq.
49 *Mutilatio, quid?*
50 *Per membrum, quid intelligatur?*
Corollarium.
51 *Mandans, vel cooperans ad injustam occisionem &c. fit irregularis, cum Addit.*
52 *Quid, si plures aliquem aggrediantur?*
53 *Homicidium casuale, an inducat irregularitatem?*
54 *Saltem, si fuit indirecte, aut in causa voluntarium?*
55 *Quid, si quis dedit operam rei licitæ?*
56 *Vel illicitæ, sine debita diligentia, ne sequatur Homicidium.*
* *Concordatur præsens Doctrina cum prioribus dictis.*
57 *Irregularitas etiam oritur ex homicidio publica auctoritate facto.*
58 *Corollarium de cooperantibus.*
59 *Qualis requiratur cooperatio? cum Addit.*
60 *Clericus injuriam passus, an possit conqueri coram Judice &c.*
* *Varii casus, in quibus Clerici immunes sunt ab Irregularitate. Addit. I. & II.*
61 *Quid de Confessario comitante Reum ad supplicium?*
* *Alius adhuc casus.*
62 *In bello justo, qui fiant Irregulares?*
63 *Quid, si bellum sit injustum?*
64 *Occidens ob necessariam vitæ defensionem non est irregularis.*
65 *Quid, si ob defensionem rerum suarum?*
Refertur aliorum opinio, ac rejicitur.
* *Non tamen est improbabilis.*
66 *Aut in bello mere defensivo ad tuendam Patriam.*
67 *Et quid de Clericis?*

44 QUia Irregularitas ex homicidio quandoque provenit ex delicto, quandoque vero ex defectu, hinc expediens videbatur, specialem de ipsa instituere Quæstionem. Et quidem, si contingit homicidium, aut mutilatio injuste, tunc oritur irregularitas ex delicto. Quando autem contrahitur Irregularitas ex homicidio, aut mutilatione justa, qualis fit a Judice Reum ob delicta condemnante, aliisque Justitiæ Ministris in causa sanguinis ministrantibus, vel militibus, in bello justo occidentibus, tunc ea dicitur *Irregularitas ex defectu perfectæ lenitatis.*

45 Porro causa, cur SS. Canones hanc Irregularitatem statuerint, est hæc: quia indecens videtur, ut, qui alienum sanguinem fuderit, Christi mitissimi, proprium sanguinem pro nobis effundentis, personam in Altari repræsentet, ac ejus nomine Hostiam immaculatam & incruentam Deo Patri offerat. Unde & in veteri Lege Deus noluit sibi ædificari Templum a Rege David; eo quod multum sanguinem fudisset, non obstante, quod id factum fuerit in bello justo, simulque David ceteroquin extiterit Sanctissimus, ac Vir secundum cor Dei. His prænotatis, & agendo prius de homicidio injusto, sit

46 CONCL. I. Clericus, aut quicumque alius homo baptizatus, injuste mutilans, vel occidens hominem, secuto effectu, est ipso facto irregularis. Ita habetur expressum in Jure Canonico, *toto tit. De Homicidio* cum concordantiis; estque communis.

47 Dicitur notanter, *homo baptizatus*: quia ad incurrendam Irregularitatem requiritur inter alia, ut occidens, vel mutilans, sit baptizatus; nam jura loquuntur tantum de mutilantibus, & occidentibus post susceptum Baptismum *c. Si quis viduam dist.* 50. & *c. Si quis post Baptismum dist.* 51. Accedit ratio: quia infideles, seu necdum baptizati Constitutionibus Canonicis non arctantur *c. Gaudemus De Divortiis.*

48 Additur autem, *secuto effectu*: quia ad incurrendam Irregularitatem non sufficit sola intentio mutilandi, vel occidendi, sed requiritur actualis occisio vel mutilatio hominis, sive deinde illa sit occisio seu mutilatio hominis infidelis, sive fidelis, excommunicati, banniti, aut alterius hominis: nam Jura hinc loquuntur generaliter, illinc vero sunt accipienda cum effectu. Ceterum dicta procedunt, sive ejusmodi occisio aut mutilatio fuerit publica, sive occulta *c. ult. De Temporib. ordinat.* & alibi. Hinc etiam fit irregularis, qui procurat abortum fœtus animati anima rationali (secus, si animatus non sit) *c. Sicut 20. De Homicidio.* (c)

49 Quæres. Quid in proposito intelligatur per mutilationem? Resp. Per mutilationem intelligitur communiter alicujus membri abscissio. Unde non sufficit ad Irregularitatem, si quis tantum vulneraverit Proximum aut eidem membrum reddiderit inutile; ut si quis excæcaverit hominem solo visu privando, non autem oculum eruendo: quia non est mutilatio.

50 Insuper per *membrum* intelligi debet corporis pars aliqua principalis peculiarem in corpore functionem habens: ut manus, pes, oculus, auris, ac hujusmodi. Hinc inferunt Doctores, eum non fieri Irregularem, qui in rixa præscindit alteri digitum, ungues, barbam, capillos, aut excutit dentem, vel hujusmodi: quia talia non sunt proprie membra, & digitus v. g. est tantum pars & officium membri. Covarruvias *part.* 3. *Clem. Si furiosus num.* 8. Barbosa *part.* 2. *de offic. & potest. Episc. allegat.* 42. *num.* 11. & alii.

51 CONCL. II. Etiam incurrunt Irregularitatem, quicumque injustam occisionem vel mutilationem hominis

hominis mandant, aut ad illam favorem vel auxilium præstant, dummodo effectus actualiter fuerit subsecutus. Ita communis; & habetur *c. Si quis viduam dist.* 50. & *c. Sicut dignum De Homicidio* & alibi. Nam facientes & consentientes par poena constringit.

Additio.

* Infertur proin I. Quod Petrus v. g. Commilitoni suo ad duellum provocato, sed armis destituto commodans ad duellandum suum gladium, fiat irregularis, si aliqua occisio intervenerit. Ratio est; quia efficax præstabat auxilium ad duellum, ex quo mors sequebatur. Eodem modo fiunt irregulares secundantes (uti vocant) in duello; quia præbent favorem & auxilium ad occidendum, cum per suam præsentiam & assistentiam reddant duellantes, quibus patrocinantur, audaciores, & animosiores ad pugnandum vel occidendum, sicque nec sunt ab irregularitate immunes, si quis ex duellantibus occumbat. Videantur de hoc utiliter Elbel *de Irregularitate Conferent.* 6. *n.* 199. *

52 Infertur II. quod, quando plures communi consilio aliquem aggrediuntur, omnes fiant irregulares, etsi unicus occidat, vel mutilet: quia præbent auxilium, atque moralem influxum ad occisionem, vel sese animando, vel impediendo, ne alter se defendere possit, aut aliter cooperando. Dicitur notanter, *quando plures communi consilio &c.* nam si extra commune consilium, aut consensum plures inflixerint aliter vulnera, solus ille fit irregularis, quem constat inflixisse vulnus lethale. Si tamen discerni nequeat, ex cujus ictu alter occubuerit, omnes debent se gerere tamquam irregulares *c. Significasti De Homicidio.*

53 CONCL. III. Quamvis ob homicidium mere casuale, ac fortuitum non incurratur Irregularitas, si tamen illud fuit indirecte saltem, aut in causa voluntarium, Irregularitas contrahitur. Ita Doctores passim propter textus Juris satis claros. Et quidem prior pars habetur expresse *c. 9. & 12. ac seqq. De Homicidio.* Sic quippe, ut ibidem dicitur, irregularis non est, qui equum lascivientem fræno coercuit, aut ipsum calcaribus stimulavit, unde equus excusso sessore profugiens in via occidit infantem. Similiter non incurrit Irregularitatem, qui ex alto dejiciens lignum prius solicite circumspexit, an nemo inferius adesset, sicque neminem videns lignum projecit, & puerum fortuito ibi existentem, neque antea visum interfecit. Accedit *Clement. un. De Homicidio* ubi dicitur: *Si furiosus, aut infans, seu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit:* quia nempe tale homicidium non est voluntarium, sed potius casuale ac fortuitum. Idem dic, si quis in loco competente conorum lusu, vel jaculatione se recreat, & ex improviso accurrentem contra suam voluntatem ferit aut trajicit.

54 Altera pars habetur ex *c. Presbyterum & c. Continebatur. De Homicidio.* ubi dicitur, quod homicidium imputetur ei, isque fiat irregularis, qui dedit operam rei licitæ, vel illicitæ, si non adhibuit omnem diligentiam, quam debuit, ne sequeretur occisio hominis: sic enim præviso illo, quod ex omissione debitæ diligentiæ exsurgit, periculo, homicidium censetur saltem indirecte voluntarium. Similiter *c. De cetero Eod.* dicitur, quod dans causam homicidio fiat irregularis: qualia etiam alibi habentur.

55 Circa hoc tamen notabilem distinctionem affert Layman *l. 2. Tr. 3. part. 3. c. 10. n. 4.* post alios, docens, quod, si quis dedit operam rei licitæ, ac per se honestæ, sed debitam non adhibuit diligentiam, ne mors aut mutilatio hominis sequeretur, requiratur culpa lata, atque mortalis ad contrahendam Irregularitatem ex tali homicidio, vel mutilatione solum indirecte voluntaria. Sic v. g. Medicus, aut Chirurgus volens sanare infirmum, si ipsum per imperitiam aut incuriam interficiat, non fit irregularis, nisi hujusmodi culpa fuerit lata, atque peccatum mortale. Idem dicendum de Infirmario, qui infirmum charitatis gratia in lectulo movet, ut ei cibum ministret aut quietius cubet: nam is non fit irregularis, etsi mortem paululum accelerasse videatur.

56 Econtra vero, si quis dedit operam rei prohibitæ, sicque ob non adhibitam diligentiam saltem ex aliquali levi culpa homicidii, vel mutilationis causa extitit, videtur sufficere culpa venialis ad Irregularitatem contrahendam. Exemplum habetur in Clerico artem Chirurgicam exercente, si in adustione, vel membrorum incisione, aut abscissione non omnem adhibuit diligentiam, ne homicidium sequatur: nam Clericis talis curatio specialiter est interdicta *c. 9. Ne Clerici, vel Monachi &c.* quoniam frequenter ex hac applicatione mors sequitur. Pariter discurre de arte ballistaria, vel torneamentorum. Idem dicendum de Clerico impudice jocante, vel saltante cum muliere gravida, unde abortus prolis animatæ contingit; prout refertur casus *c. Sicut* 20. *De Homicidio.* Quamvis non desint Auctores, qui volunt, ejusmodi Canones pertinere tantum ad forum externum, in quo præsumptio fieri solet culpæ latæ, si quis dedit operam rei illicitæ, atque exinde mors vel hominis mutilatio fuit subsecuta.

Additio.

* Quod si quæras, quomodo hæc sententia, quæ tenet, ex subsecuto homicidio ob aliqualem intermissionem diligentis præcautionis tantummodo venialiter peccaminosam contrahi Irregularitatem, cohæreat cum doctrina, quæ tradita est superius *Addit. I. post n.* 23. ubi defendebatur, ad contrahendam Irregularitatem ex delicto requiri peccatum mortale? Resp. optime ambas cohærere doctrinas, si accurate præcedentia recapitulentur; prius enim solummodo asseruimus, quod ipsemet actus, ex quo subsequitur homicidium, debeat esse graviter prohibitus, ac mortaliter peccaminosus, ut exinde contrahatur Irregularitas ex delicto: in præsenti vero dicitur, quod actus hujus graviter illiciti modus influendi in ipsum homicidium non debeat necessario continere culpam latam Theologicam graviter peccaminosam: hæc autem duo non sunt idem; potest enim actus aliquis, ex quo sequitur alterius mors, graviter prohiberi, & tamen modus ipse influendi in mortem ob factam præcedenter præcautionem (uti contingit in exemplo adducto de Clerico Chirurgo) non continere culpam latam Theologicam graviter peccaminosam. Paucis: Ecclesia graviter prohibuit Clericis, & Monachis actiones Chirurgicas mutilandi, secandi, & adurendi, ex quibus etiam, non commissa quoad faciendam debitam præcautionem culpa lata Theologice gravi, solet sequi frequenter mors alterius, quamvis alii sæculares, præmissa in præcavendo diligentia, has ipsas actiones eliciendo ob utilitatem publicam &c. omnino non, vel saltem non graviter peccarent, utpote non exercentes modum influendi in ipsum homicidium graviter peccaminosum, nec committentes in modo influendi culpam latam. Videantur desuper Jus Canonicum *l. 5. Decr. Tit.* 12. §. 5. Sporer *tr.* 5. *in Decalog. c.* 3. *sect.* 5. Fagnan. *in c. Ad audientiam* 12. *de homicidio* Barbosa *in c. 9. eod. n.* 3. Schmalzgrueber *l. 5. Decr. Tit.* 12. *n.* 216. *ac seqq.* cum pluribus ibi citatis. *

57 CONCL. IV. Irregularitas insuper contrahitur ex homicidio, vel hominis mutilatione, publica auctoritate facta, etiamsi nulla omnino culpa intervenerit, sed id fiat ex officio, dummodo effectus homicidii, vel mutilationis actualiter sequatur. Ita communis; & habetur *c. Si quis viduam dist.* 50. & *c. Aliquantos dist.* 51. cum concordantiis ibidem a Glossa relatis. Siquidem tunc Irregularitas accidit ob defectum perfectæ lenitatis, & indecens est; ut ille, qui voluntarie sanguinem humanum fudit, Christi mansuetissimi personam in Altari repræsentet, ut jam dictum *n.* 45.

58 Hinc Judex, Assessor, Accusator, Denuntiator, Testis voluntarius, Tabellio, Satellites, Lictores, & quot-

quotquot alii cooperantur ad causam sanguinis, dummodo mors vel mutilatio actualiter fuerit subsecuta, Irregularitatem incurrunt, ob defectum perfectæ lenitatis; atque ostendit ex variis textibus Juris Glossa citata.

59 Intellige cum Glossa *in c. De cætero De Homicid.* communiter recepta, dummodo cooperatio ad mortem, seu mutilationem aliquo modo notabilis sit, & non admodum remota, vel per accidens. Hinc opifices irregulares non sunt, qui pro furibus suspendendis furcam ædificarunt, vel funes aut scalas confecerunt: quamvis secus dicendum sit de iis, qui funes ad suspendium deferunt, aut scalam applicant; hi enim censentur causa propinqua, illi remota. Layman *loc. cit. c. 7. n. 2.*

Additio.

*Ubi tamen incidentaliter adverto, in dubio, utrum aliqua causa sit proxima, vel tantum remota, multum tribuere communem moralem æstimationem hominum hujus, vel illius Nationis. Sic in Gallia, (secus dic de Germania) non censetur tamquam causa proxima Tabellio influere in mortem Rei, sed tantum *Actor criminalis, Judex, & Carnifex* seu Executor, testibus Pontasio in suo Dictionario Casuum & Doctore Sorbonico de Sainte Beuve apud Elbel hic *Tomulo V. Conferent. VII. n.* 334. Ceterum ulterius pergendo de exemptione ab Irregularitate. *

60 Similiter, si Clericus in suis rebus, aut suorum (puta Parentum, Fratrum, & Propinquorum) vel Ecclesiæ bonis injuriam passus est, potest is de suis malefactoribus absque pœna Irregularitatis conqueri coram Judice sæculari, eosque denuntiare Magistratui etiam de iis criminibus, quibus statuta est pœna sanguinis: dummodo expresse protestetur, quod ad vindictam seu pœnam sanguinis id non faciat, sed petat emendam sibi fieri, ac instituat actionem civilem, non autem criminalem: prout expressum habetur *c. Postulasti De Homicidio* ac amplius *c. Prælatis Eod. in 6.* quia (ut dicitur ibidem) *alioquin daretur plerisque malefactoribus materia trucidandi eosdem* (Clericos) *& ipsorum bona libere deprædandi.*

Additio I.

*Ob quam ipsam rationem proxime in citato capitulo assignatam ab Irregularitate immunis est, qui malefactores, se ipsum, vel suos, aut Ecclesiam suam damnificantes, ipsemet capit, vel Judici indicat, ubi lateant, ut capi possint, aut deprehensos detinet, eosque pro impetrando suo, suorumve, aut Ecclesiæ suæ interesse, si aliter obtineri nequeat, cum protestatione sanguinis Judici Laico sistit, ut recte notant Barbosa, Gonzalez, Covarruvias, & alii apud Schmalzgrueber *l. 5. Decr. tit. 12. n. 114.* atque deducitur ex *c. 2. De Homicidio in 6.* Quod si vero damnum illud non suis, sed aliis extraneis inferatur, an quis etiam tunc malefactorem citra periculum Irregularitatis valeat apud Judicem Laicum denuntiare &c. distinctio adhibenda est: vel enim agitur præcise de damno extraneis jam illato, vel etiam de periculo inferendi illud in futurum? *Si prius:* similia faciendo, & morte, seu mutilatione malefactoris postmodum subsecuta, Irregularitatem non evadet; cum hæc licentia denuntiandi judicialiter tantummodo concedatur a Jure contra *Malefactores NB. suos arg. c. 2. De Homicid. in 6.* Quod si vero agatur de gravi periculo mali etiam in futurum extraneis, vel Reipublicæ a talibus malefactoribus v. g. in puncto magiæ, aut latrocinii inferendi, per eas denuntiationes Irregularitatem nullatenus incurret, si aliter periculo tanti mali præcaveri posse prudenter non speratur, quoniam talem accusatorem Jus etiam a pœnis Ecclesiasticis excusat, *Si pro pace hoc fecerit*, id est, *pro bono publico*, uti in hunc textum Glossantes exponunt Covarruvias, Franciscus Schmier, Barbosa, Passerinus, Castropalao, Layman, & alii apud Schalzgrueber *loc. cit. n. 115. & seqq.* *

Additio. II.

*Pariter immunes sunt ab Irregularitate I. Qui Reum sive propter se, sive propter alios extraneos accusant etiam criminaliter apud Judicem Ecclesiasticum; quoniam hic pœnam sanguinis, aut mutilationis infligere non potest. II. Qui deferunt criminaliter coram Judice Laico de crimine levi, pœnam mortis, seu mutilationis non promerente; quamvis sub processu per accidens aliunde Judex deveniat in notitiam etiam majorum delictorum ipsius Rei, sicque plectat eumdem pœna mortis: nam hoc respectu accusantis est prorsus per accidens. III. Eximitur ab Irregularitate Papa damnans ad pœnam sanguinis, utpote qui est super omne Jus Ecclesiasticum, & Legibus suis vi coactiva non subjicitur *arg. c. 6. De Elect.* IV. inquisitores Hæreticæ pravitatis, eorumque Consiliarii, ex privilegio Summorum Pontificum. V. Principes Ecclesiastici Sacri Romani Imperii Jus gladii habentes in tantum, ut, licet ipsimet mortis sententiam ferre nequeant, possint tamen aliis suis sæcularibus Ministris hanc potestatem committere, *arg. c. 9. Ne clerici, vel Monach.* VI. Judices Ecclesiastici Clericum ob gravissima crimina prius degradatum tradentes Curiæ sæculari juxta leges puniendum *arg. c. Novimus 27. De Verb. significat.* ubi tamen adjungitur, ut efficaciter intercedant pro eo, ut pœna mortis, vel mutilationis non puniatur. Quod si eorum preces a Judice sæculari non exaudiantur, sunt extra culpam. VII. Theologi, Canonistæ, & Confessarii, si interrogati respondeant in genere, quid de similibus statuant Jura. Glossa communiter recepta in *c. Ex litteris 10. De Excess. Prælat.* v. *Consuluit.* Videatur fusius in Jure Canonico *lib. 5. Decr. tit. 12. §. 3.* *

61 Insuper citatus Layman post Sotum ridet scrupulum alicujus Confessarii, qui Reum ad supplicium comitatus, quod asinum, in quo vehebatur, pupugisset, irregularem se æstimabat, quasi mortem hominis accelerasset. Idem est, si Confessarius hortetur Reum, ut in via procedat: nam parum pro nihilo reputatur. Secus foret, si cooperatio, vel acceleratio mortis notabiliter facta sit: nam tunc fatentur omnes, contra hi Irregularitatem.

Additio.

*Quæres. Quidnam ergo in sequenti casu ab Elbel *De Irregularitate Conferent. V. n. 171.* adducto, sentiendum sit, ubi Sacerdos ad infirmum vocatus, ex instantia ægroti, specialem confidentiam ad dictum Confessarium habentis, partes non solum Confessarii, verum etiam Infirmarii agere debuit, petente infirmo, ut ipsum nonnihil moveret in alterum latus, simulque refrigeraret aliquo præsente electuario. Quod utrumque, dum Sacerdos præstitit, infirmus vix ore apprehendens electuarium, & præcipitanter deglutiens exinde suffocatur. *Resp.* talem Sacerdotem neutiquam fore irregularem; partim quia mortem per ipsum motum in aliud latus non notabiliter acceleravit, partim quia optima mente potius actum charitativum, quam moraliter malum infirmo exhibuit. Insuper Bulenbaum apud la Croix *l. 7. n. 4011.* ait, similes actus infirmis exhibitos non inducere Irregularitatem ex delicto, quamvis etiam exinde per accidens mors sequatur, nisi intercesserit simul culpa lata, seu graviter peccaminosa. De quo vide superius *n. 55. & in Appendice sequenti, Addit. III.*

62 CONCL. V. Quicumque in bello offensivo justo auctoritate publica habito, hominem propriis manibus mutilant, vel occidunt, fiunt irregulares. Ita communis; & habetur *c. Petitio. De Homicid.* & *c. Quicumque ac seqq. 23. q. 8.* Etsi enim Clerici possint hortari ad pugnandum in bello justo, propria tamen persona pugnare non debent *c. Ex multa §. fin. De Voto* & alibi.

63 Dicitur notanter, *in bello offensivo*: nam quid juris sit de pugnantibus in bello mere defensivo, dicetur *n. 66.* Et additur, *justo hominem propriis manibus &c.* siquidem

siquidem in bello injusto, quicumque auxilium aliquod attulerunt, quamvis propriis manibus neminem occiderint, nec mutilaverint, secuta unius hominis mutilatione, aut occisione fiunt omnes irregulares *arg. c. Sicut dignum. De Homicid.* Econtra in bello offensivo justo illi dumtaxat redduntur irregulares, qui propria manu occidunt, vel mutilant, non vero illi v. g. hortantes ad pugnam, Consiliarii, vel præbentes arma, sive subsidium: cum hoc non exprimatur in Jure. Herincx *disp. 6. De Censuris num.* 148.

64 CONCL. VI. Qui ob necessariam vitæ, vel corporis sui defensionem hominem mutilat, vel occidit, Irregularitatem non incurrit. Ita habetur *Clem. un. De Homicidio* ibi: *Nullam Irregularitatem incurrit, qui mortem aliter vitare non valens suum occidit, vel mutilat invasorem.* Accedit ratio; quia Irregularitas non incurritur, nisi ex homicidio spontaneo, atqui illud, quod ad necessariam suam defensionem fit, non omnino sponte, sed cogente legis naturalis necessitate perpetratur: ergo.

65 Dicitur notanter, *qui ob necessariam vitæ, vel corporis defensionem:* nam, si quis moderamen inculpatæ tutelæ excedat, certum est, eum incurrere Irregularitatem, ut pote qui mortem aliter evadere potuisset. Deinde, si quis furem, aut alium iniquum aggressorem occidat, vel mutilet ob defensionem rerum suarum, etiam talis juxta quamplures gravissimos Doctores contrahit Irregularitatem: prout notat Glossa *c. 2. v. Non deponatur. De Homicid.* & Abbas *ib. n. 4.* Navarrus *c. 27. Manual. n. 213.* asserens, Glossam illam fere ab omnibus receptam, ac fuse disputat Covarruvias *p. 3. Clem. Si furiosus §. un. n. 6.* id probans ex *cit. c. 2.* & *c. Suscepimus Eod.* estque communior Doctorum, nonnullis tamen exceptis. Ratio est: quia ad Irregularitatem ex defectu perfectæ lenitatis non requiritur culpa, sed sufficit spontanea hominis occisio, vel mutilatio. Accedit, quod SS. Canones excipiant solummodo casum, si quis mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat invasorem: atqui talis non fuit in periculo vitæ, sed dumtaxat bonorum suorum; ergo de Jure non excipitur ab Irregularitate ob perpetratum homicidium.

Additur nihilominus, *nonnullis tamen exceptis.* Quia non desunt Doctores, volentes, quod *irregularitas ex defectu lenitatis* incurratur tantummodo ex homicidio publica auctoritate facto, & cooperatione ad illud: econtra vero ex homicidio privato contrahatur solum *Irregularitas ex delicto*; ac Proinde, ubi homicidium privatum est inculpabile, & sine delicto, non oriatur Irregularitas, cum hæc nullo Jure expressa reperiatur, ut probare conantur ex solutione textuum Juris in contrarium allegatorum. Ex quo concludunt, homicidium factum ad necessariam defensionem bonorum temporalium magni momenti non inducere Irregularitatem, hoc ipso, quod fiat absque omni delicto, cum res suas defendere, & vim vi repellere, cuilibet a natura sit permissum, *l. 1. §. Vim vi. ff. De vi armat.* & *c. Olim causam 12. De Restitut. spoliat,* cum similibus: prout tenet Suarez *disp. 46. De Censuris sect. 2. nu. 4.* Filliucius *Tr. 20. n. 150. & seqq.* Lessius *l. 2. De Justit. & Jur. c. 9. dubit. 11. n. 73.* Castropalao *disp. 6. De Censur. punct. 15. §. 8. n. 7.* Alphonsus de Castro, Petrus Navarrus, Coninch, & alii ab ipsis citati.

Verum a priori sententia, quam etiam posteriores Auctores, ac præsertim Filliucius & Suarez, fatentur esse communem, non videtur facile recedendum: tum quia Jus inter homicidium publica, vel privata auctoritate factum, quantum ad incurrendam Irregularitatem, nullibi distinguit: quinimo, si hæc distinctio aliquando a Jure fuisset intenta, & approbata, superflue postmodum laborasset Concilium Generale Viennense, relatum *cit. Clem. un. De Homicid.* dum præter homicidium mere casuale (quod jam exceptum fuerat *c. Hi, qui arbores dist. 50.* & *c. Dilectus cum seqq. De Homicid.*) specificavit alios casus particulares, in quibus ex occisione, vel mutilatione hominis non incurritur Irregularitas; si nempe furiosus, infans, vel dormiens hominem mutilet, vel occidat, aut si mortem aliter vitare non valens suum occidat, seu mutilet invasorem; nam omnia hæc ad homicidium privata auctoritate, & absque culpa perpetratum spectare dignoscuntur: tum quia etiam in homicidio, ob defensionem rerum suarum inculpate facto, intervenire defectum lenitatis; & perfectæ repræsentationis mansuetudinis Christi negari non potest, simulque patet, necessitatem tuendæ propriæ vitæ esse strictissimam, longeque graviorem præ necessitate tuendi bona temporalia, quæ sunt ordinis multo inferioris, ac *res viles, & transitoriæ* merito appellantur *c. Suscepimus De Homicid.* Unde mirum non sit, quod casus ille fuerit exceptus ab incursione Irregularitatis, non item iste: & si in hoc Conditor Canonis idem fieri voluisset, potuisset & hunc expressisse, prout in simili argumentatur Pontifex *c. Inter corporalia De Translat. Episc.* tum tandem, quia ita observat Stylus Curiæ Romanæ, qui jus facere dignoscitur, & de quo testatur ipsemet Filliucius *loc. cit. n.* 149. citans Navarrum *c. 15. Manual. n. 5.* sicut & in *c. Significasti De Homicid.* Presbyter Ecclesiæ censetur irregularis, eo quod lethaliter percusserit maleficum, Eucharistiam cum Altarium ornamentis, & libris Ecclesiasticis auferentem.

Additio.

* His tamen non obstantibus contraria Sententia, quæ tenet, Irregularitatem ratione homicidii ex defectu lenitatis non incurri exinde, supposito, quod bona fortunæ fuerint magni momenti, sed præcise tunc, quando infertur mors, seu mutilatio auctoritate publica, defenditur ut adhuc vere probabilis, & in praxi tuta in ipso Jure Canonico præsentis Auctoris *l. 5. Decr. tit. 12. §. 4. a n. 156.* ubi etiam fundamenta, quæ huic obstare videntur, solide solvuntur. Idem tenet Schmalzgrueber *l. 5. Decr. tit. 12. n. 65.* & apud eumdem Julius Clarus, Farinacius, Bonacina, Gaill, Franciscus Schmier, Konig, Gonzalez, ac plures alii. *

66 CONCL. VII. Tandem, si quis in bello mere defensivo ad Patriam a violenta hostium aggressione liberandam ex obligatione Charitatis, aut Pietatis pugnet, hostemque meræ defensionis causa mutilet, vel occidat, non incurrit Irregularitatem. Ita Pirhing *tit. de Homicid. n. 115.* Herincx *cit. n. 149.* Suarez & alii. Ratio est: tum quia bonum commune est præstantius privato: tum quia in tali casu etiam propria vita periclitatur, simulque vim vi repellere, omnia Jura permittunt.

67 Ceterum loquendo de Clericis, Doctores admittunt hoc dumtaxat in casu inevitabilis necessitatis, & quando per solos Laicos Ecclesia, vel Patria sufficienter defendi non potest: alioquin autem Clericus pugnans etiam contra inimicos Nominis Christiani, si quemdam interficiat, censetur irregularis *c. Petitio. De Homicid.* Nam specialiter *Clericatus officium eos reddit inhabiles ad pugnandum* ut dicitur *c. Ex multa §. fin. De Voto,* juncto *can. Clerici & seq. 23. q. 8.* & arma Clericorum sunt lacrymæ *arg. can. Si quis vult. dist. 36.* & *can. Convenior. 23. qu. 8.* cum concordantiis.

APPENDIX.

In qua compendiose recapitulantur dicta præcedentia, & exinde succincte resolvuntur aliqui casus ad utilitatem Confessariorum.

SUMMARIUM.

* *Recapitulantur succincte dicta priora. Addit. I.*
* *Datur instructio Confessario, si talis casus occurrat. Addit. II. & III.*
* *An quis sit irregularis, si alius fuerit occisus sub rixa, non quidem a se, sed ab aliquo suorum commilitonum? Addit. IV.*
* *Quid de suadente puella procurationem abortus? Addit. V.*

* Quid

* *Quid de occidente alium ex improviso sub venatione? Addit. VI.*

* *Quid de Clerico militibus indicante latentem hostem? Addit. VII.*

* *Quid de eodem, Judici Laico quosdam perversos, qui exinde ad mortem condemnantur, manifestante? Addit. VIII. & IX.*

Additio I.

* ANte omnia Confessarius I. Attendat ad discrimen inter Irregularitatem ex delicto, & inter Irregularitatem ex defectu lenitatis. II. Curet bene imprimi suæ memoriæ adducta superius crimina, ob quæ incurritur Irregularitas ex delicto, & actus, propter quos contrahitur Irregularitas ex defectu lenitatis conformiter dictis *n.* 44. III. Habeat pro regula universali, quod Irregularitas nulla sive ex delicto, sive ex lenitatis defectu incurratur, nisi in casibus à Jure expressis, neç valeat fieri forsan ex aliqua paritate in his odiosis extensio de materia in jure expressa ad non expressam *c. Is qui.* 18. *De Sent. Excommun. in* 6. IV. Recolligat ex dictis, quod Irregularitas ex delicto non contrahatur, nisi actus, ex quo sequitur Irregularitas, sit mortaliter peccaminosus; unde, quod excusat a gravitate peccati, etiam excusat ab Irregularitate. V. Quod, si dubium sit, num quis propter suam actionem hic, & nunc sit irregularis, sive sit dubium juris, sive facti, si illud post debitam indagationem vinci nequeat, non tenetur quis se gerere tamquam irregularem, neque in foro interno neque in externo, excepto dubio facti de homicidio, de quo specialia. Et hinc *

Additio II.

* Quando in Confessionali proponitur casus Irregularitatis in puncto homicidii, vel mutilationis, tunc I. Si casus est dubius, attendat Confessarius, num sit dubium juris, vel facti? Si est dubium invincibile ipsius juris, resolvat, talem non esse obligatum se gerere tamqnam irregularem: cum id in nullo Jure sit expressum, uti recte observat præter alios quamplures Schmalzgrueber *l.* 5. *Decr. tit.* 12. *n.* 240.

Quod si dubium fuerit facti, Confessarius attendat ulterius II. Num pœnitens suus dubitet, an nimirum aliquod homicidium vere contigerit, nec ne? vel utrum sciens homicidium esse perpetratum, solummodo dubius hæreat, an per actionem suam efficaciter influxerit in illud, vel non? *In primo dubio* poterit denuo resolvere in favorem pœnitentis: *in secundo* autem dubio facti tenetur talis pœnitens se gerere tamquam irregularem, supposito, saltem quoad hunc casum, quod dubium illud sit de occisione, & non præcise de mutilatione *c.* 12. *De Homicid.* Videatur Sporer *Tr.* 6. *in Decalog. c.* 3. præsertim a *n.* 129. *ac seqq.* III. Quod si constaret, pœnitentem influxisse suo modo in occisionem alterius hominis, ulterius advertat Confessarius, num quæstio moveatur de Irregularitate contrahenda ex defectu præcise lenitatis, vel num de Irregularitate ex delicto? *Si prius*, poterit consolationi esse sententia gravium Doctorum asserentium tamquam probabile, & in praxi tutum, nullam Irregularitatem ex defectu lenitatis contrahi, nisi homicidium, vel mutilatio fuerit facta auctoritate publica (uti contingit in Judiciis occidendo malefactores, & in bello justo offensivo trucidando hostes sese opponentes) qua auctoritate publica deficiente pariter non adesset Irregularitas, si nullum simul intercesserit in ista occisione, vel mutilatione delictum. Quod si vero intervenisset aliquod delictum, jam quæstio non amplius moveretur de Irregularitate ex defectu, sed ex delicto. Pro quo *

Additio III.

* Confessarius notet IV. Num actio, ex qua sequitur mors, vel mutilatio alterius, fuerit grave peccatum, vel non? si non, resolvat conformiter dictis, Irregularitatem ex delicto nullam fuisse contractam. Quod si vero peccatum fuerit mortale, advertat V. Ad motivum prohibendi talem actum: nam, si actus aliquis propterea graviter est in Jure prohibitus Clericis, quia sæpe talis actio conjungitur cum morte alterius, tunc ille, cui graviter talis actus est interdictus, eumdem nihilominus deliberate exercens incurrit Irregularitatem, sive in modo influendi in mortem vel mutilationem, culpam tantum venialem, vel etiam omnino nullam commiserit: tales enim actiones chirurgicæ, quæ contingunt in mutilatione, scissione, & adustione, sunt Clericis graviter prohibitæ. Quando vero non ex hoc fine, & motivo determinato actus prohibetur, tunc non solum actus ipse, ex quo mors, vel mutilatio sequitur, sed etiam modus influendi in eamdem mortem &c. debet esse graviter peccaminosus ad hoc, ut contrahatur Irregularitas. E. g. ponamus: Petrus alias rixis non deditus se voluntarie inebriat usque ad privationem usus rationis, ibique occidit Paulum: in illo casu Petrus quidem graviter peccat se inebriando, non tamen contrahit Irregularitatem in ebrietate occidendo; quia ex una parte ebrietas non est, uti ars exercendi chirurgiam quoad adustionem, & incisionem, Clericis specialiter in Jure interdicta ex hoc determinato motivo, ne contingat sub eadem aliquod homicidium: ex altera autem parte modus influendi in dictam occisionem a plene ebrio commissam non est graviter peccaminosus, utpote cum homicidium in his circumstantiis nullatenus ab adhuc compote rationis fuerit prævisum in se, vel in sua causa, sicque nec directe, nec indirecte censeatur voluntarium. Videatur Sporer *loc. cit.* præsertim *n.* 287. *ac seqq.* accurate hanc materiam pertractan.. *

Additio IV.

* Porro ex dictis hic, & præcedenter eruuntur casus sequentes.

I. Petrus adhuc studiosus, de nocte cum aliis suis commilitonibus obambulans, in platea incidit in nonnullos milites alias sibi infensos, ubi post plura verba injuriosa, communi utriusque partis cooperatione venitur ad arma, non paucis utrinque vulneratis. Petrus videns, sibi tanquam causæ primariæ omnia mala esse imputanda, fuga se subducit, studia in alia prosecuturus Universitate. Subinde absolutis alibi studiis intendit recipere Sacros Ordines, quærens ex Confessario, an liceat? Resp. I. Petrum ante omnia esse interrogandum, num aliquis militum ex accepto a se, vel aliis vulnere obierit, nec ne? si nullus fuit exinde mortuus, vel mutilatus, utique poterit recipere Sacros Ordines; alias vero non citra dispensationem, quamvis miles non ab ipso, sed ab alio suorum commilitonum occisus fuisset. Vide dicta *n.* 52. *

Additio V.

* II. Titius committit ut Studiosus fornicationem, & postea, ne cum puella coram sæculo prostituatur, efficaciter suadet huic exinde gravidæ procurationem abortus. Post tempus pœnitentia ductus cupit fieri Clericus; quærit autem antecedenter ex Confessario, num non impediatur per aliquam Irregularitatem? Resp. eumdem, nisi denuo ante applicationem dissuaserit per efficacia motiva, ab Ordinum susceptione impediri per contractam Irregularitatem, si puella, juxta consilium suum actualiter applicando media expulsiva, abortum fœtus animati procuraverit, effectu expulsionis fœtus secuto. Dixi notanter *fœtus animati*: ubi nota ex dictis *Tr.* 9. *dist.* 3. *q.* 3. fœtum censeri animatum quadragesimo post conceptionem die, si fuerit masculus, octuagesimo, quando extitit femella. Dum autem nescitur, num fœtus fuerit masculus vel femella, S. Pœnitentiaria teste Sporer *Tr.* 4. *Theol. Sacrament. c.* 4. *ad initium* præsumit fuisse masculum: alii vero apud eum-

 dem

dem Auctorem mitius sentiunt in hac materia odiosa. Quod si effectus expulsionis, fœtus vel omnino non, vel saltem vitæ animationis diem fuerit subsecutus, non censetur irregularis. Quando dubitatur, an vere subsecuta sit aliqua fœtus animati expulsio, vel non, nec valet aliunde devenire in notitiam rei, puta si puella interna fuerit mortua &c. poterit talis dubitans se gerere tamquam non irregularem, sicque suscipere Ordines, utpote vere, & invincibiliter dubitans, num a parte rei aliquod homicidium fuerit factum, nec ac ubi melior est conditio possidentis. Quod si sciret ex relatione puellæ, vel aliunde, contigisse expulsionem fœtus jam animati, dubitaret autem, an evenerit vi efficacis alias medicinæ, quam ad hunc finem suaserat, seu dederat puellæ, vel num ex alia causa accidentali, teneretur se gerere tamquam irregularem conformiter dictis. Vide Sporer *loc. cit.* & *in Decalog. Tr.* 5. *c.* 3. *sect.* 2. *

Additio. VI.

* III. Paulus Clericus in comitatu fratris sui adhuc sæcularis vadit cum sclopeto in proximam sylvam, ut recreationis causa latentes in dumetis feras trajiciat: ast, nescio quo casu, vel incuria (necdum tamen mortaliter peccaminosa) exoneratur sclopetum & occiditur exinde frater sæcularis, vel alius pertransiens. Quæritur, an dictus Clericus sit irregularis? Resp. negative: non enim contraxit Irregularitatem ex defectu lenitatis; quia actus ille occisivus nec fuit deliberatus, nec publica auctoritate factus. Neque incurrit Irregularitatem ex delicto, utpote quæ infligitur ob peccatum mortale, quale in præsenti non intervenit. Dices: Clericus quoad adustionem, & incisionem exercens artem Chirurgiæ peccat, & subsecuta alterius morte incurrit Irregularilatem, quamvis omnem adhibuerit in præcavendo periculo diligentiam: ergo etiam pari modo exercens venationem, quoniam etiam venatio, uti Chirurgia, est Clericis prohibita *c.* 1. & *c.* 2. *De Clerico venatore.* Resp. negando consequentiam; nam *inprimis* Clericis citatis Capitulis tantum prohibetur venatio clamorosa, & tumultuosa, non autem quieta, & moderata, qualis erat in præsenti. Deinde *secundo* etiam venatio clamorosa prohibetur solum, quia videtur esse contra honestatem Clericalem, econtra Chirurgia quoad adustionem, & incisionem, quia est periculosa, & non raro inductiva mortis: similia autem ultima Clericis ita prohibentur, ut etiam Irregularitas contrahi censeatur, quamvis casu, & facta omni præcautione contigisset homicidium, non autem sic priora. Videatur Jus Canonicum *l.* 5. *Decr. tit.* 12. §. 5. præsertim *n.* 201. *

Additio VII.

* IV. Milites Defensores Patriæ tempore belli rescuint secure, in pago vicino nonnullos ex hostibus existere, quos obruere quidem conantur; ast hi videntes in vicinia copiosum militem tamquam viribus impares, partim in proxima sylva, partim in domibus sese absconderunt. Quare Præfectus militum severe ex Parocho loci interrogat, ubinam hostes lateant, qui omnes manifestat fideliter, hincque multi ex illis deprehensi, ac truncati fuere. Parochus exinde anxius quærit ex Theologo, num per hanc manifestationem contraxerit Irregularitatem? Ratio dubitandi est; quia alias etiam, dum auctoritate publica occiduntur malefactores, ex defectu lenitatis contrahitur Irregularitas non solum ab occidentibus, sed etiam a consulentibus, vel alio modo efficaciter influentibus juxta communem. Resp. tamen, hoc non obstante, Parochum neutiquam contraxisse Irregularitatem. Ratio est; quia in bello justo etiam offensivo soli illi contrahunt Irregularitatem, qui propriis manibus occidunt, vel mutilant, non autem (sicuti dum auctoritate publica malefactores puniuntur pœna mortis) ipsimet hortatores, vel alio modo influentes; quoniam in ordine ad bellum justum id non exprimitur, Irregularitas autem non incurritur, ubi nil est expressum in Jure. Videatur Jus Canonicum *l.* 5. *tit.* 12. *n.* 117. & *seqq.* secus haud dubie sentiendum foret, conformiter dictis *qu.* 4. *n.* 51. si quis mandaret, aut cooperaretur ad occisionem aliquam injustam, puta in bello manifeste injusto. *

* V. Cajus Clericus noscit quosdam perversos homines in occulto plura gravissima crimina magiæ, & latrocinii in maximum totius Reipublicæ præjudicium perpetrantes; ideoque Cajus ad ista mala Reipublicæ tam perniciosa avertenda, quæ alia via impediri posse prudenter sperari non potest, id manifestat Judici sæculari, qui facta inquisitione, pluribus præsumptionibus, & indiciis gravatos incarcerat, torturæ subjicit, ac demum confessos, & convictos morti adjudicat. Quæritur, utrum Cajus sit irregularis? Ratio dubitandi est: quia etiam denuntians furem, qui extraneo v. g. centum florenos abstulit, fit irregularis, si exinde fur suspendatur. Hoc tamen non obstante Resp. Cajum non esse factum irregularem. Ratio est: partim quia denuntiat non solum de præteritis criminibus, sed quoniam periculum est etiam in futurum, cui periculo aliter (uti suppono) prudenter caveri nequit; partim quia hæc crimina Reipublicæ sunt valde perniciosa, & hinc delatio eorum in Jure a pœnis pronuntiatur immunis *c.* 8. *De Accusat.* Quoad illum, qui denuntiat furem, non est paritas; quia damnum istud per furtum non fuit illatum bono publico, sed tantum homini privato, & quidem extraneo, cui periculo in futurum ordinarie sufficienter præcaveri potest, si moneatur ille, cui res ablata est, ut accurate sua custodiat &c. Vide Covarruviam, Laymanum, Barbosam & alios apud Schmalzgrueber *l.* 5. *Decr. Tit.* 12. *n.* 116. *

Additio IX.

* VI. Porphyrius adhuc Laicus casu præsens erat, quando Andreas ab altero fuit occisus, quod Judex inquirens in Auctorem homicidii aliunde rescit: quare eumdem tamquam suum subditum compellit agere testem contra reum, prout etiam juratum præstitit testimonium, atque dictus reus convictus, & confessus debitas pœnas dedit, capite plexus. Subinde Porphyrius aspirans ad Clericatum quærit ex aliquo Canonista, num per illud testimonium contraxerit Irregularitatem, ex qua a receptione sacrorum Ordinum impediatur? Resp. Si ad ferendum testimonium fuit compulsus (prout haud dubie a Judice sæculari etiam in causa sanguinis, exigente sic necessitate boni publici, compelli possunt Laici, non autem actuales jam Clerici) si, inquam, fuit Porphyrius tamquam adhuc Laicus compulsus ad ferendum testimonium, is propterea nullam incurrit Irregularitatem: secus, si voluntarie egisset talem testem; nam tunc voluntarie influeret in mortem alterius. Videantur Jus Canonicum *n.* 5. *Tit.* 12. *n.* 105. & Schmalzgrueber ibidem *n.* 121. *ac seqq.* *

QUÆSTIO V.

Quis possit dispensare in Irregularitatibus?

SUMMARIUM.

68 *Irregularitas tollitur per dispensationem,*
79 *Causa ejus perdurante.*
70 *Papa dispensat in omni Irregularitate.*
71 *Episcopi, in quibus Irregularitatibus dispensent?*
* *Id ulterius exemplificatur. Addit. I. & II.*
72 *Quid de Capitulo, Sede vacante?*
73 *Prælati Regulares, in qua Irregularitate dispensent cum suis Subditis?*
74 *Quid de Superioribus Localibus? cum Add.*
75 *Limitatio præmissorum, cum Addit.*
76 *Forma dispensandi super Irregularitate.*

* *An regulares in ea dispensare valeant quoad Seculares? Addit. I. & II.*
* *Ad quem debeat dirigi Supplica pro impetranda dispensatione circa Irregularitatem? Addit. III.*

68 NOtandum, quod Irregularitas tollatur per dispensationem, non autem per absolutionem; prout tenet communis Doctorum. Siquidem absolutio est actus justitiæ, in quo terminatur causa, & judicium; dispensatio autem est exemptio quædam a lege communi: atqui Irregularitas est mera inhabilitas ad Ordines tum suscipiendos, tum exercendos, & contrahitur quandoque absque ullo delicto; & consequenter in eam proprie cadit dispensatio, non autem absolutio.

69 Et hoc insuper intelligendum est, causa Irregularitatis perdurante: alioquin enim cessante causa Irregularitatis ex defectu, cessat etiam per se ipsam Irregularitas, neque opus est alia dispensatione. Sic, qui est irregularis ex defectu legitimæ ætatis, litteraturæ, aut infirmitatis, adveniente legitima ætate vel scientia, aut cessante infirmitate sua, potest ordinari, aut Ordines susceptos exercere, absque ulla alia dispensatione. Hoc prænotato, sit

70 CONCL. I. Summus Pontifex habet Potestatem ordinariam, & universalem dispensandi in omni Irregularitate, Ita omnes Doctores Catholici. Ratio est: quia omnis Irregularitas est de Jure dumtaxat humano Ecclesiastico: atqui Papa de plenitudine potestatis habet facultatem dispensandi supra omne Jus Ecclesiasticum *arg. c. Proposuit De Concess. Præbendæ*, ibi: *Qui secundum plenitudinem potestatis, de jure possumus supra Jus dispensare*; ergo.

71 CONCL. II. Episcopi potestate ordinaria possunt dispensare in omnibus Irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario directe intento, & exceptis aliis deductis ad Forum contentiosum. Ita novissime eisdem concessum est in Concilio Trid. *Sess.* 24. *de Reformat. c.* 6. ubi dicitur: *Liceat Episcopis in Irregularitatibus omnibus, & suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad Forum contentiosum, dispensare.* Et hanc quidem facultatem dispensandi, cum sit de facto jure ordinario annexa muneri Episcopali, posse Episcopum committere alteri, recte observant Doctores.

Additio I.

* Dicitur notanter I. *Episcopi possunt dispensare potestate ordinaria quod Irregularitates provenientes ex delicto*: nam secus vi proxime citati textus Concilii Tridentini statuendum, si contraheretur aliqua Irregularitas ex defectu lenitatis. De quo vide Sporer *tr.* 5. *in Decalog. c.* 3. *n.* 240. & 241. Dicitur notanter II. *Quoad Irregularitates ex delicto occulto*: Nam si foret aliquod delictum publicum, vel ad forum contentiosum deductum, nequirent potestate ordinaria dispensare Episcopi, prout denuo eruitur ex textu. Vocatur autem *occultum* in præsenti illud, quod fit paucis, puta, quatuor, vel quinque tantum præsentibus, quibus solummodo vere notum est illud crimen, quamvis apud plures ceteroquin talis possit esse aliquo modo suspectus de eodem, quod non obest occulto. Deductum vero *ad forum contentiosum* censetur quidpiam tunc, quando fit contestatio litis, & non antea. Videatur Jus Canonicum *l.* 5. *Decr. Tit.* 12. Dicitur notanter ulterius III. *Excepto homicidio voluntario directe intento*; nam in Irregularitate ex homicidio etiam occulto (secus dic, si tantum fuerit occulta mutilatio) nequit vi Concilii Tridentini dispensare Episcopus, si homicidium directe fuerit intentum. *

Additio II.

* Ubi ad tollendam omnem æquivocationem ex meo libello: *Succincta Declaratio Propositionum damnatarum &c.* intitulato *part.* 2. *c.* 4. §. 3. *n.* 91. adverti debet, posse aliquod homicidium directe intendi vel tamquam finem, vel tamquam medium. Homicidium directe intenditur *tamquam finis*, si intentum seu finis est *occidere*, quod ut fiat, conquiruntur media: sic contingit, quando e. g. puella gravida sumit medicinam expulsivam fœtus animati, ut sequatur abortus. Homicidium vero directe intendi censetur *ut medium*, quando per talem actionem, ex qua subsequitur certo ipsum homicidium, intenditur alius finis; sic eveniret, si puella gravida sumeret medicinam moraliter certo procurativam abortus fœtus animati ex eo fine, ut nimirum exinde evitet *infamiam*. Utrobique autem nequit dispensare Episcopus, sive subsecuta mors intendatur directe *ut finis*, sive *ut medium*. Quod si mors neque directe tamquam medium, neque directe ut finis intendatur, potest dispensare Episcopus quantum ad Irregularitatem: e. g. si Clericus in incisione, vel adustione vellet curare infirmum, exinde tamen fuisset mors infirmi subsecuta. *

72 Addit ceteroquin circa dictam materiam Barbosa *in Collectaneis ad cit. locum Concilii Trid. n.* 4. citans plures alios Auctores, etiam Capitulum Sede vacante habere præfatam facultatem dispensandi, a Concilio Trid. *loc. cit.* concessam Episcopis.

73 CONCL. III. Prælati Regulares possunt cum suis subditis, ex specialibus privilegiis, dispensare in omni ferme Irregularitate, excepta illa; quæ orta est ex homicidio voluntario, bigamia, & mutilatione. Ita Generalibus, & Provincialibus Ordinum Mendicantium, & Communicantium in privilegiis eorum, concessisse Sixtum IV. refertur in Compendio Privilegiorum Fratrum Minorum *V. Dispensat. n.* 9. & 12. ac tradit Herincx *disp.* 6. *de Censuris Eccles. n.* 192. & alii.

74 Eamdem facultatem dictus Sixtus IV. concessit etiam Prioribus conventualibus Ordinis Prædicatorum, & eorum Vicariis: prout habetur in Bulla, *Regiminis universalis.* §. 4. (ac refertur *Tom.* 1. *Bullarii Romani. Const.* 7. dicti Pontificis) & vulgo *Mare Magnum Prædicatorum* appellatur. Unde merito inferunt Auctores, quod etiam Prælati, seu Superiores Locales Regularium, communicationem Privilegiorum habentium, atque eorum vicem gerentes, possint cum suis subditis, etiam hospitibus ac Novitiis, dispensare in Irregularitatibus, ut supra; dummodo hæ per Regulam, Statuta, vel alias non sint specialiter reservatæ Prælato superiori. Bernard. Sannig *tom.* 3. *Theol. Scotist. Tract. de Censuris. dist.* 3. *quæst. ult.* Pellizarius *tom.* 2. *Manual. Prælat. tract.* 9. *c.* 3. *n.* 102. & rursum *n.* 136. ubi hoc speciatim docet de Irregularitate proveniente ex eo, quod quis Censura Ecclesiastica irretitus celebraverit Divina; & alii Canonistæ Regulares passim.

Additio.

* Item dispensat Prælatus Regularis cum subdito in Irregularitate proveniente ex defectu natalium, quamvis dicta Irregularitas non annumeretur Irregularitatibus ex delicto, sed ex defectu. Quinimo memorata Irregularitas tollitur per ipsam Professionem Religiosam, *c.* 1. *De Filiis Presbyt.* citra ulteriorem aliquam dispensationem: ast tantum quoad *Ordines*, non vero quoad *Prælaturas*; quamvis etiam quoad has dispensare possit Generalis. aut Provincialis in Capitulo Generali, aut Provinciali respective, seu in intermedio, & non alias juxta tenorem Bullæ Gregorii XIV. quæ incipit, *Circumspecta &c.* Ita fuse cum Herincx noster Gaudentius Kerchove in Comment. in Statuta Generalia *cap.* 7. §. 2. *n.* 1. & *seqq.*

75 Additur autem in data Conclusione notanter, *in omni ferme Irregularitate, excepta illa, quæ &c.* Nam inprimis Irregularitas contracta ratione homicidii voluntarii, bigamiæ, & mutilationis membrorum, expresse excipitur a Sixto IV. tum *loc. cit.* tum in alia Bulla, *Regiminis universalis.* (iisdem relata *Tom.* 1. *Bullar. Roman.* Const.

Const. 6. dicti Pontificis, ac *Mare Magnum FF. Minorum* nuncupata) in qua Generali, ac Provincialibus Ministris ejusdem Ordinis FF. Minorum, ipsorumque Vicariis pro tempore existentibus supra dictam facultatem dispensandi cum suis subditis concessit. Deinde hinc excipi debet Irregularitas ex defectu animi proveniens; ut si quis sit amens, furiosus, aut patiens defectum necessariæ scientiæ, item ea, quæ oritur ex defectu corporis, ætatis, aut hujusmodi. Nam in talibus, quamdiu durant ejusmodi defectus, non posse dispensare Prælatos Regulares, est certum, ac extra controversiam. Idem respectu Prælatorum localium dicendum de illis Irregularitatibus, quarum dispensatio expresse reservata fuit Prælato superiori.

Additio.

* Dices. Episcopi juxta dicta possunt cum suis subditis dispensare in Irregularitate proveniente ex homicidio occulto saltem casuali; ergo etiam Regulares Prælati habentes quasi potestatem Episcopalem idem poterunt cum suis Religiosis. *Resp.* concedendo totum. Quinimo Auctores multi Regulares adhuc plus concedunt hac in parte Prælatis Regularibus, quam Episcopis, subjungentes, quod dicti Prælati, quamvis vi concessionis Sixtinæ nequeant dispensare cum suis Religiosis, quoad Irregularitatem ex homicidio occulto directe intento exortam, id tamen valeant vi concessionis Martini V. & aliorum Pontificum: prout ex Rodriquez, Miranda, Portell, Hyacintho Donato, Castropalao, & aliis annotatur in Jure Canon. *l.* 5. *Decret. tit.* 12. *n.* 228. & *tit.* 37. §. 4. *præsertim. n.* 97. atque sic etiam docet Kazenberger in Decalog. Patris Sporer *c.* 3. *sect.* 4. *n.* 167. & 168. qui novissimus Auctor *loc. cit.* insuper adhuc notanter superaddit, posse Generales, vel Provinciales non quidem semper, sed certo tempore, id est, *die Lunæ post primam Dominicam Quadragesimæ* per se, vel per alios a se deputatos e. g. per Superiores locales imposita condigna satisfactione, pro foro Conscientiæ dispensare, etiam extra Sacramentum Pœnitentiæ, cum suis subditis in omnibus omnino Irregularitatibus ex delicto etiam publico, puta, voluntario publico homicidio, vel mutilatione, quin etiam ratione bigamiæ contractis ob indefinitam concessionem Pauli III. Bulla: *Exponi nobis &c.* datam Benedictinis Vallisoletanis, in quo privilegio participant Regulares Mendicantes. Dictum Privilegium refert quoque la Croix *Tom.* 8. *Lib.* 7. *n.* 460. uti & aliud concessum a Sixto IV. in simili Carthusianis. Ulterius circa hanc materiam videri etiam poterunt Elbel. *De Sacramentis. part.* 3. *Conferent.* 20. *n.* 474. & apud Pichler *l.* 5. *tit.* 12. *n.* 35. Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 12. *Assert.* 7. *n.* 4. *

76 Ceterum adhuc ante finem hujus Quæstionis sciendum, quod pro impertienda dispensatione super Irregularitatibus nulla sit præscripta certa forma verborum, sed sufficiat quæcumque, dummodo significet, Irregularitatem auferri. Communiter autem usurpatur ista forma: *Dispenso tecum super Irregularitate, quam contraxisti ob Celebrationem Divinorum in statu excommunicationis* v. g. aut ob hanc, vel illam causam (exprimendo hujusmodi causam.) Quod si dubium sit, an quis Irregularitatem incurrerit, additur: *Si forte eam incurristi.*

Additio I.

* Quæres I. An Regulares Mendicantes, sicuti possint sæculares absolvere a multis Censuris, ita etiam valeant cum ipsis dispensare in aliquibus Irregularitatibus? *Resp.* non deesse Doctores apud Kazenberger *loc. cit. n.* 170. qui cum Passerino, & nostro Portell, ac cum Apollonio Holzman *Tom.* 2. *p.* 3. *n.* 330. negant. Istamen cum Sannig, Rodriquez, Bassæo, Sayro, & Henriquez affirmat, nimirum posse Regulares Mendicantes in foro conscientiæ dispensare super omnibus illis Irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, super quibus potestate ordinaria possunt Episcopi. Conantur assertionem suam probare ex concessione Pauli III. in Bulla: *Cum inter cunctas.* Vide Kazenberger *loc. cit.* ubi etiam solutam invenies aliquam objectionem. *

Additio. II.

* Ceterum, cum hæc Bulla Pauli III. tantum (uti notat Holzman hic) loquatur de potestate NB. *absolvendi* a Censuris, & aliis pœnis Ecclesiasticis; *Irregularitas* autem qua talis (principaliter saltem) potius per *dispensationem*, quam *absolutionem* tollatur; hinc alio medio hanc resolutionem Antonius a Spiritu Sancto in *Directorio Regularium. part.* 1. *Tract.* 2. *disp.* 2. *sect.* 2. *n.* 65. & *seqq.* taliter probat: Regulares dispensare possunt cum Sæcularibus in omnibus Irregularitatibus, in quibus Episcopus potest Jure ordinario, prout concessit Sixtus IV. & confirmavit Julius II. in sua Constitutione: *Dum ad sacrum Ordinem Minimorum.* relata apud Peyerini in Constitutione I. Julii II. sed Episcopus Jure ordinario potest dispensare in omnibus Irregularitatibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, uti ostensum jam fuit supra *n.* 71. ergo etiam eodem modo cum sæcularibus possunt dispensare Regulares (supple) privilegiati, saltem excepto voluntario homicidio, directe intento. *

Additio III.

* Quæres II. Ad quemnam Romæ Supplica dirigi debeat, si petatur ab aliquo sæculari per Confessarium dispensatio in Irregularitate ob homidium contracta? Ante Responsionem notet I. Confessarius, num homicidium vere fuerit deliberatum, vel indeliberatum, consequenter nec indigens dispensatione Papæ, de quo antecedenter. Notet II. ex dictis, Episcopum de potestate ordinaria non posse dispensare quoad Irregularitatem contractam ex homicidio directe intento, quamvis delictum fuerit occultum. Secus valde probabiliter sentiendum, si illud tantummodo fuerit indirecte intentum, & simul occultum, vel si fuisset occulta mutilatio etiam directe intenta. Notet III. dicta priora, quandonam censeatur Irregularitas occulta, & ad forum contentiosum necdum deducta? H. N. Resp. I. Si delictum sit adhuc occultum, nec ad forum contentiosum deductum, poterit in contracta Irregularitate dispensare Sacra Pœnitentiaria, quæ dispensatio fit gratis, sive petatur quoad Ordines recipiendos, sive quoad susceptos exercendos, dummodo præter delictum occultum etiam adsit gravis causa dispensandi, in ipsa Supplica exprimenda. Ita noster Tiburtius Navarrus Pœnitentiarius Apostolicus *part.* 3. *Manuductionis. cap.* 6. Respond. Supplica ad Eminentissimum e. g. Cardinalem supremum Pœnitentiarium dirigenda succincte sic instrui poterit:

Eminentissime, & Reverendissime Domine, Domine. N. *Sacerdos*, vel *Diaconus*, vel *Laicus*, (nam ponitur status ejus, non tamen exprimitur verum nomen, & cognomen in delicto occulto, sed vel fictum, vel nullum apud S. Pœnitentiariam) *contraxit Irregularitatem ex homicidio occulto ob talem causam* N. (hic adducitur, quare alterum occiderit) *perpetrato, & quia ab exercitio Ordinum citra grave scandalum abstinere non potest* (Si ex alio gravi motivo petat dispensationem, vel quoad receptionem, vel quoad exercitium SS. Ordinum, illud exprimat) *hinc humillime supplicat pro dispensationis remedio. Quam gratiam DEUS &c.* Resp. III. Si delictum sit publicum, aut Irregularitas proveniat ex defectu lenitatis, recurrendum erit ad Datariam, atque ibidem debebit dari certa taxa pecuniaria pro qualitate, & gravitate delicti, aut defectus, prout desuper a Procuratore aliquo generali Ordinis, aut ab Agente poteris instrui. Ubi insuper adverte, quod dispensatus ad Ordines non illico censeatur exinde dispensatus quoad Beneficium, nisi quoque in ordine ad hoc in Memoriali supplicetur. Videatur Navarrus *loc. cit.* *

TRACTATUS XIV.

DE SACRAMENTIS.

1 EXcellentiam Sacramentorum Legis Evangelicæ paucis sacrosanctum OEcumenicum Concilium Tridentinum complectitur, dum *Sess.* 7. *in Proœmio* verissime attestatur, quod per ea *omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur.* Hæc etenim septem Sacramenta septem illæ sunt Columnæ, quas Æterna Sapientia de Cœlo descendens, & formam nostræ humanitatis suscipiens excidit, ut super eas Domum Ecclesiæ suæ firmissimam construeret; juxta illud *Proverb.* 9. *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem.* Hæc insuper sunt septem illa Candelabra aurea *Apoc.* 1. quibus mediantibus ad Fideles Divinæ gratiæ lux diffunditur. Et rursus hæc sunt septem illæ stellæ, quas *cit. cap.* 1. *Apoc.* Filius Hominis, id est, Servator noster Jesus Christus, in dextera Misericordiæ suæ, ac infinitæ Pietatis, ad illustrandam Ecclesiam suam habuisse legitur. De his ergo septem Sanctissimis Ecclesiæ Sacramentis, tum in genere, tum in specie, in præsenti Tractatu plane utilissimo, scituque vel maxime necessario, DEO adjuvante tractabitur, ad infinitam & perennem ejusdem laudem.

DISTINCTIO I.

De Natura Sacramentorum in genere.

QUÆSTIO I.

Quid, & quot sint Sacramenta novæ Legis?

SUMMARIUM.

1 *Excellentia Sacramentorum novæ Legis.*
2 *Sacramenti variæ acceptiones.*
3 *Sacramentum in proposito, quid?*
4 *Cur sit signum sensibile.*
5 *Ac efficaciter significans gratiam?*
6 *Per effectum gratuitum, quid intelligatur?*
7 *Aliæ particulæ definitionis Sacramenti.*
8 *Sacramenta novæ Legis sunt septem.*
9 *Et omnia a Christo instituta.*
10 *Septem Ordines constituunt unum Sacramentum, & quomodo?*
11 *An in Lege Mosaica, & statu Legis Naturæ, fuerit verum Sacramentum?*
13 *Declarantur Auctoritates, quæ id negare videntur. Circumcisio, quomodo dicatur non contulisse gratiam?*
14 *Remedium contra peccatum originale, quale antiquitus?*

2 ADvertendum, quod variæ sint Sacramenti acceptiones: cum enim *Sacramentum a sacro* derivetur, inprimis Sacramentum sumitur a Juristis pro juramento, eo quod sit sacra quædam & religiosa affirmatio. *can. Qui Sacramento* 22. *q.* 4. & alibi. Deinde in S. Scriptura Sacramentum sumitur quandoque pro Mysterio, seu re arcana; ut *Sapient.* 2. *Nescierunt Sacramentum DEI. Daniel.* 2. *Mihi Sacramentum hoc revelatum est.* & alibi. Tertio, & magis ad propositum sumitur Sacramentum pro Cæremonia sacra, seu hominem sacrante.

3 CONCL. I. *Sacramentum,* prout in proposito accipitur, est signum sensibile, gratiam Dei, vel effectum ejus gratuitum, ex institutione Divina efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis viatoris. Ita Doctor Subtilis 4. *dist.* 1. *quæst.* 2. cum suis. Neque re ipsa differt allata Sacramenti definitio ab aliis, quarum plures afferre solent Theologi Catholici; ut est illa Catechismi Romani: *Sacramentum est invisibilis gratiæ visibile signum, ad nostram justificationem institutum.* Verumtamen definitio Scoti naturam Sacramenti clarius exprimit.

4 Dicitur I. *Signum visibile*, seu *sensibile*: id est, externum, & in materia sensibili institutum. Nam, ut Sacramentum institueretur in tali signo sensibili, admodum congruum erat pro hoc statu; juxta illud D. Chrysostomi, *Homil.* 60. *ad Populum. Si incorporeus esses, incorporea dedisset ipse tibi dona: sed quia corpori conjuncta est anima tua, ideo rebus sensibilibus tibi intelligenda tradit.*

5 Dicitur II. *Efficaciter significans gratiam DEI*, quia Sacramentum non est quomodocumque signum ipsius gratiæ divinæ, quæ confertur homini rite illud suscipienti, sed est signum efficax, seu *efficaciter significans*: quia gratiam illam, quam significat, etiam causat in homine ex opere operato, quatenus ex Divina institutione, ac virtute meritorum Christi, infallibiliter confert gratiam homini digne suscipienti Sacramentum.

6 Additur in definitione a Scoto allata, *vel effectum Dei gratuitum*, majoris claritatis gratia, & propter SS. Eucharistiæ Sacramentum, quod consistit *in facto esse*, ac primo & immediate significat verum Corpus & Sanguinem Christi realiter sub Sacramento Eucharistiæ contentum: quod Christi Corpus, utpote ex gratuita DEI voluntate ibidem existens, dicitur *effectus Dei gratuitus.* Quamvis postea idem Sacramentum etiam gratiam sanctificantem digne sumentibus conferat ex opere operato.

7 Dicitur III. *Ex institutione Divina:* quia Sacramenta totam vim suam efficaciter significandi, id est, causandi gratiam in digne recipientibus habent ex institutione Divina, non autem ex natura sua intrinseca. Et additur, *ordinatum ad salutem hominis viatoris*, ut insinuetur finis ille, propter quem Deus voluit instituere Sacramenta, qui est salus æterna hominis viatoris.

8 CONCL. II. Sacramenta novæ Legis sunt septem, & nec plura, nec pauciora. Ita de Fide tenendum; ac præter perpetuam traditionem, sensumque Ecclesiæ fuit definitum tum in Concilio Florentino, tum in Trid. *Sess.* 7. *can.* 1. his verbis: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse vere, & proprie Sacramentum: anathema sit.*

9 CONCL. III. Certum insuper est, ac de Fide, omnia Sacramenta novæ Legis esse a Christo Domino instituta. Patet hoc ex allegato textu S. Concil. Trid. Hinc S. Ambrosius *lib.* 4. *de Sacramentis. cap.* 4. ait: *Auctor Sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus? De cœlo ista Sacramenta venerunt.*

10 Objicies breviter contra dicta: Septem sunt Ordines, & quilibet eorum est Sacramentum; ergo computatis sex aliis Sacramentis plura sunt Sacramenta, quam septem. *Resp.* negando consequentiam: quia omnes septem Ordines constituunt insimul unum Sacramentum Ordinis. Idque fit tum unitate ordinationis seu finis, in quantum omnes ordinantur ad unum Sacerdotium, ac ratione hujus recipiuntur: tum unitate generis proximi, quatenus omnes & singuli Ordines in particulari conveniunt ratione Sacramenti Ordinis ut sic,

tam-

tamquam in genere proximo. Et hinc omnes septem Ordines sub eodem nomine Sacramenti Ordinis hic comprehenduntur.

11 Objicitur ulterius ab Hæreticis. Nullibi habetur in S. Scriptura, quod dentur septem Sacramenta: ergo ea non dantur. Resp. I. Neque in S. Scriptura ulli bi dicitur, quod dentur duo, vel tria tantum Sacramenta, ut volunt Hæretici; ergo vel militat allata ratio contra ipsosmet Hæreticos, vel nihil probat. Resp. II. negando consequentiam: quoniam hic septenarius Sacramentorum numerus constat tum ex perpetua traditione Ecclesiæ, definitione Conciliorum, unanimique SS. Patrum consensu; tum etiam satis bene deducitur ex diversis S. Scripturæ locis, ut suo loco de singulis Sacramentis in specie agendo patebit.

12 Quæres, An etiam in Lege Mosaica, ac statu Legis Naturæ fuerit verum Sacramentum, conferens gratiam ex opere operato, atque in parvulis delens peccatum originale? Resp. affirmative; prout tenet Scotus 4. *dist.* 1. *q.* 6. Nam, ut inquit D. Augustinus *lib.* 2. *de nuptiis & concupiscentia. c.* 11. ac refertur *c. Ex quo* 6. *De Consecr. dist.* 6. *Ex quo instituta est Circumcisio in populo DEI (quod erat tunc signaculum justitiæ fidei) ad significationem purgationis valebat & parvulis originalis veterisque peccati: sicut & Baptismus ex illo valere cœpit ad innovationem hominis, ex quo est institutus.* Hoc ipsum, & quidem extendendo ad statum Legis Naturæ, tradit idem D. Augustinus *lib.* 5. *contra Julianum. cap.* 11. ubi huic objicienti, quod in Lege Naturæ nondum fuerit baptismus, respondet: *De Baptismate verum dicis: nec ideo tamen credendum est, ante datam circumcisionem famulos DEI, quandoquidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis; quamvis, quod illud esset, aliqua necessaria causa Scriptura latere voluerit.* Concordat textus *c. Majores. §. Caute tamen. De Baptismo.* ibi: *Originalis culpa remittebatur per Circumcisionis mysterium, & damnationis periculum vitabatur.* Atqui hoc non fit sine infusione gratiæ sanctificantis: non enim de Lege Dei ordinaria remittitur peccatum mortale, sive actuale, sive originale, sine infusione justificantis gratiæ; quia de facto non datur status medius inter filium regni, & gehennæ.

13 Nec obstat, quod aliqui SS. Patres, ac præsertim Concilium Florentinum *in Decreto Unionis* videantur oppositum tenuisse. Resp. enim, SS. Patres, & Concilia, dum negant, Sacramenta veteris Legis contulisse gratiam ex opere operato, loqui de Sacramentis improprie dictis: qualia fuerunt plurima Cæremonialia illius Legis, veluti Purgationes a tactu morticini per aquam expiationis, Purgationes a lepra, Aspersio sanguinis hircorum & vitulorum ad emundationem carnis, ac hujusmodi; hæc enim non conferebant gratiam ex opere operato, sed solum ex opere operantis, quatenus pro tempore Legis veteris fiebant in charitate, atque ex obedientia DEO præstanda.

Quod si aliqui SS. Patres dicant, etiam Circumcisionem non contulisse gratiam, loquuntur ipsi comparative ad gratiam Baptismalem: nam Circumcisio non contulit gratiam ut dispositionem immediatam ad cœlum, sicut Baptismus; prout declaravit Pontifex *cit. cap. Majores. De Baptismo.* ibi: *Quoniam, etsi originalis culpa remittebatur per Circumcisionis mysterium, & damnationis periculum vitabatur, non tamen perveniebatur ad regnum cælorum, quod usque ad mortem Christi fuit omnibus obseratum: sed per Sacramentum Baptismi Christi Sanguine rubricati culpa remittitur, vitatur periculum, & ad Regnum Cælorum pervenitur.*

14 Ex his patet, quod in Lege veteri, quæ incipit ab Abraham, aut (ut alii volunt) a Moyse, & duravit usque ad Christum Dominum, ejusmodi Sacramentum, & remedium contra peccatum originale parvulorum fuerit Circumcisio: quæ etiam conferebat gratiam aliquam ex opere operato, quamvis respectu Baptismi parvam admodum, & quæ non fuit immediata dispositio ad gloriam cœlestem, eo quod fluxerit tempore, quo pretium nostræ redemptionis per Passionem Christi actu exhibitam nondum fuerat persolutum. Ceterum in Lege Naturæ, quæ durabat ab Adam usque ad Abraham, vel Moysen, ejusmodi remedium (quod etiam tempore Legis Mosaicæ adhibebatur femellis) consistebat in aliquo actu externo, qui fuit veluti exterior Professio Fidei in Messiam venturum: quamquam incertum sit, quale illud in specie fuerit remedium, aut cæremonia.

QUÆSTIO II.

De Materia, & Forma Sacramentorum.

SUMMARIUM.

15 *Sacramenta tribus perficiuntur; quibus?*
16 *Sacramenta consistunt in usu, seu* in fieri, *præter Eucharistiam.*
17 *Hæc est Sacramentum permanens, ac veluti* in facto esse *consistit.*
18 *Materia Sacramentorum remota, & proxima, quid?*
19 *Forma Sacramentorum, quæ?*
20 *Utraque a Christo fuit determinata quoad substantiam;*
21 *Vel in specie infima, vel saltem in genere.*
22 *Mutatio substantialis irritat Sacramentum, non item accidentalis.*
23 *Et quæ talis sit?*
24 *Exempla utriusque mutationis circa materiam.*
25 *Et circa formam.*
26 *Requiritur simultas inter materiam & formam Sacramentorum; & qualis?*
27 *Hæc magis declaratur in* 4. *Sacramentis.*
28 *Quid de Sententia minorem simultatem requirente?*
(a) Vide Tract. I. Dist. 3. n. 57. & 58.
29 *Eadem simultas ostenditur in Sacramento Eucharistiæ, Pœnitentiæ, &*
30 *Matrimonii.*

15 Sacramenta novæ Legis, ut proxime dictum, sunt signum sensibile; idque præcipue fit ex eo, quod omnia novæ Legis Sacramenta constent, seu perficiantur ex materia, & forma sensibili. Siquidem, ut Concilium Florentinum *in Decreto unionis* post enumerata septem novæ Legis Sacramenta confitetur, *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia; quorum si unum desit, non perficitur Sacramentum.* Unde in præsenti Quæstione de materia, & forma Sacramentorum in genere, & in subsequenti de Intentione Ministri dicetur: quæ ut melius intelligantur.

16 Advertendum I. Quod omnia novæ Legis Sacramenta consistant in usu, & *in fieri,* excepto solo sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, quod est Sacramentum permanens, ac veluti *in facto esse* consistit. In prioribus enim idem est Sacramentum, ac perceptio Sacramenti: sic enim Sacramentum Baptismi est ipsamet perceptio Baptismi, nec permanet aliquid, quod est Sacramentum, cessante tali usu, seu receptione ejus. Nam post collationem Baptismi manet quidem in baptizato gratia Sacramentalis, & Character; hi tamen non sunt Sacramentum, sed effectus duntaxat ipsius Sacramenti Baptismi: & idem fit in aliis Sacramentis consistentibus in usu, seu *in fieri.*

17 Aliter dicendum de SS. Eucharistiæ Sacramento, quod habet rationem permanentis, ac veluti *in facto esse* consistit. Siquidem sub speciebus panis & vini consecratis Christus permanenter nobiscum esse voluit, semperque sub eisdem realiter præsens continetur, usque dum corrumpantur; atque idcirco tum in publicis Processionibus, tum ad infirmos summa cum reverentia circumfertur. Unde Eucharistia est Sacramentum etiam ante usum, seu actualem ejus perceptionem: quippe in termino prolationis formæ consecrationis jam incipit esse signum sensibile, ex institutione Divina effica-

efficaciter significans effectum DEI gratuitum, scilicet Corpus & Sanguinem Christi realiter contineri sub speciebus consecratis; quamvis postmodum digne hoc SS. Sacramentum suscipientibus etiam gratia habitualis, seu sanctificans ex opere operato conferatur.

18 Advertendum II. Quod duplex sit materia Sacramentorum consistentium in usu, seu fieri, remota scilicet, & proxima. *Remota materia Sacramentorum* est res sensibilis requisita ad confectionem Sacramenti: *Proxima* vero est ipsamet debita applicatio hujus materiæ remotæ. Sic in Baptismo materia remota est aqua naturalis, seu elementaris, ablutio vero, per quam debito modo applicatur aqua naturalis baptizando, est materia proxima Baptismi. Et idem dicendum de Sacramento Ordinis, & aliis; prout in progressu magis patebit.

19 Advertendum III. Quod forma Sacramentorum sint verba, quæ Minister in administratione Sacramenti ex institutione Divina profert. Sic forma Sacramenti Baptismi sunt verba illa a baptizante proferenda: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Et eodem modo discurrendum de aliis verbis in administratione singulorum Sacramentorum necessario proferendis.

20 CONCL. I. Materia, & forma omnium Sacramentorum novæ Legis fuit a Christo Domino determinata quoad substantiam, non tamen ejusmodi determinatio in omnibus æqualiter facta. Prima pars est communis Theologorum. Siquidem Christus Dominus omnia ifthæc Sacramenta instituit; ergo etiam determinare debuit eorum materiam, & formam, saltem quoad substantiam.

21 Altera pars est Suarezii *part.* 3. *Tom.* 3. *disp.* 1. *sect.* 3. Mastrii 4. *dist.* 4. *n.* 36. & 45. ac aliorum. Ratio est: quia in quibusdam Sacramentis res, seu materia fuit a Christo Domino determinata in quadam specie infima, ut aqua naturalis in Baptismo, & oleum olivarum in extrema Unctione: in quibusdam vero solum in genere, ut in Sacramento Ordinis. Prout hoc desumitur ex praxi primitivæ Ecclesiæ, quæ ante scriptionem Sacri Evangelii, atque Epistolarum Canonicarum non potuit Diaconis & Subdiaconis in eorum Ordinatione tradere Librum Evangeliorum, ac Epistolarum: simulque ex praxi Ecclesiæ Græcæ & Latinæ, quarum quælibet valide conficit Sacramentum Ordinis, licet non conveniant in signo sensibili, seu materia ordinandis porrigenda quoad speciem; sed solum in genere, quatenus quolibet eorum significatur certa potestas in Ecclesia conferri ordinato. Simile quid contingit in Sacramento Eucharistiæ, pro cujus consecratione sufficit quicumque panis triticeus, sive azymus, sive fermentatus, ac vinum de vite, cujuscumque sit speciei: item in Sacramento Pœnitentiæ, cujus materia remota sunt peccata actualia post Baptismum commissa, tum mortalia, tum venialia, hujus vel illius speciei.

22 CONCL. II. Quælibet mutatio substantialis facta in materia, vel forma Sacramentorum irritat Sacramentum, non item mutatio solum accidentalis. Ita certa, & communis Catholicorum. Et patet hoc ex praxi Ecclesiæ Græcæ, & Latinæ, quarum utraque juxta determinationem Concilii Florentini valide conficit Sacramenta, quamvis in eorum collatione nonnihil varient, sive in materia, sive in forma: nam variatio illa non est substantialis, sed solum accidentalis, ut magis in progressu patebit.

23 Quæres. Quænam mutatio sit censenda substantialis, & quænam accidentalis? Resp. Mutatio substantialis tunc fieri censetur, quando secundum prudens judicium non manet amplius eadem res in substantia, quam Christus determinavit pro materia Sacramenti: vel loquendo de forma, quando non manet in verbis eadem significatio, ita ut illa mutatio, quæ destruit sensum verborum a Christo institutum, sit substantialis, quæ vero non destruit, censeatur accidentalis.

24 Declaratur allata doctrina exemplis. Sic valet Baptismus, sive adhibeatur aqua putealis, sive pluvialis dulcis, aut amara, vel marina, sive consecrata (qualis extra casum necessitatis adhiberi debet) sive non consecrata: quia quælibet harum adhuc quoad substantiam est aqua naturalis, seu elementaris, quæ ex Christi institutione est materia necessaria Baptismi. Non autem valet Baptismus in vino, lacrymis, aut sputo collatus: quia talia quoad sustantiam non sunt aqua naturalis, sive elementaris. De illis autem liquoribus, de quibus dubium est, utrum adhuc retineant substantiam aquæ naturalis, nec ne (ut est tenue lixivium, aqua illa, in qua carnes sunt decoctæ &c.) similiter dubium est, an sint materia sufficiens Sacramenti Baptismi. Et idem, servata tamen proportione, dicendum de materia aliorum Sacramentorum.

25 Similiter loquendo de forma Sacramentorum, si in forma Baptismi v. g. pro ly *baptizo* dicatur *abluo*; vel si omittatur pronomen *Ego*, aut si transponantur solummodo verba; manente tamen adhuc eadem significatione; vel si subtrahatur aliqua syllaba syncopando ex humana inconsideratione, sive propter impedimentum linguæ, aut ob imperitiam loquentis, ita tamen, ut adhuc audiens satis possit intelligere sensum & intentionem loquentis: tunc ejusmodi mutatio formæ Baptismi solum censebitur esse accidentalis, ac proinde Baptismus valere, & ita discurrendo de aliis Sacramentis. Aliud dicendum foret de tali mutatione, per quam sensus verborum formæ variatur: ut in forma Baptismi omitatur ly *in nomine Patris*; aut si dicatur cum Ariano: *Ego te baptizo in nomine Patris majoris &c.* hæc enim mutatio, vel additio repugnat verbis principalibus formæ, sicque est substantialis; ac proinde per eam non conficitur Sacramentum. Et eodem modo discurrendum est de ceteris Sacramentis.

29 CONCL. III. Ad valorem Sacramentorum requiritur insuper aliqua simultas inter eorum materiam & formam: hæc tamen simultas non necessario debet esse physica, vel mathematica (id est, talis, ut simul ac toto eodem tempore, quo v. g. profertur forma Baptismi continuetur ablutio baptizandi) sed sufficit moralis, id est, talis simultas, ut secundum moralem hominum æstimationem, spectata natura cujuslibet Sacramenti, una pars alteram afficiat. Ita Scotus 4. *dist.* 6. *quæst.* 3. ubi ait, *quod inter materiam, & formam Sacramentorum talis simultas requiratur, qualis requiritur in actibus humanis; noluit enim Christus nos obligare ad tam subtilem simultatem, quam vix posset homo percipere; vel servare.* Idem in re tenet communis Doctorum; nam, cum Sacramentum sit commpositum morale, requiritur, & sufficit talis simultas, sive unio inter materiam & formam, ut unum moraliter, ad secundum communem hominum æstimationem censeatur afficere alterum, spectata natura cujuslibet Sacramenti.

27 Additur, *spectata natura cujuslibet Sacramenti*: nam, cum Sacramenta ex diversis actibus humanis constent, quorum aliqui majorem, alii minorem simultatem ex sua natura postulant, eadem diversitas etiam in Sacramentis observari debebit juxta naturam & varietatem illarum operationum, quibus Sacramenta constant. Hoc ipsum melius patebit inductione. Sic in Baptismo, Confirmatione, extrema Unctione, ac Ordine requiritur, & sufficit talis simultas, ut unum non finiatur complete ante inceptionem alterius; ac proinde aplicatio materiæ, & prolatio formæ quoad aliquam partem se contingant, ut sic Minister, dum verba profert, mortaliter etiam censeatur abluere, inungere &c. Hinc in Baptismo requiritur tanta simultas, ut antequam una pars finiatur, altera incipiat, id est, ut, antequam finiatur ablutio baptizandi, incipiat baptizans proferre formam Baptismi; & econtra, antequam is finiat formam Baptismi, jam incipiat ablutionem. Et idem servata proportione de Confirmatione, extrema Unctione, ac Ordine dicendum est, atque in praxi semper observandum.

28 Nec obstat, quod nonnulli Doctores sentiant, ad valorem horum Sacramentorum non requiri tantam simultatem; adeoque validum adhuc fore Sacramentum Baptismi; si statim post ablutionem jam finitam verba formæ proferantur, vel econtra, quia (inquiunt) adhuc talis intervenit simultas, ut juxta prudens judicium verba illa censeantur afficere ablutionem Baptismalem. *Resp.* enim, quidquid sit de probabilitate hujus sententiæ speculative loquendo, in praxi doctrinam superius traditam esse observandam: siquidem in administratione Sacramentorum tutior semper pars est sequenda, ne Sacramentum absque necessitate exponatur periculo invaliditatis. Unde & Innocentius XI. inter alias sequentem, ordine 1. damnavit Propositionem: *Non est illicitum, in Sacramentis conferendis sequi sententiam probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore &c.* (*a*)

29 Ceterum in aliis tribus Sacramentis multo major, vel minor inter materiam & formam requiritur simultas, prout natura cujusque juxta Christi institutionem, ac prudens judicium exigit. Et quidem loquendo de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, ad ejus confectionem omnino requiritur, ut toto eo tempore, quo verba Consecrationis proferuntur, materia sit præsens: hanc enim ut præsentem significant pronomina demonstrativa *Hoc*, & *Hic*. Econtra in Sacramento Pœnitentiæ multo major distantia admitti potest inter accusationem Pœnitentis, & absolutionem Sacerdotis: siquidem hoc Sacramentum peragitur per modum Judicii; in Judicio autem accusatio præsupponitur absolutioni, nec requiritur, ut sententia Judicis cum accusatione ipsius Rei sit tempore conjuncta.

30 Tandem in Sacramento Matrimonii potest consensus unius conjugis post consensum alterius tamdiu sequi, quamdiu hic moraliter permanere censetur; sicut accidere solet in aliis contractibus. Imo potest hoc Sacramentum, cum perficiatur per modum contractus, etiam inter absentes, ac per Procuratorem ad hoc specialiter deputatum rite celebrari, ut habetur *c. Accedens. De Procuratorib.* juncto *cap. ult. Eod. in 6.*

QUÆSTIO III.

Quænam Intentio ex parte Ministri, ac recipientis requiratur ad valorem Sacramentorum?

SUMMARIUM.

31 *Ratio ordinis.*
32 *Solus homo viator est Minister Sacramentorum. Quid de nonnullis historiis?*
33 *Aliqua Sacramenta requirunt Ministrum consecratum, alia non; & quæ?*

(*b*) Tract. 14. Dist. 3. n. 46. & Dist. 12. n. 55.

34 *Intentio triplex, Actualis, Virtualis, &*
35 *Habitualis, quæ?*
36 *Qualis requiratur ex parte Ministri?*
37 *Quid observandum pro praxi?*
38 *Intentio actualis* in actu exercito, & in actu signato *declaratur.*
49 *Intentio ex parte recipientis, an requiratur?*
40 *Et quæ sufficiat in adultis?*
41 *Disparitas quoad hoc inter Ministrum, & recipientem.*

31 CUM ex Concilio Florentino *n.* 15. relato constet, quod *Sacramenta tribus perficiantur, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & personna Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia*: explicata materia, & forma Sacramentorum in præcedenti Quæstione, restat, ut de Ministro atque intentione ex parte ipsius, simul ac ex parte recipientis Sacramentum requisita hic agatur.

32 CONCL. I. Defacto, ac de Lege Dei ordinaria, solus homo viator est legitimus Sacramentorum Minister. Ita communis; & desumitur ex illo 1. *Corinth.* 4. *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum DEI.* Item ex illo *Matth. ult.* ubi Christus solis hominibus viatoribus loquens, dixit: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c,* & alibi. Quod si quandoque in sacris historiis legatur, Sacramentum aliquod ab Angelis fuisse ministratum, id factum est ex speciali ordinatione Divina, ac privilegio extraordinario.

33 CONCL. II. Ex Sacramentis aliqua requirunt Ministrum consecratum, alia etiam possunt a Ministro non consecrato perfici. Ita communis, & patet inductione. Siquidem Ministrum consecratum requirunt omnia, præter Sacramentum Baptismi, & Matrimonii. Baptismus enim in casu necessitatis a quocumque homine, sive masculo, sive femina conferri potest: Matrimonium vero non nisi a personis solutis, inter se contrahentibus, perficitur. Porro Eucharistia, Pœnitentia, & extrema Unctio requirunt Ministrum initiatum sacro ordine Presbyteratus. Tandem ordinarius Minister Sacramenti Confirmationis, sicut & Ordinis est solus Episcopus, non autem simplex Sacerdos: quidquid sit, an ex speciali concessione S. S. Pontificis secus fieri possit, de quo suo loco. (*b*)

24 CONCL. III. Intentio, quantum ad propositum, recte dividitur in actualem, virtualem, & habitualem. Ita communis. Et quidem *Intentio actualis* tunc habetur in administratione Sacramentorum, quando quis actu cogitat, & vult, seu intendit conficere Sacramentum, dum illud conficit. *Intentio virtualis* ea dicitur, quæ, licet actu jam præterierit, adhuc tamen manet in virtute sua: & talis tunc censetur haberi, quando operans virtute actualis intentionis prius habitæ facit omnia, quæ facit, tamquam ex radice, ita, quod intentio illa actualis præhabita fuerit principium ordinatum ad omnes actus subsequentes. Declaratur exemplo: habuit quis v. g. intentionem actualem celebrandi Missam: atque ex hac voluntate induit se sacris vestibus, & vadit ad altare: dum celebrat autem, fit distractus, & ex distractione non considerat actualiter actum, quem exequitur: iste celebrans sic distractus dicitur celebrare cum intentione virtuali, quia virtute intentionis prius actualiter habitæ celebrandi Missam, facit omnes illos actus concernentes Missæ celebrationem.

35 Tandem *Intentio habitualis* aliud non est, quam intentio mere præterita, & non retractata per actum contrarium, quæ tamen nom amplius influit in effectum: ut, si quis semel intendat suscipere Sacramentum Baptismi, vel Confirmationis, & hanc intentionem suam non amplius retractet, is dicitur habere intentionem habitualem suscipiendi tale Sacramentum, etiam dum dormit, imo & post integrum annum, ac ultra, dummodo hanc intentionem interim non revocaverit.

36 CONCL. IV. Intentio, quæ ex parte Ministri conficientis Sacramentum requiritur, debet esse vel actualis, vel saltem virtualis; sola autem habitualis non sufficit. Ita Doctor noster 4. *dist.* 6. *q.* 6. estque communis Theologorum. Ratio est: quia intentio ad Sacramentum conficiendum requisita, debet esse causa Sacramenti: talis autem non est sola intentio habitualis, bene tamen actualis, vel virtualis, in sensu superius explicato: quia hæc utraque influit in actum, estque causa ipsius, non vero sola intentio habitualis.

37 Ceterum, licet intentio virtualis ex parte Ministri ad confectionem Sacramentorum sufficiat, ut tenent Theologi communiter (nam intentionem actualem semper habere, & nunquam sub administratione Sacramentorum, & præsertim Sacramenti Pœnitentiæ in concursu Confitentium, mente distrahi, moraliter foret impossibile: cum & ipse Regius Psaltes conquetatur *Psal.* 39. *Cor meum dereliquit me.*) adhuc tamen Minister Sacramentorum studiose debet curare, ut, quantum patitur humana fragilitas, ipse etiam intentionem actualem adhibeat: hæc enim actualis intentio est longe perfectior virtuali; & consequenter magis meritoria.

38 Notan-

38 Notandum tamen cum Cajetano *part. 3. q. 64. art. 8.* quamvis studiose debeat Minister operam dare, ut etiam actualiter intendat conficere Sacramentum (ut proxime dictum) hoc non esse intelligendum *in actu signato*, sed *in actu exercito*. Non enim studendum est, ut habeamus hoc in mente actualiter, *Ego intendo conficere Sacramentum*; sed studendum, ut actualiter mens nostra ad ea, quæ sunt v. g. Consecrationis, attendat, utputa ad prolationem distinctam formæ, ad reverentem contrectationem materiæ, ad futuram tunc ineffabilem præsentiam Divinæ gratiæ in Sacramento, vel etiam ipsius Christi quoad Eucharistiam: hoc enim est celebrare cum actuali intentione *in actu exercito*. Ita Cajetanus. Et istam distinctionem actualis intentionis *in actu exercito*, & *in actu* (ut vocant) *signato* etiam Aretinus 4. *dist. 6. q. 6.* & Suarez cum aliis agnoscunt, poteftque deservire pro remedio vane nonnumquam scrupulosorum.

39 CONCL. V. Loquendo de intentione ex parte ipsius suscipientis Sacramentum, in infantibus, ac perpetuo amentibus nulla requiritur intentio propria recipiendi Sacramentum v. g. Baptismum: in aliis tamen, nempe in adultis usum rationis habentibus omnino requiritur aliqua intentio, ita ut ipsis invitis, ac repugnantibus non possit valide conferri Sacramentum. Ita decisum habetur *c. Majores. De Baptismo.* ubi inprimis, quantum ad parvulos dicitur: *Originale peccatum, quod sine consensu contrahitur, sine consensu per vim remittitur Sacramenti.* Deinde ibidem § *Sed adhuc. & seqq.* altera pars Conclusionis expresse deciditur: quæ proin est certa, & communis Theologorum. Et hinc in Rituali Romano Pauli V. prohibetur, baptizare amentem, qui, cum aliquando habuerit usum rationis, priusquam incidit in amentiam, numquam ostendit voluntatem recipiendi Baptismum.

40 CONCL. VI. Nihilominus in adultis ad valide recipiendum Sacramentum sufficit quælibet intentio ex tribus supra enumeratis, scilicet tam actualis, & virtualis, quam etiam sola intentio habitualis: unde ad susceptionem Sacramenti non requiritur, ut quis, dum suscipit Sacramentum, actu intendat, vel paulo ante intenderit, illud suscipere; sed sufficit, ut aliquando intenderit, & hanc suam intentionem per actum contrarium necdum revocaverit. Ita rursum communis; & habetur *cit. c. Majores § fin. de Baptismo.* Ratio est: quia intentio ex parte suscipientis solum requiritur ut dispositio, seu conditio, per quam suscipiens intelligitur non repugnare Sacramento; non autem requiritur ut principium actionis Sacramentalis, sicut requiritur ex parte Ministri conficientis Sacramentum. Hinc, si

41 Objicias. Ex parte Ministri, seu conficientibus Sacramentum non sufficit sola intentio habitualis ad valorem Sacramenti: ergo hæc neque sufficit in suscipiente. Resp. negando consequentiam, & paritatem. Disparitas desumitur imprimis ex ipsa Christi intentione, quæ nobis innotescit ex perpetua traditione Ecclesiæ, atque unanimi Doctorum consensu. Deinde ex eo: quia utique plus requiritur ad agendum, quam ad patiendum, seu recipiendum: atqui in proposito Minister est agens, & habet se active in administratione Sacramentorum, quoniam ipse v. g. baptizat, recipiens vero habet se passive; ipse enim est, qui baptizatur, confirmatur &c.

QUÆSTIO IV.

Quænam ex parte Ministri requirantur ad legitimam Sacramentorum administrationem?

SUMMARIUM

42 *Quæ generatim requirantur ad Sacramentorum administrationem?*

43 *Improbitas Ministri ea non invalidat.*

44 *Ad Sacramenta licite ministranda requiritur statue gratiæ. Quomodo? cum Addit.*

45 *Quid de Ministro non consecrato?*

46 *Vel in casu necessitatis &c,*

47 *Corollarium de duobus Sacerdotibus sibi mutuo confitentibus.*

48 *Graviter peccat celebrans in peccato mortali, sed gravius, qui simulat se consecrare.*

49 *Quot peccata committat Sacerdos, plures communicans in statu malo?*

50 *Sententia rigida quorumdam.*

51 *Plures simul communicans, committit unum numero peccatum, sed gravius.*

52 *Sententia negans, talem peccare mortaliter, Rejicitur.*

53 *Quid de Sacerdote, plurium Confessiones audiente in peccato mortali?*

54 *Sacramenta, an possint peti ab indigno Ministro?*

55 *Præsertim excommunicato vitando?*

56 *Quid de Ministro indigno tolerato?*

57 *Et eo, qui non tenetur ex officio ministrare Sacramenta?*

58 *An peccet graviter, qui alias functiones sacras exercet in statu malo?*

42 CONCL. I. Generatim ad legitimam, simulque meritoriam Sacramentorum, Ministrum consecratum requirentium, administrationem ex parte ipsius requiritur potestas, vitæ probitas, debita intentio conficiendi Sacramentum, & observantia Rituum Ecclesiasticorum. Ita communis & patebit ex dicendis.

43 CONCL. II. Nihilominus infidelitas, seu improbitas Ministri, si cetera requisita adsint, neutiquam invalidat Sacramentum. Ita omnes Catholici, estque novissime definitum in Concil. Trident. *Sess. 7. can. 12.* his verbis: *Si quis dixerit, Ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent servaverit, non conficere Sacramentum: anathema sit.*

44 CONCL. III. Etsi Minister in peccato mortali existens valide administret Sacramenta, ut dictum: nihilominus ad ea licite, & sine peccato mortali administranda requiritur in Ministro consecrato status gratiæ. Ita communis, Nam hoc ipso, quod Sacramenta sint instituta a Christo ad nostram sanctificationem, & insuper fuerit ad eorum dispensationem Minister aliquis specialiter consecratus, oritur ex parte ipsius Ministri aliqua singularis obligatio ad illa ministranda in gratia: siquidem sancta sunt sancte tractanda. Hinc *Levit cap. 21.* dicitur: *Sacerdotes incensum Domini, & panes Dei sui offerunt; & ideo sancti erunt.* Et *Isaiæ 52. Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Et S. Augustinus, relatus *c. Omnia 1. qu.* inquit: *Omnia Sacramenta, cum obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus.*

Additio.

* Dicitur autem notanter I. *In Ministro:* quod intellige de Ministro saltem quatenus conficiente Sacramentum aliquod, quid in statu actualis peccati mortalis existens juxta communem D D. sub novo peccato gravi specialis sacrilegii, alias committendi tenetur ad minus per aliquam contritionem præcedente se reponere in statum gratiæ, prout etiam Rituale Romanum *Tit. de iis, quæ in Sacramentorum administratione generaliter observari debent*; innuere videtur his formalibus: *Sacerdos, si fuerit peccati mortalis sibi conscius (quod absit) ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi pœniteat; sed, si habeat copiam Confessarii, & temporis, locique ratio ferat, convenit confiteri.* Notetur bene verbum ly *convenit*, non autem dicitur *obligatur* confiteri determinate, dummodo præmittatur contritio; si tamen conformiter Concil. Trid. *Sess. 13. de Euchari. cap. 7.* celebratio Missæ excipiatur, ubi determinate prærequiritur Confessio, si quis haberet peccatum mortale, & simul copiam confitendi. *

45 Dicitur notanter II. *In Ministro consecrato*: quia Laicus, vel etiam Paganus e. g. baptizans in casu necessitatis, non tenetur sub novo peccato mortali esse in statu gratiæ: cum tales non sint Ministri consecrati, sicuti sunt Sacerdotes, qui virtute Sacramenti Ordinis accipiunt potestatem solemniter baptizandi, celebrandi, a peccatis absolvendi, Eucharistiam, vel extremam Unctionem administrandi &c. specialemque gratiam ad talia Sacramenta rite administranda obtinent. Sannig *dist.* 1. *de Sacramentis. quæst.* 14. *n.* 8. cum communi.

46. Limitant insuper passim Doctores allatam doctrinam etiam in Ministro consecrato: *nisi adsit casus extremæ necessitatis, vel impossibilitatis.* Quia, si quis v. g. debeat administrare Sacramentum Baptismi puero agonizanti; poterit illud etiam peccato mortali irretitus administrare, si non possit tam cito elicere contritionem de peccato commisso, siquidem concurrentibus duobus præceptis incompossibilibus, illud magis obligat, cujus transgressio magis nocet. In praxi tamen hæc limitatio rarius poterit habere locum, nisi forsan in Ministro ob casus inopinati emergentiam perplexo, aut perturbato, vel ratione inadvertentiæ: nam alioquin contritio de peccatis admissis poterit brevissimo tempore, & quasi unico momento præmitti, & concipi a Ministro, si voluerit.

48 Hinc inferunt Doctores, si duo Sacerdotes velint sibi invicem confiteri, & ambo sint in peccato mortali constituti, eum, qui primo loco alterius excipit Confessionem, teneri antea præmittere Contritionem perfectam: quia alioquin administraret Sacramentum Pœnitentiæ in peccato mortali. In altero autem, qui primo loco confitetur, sufficeret attritio cum Confessione Sacramentali.

48 CONCL. IV. Etsi graviter peccet, grandeque sacrilegium committat, qui in statu peccati mortalis constitutus scienter celebrat SS. Missæ Sacrificium; adhuc tamen gravius peccat is, qui peractis ceteris simulat se consecrare, & non consecrat. Ita declaravit Innocentius III. *c. de homine. De Celebrat. Missar.* ubi refertur casus de quodam incauto Presbytero, qui propter conscientiam peccati mortalis, in quo se constitutum novit, nec tamen Missarum solemnia ob urgentem necessitatem intermittere potuit, peractis ceteris cæremoniis, sed omissis verbis Consecrationis, Missam celebrare se finxit. Rationem dat Pontifex, *quod alter sacrilege celebrans, in solius misericordis Dei manum incidat: iste vero* [ficte celebrans] *non solum DEO, cui non veretur illudere, sed populo, quem decipit, se astringat.* Idem servata proportione dicendum de aliis Sacramentis. Et merito Innocentius XI. sequentem, ordine 29. Propositionem damnavit. *Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.* Nam, cum hujusmodi simulatio contineat etiam irreverentiam respectu Sacramentorum, ex nullo metu, quamtumvis gravi, poterit licita reddi: cum irreverentia rebus sacris, sanctissimisque Sacramentis illata sit intrinsece mala.

49 Quæritur I. An Sacerdos plures communicans, vel plurium Confessiones excipiens in statu peccati mortalis, tot peccata numero distincta committat, quot Sacramenta administrat? Ratio dubitandi, atque affirmativam tenendi est: quia interveniunt tot actus externi completi, quot fiunt indignæ administrationes Sacramentorum; ergo & tot peccata numero distincta.

50 Et quidem non desunt Doctores, qui hoc ultro concedunt, ob rationem dictam; & præsertim, qui id admittunt de Confessario audiente plurium Confessiones in statu malo: si quidem hujus judicium Sacramentale finitur, ac variatur in singulis Confessionibus auditis. Imo Bonacina, *disp.* 1. *de Sacrament. in genere. quæst.* 3. *punct.* 2. *n.* 15. post Coninch, & alios, hoc concedit etiam de eo, qui communicat alios in peccato mortali: ait enim, talem toties peccare, quoties Hostias distribuit; cum sint plures Sacramenti distributiones, & plures actiones terminatæ & completæ, etiamsi fiant successive. Istis tamen non obstantibus,

51 Resp. I. Sacerdos in peccato mortali plures simul communicans, sive præbens eisdem SS. Eucharistiæ Sacramentum, est reus unius dumtaxat peccati mortalis, licet gravioris. Ita Marchantius *tom.* 3. *Tribunalis. tract.* 3. *tit.* 4. *quæst.* 2. *concl.* 2. Filliucius *tract.* 1. *n.* 87. Henriquez, & probabile censet Tannerus *tom.* 2. *disp.* 4. *quæst.* 2. *n.* 56. Ratio est: quia totus ille actus communicandi habet se per modum unius convivii spiritualis, & ipsamet administratio Sacramenti censetur moraliter unum ministerium sacrum ex pluribus quasi actibus partialibus constitutum; unde & Christus Dominus in ultima Cæna Apostolis dicebat per modum unius ministerii: *Accipite, & comedite ex hoc omnes.*

52 Quinimo Vasquez 3. *part. disp.* 135. *cap.* 3. *n.* 39. existimat, & favet Mastrius *disp.* 16. *Theol. Moral. n.* 42. citans alios, Sacerdotem, qui in statu peccati mortalis Fidelibus Eucharistiam distribuit, ne quidem mortaliter peccare; eo quod tunc is non conficiat, neque recipiat Sacramentum, sed jam antea confectum dumtaxat dispenset. Verum, quidquid sit de probabilitate hujus sententiæ, oppositum, sive talem peccare mortaliter, videtur probabilius: tum quia communicans alios vere ministrat Sacramentum: tum quia Apostolus 1. *Timoth.* 3. etiam Diaconos, olim Calicem consecratum Fidelibus dispensantes, voluit esse *habentes Mysterium Fidei in conscientia pura.* Et hinc *Sciscitantibus.* 15. *q.* 8. de malis Sacerdotibus, alios communicantibus, dicitur: *Quoniam mali bona administrando, se tantummodo lædunt*; & consequenter peccant.

53 Resp. II. Sacerdos, qui se una vice ad audiendas Confessiones exposuit, quamvis centum pœnitentes successive se præsentent, ab eoque in statu peccati mortalis absolvantur, probabiliter unum dumtaxat peccatum committit. Ita Marchantius *loc. cit.* Ratio est: quia & talis Confessarius ministerium, seu actionem natura sua communem omnibus accedere volentibus exercet, quam explicamus per verbum, *pro tribunali sedere, judicium facere &c.* Et per hoc patet ad rationem dubitandi: quia hoc spirituale ministerium non est completum per singulas absolutiones Sacramentales. Dicitur notanter *una vice*: si enim quis pluribus vicibus inter se moraliter distinctis se exponeret ad Confessionale, vel alios communicaret, sicuti censeretur multiplicare ministeria, ita fierent numero distincta peccata.

54. Quæritur II. An possint licite peti Sacramenta a Ministro indigno? Ubi per *indignum Ministrum* intelligitur is, qui est in notorio peccato mortali constitutus, quamvis habeat potestatem Sacramenta conferendi, sive dein sit excommunicatus, sive non. Et dicitur, *in notorio peccato mortali.* Nam, si peccatum alicujus non sit publicum, certum est, quod quis ab eo possit petere Sacramenta, cum possit, ac debeat præsumere, ipsum non esse indignum: quia nemo præsumitur esse malus, nisi probetur malus. Hoc prænotato,

55 Resp. I. Si Minister est excommunicatus, & vitandus (quales de facto solum sunt nominatim excommunicati, & denunciati, ac notorii percussores Clericorum) non est licitum, ab eo petere Sacramenta, nisi in casu necessitatis. Ratio est: quia alioquin communicaret quis in Divinis cum excommunicato vitando; quod illicitum est extra casum necessitatis.

56 Resp. II. Loquendo de Ministro tolerato, licitum non est tantum in casu necessitatis, sed etiam extra casum necessitatis, ac ob spiritualem profectum animæ suæ petere, ac recipere Sacramenta a Ministro, cui ex officio Sacramenta administrare incumbit; quamvis ille malus sit, ac peccato mortali constitutus. Ita Mastrius *disp.* 16. *Theol. Moral. n.* 51. cum communi. Desumitur hoc ex *c. Sciscitantibus.* 15. *quæst.* 8. ubi dicitur, quod de manu Sacerdotis, quamdiu ab Ecclesia toleratur, licite Sacramenta sumantur. Accedit ratio: quia subditus, utputa Parochianus habet jus petendi, & accipiendi Sacramenta a suo Parocho; neque tale jus

is amittere censetur ob sui Parochi malitiam: præsertim cum is, dummodo velit, possit se prius vel per Confessionem, vel saltim per Contritionem restituere in statum gratiæ.

57 Et hoc idem dicendum de eo, qui est expositus ad ministranda Sacramenta, quamvis ex officio eadem administrare non teneatur: nam is, si sit in statu peccati mortalis (quod tamen non facile præsumendum) sibi soli nocet.

58 Quæritur III. An peccet graviter, qui alias functiones Ordinum exercet cum conscientia peccati mortalis: ut si Lector Lectionem, Subdiaconus Epistolam, vel Evangelium Diaconus, in tali statu solemniter cantet; aut si Sacerdos Aquam Lustralem benedicat, SS. Eucharistiam de uno loco in alium transferat, vel Matrimonio assistat, seu Episcopus benedicat sacras vestes, consecret Ecclesias vel alia hujusmodi præstet? Resp. negative: quia tales actiones neque sunt Sacramenta, neque immediate ordinantur ad sanctificationem animæ. Bonacina *cit. punct.* 2. §. Mastrius *n.* 42. & alii, paucis exceptis.

DISTINCTIO II.

De Effectibus, ac Necessitate Sacramentorum.

QUÆSTIO IV.

An, & quomodo Sacramenta conferant gratiam?

SUMMARIUM.

1 *Effectus Sacramentorum duplex, Gratia, & character.*
2 *Gratia actualis, &*
3 *Gratia habitualis, sanctificans, quid?*
4 *Gratia Sacramentalis, quæ? Gratiam conferri ex opere operantis, & ex operato, quid?*
5 *Omnia Sacramenta conferunt gratiam ex opere operato non ponentibus obicem.*
6 *Hanc causant non physice, sed moraliter.*
7 *Ratio Conclusionis.*
8 *Sacramenta præter gratiam habitualem conferunt etiam actuales.*
9 *Declaratur inductione de Baptismo,*
10 *Confirmatione,*
11 *Eucharistia,*
12 *Pœnitentia,*
13 *Extrema Unctione,*
14 *Ordine, &*
15 *Matrimonio.*

Post explicatam naturam, atque essentiam Sacramentorum novæ Legis progrediendum est ad eorumdem effectus declarandos (agendo simul de debita dispositione, ad consequendum effectum gratiæ Sacramentalis requisita) nec non explicandam singulorum Sacramentorum necessitatem. Et quidem, quantum ad primum attinet, duplex communiter statuitur effectus Sacramentorum, Gratia videlicet, & Character. Horum prior per omnia Sacramenta digne recipientibus ex opere operato confertur; posterior vero non nisi per Baptismum, Confirmationem, & Ordinem: prout amplius in progressu dicetur, incipiendo a gratia Sacramentali, utpote principaliori Sacramentorum effectu.

2 Advertendum, quod gratia supernaturalis generatim dividatur in actualem, & habitualem. *Gratia actualis* est aliquod actuale auxilium Dei, quo ipse hominem ad bene agendum, & ad salutem suam procurandam admonere, &, quantum est de se promovere solet: cujusmodi gratia actualis, ad instar luminis partim illuminantis, partim calefacientis, duo complectitur videlicet internam illustrationem intellectus, piamque motionem voluntatis, qua quis a Deo illuminatur ad cognoscendum id, quod est agendum, vel fugiendum, & aliqualiter interius instigatur, & commovetur ad illud agendum, vel fugiendum. Et tales gratiæ actuales (quæ alio nomine *Auxilia Dei actualia* vocantur) sunt innumeræ bonæ inspirationes, piæque voluntatis affectiones, sæpius nobis liberaliter, & misericorditer a Domino DEO immissæ.

3 *Gratia habitualis* est habitus gratiæ sanctificantis, per quam homo formaliter sanctus, justus, Deoque gratus redditur, etiam dum libere nihil operatur. Et hæc dicitur etiam *Gratia justificans*, seu *sanctificans*: quia est unica formalis causa justificationis impii, uti docet Concilium Trid. *Sess. 6. cap. 7.* atque expellit formaliter ab homine omne peccatum mortale, cum quo defacto est incompossibilis, simulque constituit hominem esse Filium Dei adoptivum, ac hæredem vitæ æternæ, si in ea finaliter decedat, seu moriatur.

4 Ceterum omnis ea gratia, quæ virtute Sacramentorum confertur homini ex opere operato, dicitur *Gratia Sacramentalis*, sive deinde illa sit gratia quædam actualis, sive habitualis. Dicitur, *ex opere operato*: nam, quando homini datur gratia propter propria sua merita, devotionem, actusque virtuosos, dicitur talis gratia conferri ipsi *ex opere operantis*. Ea vero gratia, quæ virtute Sacramentorum homini rite disposito ultra gratiam suæ devotioni, actibusque virtuosis correspondentem ex meritis Christi confertur, dicitur conferri *ex opere operato*: qui modus ex opere operato conferendi gratiam digne, seu absque obice peccati mortalis recipientibus Sacramentum, est proprius Sacramentorum. Et dicitur, *ex opere operato*: quia ob infallibilem promissionem Divinam ea gratia confertur ex meritis Christi, ac virtute Passionis suæ, quæ jam sunt *opus operatum*. His suppositis, sit

5 CONCL. I. Omnia novæ Legis Sacramenta conferunt ex opere operato gratiam digne sumentibus, seu non ponentibus obicem. Ita de Fide; estque non solum in Symbolo Niceno decretum per illa verba, *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum*, sed etiam novissime clarius, & loquendo generatim de omnibus Sacramentis, definitum in Concilio Trid. *Sess. 7. can. 6.* his verbis: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre &c anathema sit.*

6 CONCL. II. Sacramenta gratiam illam, quam conferunt ex opere operato, non causant physice, sed moraliter, id est, causant gratiam in tantum, quatenus ex divina institutione, & pacto, quod in eorumdem institutione Christus inivit cum genere humano, sunt signum infallibile, Deum efficaciter movens ad producendam gratiam, quam significant, intuitu meritorum ac passionis Christi in animabus digne suscipientium Sacramentum, Ita Scotus 4. *dist.* 1. *q.* 4. & 5. cum Scotistis, ac plures alii Theologi; quamvis nonnulli oppositum teneant, asserentes, Sacramenta gratiam etiam physice causare, quod postmodum diversimode explicant.

7 Probatur Conclusio ex eo: quia Sacramenta qua talia sunt quid morale; ergo etiam erunt causæ dumtaxat morales, & non physicæ ipsius gratiæ. Antecedens patet; quia Sacramenta dependent solum ex institutione Christi, a qua, & meritis ejusdem Christi Domini totam suam vim, atque efficaciam causandi habent. Consequentia probatur: quia modus operandi sequitur modum essendi, eique conformatur; ergo cum Sacramenta qua talia sint quid morale, etiam erunt tantum causæ morales ipsius gratiæ; eatenus videlicet, quatenus ex institutione Christi, ac virtute meritorum ejus sunt signum efficax, atque infallibiliter movens Deum ad causandam gratiam in rite suscipientibus Sacramentum. Accedit, quod omnes auctoritates SS. Patrum, & Conciliorum, asserentium, quod Sacramenta causant gratiam, optime solventur per causalitatem eorum moralem.

8 CONCL. III. Per Sacramenta novæ Legis digne recipientibus non tantum confertur gratia habitualis, seu

seu sanctificans, sed præter eam etiam virtute Sacramentorum præstantur hominibus alia specialia gratiæ actualis auxilia, oportuna ad consequendos proprios fines singulorum Sacramentorum. Ita Theologi communiter. Ratio est: quia singula Sacramenta sunt a Deo instituta ob speciales suos fines; ergo etiam oportet, ut conferant specialia auxilia gratiæ actualis quibus homo juvetur ad fines illos consequendos.

9 Hinc, quia per Baptismum spiritualiter regeneramur, ac in Christo vivere ejusdemque Fidem profiteri incipimus, postmodum per alia Sacramenta juvamur ad hanc vitam spiritualem conservandam, & ad superandas varias difficultates in ea occurrentes, prout declarabitur discurrendo de singulis Sacramentis.

10 Sic per Confirmationem, per quam roboramur, & confortamur ad fortiter confitendam Fidem in Baptismo susceptam, præter gratiam habitualem digne sumentibus, conferuntur tempore opportuno specialia gratiæ actualis auxilia, ad constanter in Fide perseverandum, & quidem majora, quam conferuntur virtute solius Baptismi.

11 Similiter per sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quod est cibus spiritualis animæ, conferuntur specialia subsidia actualis gratiæ pro conservatione vitæ nostræ spiritualis, non minus, ac cibus corporalis vitam alit, & conservat corporalem. Unde juvat hoc Sanctissimum Sacramentum ad refrænandas inordinatas passiones, utputa iræ, invidiæ, luxuriæ &c. præbendo multas particulares gratias auxiliantes, quibus debilitatur, atque moderatur prava inclinatio ad peccatum: simulque idem Augustissimum Sacramentum confert complura auxilia excitantia, & concomitantia gratiarum actualium ad exercenda opera vitæ spiritualis, & diversarum virtutum; sicut cibus corporalis præbet vires ad exercendos actus vitales corporis.

12 Sicuti autem in vita corporali necesse est habere remedium contra morbum, ut si quis in morbum inciderit, sanetur, ita in vita nostra spirituali tale remedium, & quidem multo fortius est Sacramentum Pœnitentiæ, quo non solum morbi, sed & ipsa mors animæ curatur, dum virtute ejus a morte spirituali, per peccatum mortale inducta, resurgimus.

13 Sequitur Extrema Unctio, præter augmentum gratiæ habitualis conferens homini digne recipienti specialia auxilia, quibus infirmus juvatur ad fortius resistendum tentationibus in extremo vitæ articulo occurrentibus: simulque is in sua infirmitate alleviatur, quantum prodest saluti animæ suæ; juxta illud *Jacobi c. 5. Ungentes eum oleo in Nomine Domini, & ratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, si in peccatis sit, remittentur ei.*

14 Per Sacramentum Ordinis, quod respicit totam Ecclesiam in suo statu Hierarchico conservandam, atque ut sua singulis ministeria ad legitimum gubernamentum hujus Ecclesiasticæ Reipublicæ destinentur, conferuntur Ordinato pariter quædam specialia auxilia ad digne adimplenda ministeria sacra cuilibet Ordini annexa.

15 Tandem per Matrimonium, quo fit legitima propagatio generis humani ad Dei cultum, & conservationem Ecclesiasticæ Reipublicæ, ut id honeste ac decenter fiat, dantur conjugibus Christianis specialia gratiæ auxilia ad pie degendam vitam conjugalem, ac sustinenda ejus onera, prolemque recte ac devote educandam. Ceterum hujusmodi specialia gratiæ auxilia, plura vel pauciora, conferuntur digne suscipientibus Sacramentum juxta majorem, vel minorem eorumdem dispositionem, ac capacitatem, ut amplius dicetur *Quæst. seq. num. 25.*

QUÆSTIO II.

An omnia Sacramenta conferant primam gratiam, aut æqualem in inæqualiter dispositis?

SUMMARIUM.

16 *Sacramenta mortuorum*, &
17 *Sacramenta vivorum*, *quæ?*
18 *Gratia habitualis seu sanctificans, prima & secunda, quæ?*
19 *Baptismus & Pœnitentia per se conferunt primam gratiam.*
20 *Per accidens quandoque secundam.*
21 *Alia quinque Sacramenta per se conferunt secundam.*
22 *Corollarium.*
23 *Et per accidens quandoque primam gratiam.*
24 *Cur hoc fiat per accidens?*
25 *Sacramenta conferunt majorem gratiam magis dispositis*
26 *Etiam ex opere operato.*

16 Advertendum, quod Sacramenta communiter dividantur in Sacramenta vivorum, & mortuorum. *Sacramenta mortuorum* sunt duo, videlicet Baptismus, ac Pœnitentia: quæ duo ideo sic dicuntur, quia per se (id est, ex vi primariæ institutionis suæ) sunt instituta ad conferendam primam gratiam, seu ad præbendam vitam spiritualem iis, qui per peccatum mortale spiritualiter fuerunt mortui, quæ non confertur, nisi mediante gratia sanctificante

17 *Sacramenta vivorum* sunt alia quinque: quæ ideo sic appellantur, quia per se loquendo supponunt animam suscipientis jam esse constitutam in gratia sanctificante; quæ est vita animæ. Unde, ut quis rite suscipiat unum horum Sacramentorum, requiritur, quod sit in statu gratiæ (saltem quantum bona fide, ac inspecta propria sua conscientia existimat) quod non requiritur ad Sacramenta mortuorum: hæc enim ab existente in peccato mortali, præmissa sola attritione, rite ac fructuose recipiuntur. Quod ut clarius intelligatur.

18 Advertendum ulterius, quod gratia habitualis, seu sanctificans (de qua *n.* 3. jam dictum) communiter dividatur in primam & secundam. *Gratia habitualis prima* aliud non est, quam illa prima gratia sanctificans, quam homo primo suæ justificationis instanti acquirit, ac per quam formaliter ab eo expellitur peccatum mortale. *Gratia secunda* dicitur omne augmentum gratiæ sanctificantis: unde omnis illa gratia habitualis dicitur esse gratia secunda, quæ infunditur homini jam prius justificato, ac habenti in se aliquem gradum gratiæ. Sic, dum peccator per Pœnitentiam justificatur, illa gratia habitualis, quam is in primo suæ justificationis instanti acquirit, dicitur *Gratia prima*: omnis autem gratia posterior, quam virtute bonorum operum subsequentium, vel Sacramentorum digne receptorum ulterius acquirit, dicitur *Gratia secunda*: eo quod sit augmentum prioris, ac secundo primum loco acquiratur. His prænotatis, sit

19 CONCL. I. Baptismus, & Pœnitentia, quæ dicuntur *Sacramenta mortuorum*, per se, ac ex vi suæ primariæ institutionis conferunt primam gratiam sanctificantem; quamvis, si hæc jam præfuerit in anima, per accidens conferant solum augmentum gratiæ. Ita communis Theologorum. Ratio primæ partis est: quia Baptismus primario, & principaliter est institutus a Christo Domino in ordine ad remissionem peccati originalis; Sacramentum autem Pœnitentiæ in ordine ad remissionem peccati mortalis post Baptismum commissi: atqui talium peccatorum remissio non fit absque infusione primæ gratiæ sanctificantis; ergo dicta Sacramenta per se conferunt primam gratiam.

20 Altera pars ex eo patet, quia prædicta Sacramenta digne recepta conferunt suscipientibus ex opere operato gratiam sanctificantem; ergo, si recipiens jam primam

prius est justificatus, non possunt primam, sed dumtaxat secundam gratiam conferre, hoc est, augmentum primæ grætiæ sanctificantis tribuere.

21 CONCL. II. Reliqua quinque novæ Legis Sacramenta, videlicet Confirmatio, Eucharistia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium, per se, ac ex vi suæ primariæ institutionis non conferunt primam gratiam, sed principaliter instituta sunt ad conferendam secundam gratiam, sive augmentum ejus. Ita communis. Hac enim de causa ea appellantur Sacramenta vivorum, ac præsupponunt vitam animæ, quæ habetur per inexistentem gratiam sanctificantem.

22 Hinc sequitur, quod, si quis scienter in peccato mortali existens, accedat ad unum illorum quinque Sacramentorum cum sola attritione cognita, ipse non solum per susceptionem talium Sacramentorum non justificetur, neque recipiat primam gratiam (quod tamen fieret virtute Sacramenti Baptismi in necdum baptizatis, & Pœnitentiæ in relapsis post Baptismum, prævia attritione recepti) sed potius de novo gravissime peccet, atque committat peccatum Sacrilegii.

23 CONCL. III. Nihilominus prædicta quinque Sacramenta vivorum per accidens quandoque possunt conferre primam gratiam. Ita communis Theologorum, dempto Sacramento Eucharistiæ, de quo, cum sit institutum per modum cibi & potus, qui mortuis non prodest, nonnulli Theologi tenent oppositum. Declaratur inprimis Conclusio. Sic etenim, si quis bona fide existimet, se esse in statu gratiæ, cum tamen revera habeat occultum peccatum mortale, cujus non recordatur, & cum sola attritione accedat ad unum Sacramentum vivorum, illudque recipiat, talis vi Sacramenti justificatur, ac recipit primam gratiam, saltem per accidens. Probatur hoc, simulque posita Conclusio. Quia juxta Concilium Trident *Sess.* 7. *can.* 6. & 7. omnia Sacramenta novæ Legis habent vim conferendi gratiam non ponentibus obicem, atqui talis homo bona fide accedens, & cum attritione de commissis suis peccatis jam non ponit obicem; ergo. Minor patet in Sacramento Baptismi, & pœnitentiæ; simulque ex eo, quia ob suam bonam fidem nullius peccati mortalis sibi conscius est: ergo recipiet gratiam vi Sacramenti: hæc autem, cum nulla prior infuerit, non secunda, sed prima gratia sanctificans erit.

24 Dicitur notanter in Conclusione *per accidens quandoque &c.* siquidem ab hisce Sacramentis vivorum, in casu posito, per accidens tantum confertur prima illa gratia sanctificans, eo quod ipsa per se & primario à Christo Domino non sint instituta ad primam conferendam, sed solum hanc conferre possint in casu extraordinario, & accedente bona fide suscipientis, putantis se esse in statu gratiæ, cum tamen non sit ob occultum peccatum mortale: quod totum fit per accidens.

25 CONCL. IV. Sacramenta ejusdem rationis conferunt majorem gratiam magis disposito, quam alteri minus disposito: & quidem major illa gratia confertur magis disposito partim ex opere operantis, ac virtute illius boni motus interioris, quo facta est major ejusmodi dispositio; partim vi Sacramenti atque ex opere operato. Prima pars est certa, ac extra controversiam: nam utique major illa dispositio ac præparatio promeretur majorem gratiam ex opere operantis; cum hoc ipsum generaliter fiat in omnibus piis actibus justorum.

26 Alteram partem Conclusionis, quod etiam vi Sacramenti, sicque ex opere operato conferatur major aliqua gratia magis disposito, ait Suarezius *part.* 3. *tom.* 3. *disp.* 8. *sect.* 5. *concl.* 3. esse communem Theologorum sententiam; & colligitur ex Concilio Trident. *Sess.* 6. *cap.* 7. dicente, quod in justificatione, quæ fit, in Baptismo *Justitiam recipiat unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem & cooperationem*; ergo, si Sacramenta conferunt gratiam secundum propriam cujusque dispositionem, & cooperationem, conferunt majorem magis disposito, quam minus disposito. Accedit ratio desumpta ex congruentiis. Siquidem videtur spectare ad suavem Dei providentiam, ac sapientem, justissimamque distributionem, ut melius disposito virtute Sacramentorum major conferatur gratia: simulque fuit hoc expediens, ut homines excitarentur ad recipienda Sacramenta cum majori devotione, ac reverentia, propter spem majoris fructus spiritualis.

QUÆSTIO

Qualis requiratur dispositio ad fructuose recipienda Sacramenta, & præsertim SS. Eucharistiam?

SUMMARIUM

27 *Ad Sacramenta mortuorum recipienda sufficit attritio de peccato mortali.*
28 *Pro Sacramentis vivorum requiritur status gatiæ.*
29 *Corollarium.*
30 *Ad dignam Eucharistiæ receptionem debet præmitti Confessio de peccato mortali.*
31 *Textus notabilis Concilii Trid. circa hoc.*
32 *Mandatum ejus celebrantibus injunctum* quamprimum confitendi
33 *Hoc ly* Quamprimum confiteatur, *quid importet?*
34 *Quandoque obligat ad statim confitendum.*
35 *Alioquin extenditur ad triduum.*
36 *Quid, si quis jam confessus, oblitus fuit peccati mortalis?*
37 *Solvitur instantia.*
38 *Limitatur hoc in casu necessitatis.*
39 *Quid, si non adsit necessitas celebrandi &c.*
40 *Copia Confessarii, quando deesse censeatur?*
41 *Quid, si is distet?*
42 *Dicto præcepto confitendi quamprimum an teneatur Laicus.*
43 *An Sacerdos indigne celebrans?*

27 CONCL. I. Ad recipienda Sacramenta mortuorum, nempe Baptismi & Pœnitentiæ, requiritur in adultis, conscientiam peccati mortalis habentibus, contritio, vel saltem attritio. Ita communis Theologorum; atque desumitur ex Concilio Trident. *Sess.* 14. *cap.* 4. ubi dicitur: *Docet præterea sancta Synodus, etsi Contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominem Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum* (Pœnitentiæ) *actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi Contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. Illam vero Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccati excludat cum spe veniæ, declarat donum DEI esse &c. Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad DEI gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Hactenus Concilium.

28 CONCL. II Ad recipienda rite & fructuose Sacramenta vivorum, qualia sunt alia quinque, requiritur per se loquendo status gratiæ. Patet hoc totum ex dictis *Quæst. præced. n.* 21. & 22.

29 Unde, si quis sit sibi conscius peccati mortalis, & velit suscipere Sacramentum Confirmationis, extremæ Unctionis, Ordinis, vel Matrimonii, tenetur is prius vel per actum Contritionis perfectæ, vel per præmissam Confessionem, ac susceptum saltem cum Attritione Sacramentum Pœnitentiæ, se in statum gratiæ restituere. Et quidem ob majorem difficultatem in elicienda perfecta contritione communiter solet præmitti, atque, ut præmittatur, suaderi Confessio Sacramentalis, quamvis in dictis quatuor Sacramentis jam sufficeret Contritio perfecta. Verum loquendo de Eucharistia, sit

30 CONCL. III. Ad dignam Augustissimi Eucharistiæ Sacramenti susceptionem, quando quis sibi conscius est alicujus peccati mortalis, omnino requiritur, ut præmittatur Confessio Sacramentalis de tali peccato mortali habita copia Confessarii, nec sufficit contritio. Ita communis; atque desumitur ex verbis Apostoli 1. *Corinth.* 11. ubi de suscepturis hoc SS. Sacramentum ait: *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini.*

31. Id ipsum expresse declarat Concilium Trid. *Sess.* 13. *cap.* 7. *can.* 10. Verba ejus in *cit. cap.* 7. sunt sequentia, ac bene notanda. *Quare communicare volenti revocandum est in memoriam ejus præceptum: Probet se ipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse: ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Quod a Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia Confessoris: quod si necessitate urgente Sacerdos absque prævia Confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.* Hactenus Concilium.

33 Notent hoc bene Sacerdotes, quotidie vel saltem sæpius per hebdomadam celebraturi, simulque sciant, cum circa ultima citati Concilii verba, *Quamprimum confiteatur*, diversæ inter Theologos fuissent subortæ sententiæ, atque interpretationes, Alexandrum VII. sequentes duas Propositiones damnasse. Prima, & ordine 38. sic habet: *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti, sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.* Secunda & ordine 39 sic sonat: *Illa particula, Quamprimum, intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.* Verum occasione præmissorum,

33 Quæres. Quid per ly *Quamprimum confiteatur*, in citatis verbis Concilii Trident. intelligatur? Resp. I. Quantum ad dictam clausulam explicandam, olim variæ extiterunt sententiæ; nam nonnulli eam explicarunt in sensu aperte enervante vim præcepti, prout liquet ex relatis duabus Propositionibus damnatis: alii econtra mandatum illud intellexerunt in toto rigore, quasi statim post Missam teneatur Sacerdos celebrans, si possit, confiteri. Et hæc posterior sententia utique in praxi saluberrime practicatur, ut sic conscientiæ, & puritati Sacerdotum celebrantium amplius consulatur; eo præsertim, quia Rubricæ Missalis *Tit. de Defectibus dispositionis animæ*, sic habent: *Si quis autem in casu necessitatis non habens copiam Confessoris, in peccato mortali absque contritione celebret, graviter peccat. Secus, si conteratur: debet tamen, cum primum poterit, confiteri.* Verum hic rigor, etsi in specialibus circumstantiis sit observandus, non tamen semper sub præcepti districtione obligare videtur, sed opus est distinctione. Hinc

34 Resp. II. Quando hodie post missæ Sacrificium præmissa contritione, ut supra, peractum, occurrit copia Confessarii, & non sit certum, an sequenti die, quo rursum celebrare teneberis sis habiturus copiam Confessarii, teneris hodie confiteri. Ita Lugo *dist.* 14. *de Eucharist. sect.* 7. *num.* 162. Herincx *disp.* 6. *de Eucharist. quæst.* 6. *num.* 81. recte hoc extendens ad casum, quando sequenti triduo non putatur adfutura occasio confitendi; & alii. Ratio est: quia neglecta isthac copia confitendi, vel daretur nova causa iterum celebrandi sine Confessione, vel non confitendi *quamprimum*; atqui horum utrumque directe est contra finem, atque intentum Concilii Trid.; ergo.

35 Resp. III. Seclusis prædictis & aliis specialibus circumstantiis, ac si quis interea non est denuo celebraturus, sive communicaturus, memorato præcepto Ecclesiastico Concilii Tridentini satisfacere videtur, qui intra triduum confitetur. Ita Herincx ibidem, afferens, cit. ly *quamprimum confiteatur*, hoc modo communius explicari, Luga, Sannig, & alii. Ratio est, quia hujusmodi dictio est moraliter, & civili modo intelligenda: neque ly *quamprimum* aliud importare videtur, quam ly *illico*, quod in Jure (nisi secus subjecta materia expostulet) ad triduum extenditur *arg. l. Cum specialis. C. de Judiciis.* ibi: *Illico autem, id est, intra triduum proximum sine ulla dilatione.* Et *L. ult. C. de Errore Advocat.* ibi *Palam ex continenti, id est, triduo proximo.* cum concordantiis.

36 Quæritur II. Quid juris, quando quis jam semel confessus est, sed inculpabiliter oblitus alicujus peccati mortalis? Resp. Per se loquendo, ac seclusis specialibus circumstantiis, quæ ipsum excusare possunt, talis obligatur confiteri peccatum mortale necdum in Confessione depositum, antequam communicet, vel celebret. Ita Reginaldus *lib.* 25. *n.* 105. Herincx *loc. cit. n.* 75. & Lugo *n.* 151. addens, talem, si est Sacerdos celebrans in casu necessitatis prævia contritione, etiam comprehendi sub præcepto Concilii Trid. ad *quamprimum* postea confitendum: quamvis nonnulli apud Henriquez *lib.* 8. *cap.* 46. teneant oppositum, eo quod talis jam sit justificatus per Confessionem præviam; quorum sententiam speculative loquendo non esse improbabilem, censet etiam Joan. Bosco *part.* 2. *Theolog. Sacrament. disp.* 4. *sect.* 10. *Concl.* 7. Sed quidquid de hoc incidentali sit, respiciendo directe resolutionem ad hoc quæsitum, Ratio nostræ responsionis est: quia præceptum præmittendæ Confessionis ante Cõmunionem non obligat ad quomodocumque confitendum, sed simpliciter ad confitenda omnia peccata mortalia, quorum quis sibi conscius est.

37 Nec obstat, quod talis vi Sacramenti Pœnitentiæ jam sit justificatus, eique saltem indirecte remissum peccatum mortale, ob ignorantiam invincibilem, aut inculpatam oblivionem non confessum. Respond. enim, omnia peccata mortalia, quorum quis sibi conscius est, ante Sacram Communionem directe subjicienda esse clavibus Ecclesiæ, habita copia Confessarii; prout indicat Concil. Trid. *loc. cit* allegans verba Apostoli 1. *Corinth.* 11. Ex quibus communior Doctorum infert, hoc esse præceptum Juris Divini, & non tantum Ecclesiastici: unde non sufficit sola absolutio indirecta. Et revera, si quis pro prima vice posset in dicto casu communicare, vel etiam celebrare, posset etiam pro secunda & tertia vice, imo toties, quoties vellet, idipsum facere absque nova prævia Confessione, donec incidat in novum peccatum mortale: quod plane repugnat communi sensui Fidelium.

38 Dicitur notanter *n.* 36. *per se loquendo, ac seclusis specialibus circumstantiis* nam, si quis non amplius habeat copiam Confessarii, urgeatque necessitas celebrandi, vel communicandi; aut si quis jam ad linteum communicantium positus recordetur peccati mortalis, quod oblitus erat confiteri, nec inde sine nota vel scandalo gravi amplius recedere possit, talis non peccat communicando. Et hoc, etiamsi non eliciat de novo contritionem: quia peccatum illud jam est remissum, saltem indirecte, vi præviæ Confessionis bona fide peractæ; simulque talis a facienda nova Confessione excusatur ob defectum Confessarii.

39 Quod si vero vel non desit copia Confessarii, vel saltem non urgeat necessitas celebrandi, aut communicandi, stante conscientia peccati mortalis necdum confessi abstinendum erit a celebratione, vel Communione, donec præmittatur Confessio; ut notat Scotus 4. *dist.* 9. *quæst. nu.* Navarrus *cap.* 21. *Manual. num.* 49. & communis.

40 Censetur autem deesse copia Confessarii, quando vel absolute deest, cui possit Confessio fieri: vel quando is ex malitia, aut alio capite non vult, vel non potest audire Confessionem, aut quia caret jurisdictione, vel etiam, quando pœnitens rationabiliter timet sibi grave detrimentum, utputa revelationem Sigilli, vel aliud notabile damnum a Confessario inferendum, & hujusmodi.

41 Quantum

41 Quantum autem Confessarius debeat distare, ut censeatur ejus esse defectus, non potest certa regula statui, sed id desumendum est a variis circumstantiis, prudenti judicio ponderandis. Generatim dumtaxat dici potest, tunc deesse copiam Confessarii, quando ob infirmitatem, difficultatem itineris, brevitatem temporis, vel alia occurrentia negotia, aut hujusmodi, sine gravi incommodo, hic & nunc haberi non potest. Ita Lugo *n.* 82. *& seqq.* Herincx *n.* 80 Reginaldus *n.* 108. & alii.

42 Quæritur III. An hoc præcepto confitendi *quamprimum* teneatur Laicus, qui in casu necessitatis communicavit sine Confessione, sed cum contritione? Resp. negative. Ratio est; quia præceptum confitendi *quamprimum* Sacerdotibus, ut supra, celebrantibus incumbens, non est Juris Divini (nam præceptum Divinum non obligat ad confitendum post Communionem, sed ante eam, dummodo habeatur occasio confitendi) sed est præceptum mere Ecclesiasticum, jure novo Concilii Trident. celebrantibus impositum; atqui Concilium Trid. nullam facit mentionem Laicorum, sed dumtaxat Sacerdotum celebrantium; ergo ejus præceptum non est extendendum ad Laicos. Ita Bonacina *dist.* 4. *de Eucharistia. quæst. 6. punct.* 1. *n.* 37. &40. hoc etiam extendens ad Sacerdotem in casu necessitatis more Laicorum communicantem, cum Tridentinum loquatur solum de Sacerdotibus celebrantibus Suarez, Reginaldus, aliique, quamvis non desint oppositum tenentes.

43 Quæritur IV. Utrum Sacerdos malitiose celebrans in statu peccati mortalis teneatur vi præfati præcepti ad confitendum quamprimum? Resp. negative: nam hic non celebravit urgente necessitate, atque præmissa contritione (de quo casu loquitur Concilium Trid.) sed ex malitia; ac proinde celebrando jam gravissime peccavit. Bonacina *ibidem. n.* 38.

QUÆSTIO IV.

De Charactere: ubi & de Sacramentis cum Fictione susceptis.

SUMMARIUM.

44 *Ratio Ordinis.*
45 *Character, quid?*
46 *Tria Sacramenta imprimunt Chracterem;*
47 *Et cur hæc,*
48 *Videlicet Baptismus, Confirmatio, & Ordo;*
49 *Et non alia imprimant Characterem?*
50 *Character nec in morte deletur.*
51 *Corollarium notabile.*
52 *Fictio in proposito, quid?*
53 *Fictio negativa, & positiva, quæ?*
54 *Baptismus ficte susceptus, recedente fictione confert effectum,*
55 *Similiter Confirmatio, & Ordo.*
56 *Quid de aliis quatuor Sacramentis,*
57 *Præsertim cum fictione negativa receptis?*

44 POst explicatum principalem Sacramentorum effectum qui est Gratia, pergendum ad alterum ipsorum effectum minus principalem, qui est Character. De quo loquendo, sit

45 CONCL. I. *Character*, quantum ad propositum, est signum spirituale, impressum a Deo animæ suscipientis Sacramentum non iterabile. Ita Scotus 4. *dist.* 6. *quæst.* 9. estque in re communis. Ejus frequens mentio est apud SS. Patres, ac etiam in S. Scriptura, ut 2. *Corint.* 1. *Qui unxit nos Deus, qui & signavit nos.* Et *Ephes.* 1. *In quo signati estis Spiritu promissionis sancto.*

46 CONCL. II. Tria sunt Sacramenta, quibus talis Character indelebilis imprimitur, videlicet Baptismus, Confirmatio, & ordo: quæ proinde Sacramenta iterari non possunt. Ita de Fide, habeturque definitum in Concilio Florentino, *in Decreto Unionis*, ac novissime in Trident. *sess.* 7. *can.* 9. his verbis: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi Characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale & indelebile, unde ea iterari non possunt: anathema sit.*

47 Cur autem hæc tria Sacramenta imprimant Characterem, & non alia quatuor, causa primaria est voluntas DEI, ac Christi ita instituentis, quæ nobis sufficienter constat ex perpetua traditione, atque auctoritate Ecclesiæ. Accedit congruentia, quam Doctor Subtilis 4. *dist.* 6. *q.* 10 desumit ex politia humana, in qua diversi Ministri, in familia cujuspiam magni Principis constituti, diversis, certisque insigniis notantur quibus eorum munus dignoscatur, atque ipsi inter se assimilentur, & ab aliis distinguantur: unde congruum fuit, ut simile quid fieret in Aula Summi Regis Christi JESU.

48 Hinc, quia per Baptismum assumitur quis in Familiam, seu Ecclesiam Christi, ejusque Servus incipit esse, accipit is in anima sua Characterem, quo denotatur esse Servus Christi, & convenit cum reliquis Christianis, differt autem ab Ethnicis, & Judæis. Idem contingit in Confirmatione, qua quis inungitur in Militem Christi ad fortiter defendendam, & confitendam Fidem ejus: atque in Sacramento Ordinis, quo quis deputatur in Ducem ac unum ex Magistratu Familiæ Christi, seu Dispensatorem Mysteriorum DEI.

49 Quia vero per reliqua Sacramenta non deputatur homo ad speciale munus in Ecclesia, seu Familia Christi peragendum (sicut neque id accidit in Familia terreni Regis, ex eo, quod quis comedat & bibat, aut ipsi offenso reconcilietur, vel a morbis curetur, aut per generationem personas in ejus Familia multiplicet) hinc congrum fuit, ut reliqua quatuor Sacramenta Characterem non imprimerent.

50 CONCL. III. Character, qui per prædicta tria Sacramenta imprimitur, ita est signum indelebile impressum animæ suscipientis, ut neque in morte hominis deleatur. Ita communis. Ratio est: quia alioquin a SS. Conciliis Generalibus non posset dici absolute esse *Signum indelebile.* Hinc

51 Infertur, quod Character Sacramentalis remaneat in animabus Beatorum in Cœlis existentium, & quidem ad majorem eorumdem gloriam, saltem accidentalem. Quinimo remanet quoque in animabus damnatorum, quamvis ad majorem ipsorum confusionem. Infertur ulterius si quis rite baptizatus, confirmatus, aut Ordine v. g. Sacerdotali initiatus moriatur, atque miraculose a mortuis resuscitetur, eumdem non posse amplius licite, aut valide baptizari, confirmari, aut denuo in Sacerdotem ordinari; remanet enim in ejusdem anima Character indelebiliter unde nec dicta Sacramenta amplius reiterari possunt. Sed occasione dictorum, & quoad alteram partem Quæstionis,

52 Quæres. Utrum Sacramenta, præsertim imprimentia Characterem, & ficte suscepta, recedente fictione conferant suum effectum gratiæ? Ubi notandum, quod *Fictio* hic non accipiatur pro defectu interioris intentionis suscipiendi Sacramentum: ut si quis simulate accedens permitteret se exterius aqua ablui, interius autem nollet suscipere Baptismum. Certum quippe est, tale Sacramentum invalide suscipi, ob defectum intentionis, ac proinde Baptismum sic susceptum nec imprimere Characterem, nec unquam postea habere effectum gratiæ ex opere operato consequendæ. Igitur in proposito, juxta receptam phrasin Theologorum, *Fictio* accipitur pro indispositione recipientis, effectum Sacramenti impediente, dum ceteroquin Sacramentum est validum. Nam etiam ille, qui suscipit Baptismum v. g. cum vera intentione, sed sine debita dispositione, committit quamdam fictionem, dum exterius ostendit, se recipere Sacramentum cum legitima dispositione, qua tamen interius caret. Unde de tali verificatur illud *Sapient.* 1. *Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum.*

53 Porro

53 Porro hujusmodi *Fictio*, seu indispositio recipientis, atque obex impediens effectum Sacramenti adhuc duplex esse potest. Una *negativa*, & absque peccato: ut dum quis ad Sacramentum accedit indispositus, hoc tamen invincibiliter ignorat, atque ideo in ejus receptione non peccat. Alia *positiva*, & cum peccato: ut cum quis scienter recipit Sacramentum indisposite, sicque illud recipiendo peccat. Hoc prænotato,

54 Resp. I. Baptismus ficte susceptus, recedente per veram pœnitentiam fictione confert effectum suum; ac proinde effectus gratiæ sanctificantis, si propter obicem peccati mortalis, vel indispositionem suscipientis tempore suscepti Baptismi impeditus fuit, remoto obice postmodum confertur. Ita communis Theologorum; estque expressa sententia D. Augustini *lib.* 1. *de Baptismo cap.* 12. ac refertur *acan. Tunc valere* 42. *de Consecrat. dist.* 4. ubi ait: *Tunc vlere incipit ad salutem Baptismus, cum illa fictio veraci Confessione recesserit, quæ corde in malitia, vel sacrilegio perseverante, peccatorum abolitionem non sinebat fieri.*

55 Resp. II. Etiam Confirmatio, & Ordo, veluti Sacramenta Characterem imprimentia, & irreiterabilia, si ficte seu indisposite recepta sint, conferunt effectum gratiæ Sacramentalis recedente fictione. Ita communior, & probabilior Doctorum, quamvis non desint oppositum tenentes. Ratio est: quia non videtur esse major ratio de Baptismo, ac de hisce duobus Sacramentis: utpote cum quodlibet horum imprimat Characterem, sitque amplius irreiterabile; & alioquin recipiens teneretur carere effectu ipsorum in perpetuum. Accedit, quod Confirmatio sit veluti perfectio, & consummatio Baptismi, *arg. c. De his. De Consecr. dist.* 5.

56. Resp. III. Alia quatuor Sacramenta, si cum fictione positiva, novoque peccato sacrilege recipiantur, recedente fictione non conferunt effectum suum gratiæ sanctificantis. Disparitas inter isthæc, & priora est: quia hæc Sacramenta non imprimunt Characterem, possuntque iterari, ac sæpius recipi, sicque eorum effectus alio tempore acquiri. Quinimo specialiter loquendo de SS. Eucharistiæ Sacramento, dicitur 1. *Cor.* 11. *Qui manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit.*

57 Additur *cum fictione positiva.* Nam, si recipiatur Sacramentum cum fictione negativa (hoc est, prætermittendo debitam dispositionem inculpabiliter, & sine peccato, v. g. ex casu inopinato, aut inadvertentia, nullam præmittendo attritionem) multi Doctores sunt, arbitrantes, hujusmodi Sacramenta conferre effectum suum recedente per veram dispositionem fictione: cum hoc videatur conformius infinitæ Bonitati Divinæ. Bonacina *disp.* 1. *de Sacramentis qu.* 6. *punct.* 3. Suarez, Cajetanus, & alii, quamvis hoc ipsum a non paucis vel negetur, vel in dubium revocetur.

QUÆSTIO V.

An, & quomodo singula Sacramenta sint necessaria ad salutem?

SUMMARIUM.

58 *Necessitas medii, & necessitas præcepti quid?*
(a) Tract. 4. dist. 2. num. 12.
59 *Baptismus est necessarius necessitate medii, & præcepti.*
60 *Loquendo de Baptismo in re, vel saltem in voto.*
61 *Baptismus fluminis,*
62 *Baptismus flaminis, &*
63 *Baptismus sanguinis, quid?*
64 *Martyrium supplet vicem Baptismi.*
Et confert gratiam ex opere operato.
(b) Tract. 7. dist. 1. quæst. per totum.
65 *Sacramentum Pœnitentiæ, quomodo sit necessarium?*
66 *Et quibus?*
(c) Ut dictum Tract. 10. dist. 3. n. 13. & 14.
67 *Eucharistia, quomodo necessaria?*
(d) Tract. 10. dist. 3. quæst. 3.
68 *Confirmatio, & Extrema Unctio, an necessaria?*
69 *Per accidens quandoque obligat.*
70 *Quid observandum in praxi?*
71 *Sacramentum Ordinis, & Matrimonii, an sit necessarium?*

58 Est hic recolendum ex jam alibi (*a*) dictis, quod quantum ad salutem animæ consequendam communiter duplex a Theologis distinguatur necessitas, una medii, altera præcepti. *Necessitas medii* illa dicitur, qua quidpiam ita est necessarium ad consequendum finem, v. g. æternam salutem, ut sine eo non possit ullatenus finis obtineri: sic gratia sanctificans est necessaria respectu vitæ æternæ; item & Baptismus in statu Legis Evangelicæ, quia de facto sine ipso, etiamsi ex ignorantia, vel impotentia, aut inculpabili oblivione prætermittatur, salus æterna non obtinetur. *Necessitas præcepti* ea est, qua aliquid sub obligatione cujuspiam præcepti necessario præstandum est ad salutem consequendam, eo quod alias quis mortaliter peccaret, sicque æternam salutem amitteret; quamvis, si ex ignorantia, vel impotentia, aut oblivione, inculpabili id forte præmittatur, non impediat æternæ vitæ consecutionem: sic necessaria est ad salutem observantia mandatorum.

59 CONCL. I. Baptismus in statu Legis Evangelicæ non solum est necessarius ad salutem necessitate præcepti; sed etiam necessitate medii. Ita certa, & communis Theologorum. Et quidem necessitate medii Baptismus est necessarius respectu omnium hominum, etiam parvulorum: quia nullus sine ipso potest vitam æternam consequi, licet ex ignorantia invincibili non baptizetur; prout contingit in parvulis, sine Baptismo, cum solo peccato originali, in utero materno decedentibus. Necessitate vero præcepti Baptismus est necessarius solum respectu adultorum, non autem parvulorum: nam adulti tantum sunt præcepti capaces, ac proinde peccant, si ablata opportunitate negligant recipere Baptismum. Secus est de parvulis: qui proinde, si moriuntur sine Baptismo non damnantur propter transgressionem Legis de recipiendo Baptismo, sed solum propter culpam originalem, quæ defectu Baptismi non fuit in ipsis deleta.

60 CONCL. II. Nihilominus ea, quæ dicta fuerunt de necessitate Baptismi, sunt intelligenda de Baptismo in re, vel saltem in voto suscepto. Ita omnes Catholici; & constat ex definitione Ecclesiæ, ac unanimi SS. Patrum consensu. Sic enim *c. Baptismi vicem. De Consecr. dist.* 4. *& cap. Apostolicam. De Presbyt. non baptizato*, dicitur, quod quando deest possibilitas recipiendi Baptismum in re, possit homo salvari per Baptismum in voto susceptum. Idem habetur in Concilio Trid. *sess.* 6. *cap.* 4. ubi illa sententia Salvatoris; *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Jo*: explicatur de Sacramento Baptismi in re, vel in voto suscepto.

61 Unde celebris est illa divisio Baptismi apud SS. Patres, & Theologos in Baptismum fluminis, flaminis, & sanguinis. *Baptismus fluminis* est Sacramentum Baptismi re ipsa susceptum, seu in aqua cum debita verborum forma collatum. Et hic Baptismus est primum Sacramentum novæ Legis & fundamentum aliorum Sacramentorum; adeo, ut eo non suscepto cetera Sacramenta valide & fructuose non recipiantur. Hinc, si quis non actu Baptizatus in aqua ordinaretur in Sacerdotem, invalida foret talis Ordinatio, non obstante, quod is forsan per Baptismum flaminis (qui Sacramentum non est, etsi in casu necessitatis suppleat vicem Baptismi, quantum opus est ad consequendam gratiam justificantem, & vitam æternam) antea fuisset justificatus: ac proinde deprehenso errore, talis foret in aqua baptizandus, & rursum ordinandus, prout expresse habetur, *c. Veniens De Presbyt. non baptiz.* Nam Baptismus fluminis, qui

qui solus ex dicto triplici Baptismo Sacramentum est, ceterorum Sacramentorum janua existit.

62 *Baptismus flaminis* aliud non est, quam contritio perfecta hominis, includens propositum servandi omnia præcepta, & consequenter etiam votum recipiendi Baptismum aquæ, seu Sacramentum Baptismi in re necdum receptum. Porro, quod Baptismus flaminis suppleat Sacramentum Baptismi, quantum ad effectum gratiæ sanctificantis, atque remissionem peccatorum, vitamque æternam consequendam, si desit occasio recipiendi Sacramentum Baptismi in re, patet non solum ex definitione Ecclesiæ, & communi SS. Patrum consensu; sed insuper desumittur ex illis S. Scripturæ locis, in quibus promittitur justificatio, & peccatorum remissio hominibus vere pœnitentibus. Sic quippe dicitur *Ezech. cap.* 18. *Si egerit pœnitentiam impius, vita vivet, & non morietur*, cum concordantiis,

63 *Baptismus sanguinis* aliud non est, quam Martyrium supplens defectum Baptismi aquæ. Et additur, *supplens defectum Baptismi aquæ*: quia, si quis jam baptizatus Martyrium sustineat (vel habeat contritionem perfectam) is proprie non habet Baptismum sanguinis, & flaminis, cum non possit amplius includere votum recipiendi Baptismum aquæ, eo quod istud Sacramentum sit irreiterabile.

64 Ceterum, quod Martyrium suppleat defectum Sacramenti Baptismi, quando deest possibilitas hoc recipiendi, patet ex illa generali, & indefinita, ac illimitata promissione Christi *Matth.* 10. *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*, & alibi. Imo hoc adeo verum est, ut Martyrium etiam in parvulis (qui tamen proprium actum, quo Martirium propter Christum acceptent, habere non possunt) suppleat vicem Baptismi: nam ipso opere perdunt animam suam propter Christum, atque ad instar Innocentum Martyrum, ab Herode occisorum præconium Christi non loquendo, sed moriendo confitentur. Ex quo fundamento communior opinio Theologorum cum S. Thoma in 4. *ad Anibaldum diss.* 4. *q. un. art. ad* 3. docet, quod Martyrium conferat gratiam ex opere operato, cum ex speciali privilegio Christi, ejusque meritis justificet parvulos, qui proprium actum bonum habere nequeunt. Plura de Martyrio suo loco (*b*) videantur. Nunc ulterius loquendo de ceteris Sacramentis, sit

65 CONCL. III. Sacramentum Pœnitentiæ in re, vel saltem in voto necessarium est ad salutem necessitate medii, ac etiam præcepti omnibus adultis post receptum Sacramentum Baptismi in peccatum mortale relapsis. Patet hoc inter alia ex Concilio Trid. *sess.* 14. *cap.* 2, ubi sic habetur: *Est autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus*,

66 Dicitur notanter, *adultis post receptum Sacramentum Baptismi in peccatum mortale relapsis*. Siquidem iis, qui justitiam in Baptismo susceptam constanter tuentur, non est necessario opus hoc Sacramento, ut Concilium Tridentinum *loc. cit. c.* 1. fatetur. Et hoc adeo verum est, ut, si quis nullius peccati mortalis sibi conscius sit, is neque ad Confessionem annuam obligetur. (*c*) Quamvis utique cuilibet, etiam nullius peccati mortalis sibi conscio, summe consulendum sit, in dicto casu hujus Sacramenti sese participem efficere, sola venialia cum debito dolore confitendo: quod probi plerique ob multiplices fructus Sacramenti Pœnitentiæ sæpius per annum facere non intermittunt.

67 CONCL. IV. Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum adultis est necessarium necessitate præcepti. Ratio est clara: quia extat præceptum, ut quandoque ab adultis, præsertim tempore Paschali atque in mortis articulo, hoc Sacramentum reverenter digneque recipiatur; prout amplius ostensum suo loco. (*d*)

68 CONCL. V. Licet nullum extet præceptum de recipiendo Sacramento Confirmationis, aut Extremæ unctionis in mortis articulo, ac proinde hæc duo Sacramenta per se, ac simpliciter loquendo non sint necessaria ad salutem, neque necessitate medii, neque præcepti: adhuc tamen necessarium est, ut non contemnantur. Ita Scotus 4. *dist.* 7. *q.* 2. D. Bonaventura, & Theologi communiter. Nullibi enim reperitur præceptum clarum de receptione horum Sacramentorum, secluso contemptu. Et hoc additur ex eo: quia alioquin ratione contemptus peccatum committeretur; ut si quis ex eo omitteret horum Sacramentorum receptionem, quia ipsa parvi æstimaret.

69. Deinde certum est, ex dictorum Sacramentorum omissione posse graviter delinqui per accidens, seu ratione scandali: ut si quis ea recipere negligat in talibus circumstantiis, unde alii graviter scandalizentur. Eadem obligatio per accidens occurrere posset ob alias circumstantias: ut si ponatur casus, quo ingruentes tentationes aliter vinci non possent, nisi receptione hujus, vel illius Sacramenti: quamvis hic casus rarius accidere posse videatur; cum communiter sufficientes resistendi vires per Orationes, Confessionem, & alia remedia spiritualia obtineri valeant.

70 In praxi igitur serius admonendi sunt Fideles, ne hujusmodi Sacramentum negligant suscipere, præsertim oblata majori opportunitate illud recipiendi: tum ne se privent maximo fructu, virtute Sacramenti consequendo: tum ne illud contemnere videantur. *Judicaretur enim contemptus, si omnimodo opportunitate oblata, non susciperetur*, inquit Doctor Subtilis *cit. quæst.* 2. solvens instantiam ex *c. Omnes Fideles. De Consecrat. dist.* 5. adductam.

71 CONCL. VI. Sacramentum Ordinis, atque Matrimonii non est necessarium singulis, sed tantum toti Ecclesiæ. Hæc Conclusio ex eo patet: quia neque singuli in particulari obligantur esse Sacerdotes, neque singuli tenentur nubere; quamvis, si nulli prorsus fierent Sacerdotes, aut nulli Matrimonium inirent, illinc Ecclesiastica Hierarchia, hinc autem legitima propagatio populi Christiani brevi esset interitura.

QUÆSTIO VI.

Additionalis,

SEU

APPENDIX,

Quænam Sacramenta, & quomodo pestiferis sint administranda?

SUMMARIUM

- * *Pestis quotuplex? Addit. I. & II.*
- * *Quænam sint signa pestis? Addit III.*
- * *Qualis sit obligatio administrandi Sacramentum Baptismi tempore pestis, Addit. IV.*
- * *Item Sacramentum Pœnitentiæ?*
- * *An se hæc obligatio etiam extendat ad Confessiones longiores, & Generales pestiferorum? Add. VI.*
- * *An sit obligatio Parochorum administrandi quoque Viaticum tempore pestis? Addit. VII.*
- * *Quidnam sentiendum sit de Sacramento Extremæ Unctionis? Add. VIII.*
- * *Quænam remedia præservativa tempore pestis à Ministris Sacramentorum sint utiliter adhibenda? Addit. IX.*
- * *Quænam circa administrationem Sacramentorum sint observanda in aliquo Collegio, seu Monasterio tempore pestis? Addit. X.*

Additio.

* PRænotand. I. Pestem aliam esse rigorose talem, aliam in sensu aliquo largiori, *Prima* est morbus epidemicus ortum trahens ex communi causa, puta ex aeris infectone, vel corruptione, vel ex venerosis terræ exhala-

exhalationibus &c. *Altera* est morbus malignus proveniens ex causa particulari, tempore famis ex crudiori quodam, & naturæ humanæ noxio alimento, vel deficiente ut plurimum pura & nitida aqua, ex pravo & putrido potu &c. Prior solet plerumque magis sævire, non faciens differentiam inter divites, & pauperes, Magnates, & plebejos; cum omnes debeant haurire aerem, sicque causa infectionis a peste fit communis. Posterior vero immediate solet plerumque magis afficere pauperes, quam divites, utpote qui ultimi ordinarie suis pecuniis possunt sibi adhuc, etsi valde caro pretio meliores cibos, & puriorem potum comparare. Ceterum licet posterior pestis immediate plerumque magis afficiat pauperes ac plebejos, quam divites, & Magnates, potest tamen etiam, nisi bene vigiletur, tamquam morbus contagiosus, & venenatus in hosce mediate, & successive derivari per ipsum contagium; ubi *

Additio II.

* Notand. II. Quod contagium dicatur ille morbus, qui ab uno transit in alium, etiam hunc inficiendo, quod plerumque solet contingere triplici modo, uti recte inquit Ildephonsus Tausch *in tract. de Moribundo, disp.* 1. *q.* 7. *num.* 155.

Imprimis per contactum immediatum, quando nimirum immediate per manum, vel aliter corpus pestiferi tangitur. *Secundo* per fomitem (uti vocant Medici) id est, per contactum mercium, vel etiam pecuniarum ex locis infectis venientium, & iterum expensarum absque eo, quod præcedenter abluantur in aceto &c. Item per contactum vestium, lecti, chartæ Epistolaris, necdum per acetum, vel fumigationem purgatæ, aliorumve utensilium pestiferi, præsertim si memorata ex lana vel ex lino fuerint. *Tertio* denique per ipsum halitum pestiferi attractum, prout facile evenire potest illis, qui pestiferis inserviunt &c.

Additio III.

* Notand. III. Signa alicujus pestis vel jam præsentis vel saltem imminentis esse, si non omnia certa, saltem probabilia sequentia. 1. Præcedens fames: exinde enim præsertim plebeii coguntur non raro vesci cibis valde crudis, & nocivis, ac in venenum degenerantibus. 2. Conjunctio malarum constellationum vel cometarum. 3. Aer ferme continuo nebulis repletus. 4. Exhalationes & vapores terræ male olentes. 5. Bufones in valde magna copia, & solito frequentiores apparentes. 6. Serpentes, talpæ, aliaque similia animalia alias subtus terram habitantia, si frequenter relinquant sua latibula, & progrediantur ad extra &c. 7. Hirundines, passeres, vel ciconiæ insperato, & tempore alias insueto in alias terras avolantes, vel hinc inde concidentes. 8. Pecora ac feræ in terris, vel pisces in aquis, si inveniantur mortui in magno numero. 9. Canes, lupi &c. si passim, & crebrius in rabiem aguntur. 10. Si carbunculi, aut bubones (a potiori vel in inguine, vel sub alis) aut parotides, seu tumores in aurium radicibus, & quidem figuræ non rotundæ, sed potius aliquo modo in longum protensæ appareant. Quod si apud plures hinc inde frequentes maculæ petechiales subnigri, aut lividi coloris cernantur, nec fiant præcautiones circa separationem &c. facile in pestem degenerare, & reliquam communitatem afficere possunt. De his, & aliis fusius Ildephonsus Tausch *de Moribundo num.* 596. & 597. Albertus Hueber in *Appendicem Bezoartici animalis veri. fol. apud me* 198. & *seqq.* ac Paulus Zachias in suis *qq. Medico-legalibus lib.* 3. *tit.* 8. *quæst.* 3. His prænotatis, *

Additio. IV.

* Quæritur I. An & qualis sit obligatio Parochorum parvulis neo-natis tempore pestis administrandi Sacramentum Baptismi? Resp. I. Regulariter loquendo obligantur sub gravi peccato per se, vel per suos Substitutos, aut pro pestiferis Expositos parvulis tempore pestis administrare Sacramentum Baptismi, idque etiam cum periculo infectionis, & propriæ vitæ, si aliæ præcautiones fieri non possunt. Ita Herincx, Gobat, la Croix, Henno, Bosco, ac sub his terminis communissima. Ratio est: quia Parochus, qui tamquam Pastor bonus animam suam debet ponere pro ovibus suis, tenetur vi Officii succurere oviculis suis in periculo vel articulo mortis constitutis; atqui tales infantes, præsertim a matre peste infecta nati, sunt revera constituti, si non in articulo, saltem in proximo periculo mortis, & quidem non solum temporalis, sed etiam spiritualis & æternæ: ergo. Dixi notanter *regulariter loquendo*: nam si in illo loco unicus adesset Parochus adhuc pro aliis suis oviculis tam sanis, quam peste infectis etiam forsan parvulis necessarius, prudenter is ageret, si stante tali periculo infectionis parentibus talis parvuli, vel obstetrici, aut aliis committeret officium baptizandi; dummodo securus sit, quod tales sufficienter sciant essentialia ad Sacramentum Baptismi requisita, vel eosdem (prout consulitur) statim ad initium circa hoc bene instruxerit.

Resp. II. Etsi Parochus ob periculum proximum infectionis in simili casu non obligetur ad omnes cæremonias in collatione Baptismi alias intervenientes; tenetur tamen, si fieri potest, applicare aquam benedictam, & ob mysterium Sanctissimæ Trinitatis trinam Facere affusionem. Ita apud Ildephonsum Tausch *loc. cit. n.* 171. Chapeaville *c.* 1. *qu.* 47. & *c.* 2. *q.* 14. atqui alii. Ratio est, quia ex una parte alias præcipitur utrumque sub gravi, atque ex eo, quod applicetur aqua benedicta, vel fiat trina affusio, non videtur crescere periculum proximum infectionis ex parte Sacerdotis, uti consideranti patet; cum hæc triplex affusio quoad brevitatem temporis non multum distet ab affusione unica, & absolvatur sub una, eademque forma essentiali.

Resp. III. Si Parochus, vel alius pro pestiferis Expositus debeat pluribus parvulis neo-natis conferre Sacramentum Baptismi, tunc prius unda hac salutari abluat illum, quem noscit magis vita periclitari; alias vero in paritate viciniorem, nisi Parentibus unius parvuli magis quam aliis ex alio vinculo adstringatur. Quod si ponas, Parochum, vel alium Expositum vocari ad certam domum, seu Nosocomium, ubi plures similiter parvuli necdum baptizati jacent, simulque prævidetur grave periculum, ne, dum cuilibet in particulari, ac successive confertur Baptismus, alii interea absque Baptismo decedant, in simili casu omnes in simul modo Apostolico, etiam a multis zelosis Missionariis usurpato, per aspersionem cum formula *Baptizo vos in nomine Patris & Filii & spiritus sancti* baptizentur; ubi tamen simul accurate attendatur, ut aqua & quidem in aliquali quantitate cujuslibet caput, vel pectus tangat tamquam partes principaliores, uti de hoc dicetur *dist.* 3. *quæst.* 2. *

Additio. V.

* Quæritur II. An, & qualis sit obligatio Parochorum, vel Substitutorum, & Expositorum administrandi infectis tempore pestis Sacramentum Pœnitentiæ? Ante responsionem suppono ex dictis *Tract.* 11. *dist.* 11. *post n.* 80. *Addit. II.* tempore pestis vehementissime grassantis, & præsertim deficientibus jam ut plurimum Pastoribus, ac pro pestiferis Expositis, obligationem tantummodo se extendere ad hæc duo Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ, peste infectis administranda. Hoc supposito Respondeo, hanc quoque obligationem regulariter adstringere Parochos sub gravi peccato per se, vel per Substitutos administrandi Sacramentum Pœnitentiæ: atque vel maxime quoque in similibus obligantur graviter Episcopi tamquam Parochi Parochorum pro possibili invigilare, ut hæc executioni mandentur.

Ita communis; atque ratio est, quæ prior, eaque fusius deducta videri potest apud Ildephonsum Tausch *de Morib. disp. 2. n. 445.* Hæc enim duo Sacramenta tanquam duæ post naufragium tabulæ sunt præ aliis necessaria. Quod si Parochus in sua Communitate habeat Cooperatores, vel Religiosos Expositos, prudenter aget, si hisce committat curam pestiferorum; ipse vero interea sanis inserviat, & in Parochialibus prospiciat. Demortuo autem Parocho obligatur Episcopus aliam provisionem facere tali communitati, atque, si hæc sufficienter fieri nequeat, saltem ex charitate obligantur *Inprimis* Alii in eadem communitate Beneficia Curata habentes. *Secundo* Religiosi Mendicantes, qui ab eadem communitate accipiunt alias eleemosynam. *Tertio* Religiosi non Mendicantes: & demum *Quarto*, his omnibus deficientibus, in summa necessitate, si pestiferi confiteri desiderant, Sacerdotes quoque simplices, utpote in extrema hac necessitate potestatem, & jurisdictionem absolvendi acquirentes. Item possunt in simili casu Superiores Regularium maxime nostri (puta Provinciales respectu suæ Provinciæ & Guardiani respectu Conventus) petitos ab Episcopis vel Parochis subditos suos in tali adeo gravi necessitate compellere per obedientiam formalem, ut se exponant in subsidium, si desunt alii capaces, qui ultro se ad id offerunt, ac sponte adire volunt; uti recte advertunt Rodriquez, & Sanchez apud Ildephonsum Tausch *loc. cit. num.* 457. ubi tamen vel Parochus, vel etiam communitas illa tenetur similibus providere de honesta substentatione: dignus enim est operarius, præsertim in tanto periculo, mercede sua. *

Additio VI.

* Quæritur III. An sit obligatio audiendi Confessiones pestiferorum longiores, vel etiam generales? Respond. negative regulariter loquendo; quia juxta dicenda infra *dist. 7. n. 35. ac seqq.* nemo tenetur cum tanto periculo infectionis ad Confessionem materialiter integram percipiendam; unde sufficit, si talis Expositus uno, alterove peccato gravi audito curet, ut de ceteris ad interim, usque dum denuo, si Deo placuerit, integræ sanitati restituatur, fiat accusatio in communi cum vero dolore, & firmo proposito, uti recte cum aliis notat Herincx *part. 5. disp. 3. qu. 5. n. 57.* potestque prædictus Expositus tales pestiferos, uno, alterove ex gravioribus peccatis audito, tamquam vel in articulo, vel saltem in periculo proximo mortis constitutos absolvere non solum ab omnibus peccatis, sed ab omnibus qu que Censuris, etiam Summo Pontifici alias reservatis: idque ultimum la Croix *lib. 6. n.* 1559. extendit ad inservientes pestiferis; cum & isti versentur semper in proximo mortis periculo. Imo Ildephonsus Tausch sæpius jam citatus hic *n.* 469. putat, eodem favore Concilii Tridentini absolvendi ab omnibus Censuris, & peccatis in locis contagiosis gaudere quoque necdum actualiter peste afflatos: cum prædicti, peste præsertim vehementius sæviente, saltem sint in probabili periculo, ne eadem afficiantur; unde etiam hi ad Sacramentorum receptionem sunt admonendi, ut anima reddatur secura circa æternam salutem, si forsan subito peste corripiantur, & divina Majestas iterum placetur. Quod si aliquando contingat, Parochum, seu Expositum vocari pro Confessionibus excipiendis ad quoddam tuguriolum, ubi in eodem cubili, vel etiam strato plures peste infecti decumbunt, qui nec commode ab invicem separari, nec ad aliud cubile deportari possunt ex una parte, ex altera vero, si quilibet eorum quodpiam peccatum exprimeret in particulari, a vicinis audiretur, vel grave foret periculum, ne, usque dum unus absolveretur, alter interim moreretur: in simili casu talis Confessarius neque adstringitur ad audiendum ullum peccatum in specie, & in particulari, sed exhortetur brevissime omnes in communi ad verum dolorem cum proposito, utque Confessionem suam in genere per tunsionem pectoris, aliudve signum exprimant, & sic omnes illos per unam formulam absolvat, e. g. dicendo: *Absolvo vos ab omnibus Censuris, & peccatis vestris in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.* *

Additio VII.

* Quæritur IV. An, & quæ sit obligatio ministrandi pestiferis sacrum Viaticum? Respondeo concordando Auctores apud la Croix *lib. 6. part. 1. n.* 484. inter se contrarios sequenti distinctione: vel enim pestis jam sævit in gradu nimis intenso, vel non? si posterius: adest obligatio gravis administrandi Viaticum, cum necdum infectionis videatur adesse periculum adeo propinquum, & ceteroquin per debitas præcautiones, si etiam aliqualiter illud imminere timeretur, posset in similibus circumstantiis commodius removeri, maxime, si Parochus, vel Expositus se non diu detineat, ac ceteras alias preces, & solitas ceremonias, uti licite potest, intermittat. Si prius: non video obligationem administrationis, si absit scandalum, & præsertim, si simul adsit paucitas Operariorum expositorum: nam ex una parte hoc non est Sacramentum mortuorum, nec necessarium necessitate medii, ex altera vero quoad conferentem videtur adesse periculum summum infectionis &c. Atque hanc puto fuisse mentem Gregorii XIII. quando in Epistola ad S. Carolum Borromæum declaravit, sufficere, si Parochi tempore pestis ministrent pestiferis Sacramentum Baptismi & Pœnitentiæ. Optimum erit consilium, si, quamprimum ingruit periculum pestis, atque nonnullæ personæ illius communitatis jam incipiunt hac lue indies magis, ac magis serpente, infici, alii homines vel privatim & in occulto e, g. in Confessionali (si id in communitate necdum sit notum) vel alias etiam per efficaces conciones publicas stimulentur, ut sibi mature de sua conscientia provideant exacta peccatorum Confessione, & sacræ Synaxis sumptione cum intentione, quod sumere intendant per modum Viatici. Sic scio Ratisbonæ ad pedem Pontis tempore ultimæ pestis fuisse a nostris practicatum, ubi in Ecclesia magnus quotidie erat confluxus Pœnitentium, & Communicantium. Unde factum est, quod plurimi brevi post hac lue infecti, & ad domum pestiferorum devecti absque ulteriori aliqua provisione obierint. *

Additio VIII.

* Quæritur V. An sit obligatio administrandi pestiferis Sacramentum Extremæ Unctionis? Resp. Præsente periculo infectionis non est obligatio administrandi Sacramentum Extremæ Unctionis. Ita cum Suarez, Bosco, Chapeaville & aliis communiter Ildephonsus Tausch *disp. 3. n.* 590. Ratio est, quia ex una parte non est obligatio gravis ex parte infirmi recipiendi Sacramentum Extremæ Unctionis juxta proxime dicta *nu.* 68. ergo nec videtur obligatio ex parte conferentis cum aliquo periculo infectionis. Quod si tamen administraretur ex sancto zelo, possent intermitti reliquæ preces, ac unica tantum juxta dicenda *dist.* 11. *n.* 15. fieri Unctio, & quidem etiam longiori aliquo instrumento in summitate sacro oleo tincto, ne ob majus periculum infectionis tangatur immediate corpus pestiferi. Atque taliter signantes approbavit Rituale Ruremundense Chapeaville apud Ildephonsum Tausch *loc. cit. n.* 593.

Ratisbonæ, dum pestis necdum ad extremum quasi gradum ascendit, existentibus adhuc in domibus privatis hominibus, tam Sacrum Viaticum, quam Extrema Unctio cum debitis præcautionibus, & abbreviationibus conferebatur; deportatis autem ad domum communem pestiferorum, & ibidem in magna copia jacentibus, si necdum fuerunt confessi, nec per modum Viatici communicati, sola sacra Synaxis ordinarie post brevem Confessionem porrigebatur. *

Additio IX.

* Quæritur VI. Quænam sint remedia præservativa, a Ministris Sacramentorum tempore pestis utiliter adhibenda? Resp. I. Remedia spiritualia esse sequentia. I. Serena, ac pura, vel saltem per Confessionem præviam bene purgata conscientia: defectus enim hujus facit Operarium timidum, ac timor causat horrorem in accessu ad pestiferos, ex quo non solum zelus prudens ac discretus erga infirmos retardatur, verum etiam facile hæc lues contrahitur &c. II. Cultus specialis Beatissimæ Virginis Mariæ, recitando e. g. quotidie in Ejusdem honorem quinque Psalmos speciales contra pestem, vel Antiphonam *Stella Cæli* singulare contra eamdem antidotum, a Medico cœlesti, nimirum S. Angelo, lue ista vehementissime Conimbriæ sæviente, nostris ibidem Clarissis præscriptum teste Francisco Gonzaga antea totius Ordinis Generali, postea Episcopo Mantuano &c. III. Singularis devotio præter alios Sanctos ad S. Sebastianum, S. Carolum Borromæum, S. Franciscum Xaverium, S. Rochum tamquam singulares contra pestem Patronos. Alii etiam quotidie cum magna fiducia sumpserunt non sine optato effectu benedictam schedulam Immaculatæ Conceptionis &c. Resp. II. Remedia naturalia præservativa equidem fuisse nonnulla jam præscripta *Tract. 11. dist. 1. quæst. 5. post num. 80. Addit. II.* merito ibidem videnda: interim adhuc Expositis suadetur I. Ut, antequam exeant ad pestiferos, sumant vinum medicatum ex succo absynthii, cardui benedicti &c. aut electuarium, vel acetum specialiter contra pestem præparatum, vel pulverem Bezoartico animalem, de quo Franciscus Albertus Hueber in suo speciali Tractatu, vel saltem offam, præsertim ex farina frixata confectam aceto mixtam. II. Si tempus permittat, faciant ante egressum actualem corpus & vestimenta sua fumigari positis ad prunas supremis apicibus, vel saltem granis juniperorum. III. Antequam domum pestiferorum, vel aliam infectam ingrediantur, curent (nisi sit periculum in mora) afferri vel ignem, aut candelam accensam, vel potius prunas, quas inter se, & infectum ponant, ac prævie hisce grana, vel saltem lignum juniperi imponi procurent: recentes cortices pomi citrini, aut grana juniperi, sive frustulum allii ore circumferant, vel saltem pixidem perforatam, in qua spongia oleo juniperorum, vel aceto & succo rutæ tincta continetur, naribus admoveant, talique odore spiritus vitales recreent &c. manum, salutando ægrotum, non porrigant, minus pulsum arteriæ apud ipsum explorent: insuper, ne halitum infirmi attrahant, omni possibili modo invigilent; unde nec se nimis appropient, nec diu detineant ultra necessitatem. IV. Iterum redeuntes vestimenta sua super ignem vel carbones, impositis simul granis, vel supremis apicibus, vel ligno juniperi purgent, &, si commode possint, etiam ad tempus mutent. Dicitur etiam, moderatus esus tabaci tam pulverisati, quam fumatilis tam ante, quam post visitationem non parum servire contra pestem. V. Si redeuntes sentiant citra vanam apprehensionem aliquas alterationes epidemicas, illico aliqua sudorifera e. g. Theriacam vel Bezoar sumant, ut sic venenum una cum sudore per poros expellatur: quamvis alias a percelebri Medico Alberto Huebero tempore pestis præcise NB. pro præservativo nimia sudorifera non consulantur, cum ob apertos per sudorem poros aura venenata faciliorem exinde ingressum habere videretur. Ex qua ipsa ratione suadetur, ut Expositi visitantes pestiferos gradiendo non nimium festinent, sicque sudare incipiant, item ut ante actualem ingressum in domum pestiferorum aliqualiter pausent, donec lenius, & lentius respirare possint, nisi nimirum periculum in mora aliud exigat. *

Additio X.

* Quæritur VII. Quænam circa administrationem Sacramentorum tempore pestis utiliter observanda sint in aliquo Collegio, seu Monasterio? Ante responsionem prænotandum, quod, nisi pestis adeo vehementer sæviat, ut tollat omne commercium hominum, quod (inquam) tali tempore populus soleat longe magis, quam alias, & cum majori devotione frequentare Divina, deponere Confessionem, & sumere Eucharistiam; unde quæritur, quænam præcautiones etiam ibidem sint prudenter faciendæ? Resp. I. Mane, antequam aperiatur janua templi, aliquis (circumspecte tamen ad evitandum periculum incendii) tam dormitorium, quam Ecclesiam circumeat cum prunis, quibus superimponantur grana juniperorum &c. II. Aperta janua, & etiam alias, si fiat compressio in Confessionali, vel apud sacram Communionem, moneantur homines, ut hanc compressionem intermittant, & ad invicem successive exspectent. Ratio hujus est; quia, si unus ex his occulte, etiam ignoranter præter intentionem peste actualiter jam esset infectus, per istam compressionem facillime posset venenum etiam in alios diffundi. III. Crates in Confessionalibus sint obductæ charta papyracea oleo tincta, vel cera, ut halitus Confitentium non adeo attrahatur a Confessario. Quod si id factum non fuisset, saltem Confessarii excipiendo Confessiones non ipsas facies directe convertant erga pœnitentes, moneantque eosdem cum prudentia & discretione, ut & illi vultum versus parietem vertere, & aliqualiter altius loqui velint. IV. Non interrogentur curiose pœnitentes, utrum jam peste aliqua infecti sint, ne & hisce, & sibimetipsis Confessarii apprehensionem & horrorem causent. V. Ultra necessitatem pœnitentes in Confessionali non detineantur. VI. Specialiter Expositi pro pestiferis, ut eos SS. Sacramentis provideant, a reliqua communitate tam quoad mensam, quam quoad dormitorium, & conversationem ex integro separentur; & determinetur ipsis particularis in Conventu habitatio commoda, nisi jam talem Magistratus, ut fieri deberet, pro ipsis constituerit, soletque, peste præsertim vehementius sæviente, in privato loco ejusdem habitaculi cum licentia Ordinarii reservari S. Viaticum, & oleum pro pestiferis infirmis. VII. Quod si apud portam petantur Confessarii ad infirmos, Janitor conscientiose petentes interroget de statu morbi: & si foret pestis, eosdem, nisi urgens necessitas aliter exigat, dirigat ad Expositos &c. VIII. Quando aliquis ex hac ipsa Communitate extra Expositos inficeretur peste, illico in locum aliquem a Communitate separatum deportetur, fiantque omnes reliquæ proportionaliter præcautiones, quæ apud alios pestiferos juxta jam dicta adhibentur, atque alii extra Confessarium, pro Sacramentorum administratione determinandum, forsan jam alias Expositum. & præter eum, qui ægroto inservit, non admittantur ad conversationem: etenim similis promiscua conversatio brevi posset totum Conventum inficere: unde etiam similis Confessarius, & Servitialis sint a reliqua Communitate separati, quantum possibile. Quod si numerus infectorum excresceret, & locus separatus infectos non amplius caperet, sicque communis Fratrum infirmaria applicari deberet; fiant saltem eæ cautelæ, quæ adhuc fieri possunt: determinetur pro his unus certus Confessarius, etiam hic, quantum erit possibile, a Communitate reliqua separandus, & præscriptas superius cautelas, & remedia applicaturus. Ceterum, si quis ex his ipsis moriatur, non in crypta Communitatis, sed extra absque multis cæremoniis sepeliatur in terra satis profunde, ne fœtor, & exhalatio aerem vicinum inficiat: lectus, & alia, quibus tempore infirmitatis pestiferæ fuerit usus, comburantur, & locus sepulturæ in Archivio Conventus annotetur. *

DISTINCTIO III.

De Baptismo, & Confirmatione.

QUÆSTIO I.

Quid sit Baptismus, & quo tempore institutus, quæque ejus obligatio?

SUMMARIUM.

1 *Hic sermo est tantum de Baptismo fluminis. Qui est janua Sacramentorum.*
2 *Baptismus, quid?*
3 *Fuit institutus a Christo ante suam Passionem.*
4 *Solvitur instantia.*
5 *Num institutus tempore Christi a Joanne baptizati?*
6 *Vel postea primum tempore oportuno?*
7 *Ad Baptismum suscipiendum tenentur omnes homines.*
8 *Infidelium filii, an possint baptizari invitis parentibus?*
9 *Præsertim licite? cum Addit.*
10 *Casus, in quibus hoc licitum est.*
* *Quid de amentibus sentiendum?*

1 IN præsenti sermo non est de Baptismo flaminis, neque de Baptismo sanguinis, sed dumtaxat de Baptismo fluminis; utpote qui solus absolute dicitur Baptismus, estque unicus, juxta illud *Ephes.* 4. *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma*, quique solus est Sacramentum, quinimo janua & *Fundamentum omnium Sacramentorum, ante cujus susceptionem non suscipitur aliud Sacramentum*, ut dicitur in *c. Veniens, de Presbyt. non baptizato.* Dummodo excipiatur Sacramentum Eucharistiæ: nam non baptizatus accipit verum Corpus Christi, si ei ministretur Eucharistia, prout ibidem notatur; quamvis illud fructuose non recipiat.

2 CONCL. I. *Baptismus* est Sacramentum ablutionis animæ a peccato, consistens in ablutione hominis aliqualiter consentientis, facta in aqua ab alio abluente, & in certis verbis simul ab eodem abluente cum debita intentione prolatis. Ita Scotus 4. *dist.* 3. *qu.* 1. Neque hæc definitio in re differt ab ea, quam tradit Cathechismus Romanus, dicendo: *Baptismus est Sacramentum regenerationis per lavacrum aquæ in verbo vitæ*: quamvis prior definitio naturam Sacramenti Baptismi clarius explicet, utpote continens omnia ad ipsum requisita.

3 CONCL. II. Baptismus, qui est janua reliquorum Sacramentorum novæ Legis, fuit a Christo Domino institutus, & quidem ante suam Passionem & mortem. Prima pars est de Fide, & constat ex dictis *dist.* 1. *n.* 7. & 9. Altera pars ex eo probatur: tum quia Baptismus est janua ceterorum Sacramentorum, sicque ante Sacramentum Ordinis, in ultima Cœna Discipulis collati, ipsiusque Eucharistiæ, institui debuit: tum quia Christus, vel potius ejus Discipuli jam leguntur baptizasse *Joan.* 3. & 4. & consequenter illo tempore Baptismus Christi jam fuit institutus; cum non sit credibile, Apostolos alium Baptismum contulisse, quam Christi.

4 Nec obstat, quod Christus primum post suam gloriosam Resurrectionem dixerit Apostolis *Matth.* 28. *Euntes docete omnes gentes; baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Resp. enim, tunc quidem Apostolis esse datum generale mandatum prædicandi Baptismum ubique terrarum, non tamen illo primum tempore fuisse institutum Baptismum.

5 Ceterum, quo determinato tempore Christus instituerit Baptismum, variant Doctores. Et quidem D. Thomas 3. *part. q.* 66. *art.* 2. cum suis, & multis aliis censet, Baptismum, in quantum Sacramentum est, fuisse institutum a Christo eo tempore, quo ipse a Joanne in Jordane baptizatus fuit. Et potest hæc sententia suaderi ex eo: quia tunc Christus tactu suæ mundissimæ carnis consecravit fluenta Jordanis, atque aquam naturalem pro materia Baptismi dedicavit. Insuper eodem tempore tota SS. Trinitas, in cujus nomine confertur hoc Sacramentum, simul apparere dignata est, dum Pater Cœlestis de cœlo loquebatur, *Hic est Filius meus dilectus*, Filius baptizabatur, & super eum Spiritus sanctus in columbæ specie apparebat.

6 Verum hæc sententia nonnullas patitur instantias: tum quia Christus, dum baptizabatur, non suscepit Sacramentum Baptismi, sed Baptismum Joannis dumtaxat, qui Sacramentum non erat: tum quia Christus eo tempore necdum prædicavit, neque Discipulos habuit, & consequenter non videtur tunc instituisse Sacramentum Baptismi; haud obstante, quod ex tunc consecraverit aquas Jordanis, imo & quamcumque aquam naturalem, ut esset materia apta Baptismi a se instituendi. Atque ideo Scotus 4. *dist.* 3. *q.* 4. & Scotistæ passim probabilius esse censent, Sacramentum Baptismi non pro tunc, quando Christus baptizabatur a Joanne, sed paulo post institutum fuisse tempore opportuno tamen ante illud tempus, quo Discipuli ejus baptizarunt, quamvis de tempore illo determinato ex S. Scriptura clare non constet.

7 CONCL. III. Ad Baptismum suscipiendum in statu Legis Evangelicæ post sufficientem ejus promulgationem tenentur omnes homines, unde etiam Judæi, ac Pagani obligantur præcepto recipiendi Baptismum. Ita Scotus 4. *dist.* 3. *q.* 4. D. Thomas *part.* 3. *q.* 68. *art.* 1. & Theologi communiter. Ratio est: quia omnes homines, etiam Pagani, atque Judæi, obligantur ad procurandam propriam salutem æternam; ergo etiam tenentur ad id, sine quo salutem consequi non possunt: atqui sine Baptismo nequeunt consequi salutem æternam, juxta illud Salvatoris *Joan.* 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.*

8 Quæres. Utrum infidelium filii invitis parentibus suis baptizari possint? Resp. Eos quidem valide baptizari, tamen ordinarie non esse licitum, invitis parentibus infidelibus eorum infantes baptizare. Ita Doctor Angelicus *loc. cit. art.* 10. aliique communiter. Ratio primæ partis est: quia ad valorem Baptismi ex parte infantium non requiritur propria dispositio. *c. Majores, de Baptismo.* Neque obstat ipsis parentum contradictio: quia infantes non baptizantur in fide suorum parentum, sed in fide totius Ecclesiæ, ac secundum voluntatem Christi.

9 Altera pars ex eo probatur; quia filii infidelium ante usum rationis secundum Jus naturale sunt sub cura parentum; & ideo contra justitiam naturalem esset, si tales pueri invitis parentibus baptizarentur. Accedit, quod periculosum sit, tales filios infidelium baptizare; quia de facili ad infidelitatem redibunt, propter affectum ad parentes, eorumque exemplum, unde neque Ecclesia hactenus consuevit filios infidelium invitis eorum parentibus baptizare.

Additio.

* Hæc ultima ratio magis me moveret, quam prima; cum infantes juxta statim dicenda in articulo mortis baptizari valeant invitis parentibus; adeoque patria potestas se non videtur extendere contra salutem prolium &c. Videatur desuper Jus Canonicum *lib.* 5. *tit.* 6. *n.* 53. & *seqq.* Ceterum in Quæsito *

10 Dicitur notanter *num.* 8. *id ordinarie non esse licitum.* Nam hinc excipiuntur aliqui casus. I. Si infans constitutus sit in articulo mortis: nam tunc cessat periculum subversionis, ac proinde potest baptizari etiam insciis, vel invitis parentibus; dummodo hoc fieri valeat absque gravioribus incommodis. Idem dicendum, si filii infidelium sint perpetuo amentes. II. Si infans ab infidelibus parentibus sit separatus, nec ipsis amplius possit, aut saltem non debeat restitui; nam tunc baptizandus est. III. Si unus e parentibus consentiat, altero dissentiente: quia tunc ob favorem Religionis, salutemque prolis præfertur voluntas consentientis in Baptismum, veluti justior. IV. Si proles ad usum rationis pervenerit, aut saltem pervenisse ex quibusdam indiciis colligi possit,

baptizarique velit: etenim in iis, quæ concernunt salutem animæ, homo non dependet a parentibus.

Additio.

* Indagabis. An amentes baptizari valeant? Respondeo sub distinctione: vel enim sunt perpetuo amentes & tunc comparantur infantibus, sicque eo modo, quo alii infantes baptizari possunt conformiter *can. Qui recedunt 16. q. 6.* Quod si vero tales aliquando usum rationis habuerint, nec unquam, dum erant compotes rationis, formaliter vel saltem interpretative Baptismum petierint, neque in statu amentiæ baptizari queunt; cum apud adultos ad valorem Baptismi requiratur consensus saltem aliquando habitus, & necdum positive revocatus. Quod si vero aliquando baptizari voluerint, & interea amentes facti fuerint, omnino baptizari poterunt, imo ex lege charitatis debebunt. *

QUÆSTIO II.

Quæ sit materia Baptismi, qualisque requiratur ablutio baptizandi?

SUMMARIUM.

11 *Materia Baptismi remota, & proxima, quæ?*
12 *Aqua Baptismalis de præcepto Ecclesiæ debet esse benedicta.*
   * *Varia notanda circa aquam Baptismalem.*
13 *Ad valorem Baptismi requiritur vera ablutio.*
14 *Corollarium.*
15 *Aliud Corollarium.*
16 *Ablutio Baptismalis potest fieri immersione, effusione, vel aspersione.*
17 *An trina effusio adhibenda?*
18 *In Baptismo, quæ pars corporis sit abluenda?*
   (a) Juxta dicta Tract. 1. Dist. 3. n. 57. & 58.
19 *Corollarium.*
20 *Quid agendum, si ablutio facta est in parte dubia?*
   * *Quid, si Infans adhuc sit secundina involutus, vel si Mater moriatur, antequam nascatur fœtus?*
21 *Puer projectus in flumen cum intentione ipsum baptizandi, an baptizetur?*

11 CONCL. I. Materia Baptismi duplex est, remota scilicet, & proxima. Ita omnes Doctores. Et quidem materia ejus remota est aqua naturalis, seu elementaris; prout non solum in Concilio Florentino, ac Tridentino definitum fuit, sed etiam constat ex pluribus S. Scripturæ locis, ut ex illo *Joan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto &c.* Idem *Actor. c. 8. Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?* & alibi. Materia proxima Baptismi est ipsa ablutio facta in aqua naturali.

12 CONCL. II. Licet ad valorem Sacramenti Baptismi sufficiat quælibet aqua, quæ quoad substantiam est naturalis, ex præcepto tamen Ecclesiastico ea debet esse certo ritu benedicta. Ita certa, & communis. Ceterum ejusmodi solemnis Benedictio Fontis, seu Aquæ Baptismalis peragitur Sabbato sancto ante Dominicam Resurrectionis, ac Vigilia Pentecostes; prout habetur in Missali Romano. Unde peccaret ille (& quidem juxta Toletum mortaliter) qui extra casum necessitatis uteretur ad Baptismum aqua non sic benedicta *arg. Clem. un. de Baptismo.*

Additio.

* Porro, si aqua benedicta tam imminuta sit, ut minus sufficere videatur, alia non benedicta admisceri potest, in minori tamen quantitate. Si vero eadem corrupta fuerit, aut quovis modo defecerit, Parochus in fontem bene mundatum, ac nitidum, recentem aquam infundat, eamque benedicat ex formula præscripta. Sed, si aqua conglaciata sit, curetur, ut liquefiat: si autem ex parte congelata, aut nimium frigida, poterit parum aquæ naturalis calefieri, & admisceri aquæ Baptismali benedictæ, ne noceat infanti. Ita Rituale Romanum hic. *

13 CONCL. III. Ad valorem Sacramenti Baptismi requiritur aliqua vera ablutio, nec sufficit simplex applicatio aquæ ad corpus absque ullo motu successivo, seu fluxu ipsius aquæ: sufficit autem quælibet aquæ quantitas, dummodo sit tanta, quæ possit successive contingere corpus quoad aliquam partem sufficientem ipsius. Ita communis. Ratio est: quia materia proxima Baptismi non est nuda aqua; sed ablutio per aquam facta; atqui vere nemo dicitur ablui, nisi aqua successive ab una parte corporis perveniat ad alteram: ergo.

14 Infertur proinde, quod ille non valide baptizaret, qui digito per aquam naturalem madefacto attingeret dumtaxat corpus baptizandi, absque ullo tractu, vel motu ipsius: secus foret, si per motum aquæ, vel digiti madefacti ablueretur pars sufficiens corporis baptizandi. Hinc non immerito approbant Doctores casum illum, quo femina infantem moribundum baptizavit madefacto aqua digito, ac ducendo Crucem per frontem infantis, simulque legitimam formam pronuntiando: hic enim vera, & sufficiens interveniebat ablutio.

15 Infertur ulterius, eum pariter non valide baptizaturum, qui aspergit alterum aqua naturali in tam modica quantitate, quod omnes guttæ persistant immotæ, ac nullo modo per corpus fluant. Revera enim in tali casu nulla interveniret ablutio hominis baptizandi: quia ad veram ablutionem omnino requiritur aliqua motio, seu fluxus aquæ abluentis; ut patet ex significatione vocis, ac communi modo concipiendi hominum.

16 CONCL. IV. Ablutio baptismalis potest fieri vel immersione, si baptizandus immergatur in aquam, vel affusione, ut si aqua fundatur super corpus baptizandi, vel aspersione, ut si baptizandus aspergatur aqua, in quantitate tamen sufficienti, ut actu fluat per sufficientem partem corporis. Ita rursum Doctores communiter. Et quidem certum est, ablutionem quolibet horum trium modorum peractam sufficere ad valorem Baptismi, licet secunda, quæ fit per affusionem, hodie communiter observari soleat.

17 Quamvis autem ad valorem Baptismi sufficiat unica ablutio Baptismalis, neque necessario requiratur trina affusio aquæ: nihilominus in praxi communiter trina affusio adhibenda est, juxta præscriptum veterum Canonum, *c. Postquam vos, & seqq. de Consecr. dist. 4.* ac Ritualium Diœcesanorum, quibus extra casum necessitatis debet Minister sese conformare.

18 Notanter autem in hac, & præcedenti Conclusione dictum est, *dummodo aqua fluat per sufficientem partem corporis baptizandi.* Etsi enim non sit necesse ad valorem Baptismi, ut totum corpus abluatur, sed sufficiat, si abluatur quædam pars ipsius sufficiens, variant tamen Doctores in assignando, quænam pars sit sufficiens. Et quamvis non desint Auctores, qui velint, absolute loquendo validum esse Baptismum abluta quacumque etiam minima corporis parte: id tamen communior opinio vel negat, vel saltem incertum putat. Hinc in praxi semper tutior pars, quantum fieri poterit, est eligenda, ne Sacramentum homini tantopere necessarium sine causa exponatur periculo invaliditatis, vel dubietatis. (a)

19 Infertur proinde, quod, si Baptismus possit fieri in capite, in illo sit merito conferendus: quia caput est præcipua pars hominis, in qua principales sensus vigent, & a qua maxime totus homo potest denominari: unde caput est certissima, & sufficientissima pars pro collatione Baptismi. Quod si hoc commode fieri non possit, tunc in casu necessitatis, utputa propter periculum mortis, in quo versatur infans nondum perfecte natus, semper facienda est ablutio in alia parte principaliori, quantum fieri potest.

20 Si vero pars illa sit minus principalis, ac proinde dubia (qualis secundum Scotum 4. *dist.* 4. *q.* 3. non solum est digitus, sed etiam manus, pes, ac hujasmodi) tunc

tunc si infans evadat periculum, ac perfecte nascatur, iterum baptizandus est sub conditione; prout notatur *c. De quibus. De Baptismo*, atque præter Rituale Romanum *Titulo de Bapt. §. de baptizandis parvulis*, in Ritualibus Diœcesanis Parochi plenius informantur. Insuper sciendum, quod, si parvulus cum Baptismo dubio moriatur, is sepeliendus sit in terra benedicta: quia ad hanc jus acquisivit ob probabilitatem sui Baptismi.

Additio.

* Quod si ponas, infantem aliquem adhuc secundinis involutum totaliter clausum in utero matris: talis, si aliud remedium, quo vivus ex utero matris eximi queat, non superesset, nihilominus modo honestiori, quo fieri potest, intra uterum matris aqua modica, ac tepefacta baptizetur sub conditione, supposito, quod aqua per artem, & instrumenta pertingere valeat ad corpus infantis, prout praxin adducendi eamdem illuc describit Gobat hic *tit. 2. n. 57.* Quamvis enim talem ablutionem constituere Baptismum validum negent apud Comitolum *Respons. Moral. lib. 1. q. 13.* plures etiam graves non sine ponderosa ratione Doctores existimantes, non posse per Baptismum renasci spiritualiter, qui nondum natus est corporaliter; prout innuit ipsum Jus Canonicum *can. Qui in Maternis 115. dist. 4. de Consecratione.* Non desunt tamen etiam alii, qui probabiliter valorem ejus defendunt cum Pignatello *tom. 1. consult. 103.* Si enim (inquiunt isti) parvulus in utero materno in odium fidei occisus juxta Scotum in *4. dist. 4. q. 3. n. 2.* vere baptizatur Baptismo sanguinis, cur non similiter ablutus aqua baptizetur ibidem Baptismo fluminis; cum uterque in utero materno adhuc existens contraxerit maculam peccati originalis, sicque videatur capax remedii ablutivi hujus maculæ? Canon in contra allegatus non est decisio Pontificia; sed tantum opinio privati Doctoris, nimirum Isidori: patet autem ex Prolegomenis Juris Canonici, similes opiniones Decreto Gratiani insertas non facere auctoritatem Juris certam. Ceterum nota hic incidentaliter Confessarie, quando vocaris ad feminam gravidam periculose decumbentem, eamque vix finita Sacramentali absolutione deprehendis mortuam, ut invigiles, quatenus illico os mortuæ aperiatur, ne infans, si forsan adhuc vivat, suffocetur, possitque mature a peritis in arte, puta chirurgis, exscindi, ac baptizari. Vide la Croix *lib. 6. part. 1. n. 293.* *

21 CONCL. V. Dubium sane, num puer cum intentione ipsum baptizandi projectus de ponte in fluvium vel fontem, ubi submergendus est, sit valide baptizatus? Quamvis non desint Doctores, asserentes, talem Baptismum valere (inter quos sunt Suarez, Vasquez, Layman, & plures alii Recentiores) attamen rationabiliter, & magis probabiliter negatur cum Doctore Subtili *4. dist. 5. q. 3.* Ratio hujus sententiæ negativæ est: quia in tali casu deest ablutio, requisita ad valorem Sacramenti Baptismi. Etsi enim videatur hic intervenire immersio pueri in aquam, ea tamen non tam est immersio, quam submersio pueri in fontem, vel fluvium præcipitati; cum ex natura sua tendat ad mortem parvulo inferendam. Unde nec is ablui dicendus est, sed potius submergi: nam ablutio hominis debet fieri salva vita ipsius, saltem quantum est de se, atque ex natura ipsius ablutionis.

QUÆSTIO III.

De Forma Sacramenti Baptismi.

SUMMARIUM.

22 *Forma Baptismi, quæ?*
23 *Qua forma utantur Græci?*
24 *Tria in forma Baptismi exprimenda.*
25 *In ea debet exprimi & Unitas, & Trinitas Personarum.*
26 *Quid, si ly. In nomine, ter repetatur?*
27 *Baptismus in nomine Christi, defacto non valet.*
28 *An olim validus fuerit?*
29 *Quæ forma sit adhibenda in Baptismo dubio?*
30 *Forma Baptismi. In nomine Patris &c. an sufficiat?*

22 CONCL. I. Vera, & legitima forma Sacramenti Baptismi est hæc: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Ita Fides Catholica. Et hæc forma, quæ in tota Ecclesia Latina semper fuit observata, atque etiamnum observatur, desumitur ex illis verbis Christi *Matth. 28. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

23 Verum quidem est, quod in Ecclesia Græca jam a tempore Apostolorum, atque ex eorum ordinatione, ex instinctu Spiritus sancti, ob gravissimas causas facta (ac præcipue ad tollendum errorem, & Schisma Græcorum, de quo fit mentio *1. Cor. 1.*) observetur paululum alia forma Baptismi, nempe hæc: *Baptizetur servus Jesu Christi in nomine Patris &c.* quæ forma pariter certa est, ac sufficiens, & a Græcis de præcepto observanda: tamen re ipsa non differt a priori: nam quod verbo activo, *Ego te baptizo*, dicunt Latini, hoc idem verbo passivo, *Baptizetur servus Jesu Christi*, significant Græci. Sed imposterum ex professo erit sermo de forma Baptismi, aliisque Ritibus Sacramentorum in Ecclesia Latina usitatis.

24 CONCL. II. In forma Baptismi necessario necessitate Sacramenti (ita nempe, quod alioquin eo non expresso nullum fieret Sacramentum) debent exprimi sequentia tria. I. Persona, quæ baptizatur; quod fit per ly *Te.* II. Actio baptizandi; quod fit per ly *baptizo.* III. Invocatio SS. Trinitatis; quod fit per ly *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Desumitur hoc totum ex forma Baptismi a Christo præscripta *cit. c. 28. Matthæi.* Unde declaravit Alexander Papa III. & habetur *cap. 1. De Baptismo. Si quis puerum ter in aqua immiserit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen; & non dixerit, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen: non est puer baptizatus.* Hæc ibi.

25 CONCL. III. Ob eamdem rationem, sive institutionem Christi *Matth. c. 28.* nobis indicatam, requiritur, ut in forma Baptismi necessario necessitate Sacramenti exprimatur non solum Trinitas Personarum, sed etiam Naturæ Unitas, quæ significatur per ly *In nomine.* Unde infertur cum Suarezio *disp. 21. sect. 3.* & aliis, hanc formam, *Ego te baptizo in nominibus Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, esse insufficientem ad valorem Sacramenti Baptismi: quia in ipsa fit substantialis mutatio.

26 Aliter dicendum est de hac forma, *Ego te baptizo in nomine Patris, & in nomine Filii, & in nomine Spiritus sancti.* Hæc enim valet: quia, licet ly *in nomine* ter repetatur, non tamen significat pluralitatem Naturæ Divinæ, sicut ly *in nominibus*: prout a pari absque pluralitate Divinæ Naturæ dicitur *Deus Pater, & Deus Filius, & Deus Spiritus sanctus*; quamvis dici non possit, *Dii Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.*

27 CONCL. IV. Baptismus defacto collatus in nomine Christi tantum, nec est validus, nec licitus. Ita Herincx *disp. 5. de Baptismo, q. 4. n. 45.* & alii: idque desumitur ex *c. Multi sunt. De Consec. dist. 4.* ubi rejicitur Baptismus *in nomine solummodo Christi* collatus. Atque hoc ipsum videtur tenere communis praxis, & sensus Fidelium; quamvis Sannig *dist. 2. de Baptismo, q. 9. n. 6.* dubitet, ac indecisum relinquat, num defacto valeat Baptismus in nomine Christi collatus.

28 Dicitur notanter in Conclusione, *defacto.* Nam in primitiva Ecclesia Baptismus in nomine Christi tantum collatus, ex speciali dispensatione Divina, & Apostolis revelata, videtur fuisse validus, ac licitus; uti tenent Scotus *4. dist. 3. q. 2.* D. Thomas, S. Bonaventura, & communior Theologorum, paucis exceptis. Et hoc factum fuisse creditur ex speciali dispensatione Divina ad glorificandum magis SS. Nomen JESU, tempore primitivæ Ecclesiæ Judæis, atque Gentilibus summe

summe exosum. Idque desumitur ex S. Scriptura: nam *Actorum c. 2.* S. Petrus, repletus Spiritu sancto, praecepit, dicens: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi.* Item *Actor. cap. 8.* dicitur: *In nomine Jesu baptizabantur viri, ac mulieres.* Et *c. 10. Jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi.* Hinc etiam Nicolaus Papa I. ut refertur *can. A. quodam Judaeo. De Consecr. dist. 4.* dicit, eos, *qui in nomine SS. Trinitatis, vel tantum in Christi nomine, sicut in Actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt*, non esse denuo baptizandos.

29 Quaeres. Quaenam forma sit adhibenda, si probabiliter dubitatur, an quis sit baptizatus? Resp. hoc patere ex Jure Canonico *c. 2. de Baptismo*, ubi sic habetur: *De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizantur his verbis praemissis: Si baptizatus es, non te baptizo: sed, si nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris &c.* Haec ibi. Quamvis nonnulla Ritualia Dioecesana priorem partem omittant, dicendo tantum in tali casu; *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris &c.*

30 Quaeres ulterius. An Sacerdos ille valide baptizaverit, qui ignarus linguae Latinae hac forma usus est: *baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritu sancta.* Respondet Zacharias Papa (& habetur *can. Retulerunt. De Consec. dist. 4.*) affirmative, his verbis: *Si ille, qui baptizavit, non errorem introducens, aut haeresin, sed pro sola ignorantia Romanae locutionis infringendo linguam, ut supra, baptizans dixisset, non possumus consentire, ut denuo baptizentur*: & consequenter sic baptizati censentur valide baptizati, eo quod non contigerit error substantialis in forma, sed dumtaxat error Latinitatis ob imperitiam baptizantis.

QUAESTIO IV.

De Ministro, & quibusdam aliis Baptismum concernentibus.

SUMMARIUM.

31 *Minister Baptismi potest esse quilibet homo.*
32 *In casu necessitatis, quid observandum?*
33 *Extra necessitatem, cui competat baptizare? cum Addit.*
34 *An Diaconus, vel Subdiaconus possit solemniter baptizare?*
* *In quo loco debeat conferri ordinarie Baptismus?*
35 *An valeat Baptismus, uno materiam, & altero formam adhibente?*
36 *Observanda a Ministro Baptismi.*
37 *Quid agendum de Monstris?*
* *Ponitur valde notabilis casus. Addit. I.*
* *Quid faciendum cum foetu abortivo? Add. II.*
38 *Poenae reiterantium Baptismum.*
39 *Quid de rebaptizante sub conditione?*
(b) Ut dictum Tract. 13. dist. 3. num. 11.
* *Quandonam rationabiliter possit Baptismus conditionate conferri? Addit. I. & II.*
40 *Patrini in Baptismo, qui?*
* *Quomodo inter Patrinum & Baptizatum contrahatur cognatio.*

31 CONCL. I. Quilibet homo ratione praeditus potest esse Minister Baptismi, ita ut Sacramentum valeat: ac proinde validus est Baptismus, etiamsi conferatur a Pagano, vel Haeretico, aut a Muliere, vel Ministro malo, dummodo omnia alia necessaria adhibeantur. Ita Scotus *4. dist. 5. qu. 1.* cum communi: & habetur decisum *can. Romanos, & seqq. de Consecr. dist. 4* juncto *c. Firmiter. De Summa Trinit.* & Concilio Florentino *in Decreto Unionis.*

32 In praxi tamen observandum est, ut in casu etiam necessitatis Sacerdos praesens praeferatur Diacono, & Diaconus Subdiacono, ac Clericus alius Laico, & vir feminae: nisi pudoris gratia deceat, feminam potius, modi baptizandi gnaram, quam virum baptizare infantem in mortis periculo constitutum, ac nondum plene natum; vel nisi melius femina, utputa obstetrix examinata, & approbata, sciat formam & modum Baptismi: prout passim solent monere Ritualia Dioecesana.

33 CONCL. II. Nihilominus extra casum necessitatis baptizans, cui id jure, vel ex officio non competit, peccat. Ita communis. Et hoc quidem esse peccatum mortale, docent Suarez, Navarrus, Scotus, aliique, quos citat, & sequitur Layman *lib. 5. tr. 2. c. 7.* quia SS. Canones, ob honorem Sacramenti Baptismi, severe praecipiunt, ut Sacerdos extra casum necessitatis solemniter baptizet. *Clem. un. de Baptismo.* Quinimo munus baptizandi ex officio competit soli proprio Sacerdoti, seu Parocho: nisi is alicui alteri licentiam baptizandi concedat.

Additio.

* Quod si casum ponas, mulierem alias non vagam, sed pertinentem ad Parochiam A. inexspectato peperisse in loco aliquo spectante ad Parochiam B. talis proles pro solemni Baptismo (nisi proprius Parochus sponte cedat) deportari debet ad Parochiam propriam Matris A. Quod tamen intellige, si talis deportatio sine periculo vitae ipsius prolis fieri queat; nam secus collatio Baptismi potius spectaret ad Parochum Parochiae B. non obstante, quod pro tunc etiam praesens foret Parochus Parochiae A. vel facile accersiri posset; cum Parochus extra suos terminos nequeat jus aliquod exercere Parochiale, *can. 1. caus. 13. qu. 1.* Videatur Stanislaus Karg in sua triplici correlatione Canonica, & in suo Manuali Theologico Canonico *part. 1. de Administr. Bapt. dub. 2.*

34 CONCL. III. Ex Episcopi, vel proprii Sacerdotis commissione, ob rationabilem causam facta, non solum alius Sacerdos, sed etiam in causa necessitatis, & deficientibus Presbyteris Diaconus solemniter baptizare potest, non autem Subdiaconus, vel alius Clericus inferior poterit solemniter baptizare ex tali commissione. Ita desumitur ex *c. Diaconos, dist. 93.* juncta Glossa *ibid. vers. Necessitas*, & tradit Layman *loc. cit. n. 3.* citans alios.

Additio.

* Porro locus ordinarius, in quo regulariter a Ministro Baptismus conferri debet, est Ecclesia, in qua fons Baptismalis existit. Ita praeter Rituale Romanum hic expresse habetur *Clem. unic. de Bapt.* ubi tamen excipiuntur Proles Regum, ac Principum: item si alias necessitas emerserit, propter quam absque periculo talis tenellus infans ad Ecclesiam deferri nequit e. g. tempore intensi frigoris, aut aestus, vel ob debilitatem; ubi merito obstetricibus, vel aliis personis rerum gnaris, & aliquod periculum vel prudentem adesse timorem asserentibus, fides habenda est, nec nimis scrupulose in hoc agendum, uti recte notat Ildephonsus Tausch *in tr. de Moribundo, disp. 1. q. 1. n. 33.* Quinimo Pater Engel apud Schmalzgrueber *lib. 3. decret. tit. 42. n. 50.* & apud Karg hic *part. 1. dub. 4.* idem, quod jus concedit Principibus & Regibus, etiam admittit quoad alias personas Illustres & potentes, si in aliquo loco vigeat talis consuetudo, habens nimirum conditiones ad legitimam consuetudinem requisitas; uti addit P. Tausch *loc. cit. n. 32.*

35 CONCL. IV. Non valet Baptismus a pluribus collatus, uno eorum adhibente materiam, & altero proferente formam; dum scilicet unus aquam affundit, & alter verba formae Baptismi profert. Ita Scotus *4. dist. 6. qu. 2.* D. Thomas *part. 3. q. 67. art. 7.* & alii. Ratio est: tum quia hoc est contra Christi institutionem, ut patet ex praxi Ecclesiae, & communi sensu Doctorum: tum quia in tali casu significatio formae esset falsa: nam alter dicendo, *Ego te baptizo &c.* cum non ipse, sed alius baptizaret, falsum enuntiaret.

36 CONCL. V. Minister Baptismi extra casum necessitatis, ac solemniter baptizans diligenter proprium Rituale Dioecesanum revideat, atque exacte observet, quae-

quæ in eo præscribuntur observanda circa Baptismum, sive parvulorum, sive adultorum, singulasque Cæremonias ibidem ad longum descriptas. Hæc conclusio certa est: nam quilibet Minister Sacramentorum tenetur observare laudabiles Ritus suæ Ecclesiæ. Ceterum, quia ea, quæ circa Cæremonias Baptismi conferendi describuntur in Ritualibus Diœcesanis, sunt longiora, simulque in aliquibus variant, hoc loco omittuntur. Solum pro complemento hujus materiæ,

37 Quæres I. Quid agendum sit de Monstris? Resp. Monstrum, quod humanam speciem non præ se fert, baptizari non debet: uti econtra absque scrupulo baptizari necesse est, quando præ se fert caput, & pectus figuram hominis, quamvis una vel altera pars minus principalis ferinum quidpiam portendat. Quod si caput figuram feræ, pectus vero figuram hominis exhibeat, vel aliunde dubium oriatur, an talis fœtus homo sit, nec ne? atque ob periculum in mora non pateat recursus ad Reverendissimum Ordinarium, in simili casu baptizetur sub hac conditione: *Si tu es homo, ego te baptizo in nomine Patris &c.* Si autem Monstrum habeat plura capita, & plura pectora, signum erit, quod totidem habeat corda, & animas, ac proinde, quod sint homines distincti, seu duo Gemelli concreti: unde eo casu singuli eorum sunt seorsim baptizandi, unicuique dicendo: *Ego te baptizo in nomine Patris &c.*

Additio I.

* Dices. Potuit contingere, quod tale Monstrum e. g. habens caput ferinum fuerit partialiter saltem procreatum ex semine bestiæ; ergo neque conditionate debet baptizari. Respondeo, nostram conclusionem esse intelligendam de tali monstro, quod est procreatum utrobique ex semine humano. Quod si autem ponere vis casum aliquem extraordinarium, nimirum quod ad procreationem talis monstri figuram hominis in partibus saltem principalibus præ se ferentis, concurrerit partialiter una cum semine humano etiam bestia, non desunt Doctores resolventes in tali quoque casu monstrum illud esse conditionate baptizandum; eo quod tunc possit non omnino improbabiliter inferri, in simili conceptione prævaluisse quoad generationem semen humanum. Videantur de hoc la Croix *de Baptismo n.* 296. & Paulus Zachias *lib.* 7. *tit.* 1. *q.* 4. *n.* 5. *& seqq.* *

Additio. II.

* Quæres II. Quid agendum quoad fœtum abortivum? ubi nota, tempus ordinarium a conceptione usque ad partum esse novem circiter menses: qui si notabiliter abbrevientur, dicitur femina parturiens abortum passa. H. N. Resp. Si fœtus esset etiam tantummodo imperfecte organizatus, & ante quadragesimum a conceptione diem in lucem editus, deberet tamen conditionate baptizari, si per motum, vel aliter det aliquod signum vitæ. Ratio est: quia, etsi sit probabilius, fœtum ante quadragesimum diem non informari anima rationali, nec tamen contraria sententia est prorsus improbabilis. *

38 Quæres III. Quænam sint pœnæ reiterantium Baptismum? Resp. I. Gravissimum Sacrilegium committitur ab eo, qui sciens absolute rebaptizat hominem, quem constat valide fuisse baptizatum: simulque talis temere rebaptizans incurrit ipso facto irregularitatem. Ita communis; & colligitur ex *cap.* 2. *de Apostatis & reiterantibus Baptisma.*

39 Addit Tannerus *tom.* 4. *dis.* 4. *q.* 2. *n.* 109. & 120. post Scotum, Suarez, & Vasquez, non multo levius peccaturum eum, qui quempiam, de quo nullum est morale dubium, quin vere baptizatus sit, denuo etiam sub conditione rebaptizat, quamvis talis sub conditione solum temere rebaptizans non incurrat irregularitatem. (*b*)

Additio I.

* Dicitur notanter, illum, quamvis ab irregularitate, non tamen a peccato immunem esse, qui rebaptizat conditionate, ubi nullum est morale, seu rationabile dubium de valore Baptismi. Quod si vero dubium rationabile adesset, taliter rebaptizans haud dubie a peccato omnino eximeretur. Censetur autem sane dubium rationabile I. Si infans fuerit ab alias inexpertis mulieribus subito ingruente necessitate privatim baptizatus, ubi facile circa materiam, vel circa applicationem materiæ & intentionem ex perturbatione, & passionum præoccupatione, vel circa formam, aliqua substantialia omittendo, vel nova superaddendo, potuit irrepere error substantialis, prout non raro ostendit ipsa experientia, quando obstetrices non fuerint electæ circumspectiores, quam vulgus mulierum, integræ famæ, versatæ, & probatæ in aliis jam periculis; unde etiam similes personæ baptizatæ sæpius patiuntur extraordinarias dæmonum infestationes, vel apparitiones. II. Si infans expositus, quamvis etiam cum scheda testante de Baptismo fuerit inventus: talis enim scheda videtur partim suspecta, maxime, si in illo loco Judæi execrantes Baptismum permixti cum Catholicis existunt, partim etiam in illo ipso Baptismo infantis expositi privatim collato facile potuit irrepere, uti antea, error substantialis, prout fusius exemplificant Doctores infra citandi. Quod si tamen e. g. Mater infantis expositi aufugisset, & conformiter schedæ adjunctæ inveniretur nomen infantis in ipso libro Baptismali de Baptismo collato attestante, haud dubie non deberet rebaptizari. III. Si quis fuit baptizatus ab Hæretico in iis locis, in quibus impunite grassantur diversæ incognitæ Sectæ, seu de quibus non constat sufficienter, qualem materiam, ac formam, & modum in Baptismo adhibeant, & num substantialia observent, nec ne? uti alicubi dicuntur Pastores proferre formam Baptismi super cathedram, & interim alii infra eamdem affundere aquam super baptizandum &c. plane in his, & similibus casibus non argueretur imprudentiæ, & consequenter neque peccaret, qui conditionate rebaptizaret.

Additio. II.

* Ceterum adhuc observandum est, quod quoad talem Baptismum, stante dubio tantum conditionate repetitum, secundum aliquos respectu adultorum (quod saltem procedit, si dubium hoc aliis sit incognitum, aut alias in novo Baptismo interveniret periculum infamiæ) non necessarius sit locus sacer, neque Parochus baptizandi, nec præsentia novi alicujus Patrini; nam Canones, qui innuere videntur contrarium, loquuntur solummodo in casu, quo Baptismus de novo absolute confertur. Insuper si constat, in primo Baptismo dubio adhibitas fuisse Cæremonias sacras, neutiquam opus est easdem reiterare in altero Baptismo conditionate conferendo. Videantur Kazenberger *in Supplem. Theolog. Sacram. cap.* 1. *sect.* 2. *num.* 70. *ac seqq.* atque apud eumdem Quintanadvenas *sing. tract.* 1. *singul.* 17. & 18. Et la Croix *lib.* 6. *part.* 1. *n.* 318. *& seqq.* *

40 Quæres IV. Quid sentiendum de Patrinis? Resp. Quod in Sacramento Baptismi unus tantum Patrinus, sive vir sive mulier, vel ad summum unus & una baptizatum de Baptismo suscipiant; inter quos & baptizatum ipsum & illius patrem & matrem spiritualis cognatio contrahitur. Ita expresse statuit Concilium Trid. *sess.* 24. *cap.* 2. *de reform. Matrim.* juncto *c. Non plures*, *de Consecr. dist.* 4. & *c. Quod autem* 30. *qu.* 4.

Additio.

* Ut autem inter Patrinum, & Baptizandum contrahatur cognatio spiritualis, debet dictus Patrinus per se, vel per suum Procuratorem assistere pro tunc, quando actualiter Baptismus confertur; unde non sufficeret,

si Baptismo prius jam collato v. g. ob ingruentem necessitatem prolis, solis postea aliis cæremoniis præsens foret. Item insuper, ut cognatio hæc contrahatur, debet is per se, aut per Procuratorem suum baptizandum sub actuali Baptismo saltem mediis vestibus, aut fasciis attingere, vel ad minus immediate e manibus Sacerdotis baptizantis recipere, quando habetur consuetudo, quod sub actuali Baptismo solus Sacerdos baptizans infantem teneat. Videatur Jus Canonicum *lib.* 4. *decret. tit.* 11. Ubi etiam *n.* 23. expressum invenies, quod in casu, quo quis alterius nomine infantem levat, non ipsemet Procurator, sed potius alter, in cujus nomine officium peragit, cognationem spiritualem contrahat. *

QUÆSTIO V.

De Sacramento Confirmationis.

SUMMARIUM.

41 *Confirmationis dignitas.*
42 *Sacramentum Confirmationis, quid?*
43 *Materia ejus remota, & proxima. Et forma, quæ?*
44 *Fuit a Christo institutum in ultima Cœna.*
45 *Episcopus est ordinarius Minister ipsius.*
46 *An & simplex Sacerdos ex commissione Papæ?*
47 *Generale præceptum de recipienda Confirmatione non extat.*
(c) Juxta dicta Dist. 2. n. 68. & seqq.
48 *Prima Tonsura initiandi debent prius esse confirmati.*
49 *An peccetur mortaliter, si secus fiat?*
50 *Qua ætate hoc Sacramentum recipiendum?*
51 *Ad id qualis dispositio in adultis requiratur?*
(d) Videantur dicta Dist. 2. n. 28. & 29.
52 *Non potest reiterari.*
(e) Dist. 1. quæst. 4. per totum.
53 *Sed reiterans non fit irregularis.*
(f) Vide tract. 13. dist. 3. n. 10.
54 *In Confirmatione debet intervenire Patrinus.*
55 *Et alius a Patrino in Baptismo.*

41 Quandoquidem Confirmatio est veluti perfectio, & consummatio Baptismi, adeo ut sine ea quis non inveniatur plenus Christianus. *arg. c. Omnes. fideles. De Consecr. dist.* 5. Merito post Sacramentum Baptismi agitur de Confirmatione, per quam Spiritus sanctus infunditur, gratia Baptismalis roboratur, & cor fidele ad patientiam & constantiam dilatatur.

42 CONCL. I. *Sacramentum Confirmationis* est unctio hominis viatoris, facta in fronte, in figura Crucis cum Chrismate sanctificato, & hoc a Ministro idoneo, simul debita verba proferente, significans efficaciter ex institutione Divina Unctionem animæ per gratiam roborantem, ad confitendum cum fiducia fidem Christi. Ita Scotus 4. *dist.* 7. *q.* 1. Vel, si placet, brevius: *Confirmatio* est Sacramenium novæ Legis, quod baptizatis confertur per sacri Chrismatis in fronte inunctionem.

43 CONCL. II. Materia remota Confirmationis est Chrisma compositum ex oleo olivarum & balsamo, ac specialiter benedictum ab Episcopo. Materia vero proxima ipsius est unctio facta in fronte, in figura Crucis, cum Chrismate sanctificato. Porro forma ipsius est talis: *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ita communis; & habetur expressum in Concilio Florentino *in Decreto Unionis.*

44 CONCL. III. Sacramentum Confirmationis a Christo institutum fuit, & quidem verisimilius in ultima Cœna. Prior pars est de Fide, & patet ex dictis supra *dist.* 1. *n.* 8. & 9. Altera pars ex eo suadetur: quia Christus Dominus in ultima Cœna Apostolos circa hoc Sacramentum instruxit, eosque docuit Chrisma conficere, prout desumitur ex auctoritate S. Fabiani Papæ *epist.* 2. *c.* 1. *ad Orientales*, ubi ait: *In illa die Dominus Christus Jesus, postquam cœnavit cum Discipulis suis, & lavit eorum pedes, sicut a sanctis Apostolis Prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt, Chrisma conficere docuit.*

45 CONCL. IV. Ordinarius hujus Sacramenti Minister est solus Episcopus. Ita omnes Theologi; ac præter Concilium Florent. *loc. cit.* fuit novissime definitum in Concilio Trid. *sess.* 7. *can.* 3. *de Confirmatione*, his verbis: *Si quis dixerit, sanctæ Confirmationis ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.*

46 Dicitur, *Confirmationis ordinarium Ministrum.* Nam ex speciali commissione Summi Pontificis, posse etiam simplicem Sacerdotem conferre Sacramentum Confirmationis, passim fatentur Doctores; idque desumitur ex *c. Pervenit, dist.* 95. ubi S. Gregorius Magnus concessit Sacerdotibus in Sardinia hoc Sacramentum in absentia, atque defectu Episcoporum ministrare. Idem desumitur ex Concilio Florentino *in Decreto Unionis*, ubi, cum dictum esset, quod ordinarius Minister hujus Sacramenti sit Episcopus, subjungitur: *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili, & urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem, Chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse Confirmationis Sacramentum.* In quo casu, ut observat Sannig *dist.* 3. *de Sacramentis quæst.* 3. *num.* 14. dicta facultas conferendi istud Sacramentum convenit simplici Sacerdoti, remote quidem ac inchoative ratione Ordinis Sacerdotalis, proxime autem ratione dispensationis Papalis, reducentis quasi potestatem remotam in actum.

47 CONCL. V. Quamvis nullum extet generale præceptum de recipiendo Sacramento Confirmationis, neque hoc sit simpliciter necessarium ad salutem, licet necesse sit, ut non contemnatur (*c*) adhuc tamen Parochis incumbit, suos Parochianos sedulo admonere, ne hoc Sacramentum Confirmationis nimium differant, vel omnino suscipere negligant; sicque priventur fructu, virtute hujus Sacramenti digne recipientibus ex opere operato conferendo. Ita communis, atque hoc ipsum optime solent monere Ritualia Diœcesana.

48 CONCL. VI. Nihilominus ex præcepto Ecclesiastico speciali debet is, qui ad Ordines, aut primam Tonsuram admittendus est, esse confirmatus. Patet hoc ex Concilio Trid. *sess.* 23. *c.* 4. *de reform.* ubi dicitur: *Prima Tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint.*

49 Num autem peccet mortaliter, qui suscipit Ordines ante Confirmationem, variant Doctores. Affirmant Bonacina *disp.* 8. *de Sacramentis qu. un. punct.* 5. *num.* 10. Toletus, & quidam alii; eo quod talis agat contra præceptum Concilii. Communior tamen sententia peccatum mortale, secluso contemptu, in hoc non agnoscit: cum Concilium nihil præcipiat ordinandis, sed ipsi Episcopo ordinanti, ne videlicet tales prima Tonsura initiet. Barbosa *ad cit. c. Concil. Trid. num.* 3. citans plurimos Doctores. Imo Layman *lib.* 5. *tract.* 3. *cap.* 5. *num.* 4. cum quibusdam aliis, etiam respectu Episcopi ordinantis non agnoscit grave præceptum, sed admonitionem ejus, quod congrue fieri debeat: quamvis, si secus fiat, peccetur venialiter.

50 CONCL. VII. Quantum attinet ad ætatem recipientium hoc Sacramentum, observanda potissimum erit laudabilis cujusque Diœcesis consuetudo, atque instructio propriorum Ritualium Diœcesanorum: quamvis enim non semper expectari debeant anni discretionis in pueris, aut puellis, ad hujus Sacramenti susceptionem, expedit tamen non facile ante septennium illos ad id suscipiendum adduci; prout sapientissime monet Catechismus Romanus, jussu Sancti Pii V. editus.

51 CONCL. VIII. Qui adulta jam ætate Confirmationem recipere volunt, requiritur; ut ad hujus Sacramenti gratiam, effectusque digne consequendos, præter Fidem, ac pietatem, etiam de peccatis suis ex animo doleant. Qua in re elaborandum est Parochis, ut tales prius ad Confessionem Sacramentalem, atque ad alia pietatis officia suscipienda excitent, & inducant. (*d*)

52 CON-

53 CONCL. IX. Certum est, hoc Sacramentum propter impressum Characterem non posse sæpius sumi, sive reiterari, idque nec licite, nec valide: ut proinde non solum ille mortaliter peccet, qui scienter præsumit hoc Sacramentum reiterare, sed etiam tale Sacramentum secunda vice collatum prorsus nullum sit, ac irritum. Patet hoc ex Concilio Trid. *sess.* 7. *can.* 9. & dictum est superius. (*e*)

53 CONCL. X. Nihilominus Sacramentum Confirmationis temere reiterans non fit irregularis. Ita Scotus 4. *dist.* 7. *qu.* 5. & communior aliorum. Ratio est: quia nullibi in Jure reperitur expressa talis irregularitas: atqui irregularitas non incurritur, nisi in casibus a Jure expressis, ut habetur *cap. Is qui, de Sententia excommunicat. in* 6. Nec obstat, quod scienter reiterans Baptismum fiat irregularis. Resp. enim, disparitatem esse: quia hæc irregularitas est Jure expressa, non vero illa: & alioquin ob similitudinem rationis pœnæ non facile sunt extendendæ. (*f*)

54 CONCL. XI. In Sacramento Confirmationis debet intervenire Patrinus, & quidem prius ipsemet confirmatus, qui teneat confirmandum. Ita perpetua praxis Ecclesiæ; & constat tum ex *c. Pervenit.* 30. *q.* 1. Tum ex *c.* 102. *de Consecr. dist.* 4. tum ex Concilio Trid. *sess.* 24. *de reform. matr. c.* 2. ubi additur, quod imposterum *cognatio spiritualis, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiusque patrem & matrem, ac tenentem non egrediatur.*

55 Sciendum insuper, quod non debeat idem esse Patrinus in Confirmatione, qui fuerat in Baptismo: idque propter consuetudinem Ecclesiæ Romanæ, nisi cogat necessitas prout habetur *c. In Cathechismo, de Consecrat. dist.* 4. Reliqua de Patrino collige cum grano salis ex dictis de Patrino Baptismi.

DISTINCTIO IV.

De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

QUÆSTIO I.

De Natura, Institutione ac Unitate Sacramenti Eucharistiæ.

SUMMARIUM.

1 *Eucharistia vi nominis, quid?*
2 *Eucharistiæ Sacramentum, quid?*
3 *Quando institutum a Christo?*
4 *Est excellentissimum.*
5 *Eucharistia est simpliciter unum Sacramentum.*
6 *Est unum unitate integritatis, non indivisibilitatis.*
7 *Multiplicatur numero juxta multiplicationem specierum consecratarum.*

(*a*) Ut dictum supra dist. 1. num. 8.

1 Eucharistia a Græcis derivatur, & latine significat idem, ac *Bona gratia*, item *Gratiarum actio.* Et idcirco præsens SS. Sacramentum non immerito dicitur *Eucharistia*, eo quod sit signum sensibile Christi Domini (qui a Theologis etiam *Gratia subsistens* vocatur, estque fons & origo totius gratiæ) sub ipso realiter contenti. De quo proinde loquendo ad perennem Christi JESU laudem, atque in debitam institutionis hujus saluberrimi Sacramenti Gratiarum actionem, sit

2 CONCL. I. *Eucharistia*, quatenus Sacramentum, est signum sensibile Corporis & Sanguinis Christi, veraciter contenti sub speciebus panis & vini, post consecrationem factam a Sacerdote sub verbis certis cum debita intentione prolatis, ex institutione Divina veraciter significans, Corpus Christi & Sanguinem sub eis realiter contineri. Ita Doctor Subtilis 4. *Dist.* 8. *quæst.* 1. Cujus definitionis bonitas ex eo patet: quia naturam hujus sanctissimi Sacramenti clare explicat. Vel, si placet, brevius: *Eucharistia est Sacramentum* Corporis & Sanguinis Christi, veraciter contenti sub speciebus panis & vini consecratis.

3 CONCL. II. Eucharistiæ Sacramentum est institutum a Christo Domino in ultima Cœna. Ita communis; & aperte habetur *Matth. cap.* 26. *Marc.* 14. *Luc.* 22. & 1. *Corinth.* 11.

4 CONCL. III. Eucharistiæ Sacramentum inter omnia excellentissimum est, atque augustissimum. Patet hoc ex eo: quia realiter sub se continet Christum Dominum, verum Deum ac hominem, omnisque gratiæ fontem atque originem. Hinc non immerito Doctor Angelicus *opuscul.* 57. illud appellat *Miraculorum a Christo patratorum maximum.* Alia encomia de hoc sanctissimo, & numquam satis digne laudando Sacramento habentur passim in Libris Asceticis.

5 CONCL. IV. Non obstante, quod in Venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totus Christus contineatur, ut Fides docet: adhuc tamen Eucharistia simpliciter, & absolute dicenda est unum Sacramentum, non quidem unitate indivisibilitatis seu simplicitatis, sed unum unitate integritatis atque perfectionis. Ita Doctor Subtilis 4. *dist.* 8. *quæst.* 1. cum omnibus suis, estque in re communis. Ratio est: quia alioquin simpliciter, & absolute possent dici esse octo novæ Legis Sacramenta; quod est falsum, & erroneum in Fide, ac contra definitionem Concilii Tridentini *Sess.* 7. *can.* 1. (*a*)

6 Quod autem hoc Sacramentum sit dumtaxat unum unitate integritatis, non autem unitate indivisibilitatis, patet ex eo: quia hoc Sacramentum habet duas partes, ex quibus integratur, videlicet species panis, & species vini cum propriis signatis, nimirum Corpore & Sanguine Christi, ita nimirum, ut sub speciebus Panis principaliter, ac vi verborum Corpus Christi, & sub speciebus vini Sanguis Christi significetur; ergo jam non est unum unitate indivisibilitatis (cum possit dividi in duas partes) sed tantum unum unitate integritatis, quatenus ambæ partes integrant, & perficiunt unum totale Sacramentum Eucharistiæ. Accedit optima hujus congruentia: quia Sacramentum Eucharistiæ est a Christo institutum per modum spiritualis convivii, ad significandam completam nutritionem spiritualem animæ: convivium autem nonnisi ex duobus, cibo videlicet & potu, unam totalem refectionem constituentibus perficitur, nec tamen idcirco duplex convivium appellatur.

7 CONCL. V. Nihilominus Eucharistia non est unum, idemque numero Sacramentum in toto terrarum orbe, sed multiplicatur numero juxta multiplicationem ac pluralitatem numericam specierum consecratarum. Ita Mastrius 5. *disp.* 3. *num.* 63. & *seqq.* ac Scotistæ passim, contra nonnullos alios. Ratio est: quia Sacramentum Eucharistiæ non est solum Corpus & Sanguis Christi (quod utique est unum, idemque numero) sed ipsæ species consecratæ, quatenus sunt signum sensibile Corporis & Sanguinis Christi realiter sub ipsis contenti, sunt Sacramentum Eucharistiæ: atqui species panis & vini consecratæ multiplicantur numero, ergo etiam numero multiplicatur ipsum Sacramentum Eucharistiæ, utpote in dictis speciebus consecratis consistens. Verum de hoc plura in Theologia Speculativa.

QUÆSTIO II.

De Materia Sacramenti Eucharistiæ, ubi præcipue de Pane.

SUMMARIUM.

8 *Materia & Forma Eucharistiæ, quæ communiter dicatur? Instantia contra hoc.*
9 *Explicatur communis ille modus loquendi.*
10 *Materia Consecrationis Eucharistiæ, quæ?*

11 *Panis*

11 *Panis triticeus*, &c.
12 *Triticum, quid?*
13 *Quid de Siligine?*
14 *Panis ex hordeo, avena, amygdalis, vel sacchario &c. an sit materia Consecrationis?*
* *Solvitur objectio.*
16 *Panis triticeus, ut possit consecrari, quomodo conficiendus?*
16 *An requiratur azymus, vel fermentatus?*
17 *Quid de Græcis inter Latinos peregrinantibus?*

8 ADvertendum, quod communiter *Materia* Sacramenti Eucharistiæ dicatur esse *panis triticeus, ac vinum de vite*: *Forma* autem ipsius dicantur esse *verba Salvatoris, quibus hoc conficitur Sacramentum*, prout loquitur Concilium Florentinum *in Decreto Unionis*. Nihilominus hic loquendi modus nonnullam patitur instantiam, ac proinde est in recto sensu intelligendus: cum enim sanctissimum hoc Sacramentum sit permanens, & in facto consistens, verba autem cito transeant post sui prolationem, ipsaque substantia panis & vini mox in instanti peractæ Consecrationis convertatur realiter in Corpus & Sanguinem Christi: patet, quod neutra earum possit esse stricte loquendo materia & forma Sacramenti Eucharistiæ, utpote cum hoc Sacramentum in facto esse consistat: atque permaneat, illis non amplius existentibus.

9 Ceterum propter communem loquendi modum tum SS. Patrum, tum Conciliorum omnino in aliquo bono & recto sensu concedendum est, quod panis & vinum sint materia, verba autem Consecrationis sint forma hujus Sacramenti, idque varie potest intelligi. Primo causative, quatenus ex pane & vino, tamquam ex materia debita, per legitimam formæ Consecrationis pronuntiationem conficitur hoc Sacramentum. Secundo, quatenus sunt materia & forma Eucharistiæ, ut in fieri consideratur, hoc est, ipsius Consecrationis Eucharistiæ: unde & panis, ac vinum solet dici a Theologis *materia ex qua*, id est talis materia, ex qua conficitur Eucharistia: quo modo etiam verba Consecrationis dicuntur forma Eucharistiæ, in quantum per ea, veluti per formam, conficitur hoc sanctissimum Sacramentum. Et in hoc sensu sumendo materiam & formam Eucharistiæ, in præsenti ac subsequenti Quæstione dicetur de materia, ex qua conficiendum est istud Sacramentum; de forma vero tractabitur *Quæst. V.*

10 CONCL. I. Materia Consecrationis Eucharistiæ est panis triticeus, ac vinum de vite. Ita omnes Catholici: idque constat tum ex facto Christi, in prædictis materiis tempore ultimæ Cœnæ conficientis hoc Sacramentum; tum ex variis Conciliis, præsertim autem ex Florentino *in Decreto Unionis*, ubi ait: *Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cujus materia panis triticeus, & vinum de vite.* Accedit congruentia optima: quia hæc duo sunt aptissima ad integram refectionem animæ significandam; simulque solus panis triticeus absolute dicitur panis, & communiter adhiberi solet ad reficiendas vires corporis.

11 Quæres autem. Quid intelligatur per panem triticeum, seu qualis panis esse debeat, vel sufficere possit pro materia Consecrationis? Resp. I. Generaliter loquendo, ac in praxi, illud frumenti genus adhibendum est pro materia Consecrationis Eucharistiæ, quod in quavis regione a peritis certo censetur esse triticum: quale apud nos indubitate est illud frumenti genus, quod vulgo vocatur *Waitzen*.

12 Resp. II. Absolute loquendo, & quantum sufficit ad valorem Consecrationis, per triticum hic intelligere possumus omne illud frumentum, ex quo potest fieri panis usitatus; id est, talis, qui simpliciter, & sine addito vocatur panis, & communiter inter homines pro refectione virium adhiberi solet. Unde nomine tritici, etiam intelligitur siligo nostra, & quidquid in frumentorum genere melius est hac nostrate siligine ad panem conficiendum, ut zea & hujusmodi.

13 Ceterum, licet a plerisque admittatur, siligineam farinam sufficere ad valorem Sacramenti, attamen peccaret, qui adhiberet eam præ triticea tali, quæ conficitur ex granis melioribus, puta, vel alia æquivalenti: decet enim candidam esse materiam Eucharistiæ, qualis non est siliginea, quamvis ex ea panis communiter inter homines usitatus confici soleat.

14 Excluditur ergo a ratione materiæ sufficientis ad Consecrationem Eucharistiæ panis ex hordeo, & avena; prout notant Bonacina *dist. 4. de Eucharistia, q. 2. punct. 1.* Lugo, Herincx, Sannig, & alii communiter, contra Gabrielem, & Cajetanum. Siquidem panis ex hordeo, vel avena non dicitur absolute panis, sed solum cum addito, *panis hordeaceus, avenaceus*: neque talis panis communiter usitatus est inter homines ad restaurandas vires, licet a pauperibus, atque egestare laborantibus nonnumquam adhibeatur ad pellendam mortem. Insuper insufficiens ad Consecrationem est panis ex leguminibus, amygdalis, sacchario, & aliis hujusmodi rebus confectus; cum pariter non sit panis triticeus, nec simpliciter appelletur panis, sed solum cum limitatione, *panis amygdalinus &c.* Atque hinc Rubricæ Missalis, *tit. De defectu panis, n. 1.* recte observant: *Si panis non sit triticeus; vel si triticeus, admixtus sit granis alterius generis in tanta quantitate, ut non maneat panis triticeus, vel sit alioquin corruptus, non conficitur Sacramentum.*

Additio.

* Dices. Eadem fundamenta, quæ a ratione materiæ validæ excludunt panem ex hordeo, vel avena confectum etiam pugnant quoad panem siligineum, nam nec iste est triticeus, & adhibetur tantummodo apud pauperiores, uti hordeaceus in supplementum, quando alter panis triticeus non adest: ergo vel panis ex hordeo, & avena confectus erit materia valida, vel alias neque siligineus. Respond. I. Non deesse Doctores apud Aquilinum Aman *in Speculo Ordinandorum, cap. 6. art. 5. n.* 554. qui ob hæc ipsa fundamenta panem siligineum judicant materiam dubiam quoad valorem, & hinc eamdem etiam ex hoc fundamento illicitam inferunt, quoniam nequit in Consecratione absque gravi peccato adhiberi materia quoad valorem dubia. Respondetur tamen defendendo sententiam Auctoris. II. Negando anteced. quod panis siligineus non possit suo modo dici triticeus, quoniam conformiter D. Thomæ *3. part. q. 7. art. 3. ad 2.* siligo non differt specie a tritico, & aliquoties ex tritico seminato, si terra non sit adeo bona, nascitur. Deinde, licet panis siligineus non sit triticeus ex optimis granis a nobilioribus adhibitus, est tamen talis communiter usurpatus etiam a non pauperibus, quod non convenit hordeaceo, vel avenaceo. *

15 CONCL. II. Ut panis triticeus sit materia apta Consecrationis, debet ipse confectus esse ex aqua naturali, atque igne decoctus: unde panis ex aqua rosacea confectus, item panis ex oleo, lacte, butyro coagulatus &c. aut materia cruda panis, quæ dicitur pasta non est materia sufficiens Consecrationis. Ita communior Theologorum contra Cajetanum, qui affirmat, panem ex aqua rosacea confectum esse materiam sufficientem Consecrationis: & hinc Rubricæ Missalis *loc. cit. n. 2.* panem confectum ex aqua rosacea, vel alterius distillationis, vocant materiam dubiam Consecrationis. Ratio Conclusionis est: quia panis communis, & usitatus inter homines solet fieri dumtaxat ex farina triticea, & aqua naturali; simulque massa farinacea ex oleo, vel butyro coagulata potius est placenta, quam panis.

16 CONCL. III. Quamvis ad valorem Eucharistiæ quilibet panis triticeus, sive azymus, sive fermentatus sufficiat; loquendo tamen de necessitate præcepti tenentur Latini consecrare in pane azymo, & Græci in fermentato. Ita communis, estque definitum in Concilio Florentino.

17 Fatendum tamen, si Græci inter Latinos peregrinentur, posse & ipsos, sicubi propriam Ecclesiam pro-

priis institutis permissu Superiorum viventem non habent, in azymo celebrare, atque Ecclesiæ Latinæ, in qua peregrinantur, se conformare; quamvis ad hoc per se loquendo non teneantur, sed licite nihilominus Ecclesiæ suæ ritum & consuetudinem retinere possint: & idem vicissim dicendum de Latinis inter Græcos peregrinantibus. Ratio hujus inter Theologos satis receptæ sententiæ est, quia quilibet peregrinus potest se licite conformare particularibus institutis cujusque Ecclesiæ, per quam transit, licet per se loquendo (id est, secluso contemptu, & scandalo) ad id non teneatur.

QUÆSTIO III.

De Vino, ceu materia Consecrationis Calicis.

SUMMARIUM.

18 *Vinum, ut sit materia Consecrationis, quale?*
19 *Uva non potest consecrari.*
20 *Nec acetum, vinum adustum, aut lacrymæ vitis.*
21 *Neque vinum ex pomis &c.*
22 *Quid de vino miraculoso?*
23 *Aut si vino admisceatur alius liquor?*
24 *Vinum in pane imbibitum nequit consecrari.*
25 *Vinum congelatum valide consecratur,*
26 *Sed non licite.*
27 *Quid agendum, si vinum, vel S. Sanguis congeletur?*
28 *Varii defectus circa vinum.*

18 CONCL. I. Per *vinum de vite*, quod est materia apta Consecrationis Calicis, intelligitur illud, quod de uvis maturis expressum est, qualiscumque tandem speciei vel coloris existat, dummodo sit verum vinum de uvis maturis expressum. Ita certa, & unanimis omnium Catholicorum.

19 Dicitur I. *Vinum de uvis expressum*; quamdiu enim liquor vini adhuc intra uvam est inclusus, magis habet rationem comestibilis, quam potabilis: ac proinde uva, seu vinum intra uvam non est materia apta Consecrationis, ut omnes fatentur.

20 Dicitur II. *De uvis maturis.* Nam, si uvæ sint penitus immaturæ, sicut liquor ex illis expressus non est verum vinum, sed potius acetum, ita nec potest esse materia sufficiens Consecrationis. Et ob eamdem rationem etiam alii liquores, qui non habent rationem vini, consecrari nequeunt, ut sunt lacrymæ vitis, acetum, vinum adustum, non obstante, quod tales liquores de vite proveniant: nam revera non sunt vinum, sed alius quidam liquor.

21 Similiter vinum ex pomis, malogranatis, ac hujusmodi expressum consecrari nequit: cum non sit vinum de vite, id est, de uvis expressum; licet vinum appelletur, eo quod colorem vini referat, & ad modum vini conficiatur.

22 Aliter tamen dicendum est de vino miraculoso, quale fuit illud in Cana Galilææ, a Christo ex aqua productum: nam ejusmodi vinum foret materia apta Consecrationis; cum in substantia sit ejusdem rationis, & speciei cum vino de vite expresso, quod sufficit.

23 Quod si vino de vite admisceatur quantitas alterius liquoris, utputa aquæ, tunc attendendum est ad ipsius quantitatem, & pensandum, utrum adhuc juxta prudens judicium hominum censeatur esse vinum usuale: & si quidem de hoc fuerit dubium, eo quod vino satis multa aqua fuerit infusa, similiter materia Consecrationis Calicis dubia erit; si certum, materia illa erit certa. In praxi tamen semper materia certa, & cui præter modicam aquam, ex præcepto Ecclesiastico apponendam, nulla materia extranea est admixta, adhibenda erit: idque tum ob reverentiam hujus SS. Sacramenti: tum quia alioquin quis peccaret, si hoc scienter & absque necessitate faceret, nisi forte materia illa foret levissima.

24 CONCL. II. Vinum in pane imbibitum non est materia apta Consecrationis Calicis. Ita Doctores communiter. Ratio est: quia tale vinum potius habet rationem cibi, quam potus: unde sicut simili de causa nequit consecrari uva, ita nec vinum in pane imbibitum.

25 CONCL. III. Nihilominus vinum congelatum valide consecrari potest, quamvis consecrando vinum congelatum quis peccaret. Prima pars Conclusionis est communior Theologorum, etsi Ledesma, Henriquez, Armilla, & quidam alii oppositum teneant. Ratio est; quia vinum congelatum adhuc substantialiter est vinum usuale, simulque per se, ac ex natura sua, est materia potabilis, non obstante, quod hic & nunc, seu quatenus congelatum est, non possit potari; hoc enim est per accidens. Accedit, quod moraliter loquendo, & juxta communem sensum hominum, vinum congelatum adhuc censeatur esse potus, non vero cibus; prout tamen uva vel vinum in pane imbibitum potius censetur esse quid comestibile, quam potabile.

26 Altera pars Conclusionis, quod nempe in vino congelato consecrans peccet (& quidem juxta quosdam graviter) ex eo patet: tum quia committeretur quædam irreverentia: tum quia sine necessitate consecraret quis in materia aliqualiter dubia, quam scilicet nonnulli Doctores superius allegati putant esse insufficientem, & invalidam.

27 Unde, si tempore hyberno ante Consecrationem accidat congelatio vini, tunc antea debebit liquefieri, vel per applicationem linteoli calidi, vel alia ratione decenti. Et, quantum ad propositum, Rubricæ Missalis *Tit. De defectibus in ministerio ipso occurrentibus*, sic loquuntur: *Si in hyeme Sanguis congeletur in Calice, involvatur Calix pannis calefactis: si id non proficeret, ponatur in ferventi aqua prope Altare, dummodo in Calicem non intret, donec liquefiat.*

28 CONCL. IV. Insuper, *si vinum sit factum acetum, vel penitus putridum, vel de uvis acerbis seu non maturis expressum vel ei admixtum tantum aquæ, ut vinum sit corruptum, non conficitur Sacramentum. Si autem vinum cœperit acescere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantum acre, vel mustum de uvis tunc expressum, vel non fuerit admixta aqua, vel fuerit admixta aqua rosacea, vel alterius distillationis, conficitur Sacramentum, sed conficiens graviter peccat.* Ita loquuntur Rubricæ Missalis *Tit.* 4. *De defectu vini.*

QUÆSTIO IV.

De Aqua vino consecrando apponenda.

SUMMARIUM.

29 *Aqua vino consecrando miscenda.*
30 *Et cur?*
31 *Hoc præceptum est Ecclesiasticum.*
32 *Aqua vino apponenda, debet esse modica.*
33 *Hæc aqua convertitur in Sanguinem Christi mediate, non autem immediate.*
34 *Opposita tamen sententia non caret probabilitate?*
35 *Quomodo hæc solvat rationes in oppositum?*
36 *Solutio principalis objectionum, pro favore Conclusionis.*

29 CONCL. I. Juxta exemplum Christi Domini, ac præceptum Ecclesiæ vino consecrando est admiscenda modica aqua. Ita unanimis Doctorum, atque patet non solum ex Concilio Florentino *in Decreto Unionis*, ac Tridentino *Sess.* 22. *cap.* 7. sed etiam ex Rubricis Missalis *num. præced.* relatis.

30 Porro hujusmodi appositio aquæ fit inprimis ad exemplum Christi, qui in ultima Cœna consecravit vinum, cui aqua fuit admixta; uti communiter docent SS. Patres, & Concilium tam Florentinum, quam Tridentinum *loc. cit.* Deinde dicta appositio aquæ fit propter Mysterium, videlicet propter sanguinem & aquam, quæ ex JESU Christi jam mortui latere profluxerunt. Tandem, cum per aquas in Sacra Scriptura *Apocal. cap.* 17. populi intelligantur, fit dicta appositio aquæ in

in Calice consecrando, ad repræsentandum ipsius populi fidelis unionem cum Capite suo Christo. Et has tres rationes, cur aqua sit vicino consecrando miscenda, dat Concilium Florentinum, ac etiam Tridentinum, ubi supra.

31 CONCL. II. Hoc præceptum de aqua vino miscenda est tantum Ecclesiasticum, non autem Divinum. Ita communior Theologorum; & concordat Concilium Tridentinum *loc. cit.* sic dicens: *Monet deinde sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo miscerent.* Ubi bene notandum ly *præceptum esse ab Ecclesia.*

32 CONCL. III. Aqua vino apponenda debet esse modica. Ita Scotus 4. *dist.* 11. *q.* 7. quamvis nonnulli dicant, non esse scrupulose procedendum in apponenda aqua. Ratio Conclusionis est: quia juxta communiorem Doctorum aqua vino apposita non convertitur in Sanguinem Christi, nisi prius fuerit conversa in vinum; ergo, ut sic possit converti in vinum ante Consecrationem, erit modica aqua apponenda. Et hinc Rubricæ Missalis *Tit.* 7. *De offertorio &c.* præcipiunt, ut Sacerdos infundat *parum aquæ in Calice*: & Florentinum Concilium *loc. cit.* dicit, quod vino *ante Consecrationem aqua modicissima admisceri debet.* Ubi ly *modicissima* partim prohibet multum aquæ apponi, partim ostendit, omnem aquam, quantumvis modicam, etiamsi foret una duntaxat gutta sensibilis, sufficere.

33 CONCL. IV. Aqua ipsa vino mixta convertitur quidem mediate in Sanguinem Christi, si videlicet ea prius ante inchoatam Consecrationem fuerit conversa in vinum per hujus virtutem, non tamen, juxta probabiliorem sententiam Doctorum, convertitur aqua immediate in Sanguinem Christi, si videlicet tempore Consecrationis adhuc retinet substantiam aquæ, & necdum fuit in vinum conversa. Ita expresse Doctor Subtilis *loc. cit.* D. Thomas *part.* 3. *quæst.* 74. *art.* 8. D. Bonaventura 4. *dist.* 11. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. & Alensis, cum omnibus Thomistis & Scotistis, ac pluribus Recentioribus contra nonnullos alios. Idem tenent Catechismus Romanus jussu S. Pii V. editus *part.* 2. *cap.* 4. & Sacerdotale Romanum *p.* 1. *tract.* 10. *cap.* 2. Ratio est: quia solum vinum de vite est materia apta Consecrationis Calicis, ut docet Concilium Florentinum: atqui aqua nondum conversa in vinum non est vinum de vite, imo nullatenus est vinum, ut patet: ergo. Accedit auctoritas Innocentii III. qui (ut habetur *c. Cum Marthæ. De celebrat. Missar.*) rejectis duabus aliis sententiis, tandem subjungit, tertiam sententiam esse probabiliorem, quæ docet, aquam cum vino transsubstantiari in Sanguinem, cum in vinum transeat aqua mixta.

34 Additur notanter in Conclusione, *juxta probabiliorem sententiam Doctorum.* Siquidem opposita etiam sententia non caret sua probabilitate, ac docetur a Cardinale de Lugo, Coninch, Layman, aliisque pluribus, præsertim Recentioribus, qui volunt, aquam vino mixtam per accidens etiam immediate converti cum vino in Sanguinem Christi, licet antea necdum fuerit conversa in vinum. Ratio hujus oppositæ sententiæ desumitur ab exemplo, & facto Christi Domini, qui in ultima Cœna vinum aqua mixtum consecravit; prout superius *n.* 29. & 30. & communi SS. Patrum, & Concilio Florentino, ac Tridentino dictum est. Accedit, quod totus ille liquor in Calice contentus sit vinum usuale: atqui vinum usuale est materia apta Consecrationis; ergo.

35 Nec obstat (inquiunt) quod vinum de vite duntaxat, juxta Concilium Florentinum, sit materia sufficiens Consecrationis Calicis. Respondent enim, hoc esse verum per se loquendo, adhuc tamen per accidens aquam vino mixtam esse consecrabilem, cum constituat vinum usuale, quali Christus usus est in Consecratione Calicis sub ultima Cœna.

36 Nihilominus, qui priorem sententiam *n.* 33. relatam tamquam probabiliorem amplectitur, facile ad præfatum Recentiorum fundamentum respondet, dicendo, Christum consecrasse aquam vino mixtam duntaxat mediate. Nam intra tempus illud, quo Christus Calicem vino & aqua mixtum accepit, aliqua notabilis mora intercessit ante actualem factam Consecrationem; prout desumitur ex S. Evangelio, ubi Christus interea & Patri Cœlesti gratias egisse, & ipsum Calicem benedixisse legitur. Omnino siquidem credibile est, hujusmodi tum benedictionem, tum gratiarum actionem, longiori tempore, atque ad conversionem aquæ in vinum sufficiente, durasse; præsertim, quia tunc hoc SS. Sacramentum a Christo Domino institutum, primaque vice celebratum fuit. De hoc fusius Theologi.

APPENDIX.

Ad præcedentes tres Quæstiones.

De aliis quibusdam Conditionibus ex parte panis & vini, tamquam materiæ consecrandæ, requisitis ad valorem Consecrationis.

SUMMARIUM.

* *Qualis requiratur præsentia panis & vini ad validam Consecrationem? Addit. I.*

* *In qua quantitate possit valide consecrari vinum? Addit. II.*

* *An, & qualem debeat consecrans habere notitiam, & in mente determinationem materiæ consecrandæ? Addit. III.*

* *An Hostiæ non consecratæ, commixtæ consecratis indiscernibiliter, sint materia validæ Consecrationis? Addit. IV.*

* *An guttæ vini exterius, vel interius separatim a toto Calici adhærentes sint materia Consecrationis? Addit. V.*

* *An, & quando Hostiæ, annuente Celebrante pro Consecratione a Sacristano, vel alio appositæ, valide sint censendæ consecratæ, si Sacerdos tempore Consecrationis non amplius recordetur suæ intentionis? Addit. VI. & seq.*

Additio I.

* CONCL. I. Ut panis, & vinum valide consecrentur, requiritur utriusque ante actualem Consecrationem talis præsentia moralis, ut utraque materia per sola pronomina demonstrativa *Hic* & *Hoc* absque alio signo addito v. g. absque monstratione per digitum ostendi queat. Ita communis; & patet ex ipso facto Christi in ultima Cœna sic habentis præsentem panem, ac vinum, quando consecravit, nec non ex universali sensu, & praxi totius Ecclesiæ, ubi etiam *Rubrica II. De Defectibus Miss.* ita legitur: *Materia consecranda in actu Consecrationis sit coram Sacerdote.* Porro quanta determinate & nominatim requiratur propinquitas Consecrantem inter, & panem, ac vinum consecrandum, ut dicta materia taliter sit præsens moraliter, DD. controvertunt; illud tamen communiter asserunt, atque Sotus apud Tamburinum, & Patrem Sporer tamquam certum pronuntiat, sufficientem pro dictis pronominibus demonstrativis adesse præsentiam moralem, si panis & vinum decem solummodo circiter passibus distet a Consecrante, & præterea non intra hoc spatium interponatur corpus aliquod intermedium per modum dividentis, & quasi materiam consecrandam separantis ab ipso Consecrante: ubi censeretur Corpus per modum separantis interpositum, si e. g. Hostiæ aliquæ pro ipsis Communicantibus consecrandæ collocarentur post interjectum parietem, retro Altare, vel in Tabernaculo clauso &c. Videatur Sporer *part.* 2. *Theologiæ Sacrament. cap.* 3. *sect.* 2. *n.* 175. & alii. *

Additio. II.

* CONCL. II. Panis & vinum, moraliter præsentes, debent insuper, ut valide consecrentur, adesse in tali quantitate, quæ sit visibilis saltem mediate. Ita denuo communis, & ratio est; quia Sacramentum Eucharistiæ est signum visibile invisibilis gratiæ: ergo, sicut

species

species Eucharisticae debent esse visibiles post Consecrationem remanentes, ita etiam substantia panis & vini ante Consecrationem; nam ubi substantia non est visibilis, neque accidentia, substantiae inhaerentia, erunt visibilia, cum Substantia non fiat visibilis, nisi per accidentia juxta illud commune Pilosophorum: *Quidquid tango, quantitas est, quidquid video qualitas est.*

Dicitur autem notanter I. *Visibilis*, id est, in actu primo, ut nimirum saltem videri possit, non autem, quod necessario debeat in actu secundo a Consecrante videri, dummodo ceteroquin consecraturus sciat, hanc materiam esse praesentem, & habeat intentionem consecrandi eamdem; unde juxta plurimos Theologos etiam caecus Sacerdos potest celebrare, si ceteroquin reliqua habeat necessario requisita.

Dicitur notanter II. *Mediate visibilis*: nam juxta communem valide consecratur cumulus Hostiarum pro Communicantibus in Corporali positus, vel etiam in Ciborio contentus; quamvis in medio jacentes Hostiae, vel in fundo existentes, immediate videri non possint. *

Additio III.

* CONCL. III. Consecrans debet saltem in confuso habere notitiam praesentis panis & vini, & simul voluntatem consecrandi, seu intentionem, ad illam materiam consecrabilem immediate, & in individuo directam. Ita in re denuo communis; & ratio primae partis est; quia nihil praesumitur volitum, quin saltem aliquo modo confuso sit praecognitum. Unde, si Sacristanus, me prorsus inscio, ponit ad Altare aliquas Hostias minores, pro Communicantibus consecrandas, eae in simili casu non censebuntur consecratae. Ratio secundae partis assignatur ista: quia, si materia non designatur saltem in confuso in individuo, non foret major ratio, cur ista, quam illa consecraretur, consequenter censeretur nulla consecrata. Sic conformiter Rubricis Missali praefixis *De Defectib. &c. Tit.* 7. *n.* 1. si sub aliquo cumulo Hostiarum minorum intendo quinque vel sex consecrare, non denominando easdem specifice, nulla consecrabitur ex illo cumulo; quia non foret major ratio, cur ista, quam illa &c. cum nullam certam Sacerdos determinarit, neque Deus determinare soleat, nisi prius Consecrans saltem in confuso, & implicite determinaverit. Dixi notanter: *nisi Consecrans determinaverit saltem in confuso, & implicite*; etenim determinatio omnino clara, explicita, & distincta materiae consecrandae ad valorem tam parum requiritur, quam parum clara explicita cognitio ejusdem. Et inde, etsi e. g. putarem, Hostias minores consecrandas esse numero sex; si tamen volo consecrare omnes, quas coram me habeo (prout similis intentio consulitur a DD.) in eo casu omnes sunt consecratae, quamvis forent numero septem vel octo &c. quia nimirum saltem implicite & in confuso per memoratam intentionem volo consecrare etiam octavam Hostiam; cum intendam consecrare omnes, quas coram me praesentes habeo, nec prior error speculativus de numero minori obest intentioni huic practicae. Unde pariter ex eadem ratione, si tempore Consecrationis puto, me in manibus tenere unicam majorem Hostiam; post Consecrationem autem invenio, esse duas, aliquo modo conglutinatas, utraque erit consecrata, & tempore Communionis sumenda, dummodo habeam intentionem consecrandi id, quod teneo in meis manibus, prout similes intentiones suadentur juxta jam dicta a Doctoribus. Videantur Rubricae Missalis *loc. cit. numer.* 1. & 2. *

Additio. IV.

* Quaeres I. An, si particulae (seu uti communiter vocantur) Hostiae non consecratae fortuito, aut ex incuria, vel ignorantia Sacristani, vel subito sufflante aliqua aura commisceantur, & quidem indiscernibiliter cum Consecratis, talis commixtus cumulus adhuc possit valide consecrari? Ratio dubitandi, & in negativam inclinandi est; quia, ut materia panis, & vini valide consecrari possit, debet ita esse praesens, ut per pronomina demonstrativa *Hic*, *Hoc* ostendi queat, & ut ad eamdem intentio in individuo dirigatur, quod utrumque in praesenti deficere videtur; nam imprimis nequeunt per dicta pronomina demonstrari Hostiae non consecratae, cum sint indiscernibiliter commixtae cum consecratis, uti supponitur: deinde eo ipso, cum sint indiscernibiles, nequit ad easdem in individuo intentio consecrandi dirigi. Hoc tamen non obstante, Respond. talem cumulum adhuc posse consecrari taliter, ut intentio consecrandi feratur ad non consecratas. Ita ex nostris Henno, Coen, Aquilinus Aman, Felix Potestas, cum Bosco *de Sacram. Eucharist. D.* 4. *sect.* 2. Ratio est: quia tales Hostiae adhuc sunt in se demonstrabiles in actu primo, ita ut saltem a Deo vel Angelo actualiter demonstrari, & intentio ad easdem in individuo a Consecrante saltem in confuso dirigi queat, volente consecrare hunc cumulum quoad nondum consecratas in eodem contentas; major autem discernibilitas, & demonstratio non requiritur, uti patet ex praxi in Nativitate Domini; ubi tres Missae ab eodem Sacerdote in uno continuo celebrantur, quo casu plerumque ex prima, atque secunda Missa aliquales remanent sacri Sanguinis reliquiae, quibus superinfunditur vinum pro altera Missa, quod vinum postea consecratur, quamvis actualiter a consecrante reliquiae restantes sacratissimi Sanguinis nequeant discerni a vino de *novo* infuso. *

Additio. V.

* Quaeres II. An, si aliquae guttae vini reperiantur in calice haerentes extra, vel intra calicem separatim, censeantur vi generalis intentionis, *consecrandi juxta intentionem Christi & Ecclesiae*, consecratae? Ante responsionem Nota, quod hic non amplius quaeratur, an tales guttae possint valide consecrari &c. cum enim sint visibiles, & debite praesentes existant consecranti, communis jam tenet sententia, easdem posse valide consecrari, quamvis illicite ageret Sacerdos, qui expresse vellet guttas vini NB. *exterius* calici adhaerentes consecrare, uti recte advertit Cajetanus Merati in suo Thesauro sacrorum Rituum *de defectibus in Missa occurrentibus. Tit. VII.* H. N. Resp. I. Si separatim aliquae guttae vini exterius vel in pede calicis, vel in cuppa haereant, juxta communem DD. non censentur consecratae vi prioris generalis intentionis. Ita cum Suarez, Gavanto, la Croix, Henno, & aliis Cajetanus Merati *loc. cit.* Ratio est: quia hae guttae exterius adhaerentes Sacerdoti ante Consecrationem plerumque sunt prorsus incognitae: nihil autem juxta jam dicta praesumitur volitum quod ex toto est incognitum. Accedit, quod ordinarie quilibet Sacerdos, si interrogaretur, quidnam in consecratione Sanguinis intendat consecrare, responderet, *vinum, quod continetur in Calice*: ergo ejus intentio, nisi expresse constet de contrario, extendi non debet ad guttas vini extra Calicem.

Respond. II. Utrum guttae vini interius intra cuppam Calicis separatim existentes, vi prioris generalis intentionis censeantur consecratae, nec ne? plane sufficienter constare nequit; cum Doctores pro & contra graves afferant rationes. Theologi, qui tenent eas esse consecratas, ideo credunt; quia putant, intentionem Ecclesiae, & consecrantis esse, consecrare omne id contentum intra Calicem; quod est una parte consecrabile, & ex altera non legitur ab Ecclesia prohibitum consecrari, uti existimant contingere in praesenti. Econtra, qui negant, eas censeri consecratas, ex eo fundamento hoc defendunt; quia judicant, intentionem Ecclesiae, & consecrantis esse omne illud in Calice existens consecrare, quod ibidem existit praecise. NB. *per modum unius continui*, ac per modum potus, consequenter non guttas vini ad intra a toto separatas. In praxi optimum est, ut, si similes guttae separatae videantur ad intra tempore obla-

oblationis, abstergantur Purificatorio. Quod si primum cernantur tempore consecrationis, dum Calix detegitur ante prolatam formam consecrationis, levi (ne forsan residuum vinum ex parte effundatur) agitatione vel inclinatione Calicis uniantur cum reliquo vino, quando huic existunt vicinæ. Quod si vero essent a reliquo vino remotiores, ita, ut commode, & absque periculo effusionis cum reliquo vino uniri nequirent, consecrans relinquat easdem cum animo consecrandi juxta intentionem Ecclesiæ, ac postea tempore Communionis sumat cum sacro Sanguine: non enim debemus nos in his publicis gravissimis Ministeriis modo scrupuloso, sed humano gerere, uti in hoc ipso casu advertit Felix Potestas *in Examine Ordinand. De Sacrificio Missæ. n.* 228. atque etiam deduci potest ex Tamburino apud Sporer *part.* 2. *Theolog. Sacrament. cap.* 3. *sect.* 2. *n*, 172. *prope finem.* Quando autem Sacerdos has guttas separatas a toto primum advertit tempore sumptionis Sanctissimi Sanguinis, eas nullatenus Purificatorio abstergat; cum juxta probabilem sententiam vi generalis intentionis consecrandi juxta intentionem Christi, & Ecclesiæ probabiliter possent esse consecratæ. Hinc potius cum reliquo Sacro Sanguine sumat. *

Additio V I.

* Quæres III. An vi intentionis præcedentis censeantur consecratæ illæ Hostiæ minores, quas annuente celebrante Sacristanus apposuit in Ara ad Corporale in aliquo Calice, vel capitegio (uti vocant) aliove vase decenti, quamvis Sacerdos consecrans nec sub oblatione, nec sub ipsa etiam Consecratione suæ præcedentis intentionis fuerit recordatus? Resp. cum communi affirmative sub his limitationibus. Ratio est: quia præcedens intentio formata in Sacristia adhuc virtualiter saltem durat, ac insuper Hostiæ minores sufficienter sunt præsentes; cum vas illud non se habeat per modum separantis, sed potius per modum ordinarii continentis, quod sufficienter designatur demonstrative ipsummet contentum: atqui hoc utrumque sufficit ad validam consecrationem: ergo. Dixi notanter: si apposuit *in Ara*, *ad Corporale in vase decenti.* Nam alia foret difficultas, si in casu præsenti vas illud non fuisset condecens e. g. scatula aliqua: vel si esset positum extra Corporale; vel omnino extra Aram consecratam v. g. in proximo cornu Epistolæ aut Evangelii; prout facile contingere potest, si consecrata Ara sit valde brevis, vel adsit tantum Altare portatile, ac pro majori decore ex utroque cornu aliæ parvæ arulæ adjunctæ: ubi Sporer, Henno, la Croix, Aquilinus Aman, Felix Potestas putant esse probabilius, similes minores Hostias non esse consecratas ob defectum intentionis consecrandi ex parte celebrantis: nam ille, qui intendit consecrare *juxta intentionem Christi*, *& Ecclesiæ*, utique, non præsumitur velle, seu intendere consecrare contra gravem prohibitionem Ecclesiæ, & cum notabili irreverentia, per hunc modum consecrandi, sacræ Hostiæ inferenda; præsertim, cum, si in simili intendat positive non consecrare, exinde ordinarie nulla subsequerentur gravia inconvenientia aliunde. *

Additio V I I.

* Quæres IV. An pariter per intentionem præcedentem *faciendi juxta intentionem Christi*, *& Ecclesiæ* præsumi debeant Hostiæ consecratæ, si eædem fuerint quidem a Sacristano, annuente celebrante, in Ara, ad Corporale, in aliquo Ciborio, vel alio vase benedicto cooperto appositæ; interim tamen ante consecrationem operculum illud a celebrante non fuerit ex oblivione amotum? Antequam respondeam, Nota, Rubricas quidem velle, ut ante oblationem, & consecrationem talium Hostiarum operculum vasis continentis amoveatur, illud tamen non præcipere sub gravi, sed tantum sub levi, uti vult Quarti, vel omnino tantum sub consilio, & de meliori esse, uti probabile videtur Patri Constantino Hagerer *Tract. De defectibus Missæ, Tit* 2. *prope finem*, & Ratio esse potest: quia, si vas illud continens fuerit benedictum, ac in Ara, & quidem in Corporali positum, non videtur alia irreverentia inferri Hostiis per hoc, quod operculum non amoveatur. H. N. Respond. Tales Hostias censeri consecratas, quamvis sub consecratione operculum non fuerit ex oblivione amotum. Ita Sporer *part.* 2. *Theolog. Sacrament. c.* 3. *sect.* 2. *n.* 174. Hagerer *loc. cit.* Busenbaum apud la Croix *l.* 6. *part.* 1. *n.* 457. ubi idem tenet de consecratione vini in calice tecto. Ratio est: quia tales Hostiæ ex una parte in suo vase continente: quamvis cooperto, videntur adhuc moraliter certo ita præsentes, ut per pronomina *Hoc*, & *Hic* sufficienter demonstrari queant, sicut aurum in marsupio, & vinum in præsenti poculo cooperto: ex altera vero parte præcedens intentio celebrantis virtualiter adhuc durat, videturque eadem insuper juxta prudentem interpretationem se extendere ad dictas Hostias, etsi ex oblivione adhuc operculo tectas; quoniam per id non æque, uti in casibus præcedentis numeri, exhibetur gravis irreverentia consecratis Hostiis; unde nec gravis intervenit prohibitio, uti in prioribus; si vas non fuerit condecens, vel Hostiæ non positæ in Altari, ac Corporali. Ex quo patet disparitas inter præsentem, & priores casus, ac tacite prævenitur objectioni.

Ego ex mea parte ad tollendos omnes scrupulos formo sequentem in ultimo casu generalem intentionem: *Domine Deus, ego quidem non volo Rubricam illam de removendo operculo Ciborii, seu Calicis &c. quando offeruntur, vel consecrantur pro Communicantibus parvæ Hostiæ, voluntarie intermittere; quod si tamen id mihi involuntarie, seu ex oblivione contingeret, adhuc intendo consecrare eo magis; quia puto per hoc consecratis Hostiis non inferri aliquam irreverentiam, sicque per illa verba: volo consecrare secundum intentionem Christi, & Ecclesiæ: non intendo excludere meam consecrandi intentionem, si ex oblivione amotionem operculi intermitterem.* *

QUÆSTIO V.

De Forma consecrationis Eucharistiæ.

SUMMARIUM.

37 *Status Quæstionis.*
38 *Forma consecrationis, in Canone Missæ præscripta.*
39 *Quale peccatum, aliquid in ea omittere?*
40 *Practica circa hoc, ex Rubricis Missalis.*
41 *Forma sufficiens consecrationis Corporis Christi.*
* *Quidnam importet in consecratione Corporis Christi particula* Hoc, *& in consecratione Sanguinis particula* Hic?
43 *Quæ verba sint de essentia Consecrationis Calicis?*
43 *In praxi circa hoc quid observandum?*
44 *Verba essentialia consecrationis proferuntur tam recitative, quam significative.*
45 *Verba proferre recitative tantum,*
46 *Significative tantum,*
47 *Et recitative ac significative simul, quid?*
48 *Quo modo verba essentialia consecrationis proferuntur.*
* *Quænam præscribant Rubricæ observanda, si pronuntiantur verba consecratoria? ubi etiam varia notanda pro scrupulosis.*

37 ADvertendum, quod certum sit, Formam consecrationis, quæ ponitur in Canone Missæ, esse legitimam, sufficientem, atque in praxi semper a Sacerdote Latino celebrante observandam, ne consecrando peccet. Num autem omnia verba dictæ Formæ sint necessaria necessitate Sacramenti, ita quod uno eorum omisso non conficiatur Sacramentum Eucharistiæ, Quæstio remanet. Hinc sit

38 CONCL. I. Forma in Canone Missæ præscripta, atque in Ecclesia Latina semper observanda, est hæc, videlicet loquendo de consecratione Corporis Christi *Hoc est enim Corpus meum.* Et loquendo de consecratione Calicis:

Calicis: *Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi & æterni Testamenti, Mysterium Fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

39 CONCL. II. Si unum horum verborum Minister celebrans ex contemptu, vel (excepta particula *Enim*) ex prava negligentia omittat, peccat mortaliter. Ita communis Doctorum: quia delinquit in materia gravi, atque concernente principale Mysterium Fidei. Additur tamen *excepta particula Enim*: siquidem non desunt Doctores, qui volunt, veniale dumtaxat esse peccatum, particulam *Enim* ex prava negligentia, aut alia consimili de causa omittere, dummodo non omittatur ex contemptu; alioquin enim ratione contemptus omissio ejus foret mortalis.

40 Circa hujus tamen Formæ consecrationis prolationem, atque ad præcavendum pluribus scrupulis, & conscientiarum anxietatibus, Rubricæ Missalis *tit.* 5. *De defectibus formæ*, provide ordinant in hunc modum. *Si celebrans non recordetur, se dixisse ea, quæ in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si tamen certe ei constet, se omisisse aliquid eorum, quæ sunt de necessitate Sacramenti, id est, formam consecrationis, seu partem, resumat ipsam formam, & cetera prosequatur per ordinem: si vero valde probabiliter dubitat, aliquid essentiale omisisse, iteret formam saltem sub tacita conditione. Si autem non sunt de necessitate Sacramenti, non resumat, sed procedat ulterius.* Hactenus Rubricæ Missalis. Ut autem intelligatur, quænam sint illa verba, quæ sunt de necessitate Sacramenti, sit

41 CONCL. III. Forma sufficiens, ac essentialiter requisita ad consecrationem corporis Christi est hæc: *Hoc est Corpus meum*, aut quæcumque alia æquivalens in sensu: ly *Enim* non est necessarium necessitate Sacramenti. Ita certa & communis omnium Theologorum Catholicorum.

Additio.

* Porro in ista Forma consecrationis particula *Hoc* neutiquam indicat substantiam panis: nam alias facere videretur sensum falsum, nimirum istum, *Substantia panis est Corpus Christi*: potius ergo particula *Hoc* juxta nostrum Doctorem Subtilem *singulare Entis*, quod est Corpus Christi, significat, non quidem ex parte modi significandi *clare & distincte* (alias enim sequentem faceret sensum nugatorium: *Corpus meum est Corpus meum*) sed aliquo modo confuse taliter: Hoc *singulare Entis*, seu *Hoc edulium est Corpus meum*, sicut eodem modo in consecratione Sanguinis Christi particula *Hic* nec adverbialiter sumitur pro determinatione loci; invalide enim consecraret juxta communem DD. qui diceret: *Hic seu in hoc loco Sanguis est meus*: neque accipitur particula *Hic* relative ad substantiam vini: nam utique substantia vini non est Sanguis Christi. Quare finaliter, sicut in consecratione Corporis Christi particula *Hoc* singulare Entis, quod est Corpus Christi, ita in consecratione Sanguinis particula *Hic*, significat singulare Entis, quod est Sanguis Christi, seu taliter: *Hic potus est Sanguis meus.* Plane in propositionibus speculativis sic contingit, quando e.g. Pater præsente suo filio ad circumstantes diceret: *Hic est filius meus*, in qua propositione ex parte subjecti importatur Filius *confuse*, ita, ut sensum faceret: *Hic masculus est filius meus.* Cur ergo non æque sentiendum in præfatis propositionibus practicis Formæ consecrationis? Ubi incidentaliter nota, propositionem *practicam* esse illam, per quam aliquid de novo fit, uti per Formam utriusque consecrationis fit Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi. Per propositionem autem *speculativam* nihil vi ejusdem conficitur. De hoc plura vide apud Theologiam speculativam. *

42 CONCL. IV. In consecratione Sanguinis non omnia verba in Canone Missæ, sunt de substantia, seu essentia Formæ consecrationis Calicis, sed hæc consistit essentialiter in solis illis verbis *Hic est Calix Sanguinis mei*, vel in æquivalentibus: quamvis cetera sint necessario addenda necessitate præcepti, adeo, quod alioquin graviter quis peccaret. Ita D. Bonaventura, Scotus, Suarez, & communior Theologorum; quamvis non desint cum D. Thoma *part.* 3. *qu.* 78. *art.* 3. oppositum tenentes, asserendo, omnia verba in Canone Missæ posita (dempto ly *Enim*) esse de substantia consecrationis Calicis. Ratio Conclusionis est: quia neque sancti Evangelistæ omnium illorum meminerunt, sed singuli aliqua omittunt: atqui non est verisimile, ipsos in hoc principali Mysterio Fidei quidpiam essentialiter requisitum omisisse, atque Formam consecrationis mutilam & insufficientem tradidisse. Imo ex hoc fundamento communius censent Theologi, hæc sola verba: *Hic est Sanguis meus*, sufficere pro consecratione Calicis: non minus, ac illa verba, *Hoc est Corpus meum*, sufficiunt pro consecratione Corporis Christi: quia Christus, ut habetur *Lucæ* 22. tam bene hic addidit ly *Quod pro vobis datur*, sicut subjunxit in altera consecratione. *Qui pro vobis fundetur.*

43 Notat tamen Doctor noster 4. *dist.* 8. *qu.* 2. §. *De isto secundo.* Filiucius *tr.* 4. *de Eucharistia c.* 5. *n.* 115. & alii, in praxi consecrantem non debere habere intentionem conficiendi cum solis primis verbis, quæ diximus esse de essentia consecrationis, vel cum omnibus; cum utrumque aliqualiter dubium sit, ac non omnino certum, ob varietatem sententiarum a Theologis in utramque partem defensarum. Unde oportebit intendere consecrare cum verbis a Christo Domino institutis, & secundum ejusdem institutionem, sive intentionem Ecclesiæ: sic enim evitabitur omne periculum errandi.

44 CONCL. V. Verba essentialia utriusque Formæ consecrationis juxta hactenus dicta, dum in Missa proferuntur a Sacerdote celebrante, dicuntur tam recitative, quam significative simul. *Recitative* quidem, in quantum celebrans intendit referre, quod olim Christus dixerit, juxta illa verba præcedentia Canonis: *Qui pridie, quam pateretur, fregit, & dixit.* Insuper *significative*, in quantum Sacerdos celebrans in persona Christi loquitur, ac vere & significative dicit: *Hoc est enim Corpus meum*: *Hic est Calix Sanguinis mei.* Alia autem verba immediate præcedentia, & subsequentia utramque Formam consecrationis, utputa ly *Accipite*, & *comedite &c.* ac ly *Hæc quotiescumque feceritis &c.* nec non & illa verba consecrationis Calicis, *Qui pro vobis effundetur &c.* proferuntur a Sacerdote solum recitative, non autem significative. Ita Scotus 4. *dist.* 8. *qu.* 2. cum omnibus suis; & videtur in re esse communis Theologorum, atque patebit ex declaratione terminorum.

45 Advertendum proinde, quod ille dicatur aliqua verba proferre *tantum recitative*, seu (ut alii loquuntur) *materialiter*, qui verba solummodo refert ut ab altero prolata, nihil tamen iisdem affirmare, vel negare intendit. Ut si dico, *Aristoteles dixit*, *mundum fuisse ab æterno*: hæc verba, *mundum fuisse ab æterno*, ego profero dumtaxat recitative; quia iisdem non intendo affirmare, *mundum fuisse ab æterno* (nam oppositum de Fide teneo) sed solum illa verba profero, seu recito, ut ab Aristotele dicta. Sic & in proposito, dum in Forma consecrationis Calicis dicitur a Celebrante, *Qui pro vobis effundetur*: verba hæc tantum recitative proferuntur, ut nempe quondam a Christo prolata, non autem significative: quia Christus non amplius pro nobis morietur, neque imposterum effundet Sanguinem suum.

46 Ille vero *significative tantum* profert aliqua verba, qui solum intendit iisdem aliquid asserere, seu enuntiare: non autem profert ea, ut ab alio dicta. Sic fit, dum dico, *mundus est creatus in tempore*, & hujusmodi.

47 Ille tandem profert aliqua verba *recitative & significative simul*, qui refert verba illa ut ab altero prolata, & simul per ea vult aliquid significare, seu asseverare: quo loquendi modo sæpius Concionatores uti solent, exclamando v. g. *Deus præcepit dicens non furtum facies*, intentione referendi verba Dei, simulque insinuandi; quod furtum non sit faciendum.

48 Et hoc ultimo modo verba essentialia utriusque Formæ consecrationis proferuntur, videlicet recitative & significative simul: recitative quidem, quatenus præmissis illis verbis, *Qui pridie, quam pateretur &c.* dixit: *Hoc est Corpus meum*, dicta verba consecrationis proferuntur ut olim a Christo prolata: simul tamen etiam significative, eo quod Sacerdos in persona Christi loquens vere & assertive denuo dicat, *Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus.* Porro cetera verba solum proferuntur recitative, ut nempe quondam a Christo prolata.

Additio.

* Quæres. Quænam præscribant observanda Rubricæ in pronuntiatione verborum, seu Formæ consecrationis? Resp. In Missali Rubricas velle, ut hæc verba consecrationis pronuntientur *secrete, distincte*, & *attente.* Per ly *secrete* (uti declarat P. Aquilinus Aman *Speculo Ordinandorum c.6. §. 4.n. 532.*) prohibetur nimia vocis elatio in proferenda Forma consecrationis, prout aliqui facere solent, tædiosa mora Hostiæ consecrandæ, uti gallina pullis, incubantes, & inde cum magno halitu, & sonoris aspirationibus, verba, & præsertim ultimas syllabas evomentes. Per ly *distincte* insolita verborum deproperatio, & multo magis syncopatio vetatur; ubi tamen præsertim scrupulosi adnotare debent, ne in alterum extremum incidant, nimium lente, cum annutu capitis, & cum notabili interpolatione hæc verba enuntiando non sine tædio, & admiratione præsentium, atque elevationem exspectantium. Per ly *attente* præcavetur distractionibus, insinuando animum Consecrantis ab iis revocandum; & ad id, quod ore profertur, serio recolligendum esse. Ubi saltem in ultimo casu voluntarias admittens distractiones inter consecrandum graviter peccare potest, si nimirum exinde se periculo non sine gravi fundamento exponat, ne forsan aliquod verbum essentiale fuerit omissum, vel substantialiter non recte pronuntiatum. Ut autem ex his Regulis non denuo subministretur scrupulosis materia, more suo consueto sæpius sub eadem Missa repetendi verba consecratoria, scire debent, quod vani timores, &, quas habent, inanes suspiciones, dicendo apud semetipsos: *forte aliquod verbum essentiale omisi, vel non bene pronuntiavi: possum male pronuntiasse: non scio reflexe, me bene pronuntiasse &c.* neutiquam sint fundamentum sufficiens repetendi formulam; cum ordinarie non innitantur rationi vere gravi, sed solum ex vano timore sic appareant, sicque potius rejici debent quoniam juxta ordinarie contingentia etiam hic prudenter præsumimus. Videatur la Croix *lib. 6. part. 1. num. 36. & 129. ac seqq.* Item *part. 2. n. 190. & seqq.* *

QUÆSTIO VI.

De reali Præsentia Christi in Eucharistia.

SUMMARIUM.

49 *Christus vere ac realiter, & non tantum in figura est præsens Eucharistia.*
50 *Et quomodo?*
51 *Declaratur amplius per verba Concilii Trid. cum Additione.*
52 *In consecratione fit transubstantiatio panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi.*
53 *Nihilominus substantia panis & vini proprie non annihilatur.*
54 *Cautela pro modo loquendi.*
55 *Quamdiu Christus præsens sit sub speciebus consecratis?*
* *Ubi ex resolutione deducuntur varia.*

49 CONCL. I. De Fide certum est, sub speciebus consecratis panis & vini contineri vere, atque realiter, & secundum propriam suam substantiam Corpus & Sanguinem Christi, non autem tantum in figura, signo, aut virtute. Ita perpetuo tenuit, & credidit Sancta Mater Ecclesia; estque contra Hæreticos in Tridentino *Sess. 13. c.1. & can. 2.* definitum. Patet insuper hæc Catholica Veritas ex verbis Christi, in ultima Cœna prolatis: nondum enim Apostoli susceperant Eucharistiam de manu Domini, cum ipse veraciter affirmaret, Corpus suum esse, quod præbebat, dicendo: *Accipite, & comedite; Hoc est Corpus meum.*

50 CONCL. II. Christus Dominus peracta consecratione est totus tam quoad humanitatem, quam quoad Divinitatem, sub speciebus panis, ac vini: tamen ex vi verborum sub speciebus panis continetur Corpus ejus, & sub speciebus vini Sanguis, cetera vero concomitanter solum, seu vi naturalis illius connexionis, qua partes Christi inter se copulantur, & qua per Unionem Hypostaticam Divinitas ejus humanitati est unita. Ita omnes Catholici; atque, ut aliæ probationes omittantur, hæc Catholica Veritas est novissime tradita in Concilio Tridentino *Sess. 13. cap. 3.* sequentibus verbis admodum dignis, ut huc adducantur, atque in modo loquendi de hoc Sanctissimo Sacramento jugiter observentur.

51 *Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post Consecrationem verum Domini nostri Corpus, verumque ejus Sanguinem sub panis & vini specie una cum ipsius Anima & Divinitate existere, sed Corpus quidem sub specie panis, & Sanguinem sub vini specie, ex vi verborum; ipsum autem Corpus sub specie vini, & Sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur; Divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum Corpore, & Anima Hypostaticam Unionem. Quapropter verissimum est, tantundem sub alterutra specie, atque sub utraque contineri: totus enim, & integer Christus sub panis specie, & sub quavis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie, & sub ejus partibus existit.* Hactenus Concilium Tridentinum.

Additio.

* Ex quo S. Concilii textu eruitur, quod totus Christus sub speciebus panis & vini existat in Eucharistia non *circumscriptive* (nimirum, ut in alia parte harum specierum esset caput, in altera vero brachia vel pedes &c.) sed potius quasi *definitive*, & (uti ajunt Theologi) *Sacramentaliter*, ita nempe, ut sit totus in toto, & totus in qualibet parte harum specierum, eo ferme modo, quo anima hominis existit tota in toto corpore, & tota in qualibet parte ejusdem, prout aliqualiter jam dictum fuit superius *n. 5.* Nec hoc repugnat Omnipotentiæ Divinæ, prout nulla potest ostendi repugnantia. Unde, si Hostia post consecrationem dividatur in multas partes (uti contingere potest quoad minores Hostias, si tempore Communionis in aliquo confluxu hominum restent post ultimam Missam adhuc aliquo modo plures communicantium, quam Hostiæ) accipiens qualemcumque partem sumit totum Christum juxta Concilium Trident. *Sess. 13. Can. 3.* Ita etiam exprimit Ecclesia in Sequentia Missæ cantans: *ne vacilles, sed memento, tantum esse sub fragmento; quantum toto tegitur &c.* Plura de hoc, & similibus speculativis videri possunt in Theologia Speculativa. *

52 CONCL. III. Prolata rite Forma consecrationis, panis per veram transubstantiationem convertitur in Corpus Christi, & vinum in Sanguinem: atque illico desinente tota substantia panis & vini sub iisdem speciebus incipit esse realiter præsens totus Christus. Hæc Conclusio similiter est omnium Catholicorum, ac novissime definita in Concilio Tridentino *Sess. 13. Can. 2.* ibi: *Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini, una cum Corpore & Sanguine Domini nostri Jesu Christi, negaveritque illam mirabilem, & singularem conversionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis & vini:* quam quidem con-

conversionem Catholica Ecclesia aptissime Transubstantiationem appellat: anathema sit. Hactenus Concilium. Et desumitur hæc Catholica veritas ex ipsis verbis Christi, de eo, quod sub specie panis porrigebat Apostolis, veraciter dicentis: *Hoc est Corpus meum.*

53 CONCL. IV. Nihilominus in dicta conversione, seu transubstantiatione panis in Corpus Christi, & vini in Sanguinem ejus proprie substantia panis & vini non annihilatur. Ita Scotus 4. *dist.* 11. *qu.* 4. D. Thomas *p.* 3. *qu.* 75. *art.* 3. D. Bonaventura 4. *dist.* 11. *p.* 1. *art.* 1. *qu.* 3. & alii. Ratio est: quia terminus *ad quem* annihilationis est purum nihil: atqui hoc non fit in proposito; ergo. Minor probatur: quia desitioni substantiæ panis & vini, vi præfatæ totalis conversionis, seu admirabilis transubstantiationis, succedit realis præsentia Corporis & Sanguinis Christi; & consequenter proprie loquendo, substantia panis & vini non annihilatur, sed potius vere ac totaliter convertitur, sive transubstantiatur in Corpus & Sanguinem Christi.

54 Ceterum quia quoad præsentem materiam nonnulla latet lis de nomine, quidnam videlicet intelligatur per annihilationem, hinc abstrahendo a dicta difficultate. utpote minus utili pro praxi, optimum erit, in communibus discursibus, ac præsertim Concionibus dicere, quod panis & vinum peracta Consecratione vere transubstantietur, seu quoad totam suam substantiam convertatur in Corpus & Sanguinem Christi, remanentibus solis speciebus, seu accidentibus suis.

55 CONCL. V. Christus tamdiu sub sacramento Eucharistiæ est realiter præsens donec ipsæmet species consecratæ corrumpantur: in eo autem instanti Christus Dominus desinit esse præsens, quo species consecratæ ita sunt alteratæ, & corruptæ, ut, si sub ipsis adfuisset substantia panis, hæc naturaliter deberet desinere esse, & corrumpi. Ita communis Theologorum. Ratio est: quia Christus in hoc Sacramento decrevit supplere absentiam substantiæ panis, & vini; & consequenter neque citius, neque tardius vult desinere esse sub speciebus consecratis, ac ipsa substantia panis & vini naturaliter desineret, si adesset.

Additio.

* Ex ultima hac conclusione deduces I. Vere, realiter, & sacramentaliter adhuc remanere Christum, si species vini consecrati commisceantur cum vino non consecrato ejusdem speciei. Ratio est: quia in tali casu consecratæ species non paterentur qualitates contrarias a quibus destruerentur, seu corrumperentur, uti advertit Doctor Subtilis *in* 4. *Sentent. dist.* 12. *qu.* 4. unde ex hoc ipso fundamento infert Cardinalis de Lugo in suis Responsis moralibus, in Festo Natalis Domini, ubi triplex legitur Missa, non posse a Laicis bibi illam ablutionem Calicis restantem, quia, dum eadem purgatur Calix, plerumque aliquantulum speciei consecratæ in calice remanens commiscetur, quæ per effusum vinum probabilissime non destruitur. Deduces II. Adhuc remanere Christum, si species panis consecrati accidentaliter tantum e. g. in figura, vel in colore mutentur, ita tamen, ut adsint ceteroquin accidentia, alias substantiæ panis connaturalia. Hinc (inquit P. Sporer *p.* 2. *Theol. c.* 3. *sect.* 1. *n.* 124.) in admirabili Sacramento & quasi quoad colorem carnea Hostia, Augustæ ad S. Crucem conservata, probabiliter remanet Corpus Christi, sicque adhuc adorari posset cultu Latriæ etiam absoluto; quia saltem a lateribus accidentia, alias pani connaturalia restare cernuntur ab illis, qui acutiori visu sunt præditi. Deduces III. Non remanere Christum, si species panis tamdiu in ore sumentis detineantur, ut ibidem ex toto in salivam resolvantur. Unde, quia juxta dicenda *n.* 61. sacra Communio non statim ex opere operato confert suos effectus, dum in os ponitur sed primum quando species deglutiuntur, prout etiam ex hac ipsa causa juxta communem DD. ægrotus non acquirit hanc gratiam si S. Synaxi provisus moriatur, dum Hostia adhuc existit in ipso ore: consequens est, quod tales, sacram Hostiam tam diu in ore retinentes sæpius priventur fructu sacræ Communionis, alios ex opere operato conferendo; quia Christus desinit ibi in tali casu existere, antequam deglutiatur cibus ille Angelicus; utpote, cum accidentia, alias pani connaturalia, jam cessent, antequam actu deglutiantur. Deduces IV. Si nullæ amplius appareant in Hostia species pani connaturales, nec in calice accidentia connaturalia vino, sed miraculose videatur, & quidem constanter, ac unanimiter a præsentibus loco *Hostiæ quasi frustum carnis*, vel in calice *Sanguis*, signum est, citra novum replicationis miraculum in præsenti vix præsumendum, non amplius existere ibidem realiter Christum, sed vel veram carnem ac Sanguinem non adesse, sed tantum aliquid simile, vel dictam carnem certe non esse ex glorioso nunc Corpore Christi sectam, aut Sanguinem separatum, sed novam aliquam carnem, nulli animali adhuc incorporatam, vel similem sanguinem a Deo fuisse creatum, & cultu Latriæ respectivo, tamquam miraculosum vestigium Christi, qui ibidem præextitit, honorandum tamquam repræsentativum carnis aut Sanguinis Christi. Videantur Herincx *Tom.* 4. *Tr.* 3. *De Sacr. Eucharist. disp.* 4. *q.* 5. & Sporer *loc. cit. num.* 127. Deduces V. Si species panis & vini appareant tantum aliquibus sic immutatæ; reliqui autem videant easdem adhuc uti prius, vel si talis apparitio tantum breviter duret, signum est, quod adhuc ibidem contineatur Christus, nec species fuerint realiter immutatæ umquam, sed potius per Angelum ex commissione Dei ad suos Sanctissimos fines similia objecta ex aëre formata, vel quod in ipso aëre intermedio fuerint tales species repræsentative productæ, & potentiæ visivæ impresse. Videatur Sporer *loc. cit. num.* 124. & valde utiliter Pater Henno *Tom.* 2. *Tract. De Eucharist. disp.* 5. *quæst.* 5. & Herincx *loc. cit.*]

QUÆSTIO VII.

De Necessitate sumendi Eucharistiam sub alterutra Specie; ubi & de ejus effectibus.

SUMMARIUM.

56 *Non est præceptum Divinum, sumendi Eucharistiam sub utraque specie.*
57 *Solvitur instantia.*
58 *Ecclesia juste decrevit, ut Laici sub una tantum specie communicarent.*
59 *Causæ hujus præcepti Ecclesiastici.*
60 *Sumens Eucharistiam sub una specie, nulla fraudatur gratia ad salutem necessaria.*
61 *Eucharistia, quando producat effectum gratiæ sanctificantis?*
62 *Præter hunc causat Eucharistia alios effectus: nam*
63 *Delet venialia,*
64 *Præservat a mortalibus,*
65 *Confert dulcedinem animæ,*
Diminuit fomitem.
66 *Alia remissive.*

(*b*) Tr. 10. Dist. 3.

56 CONCL. I. Ex præcepto Divino non est necessarium, ut omnes Christi Fideles sumant Eucharistiam sub utraque specie. Ita novissime definitum est in Concilio Tridentino *Sess.* 21. *can.* 1. & 2. & oppositum asserentes anathematis condemnantur. Ratio est: quia nullibi habetur tale præceptum. Nam, qui dixit *Joan.* 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* dixit quoque ibidem: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Item: *Panis, quam ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Item: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum;* prout rectissime observat Concilium Trident. *loc. cit. cap.* 1. & sequuntur Theologi, & Con-

Controversistæ unanimiter. Accedit, quod jam in primitiva Ecclesia fuerit consuetudo communicandi quandoque sub una specie, prout amplius ostendunt Controversistæ contra Hæreticos modernos.

57 Nec valet dicere, *Matth.* 26. Christus porrigens Calicem, præcepit dicens: *Bibite ex hoc omnes*; ergo usus Calicis omnibus sub præcepto Divino injunctus est. *Resp.* enim inprimis, retorquendo argumentum, quia D. Marcus Evangelista *c.* 14. *v.* 23. expresse fatetur, ac testatur: *& biberunt ex illo omnes*; ergo illud Christi præceptum jam in ultima Cœna fuit adimpletum, & consequenter neutiquam respiciebat omnes Christi Fideles imposterum nascituros. *Resp.* ulterius, illud Christi præceptum solos Apostolos, quibuscum Christus cœnavit, non autem omnes alios Fideles comprehendisse; ut patet ex allata instantia.

58 CONCL. II. Sancta Ecclesia Catholica justissimis de causis statuit, ut Laici, atque etiam Clerici non conficientes (id est, Missam actu non celebrantes) sub una tantum specie communicarent. Ita omnes Catholici, estque novissime definitum in Concilio Tridentino *cit. Sess.* 22. *can.* 2. Porro rationes, quibus Ecclesia ad prohibendum Laicis, & Clericis non conficientibus, seu non celebrantibus usum Calicis adducta est, præcipue sunt sequentes, & revera gravissimæ.

59 Primo siquidem dicta prohibitio facta est ob gravem irreverentiam, quæ sacrosancto Sanguini Christi multoties inferebatur per effusionem ipsius in terram, aut barbas, sive vestes Communicantium. Deinde, quia sacratissimus Sanguis consecratus, qui non semper juxta numerum atque exigentiam Communicantium ita consecrari potuit, ut sub actuali Communione totus sumeretur, & neque deficeret, neque superabundaret, non potuit, nec potest in sacrariis debita cum reverentia asservari, quin a potiori propter corruptionem specierum vini, utpote facillime in acetum degenerantis, tempore præsertim calidiori, gravem pateretur irreverentiam. Accedit, quod sanctissimus Sanguis consecratus absque effusionis, periculo aut aliis incommodis difficillime poterit ad infirmos deferri, aut pro iisdem asservari. Hujusmodi igitur malis, & irreverentiis, quotidie emergentibus in tanta propulorum frequentia, atque hominum magna ex parte rudium multitudine, aliter sancta Mater Ecclesia efficaciter providere non potuit, nisi per subtractionem Calicis quoad Laicos, vel Clericos non celebrantes.

60 CONCL. III. Quamvis Christus Dominus in ultima Cœna hoc Sacramentum sub duabus speciebus instituerit, atque Apostolis tradiderit, tamen fatendum est, etiam sub altera specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi: ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia ad salutem necessaria eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt. Ita Concilium Trident. *cit. Sess.* 21. *c.* 3. superius *n.* 51. fusius allegatum, & omnes Catholici.

61 CONCL. IV. Eucharistia non statim, ac in ore ponitur, ex opere operato confert effectum gratiæ sanctificantis, sed primum quando species degluttiuntur, ac ex ore trajiciuntur in stomachum. Ita communis. Ratio est: quia ad consequendum Eucharistiæ effectum ex opere operato requiritur, ut Corpus & Sanguis Christi, mediantibus speciebus Eucharisticis vere comedatur, & bibatur, juxta illud *Joan.* 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam*, atqui juxta communem loquendi modum nemo censetur quidpiam comedisse, vel bibisse, qui panem vel vinum in ore dumtaxat retinet, nihil autem ex eo deglutit: ut patet in abluente os suum, qui non censetur fregisse jejunium naturale, sed potest adhuc communicare: ergo.

62 CONCL. V. Præter augmentum gratiæ sanctificantis, qui est primarius ac principalis hujus Sacramenti effectus, idem Sanctissimum Sacramentum causat quosdam alios effectus. Ita tenent omnes Theologi; & Libri Ascetici, fusius de talibus effectibus disserentes quorum principaliores hic in compendio referuntur.

63 Et primo quidem hoc Augustissimum Sacramentum, digne susceptum, delet peccata venialia: idque non tantum mediate ac indirecte, quatenus fervorem charitatis excitat, & movet ad actus virtuosos, per quos venialium detestatio sequitur, sed etiam immediate ex opere operato, quatenus producit augmentum gratiæ sanctificantis, virtute cujus delentur peccata venialia, præsertim ea, ad quæ digne Sacramentum suscipiens non habet positivum affectum, & actualem complacentiam, sed virtualem quamdam detestationem.

64 Secundo præservat a peccatis mortalibus, quatenus vi illius Deus hominem exterius specialiter protegit atque interius corroborat per singularia gratiæ actualis auxilia: itemque vel represso dæmone, vel amotis occasionibus peccandi hominem ab ingruentibus tentationibus liberat, nec non ad eas superandas specialia quædam auxilia gratiæ subministrat.

65 Tertio confert dulcedinem spiritualem, & quamdam devote sumentibus suavitatem internam: ut proinde merito Ecclesia Catholica, in Officio de Corpore Christi, huc applicet Prophetiam Jacob de Aser *Gen. c.* 49. *Pinguis panis ejus, & præbebit delicias Regibus.* Tandem inter alia bona, quæ secum affert, hoc Sacramentum rite susceptum diminuit fomitem, ac inordinatum affectum ad illicita.

66 Plura quidem alia de hoc SS. Sacramento disputant Theologi, sed ea sunt altioris indaginis, atque ad Theologiam Moralem proprie non pertinent. Quæ vero dicenda forent de sumptione Eucharistiæ, seu de præcepto communionis, præsertim Paschalis, jam superius (*b*) agendo *De præceptis Ecclesiæ*, ex professo discussa fuerunt.

DISTINCTIO V.

De Sacrificio Missæ.

QUÆSTIO I.

De Natura Sacrificii in genere.

SUMMARIUM.

1 *Eucharistia ut Sacramentum, & ut Sacrificium,*
2 *Sacrificium proprie, improprie.*
3 *Sacrificium proprie, quid?*
[*a*] Tr. 5. Dist. 1. n. 15.
4 *Est rei permanentis.*
5 *Ad id sufficit sola rei oblatæ immutatio moralis.*
6 *Declaratur aliis exemplis.*
(*b*) Tr. 5. Dist. 1. n. 15. & seqq.
7 *Sacrificium est actus Latriæ.*
8 *Sacrificium Missæ non offertur Sanctis.*
9 *Sacrificia Gentilium fuerunt vera, & cur illicita?*
10 *In Lege Mosaica, & jam ante ipsam fuerunt aliqua Sacrificia.*
11 *Deo esse sacrificandum, est de Jure naturali.*
12 *Sacrificia veteris Legis varia: ut Victima, Immolatio, Libamen,*
13 *Holocaustum, Hostia pro peccato.*
14 *Omnia Sacrificia antiqua coadunantur in uno Missæ sacrificio.*

1 Advertendum, quod Eucharistia possit dupliciter considerari. Primo, ut est Sacramentum novæ Legis, id est, signum sensibile Corporis & Sanguinis Christi, realiter contenti sub speciebus consecratis panis & vini. Secundo, ut est Sacrificium novæ Legis: quomodo ipsa non solum ex opere operato confert gratiam digne sumentibus, sed etiam prodest aliis, pro quorum salute offertur. Viso proinde de Eucharistia, ut est Sacramentum, restat agere de ipsa, ut est Sacrificium, præmissa tamen ad majorem claritatem unica Quæstione de natura Sacrificii ut sic: unde

2 Advertendum ulterius, quod Sacrificium in communi dupliciter ſumatur, proprie ſcilicet, & improprie ſeu latiſſime. Hoc poſteriori modo Sacrificium nihil aliud eſt, quam quidquid Deo offertur ad ſuum cultum, ſicque etiam comprehendit ſub ſe preces, & orationes devotas Fidelium, juxta illud *Pſalm* 49. *Immola Deo Sacrificium laudis*. Et ad *Hebr. c.* 13. *Offeramus hoſtiam laudis Deo, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini ejus*, & alibi. Sacrificium proprie dictum eſt peculiaris actus virtutis Religionis, quo ſpeciali quodam modo proteſtamur ſummam & abſolutam excellentiam Dei, noſtramque ſubjectionem ad ipſum, per oblationem & deſtructionem alicujus rei ſenſibilis. Et loquendo de hujuſmodi Sacrificio, ſit

3 CONCL. I. *Sacrificium proprie dictum* eſt oblatio externa rei permanentis Deo exhibita, qua ſignificatur ſupremum dominium, atque excellentia Dei, & ſubjectio Sacrificantis ad ipſum, mediante aliqua ipſius rei oblatæ deſtructione, ſeu immutatione. Ita in re communis, & concordant dicta ſuperius. (*a*)

4 Dicitur, *oblatio externa rei permanentis*, ut puta ovis, bovis, vituli, tritici &c. ad diſtinguendum Sacrificium proprie dictum a Laude Dei, quæ fit Deo verbis tranſeuntibus, atque ab Adoratione eidem exhibita per genuflexionem, & hujusmodi, nec non ab omni oblatione interna, qua quis per piam voluntatem ſe ſuaque omnia Divinæ Majeſtati offert, atque reſignat.

5 Dicitur ulterius, *mediante aliqua ipſius rei oblatæ deſtructione, ſive immutatione*: hæc ſiquidem ad rationem Sacrificii proprie dicti omnino requiritur, quamvis non ſemper ſit neceſſe, rem oblatam phyſice deſtrui; cum quandoque ſufficiat ſola illius immutatio moralis, ſive humano modo facta, in quantum res oblata accipit alium ſtatum, & ad priores operationes redditur inutilis. Sic quippe olim Hebræi ſacrificare Deo cenſebantur, dum vinum, oleum, aut alios hujuſmodi liquores effundebant in terram circa altare Domini: nam tunc vinum illud, aut oleum non ſtatim ſubſtantialiter corrumpebatur, donec ſiccaretur, ſed ſolum acquirebat ſtatum inutilem ad uſus humanos.

6 Quo etiam modo Veteres, quibus ſicut erat magis frequens, ita & magis nota ratio Sacrificii, quandoque ſacrificabant projiciendo aliquid in mare, vel etiam coquendo panes in clibano, ſicque farinam immutando: prout de quibusdam malis Judæis, coquentibus placentas Reginæ Cœli, & libantibus Diis alienis legitur *Jeremiæ c.* 7. Nam tunc farina ſubſtantialiter non corrumpebatur, ſed ſolum mutabatur in alium ſtatum, a ſuo priſtino diverſum: res vero in mare projecta, ut puta annulus, plerumque in ſua ſubſtantia perſiſtebat, immutabatur tamen, quatenus ad uſus humanos inutilis fiebat. Ceteræ particulæ definitionis Sacrificii tum ex alibi dictis (*b*) tum magis ex dicendis patebunt.

7 CONCL. II. Sacrificium eſt actus virtutis Religionis, & quidem ſupremæ ejus ſpeciei; quæ dicitur *Latria*; unde non niſi ſoli Deo offerri poteſt. Ita communis omnium Theologorum, & patet ex ipſa Sacrificii definitione, qua dicitur, Sacrificium exhiberi in proteſtationem ſupremi dominii, atque excellentiæ: nam hæc non niſi ſoli Deo competit.

8 Ex dictis proinde ſequitur primo quod quamvis in honorem Sanctorum & pro illorum interceſſione apud Deum obtinenda conformiter Concil. Trid. *Seſſ.* 2. *De Sacrificio Miſſæ. Can.* 5. optime celebrentur Miſſæ, nihilominus nec Beatiſſimæ Mariæ Virgini, nec ulli Sancto revera offeratur Miſſa. Siquidem hæc eſt Sacrificium novæ Legis proprie dictum, quale non niſi ſoli Deo offerri poteſt, eo quod in ipſo ſolo reperiatur ſupremum in omnes creaturas dominium, ſummaque excellentia. Hinc Concilium Tridentinum *Seſſ.* 22. *c.* 3. ſanctiſſime monet: *Quamvis in honorem, & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Miſſas Eccleſia celebrare conſueverit; non tamen illis Sacrificium offerri docet, ſed Deo ſoli, qui illos coronavit. Unde nec Sacerdos dicere ſolet, offero tibi Sacrificium Petre, vel Paule, ſed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipſi pro nobis intercedere dignentur in Cœlis, quorum memoriam facimus in terris.* Hæc Tridentinum: quod ipſum dudum jam docuit S. Auguſtinus, *lib.* 8. *De Civitat. Dei cap.* 27. & communis ſenſus Eccleſiæ.

9 Sequitur ulterius, quod Sacrificia Gentilium, etſi ceteroquin proprie dicta, ex eo capite fuerint illicita, imo & execranda, quia non fuerunt exhibita vero Deo. Fiebant enim tum hominibus, & quidem peſſimis, ut Beel, ſeu Baalim (qui fuit Nemrod, *robuſtus venator coram Domino. Gen.* 10.) & aliis hujuſmodi, quos cæca, aut verius propria malitia excæcata gentilitas pro diis habebat; tum dæmoniis per ſimulacra idolorum nonnumquam reſponſa dantibus, juxta illud etiam ingratis Iſraelitis quondam objectum *Deut. c.* 32. *Immolaverunt dæmoniis, & non Deo, diis, quos ignorabant* & alibi.

10 CONCL. III. Non ſolum in Lege Moſaica, ſed etiam ante ipſam aliqua extiterunt Sacrificia. Patet hoc clare ex Sacra Scriptura: ut ex primis ſeptem Capitulis Libri Levitici, ubi de Sacrificiis Legis Moſaicæ agitur: item ex *c.* 4. *Gen.* ubi longe antea juſtus Abel Deo *obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum.* Et *Geneſ.* 8. ubi Noe poſt diluvium *tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocauſta ſuper Altare.* Item Melchiſedech obtulit panem & vinum (*erat enim Sacerdos Dei altiſſimi. Gen.* 14.) & alibi ſæpe.

11 Quinimo notant Doctores cum D. Thoma 2. 2. *qu.* 95. *art.* 1. quod naturali Jure præſcribatur, Deo eſſe ſacrificandum, quamvis, an hæc, vel illa ſint ſacrificanda, Lex humana vel Divina poſtmodum conſtituerit. Sicut a pari Jus naturale præcipit, Deum eſſe orandum, atque invocandum, utpote ſummum rerum omnium Dominum, & Largitorem bonorum omnium, eique pro acceptis beneficiis grates debitas referendas &c. quamvis certæ & determinatæ preces, & formulæ precandi ſint Juris poſitivi, Divini vel humani.

12 Porro Sacrificia veteris Legis varie dividebantur: & inprimis ratione materiæ, in Victimam, Immolationem, & Libamen. *Victima* comprehendebat animalia oblata, & mactata in honorem Dei: utputa quando de bobus, ovibus, agnis, vel capris fiebat Sacrificium. Per *Immolationem* offerebantur res inanimatæ, & ſolidæ: ut panis, ſimila, thus, triticum, & hujuſmodi. *Libamen* dicebatur, quando fiebat oblatio de rebus inanimatis, ſed fluidis, quæ effundebantur: ut vinum, oleum aliique liquores.

13 Alia diviſio Sacrificiorum Legis Moſaicæ ratione finis, & formæ fuit in Holocauſtum, Hoſtiam pacificam, & Hoſtiam pro peccato. *Holocauſtum, & Holocauſtoma* erat Sacrificium Deo oblatum pure ad laudem, & cultum ipſius, atque in proteſtationem ſupremæ ſuæ excellentiæ, & in hoc tota res oblata deſtruebatur, ſeu comburebatur, ut nihil cederet in uſus humanos. *Hoſtia pacifica*, ſeu *Hoſtia pacificorum* erat Sacrificium, quod offerebatur Deo vel in gratiarum actionem pro accepto beneficio, & alio nomine dicebatur *Sacrificium laudis*; vel pro impetratione alicujus beneficii novi, & erat *Sacrificium impetratorium*: & in eo una pars comburebatur ad honorem Dei, altera cedebat in uſum Sacerdotum; tertia in uſum ipſorum offerentium. Tandem *Hoſtia pro peccato* erat Sacrificium, quod offerebatur ad obtinendam peccatorum remiſſionem: unde & vocabatur *Sacrificium propitiatorium*, in quo una pars comburebatur, altera cedebat in uſum Sacerdotum.

14 CONCL. IV. Omnia Sacrificia tum Legis Naturæ, tum Moſaicæ de facto coadunata ſunt in uno tremendo & incruento Miſſæ Sacrificio. Ita omnes Catholici; atque profitetur Eccleſia in Secreta Miſſæ poſt Dominicam VII. Pentecoſtes, ſic orans: *Deus, qui Legalium differentiam hoſtiarum unius Sacrificii perfectione Sanxiſti.* Uberius id ipſum docet Concilium Trident. *Seſſ.* 22. *c.* 1. ſic loquens: *Hæc denique illa munda oblatio eſt, quæ per varias Sacrificiorum, Naturæ, & Legis tempore, ſimilitudines figurabatur; utpote quæ bona omnia, per illa ſignificata, velut illorum omnium conſummatio,*

& perfectio complectitur. Et de hoc tremendo Missæ Sacrificio ex professo nunc agendum.

QUÆSTIO II.

De Missa, & qua ratione in ea offeratur verum Sacrificium?

SUMMARIUM.

15 *Missa, vox antiquissima.*
Lyturgia, quid?
16 *In Missa distinguitur ratio Sacramenti, Sacrificii, & Missæ.*
17 *Missa Catechumenorum, & Missa Fidelium.*
18 *In Missa offertur Deo verum Sacrificium.*
19 *Probatur Catholica Veritas.*
20 *Missæ Sacrificium est incruentum, cujus Principalis Hostia Christus.*
21 *Panis, & vinum, hostia minus principalis; & quomodo?*
22 *Christus quomodo in hoc Sacrificio offeratur?*
23 *Objectio notabilis, quomodo Hostia in Missæ Sacrificio immoletur &c.*
24 *I. Responsio, de mystica, Sacramentali, & incruenta immolatione Christi.*
25 *Solvitur instantia, & declaratur magis hæc responsio.*
26 *II. Responsio, de morali Christi immutatione.*
27 *III. Responsio de physica conversione panis, & vini in Corpus & Sanguinem Christi.*
28 *Objectio contra hanc sententiam, ejusque notabilis solutio.*

15 Advertendum I. Quod hæc vox Missa, ejusque usus sit antiquissimus in Ecclesia: legitur enim tum apud S. Augustinum, S. Ambrosium, aliosque SS. Patres, tum in Concilio Romano sub S. Silvestro Papa I. celebrato. Imo S. Ignatius, Antiochenæ Ecclesiæ tertius post S. Petrum Episcopus, & Martyr, *in Epist. 6. ad Smyrnenses* jam hujus dictionis meminit. Censetur autem hæc antiquissima vox latina ly *Missa* idem quasi sonare ac *Missio*; vel quia in Missa ad nos mittitur e cœlo Christus; vel oblatio, seu Hostia a Sacerdotibus mittitur ad Patrem cœlestem; vel quia Missa finita dimittitur populus in pace, dum Sacerdos ait: *Ite, Missa est*; ac si diceret: *ite in Pace, jam missa est Hostia ad Deum.* Porro quod Patres Latini Missam appellant, Græci vocant *Lyturgiam*, hoc est, *Ministerium, Sacrificiumque Altaris*; uti notat Covarruvias *l. 4. var. resol. cap 22.*

16 Advertendum II. Quod juxta usum Ecclesiæ, communemque sensum Fidelium Missa accipiatur pro collectione omnium actionum, quæ fiunt a principio Sacrosancti Eucharistiæ Sacrificii usque ad finem ipsius, in quo Corpus & Sanguis Christi consecratur, & offertur. Unde ad propositum tria sunt distinguenda, videlicet ratio Sacramenti, Sacrificii, & Missæ. *Ratio Sacramenti* consistit in eo, quod Eucharistia sit signum sensibile Corporis & Sanguinis Christi, realiter contenti sub speciebus consecratis; prout amplius *dist. Præced.* declaratur. *Ratio Sacrificii* consistit in hoc, quod Christus in Missa incruente immoletur, Patrique suo cœlesti offeratur; idque essentialiter & principaliter fit in consecratione prout in progressu amplius ostendetur. *Ratio Missæ* tandem complectitur tum confectionem Eucharistiæ, seu consecrationem, tum reliqua omnia sive antecedentia, sive consequentia; ac proinde consistit in collectione eorum omnium, quæ a principio usque ad finem ipsius peraguntur, id est, conformiter Rubricis de Ritu celebrandi &c. 1. ab Introitu usque ad Canonem. 2. a Canone, qui incipit post Præfationem, & durat usque ad Orationem Dominicam *Pater noster*. 3. ab Oratione Dominica usque ad Communionem; & demum 4. a Communione usque in finem. Et ex his quidem substantialia a Christo Domino utpote novæ Legis Auctore, instituta fuerunt: quoad totam vero actionem, atque ut Missa includit diversas Orationes & Ceremonias, ea est instituta ab Ecclesia.

17 Advertendum III. Quod olim tota ejusmodi actio dividebatur in duas partes, videlicet in Missam Cathechumenorum, & Missam Fidelium. *Missa Cathecumenorum* durabat a principio Missæ usque ad Offertorium exclusive; & fuit sic dicta, quia tamdiu, & non ultra, Catechumenis interesse licebat. *Missa Fidelium* incipiebat ab Offertorio, & durabat usque in finem. Et ob hanc veterem Missæ divisionem etiam defacto quandoque totum Officium solet dici in plurali *Missarum solemnia*; quamvis etiam Missa in singulari sufficienter significet totam illam actionem sacram, quæ in Missa a principio usque in finem peragitur. His prænotatis, sit

18 CONCL. I. In Missa offertur Deo verum, ac proprie dictum Sacrificium. Conclusio est de Fide, ac definita in pluribus Conciliis, novissime autem in Concilio Trident. *Sess. 22. can. 1.* ibi: *Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum & proprium Sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari: anathema sit.* Unde merito rejecta fuit doctrina Michaelis Baji, volentis, illud esse tantum improprie Sacrificium. Videatur ex Propositionibus suis damnatis ordine quadragesima quinta.

19 Desumitur insuper hæc Catholica veritas, præter traditionem perpetuam, ac praxin Ecclesiæ jam a temporibus Apostolorum jugiter continuatam, ex illis verbis Christi *Lucæ 22. Hoc facite in meam Commemorationem.* Siquidem ly *facite*, æquivalet verbo *sacrificate*, juxta illud *Levit. c. 15. Sumet duos turtures, dabitque Sacerdoti, qui faciet unum pro peccato, & alterum in holocaustum*; id est, sacrificabit, seu offeret unum pro peccato &c. quales locutiones sæpius alibi in S. Scriptura reperiuntur. Accedit quod Christus Dominus, utpote *Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech Psalm. 109.* in ultima Cœna Deo Patri vere sacrificaverit; ergo, cum illud ipsum Apostolis, eorumque legitimis Successoribus facere præceperit, etiam hi vere ac proprie sacrificabunt. Et hoc quidem fecisse Apostolos, eorumque Successores; constat ex antiquissimis Lyturgiis, plurimis Sanctorum Patrum testimoniis, & probatissimis historiis, de quibus Controversistæ, præsertim Bellarminus *l. 1. de Missa.*

20 CONCL. II. Missæ Sacrificium est incruentum, in quo præcipua & Principalis Hostia est Christus Dominus, sive corpus, & Sanguis ipsius. Ita omnes Catholici; & omissis aliis probationibus, habetur expresse in Concilio Trident. *Sess. 22. c. 2.* ibi: *in Divino hoc Sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruente immolatur, qui in Ara Crucis semel seipsum cruente obtulit.* Et infra *can. 2.* Concilium definit, Christum ordinasse, ut *Apostoli, aliique Sacerdotes offerrent Corpus, & Sanguinem suum.*

21 Dicitur notanter, *principalis Hostia est Christus.* Siquidem hoc non obstante passim fatentur Theologi, quod etiam panis & vinum aliquo modo in Missa offerantur; sicque pertineant ad rem, quæ sacrificatur; prout liquet ex modo loquendi Ecclesiæ, quæ in Missæ Offertorio sic orat: *Suscipe sancte Pater hanc immaculatam Hostiam*, præsentando simul panem consecrandum. Et infra: *Offerimus tibi Domine Calicem salutaris*, elevando vinum. Ceterum substantia panis, & vini est dumtaxat Hostia minus principalis, & secundaria, atque eatenus in hoc tremendo Sacrificio offertur, quatenus ipsa est materia consecrationis Eucharistiæ, & quæ totaliter convertitur, seu transsubstantiatur in Corpus & Sanguinem Christi.

22 Insuper sciendum, quod Christus in Sanctissimo Missæ Sacrificio offeratur, non quomodocumque, sed ut mediante transsubstantiatione panis, & vini in Corpus & Sanguinem suum realiter contentus est sub horum speciebus; prout fatetur Concilium Tridentinum *Sess. 22. c. 1.* ibi: *Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit.* Christus itaque in hoc incruento Sacrificio non offertur, quatenus existit in Cœlis

(sic enim nulla prorsus circa eum fit immutatio, ad rationem Sacrificii essentialiter requisita) sed quatenus vi consecrationis, ac mediante transsubstantiatione panis, ac vini in Corpus & sanguinem suum ponitur, atque existit sub eorum speciebus consecratis. Verum pro majori dictorum intelligentia,

23 Objicitur contra præmissa. Ad verum, & proprie dictum Sacrificium requiritur aliqua destructio, aut immutatio rei oblatæ, sive ipsius Hostiæ: atqui in Missa non fit talis destructio, neque immutatio rei oblatæ, sive Hostiæ: nam Christus, qui dicitur esse Hostia principalis, neque destruitur, cum sit immortalis, neque alia ratione immutatur, cum sit impassibilis, atque incorruptibilis: ergo. Ad hanc satis communem objectionem plures sunt responsiones Theologorum, in hoc convenientium, quod omnes quamdam ex parte Hostiæ oblatæ destructionem, sive immutationem admittant (hæc enim omnimodis requiritur ad rationem veri Sacrificii) licet eam varie postmodum explicent.

24 Primo itaque nonnulli cum Lessio *libr.* 12. *de Divinis Perfectionibus cap.* 13. *n.* 96. censent, ipsi consecrationi convenire rationem actionis sacrificativæ, ac per ipsam Christum modo incruento mactari, & hac ratione incruente immolari, quatenus per ipsam vi verborum Corpus Christi a sanguine separatur, & vicissim Sanguis a Corpore. Siquidem vi verborum formæ consecrationis sub speciebus panis ponitur solum Corpus Christi, & vi verborum consecrationis sub speciebus vini solus Sanguis, sicque (non obstante, quod reliqua concomitanter sub utrisque speciebus etiam ponantur) Christus mystice, incruente, atque Sacramentaliter tunc mactatur, immolatur, atque immutatur. Unde in forma ad propositam objectionem Respondent, distinguendo minorem: in Missa non fit destructio, aut immuttatio Hostiæ physica & substantialis, transeat; non fit destructio, aut immutatio ejus mystica, incruenta, sive Sacramentalis, negant minorem; & eodem modo distincta sua probatione, negant consequentiam.

25 Si dicas. Ad veram rationem Sacrificii non sufficit sola immutatio mystica, & Sacramentalis. Respond. id quidem non sufficere ad Sacrificium cruentum, bene tamen ad Sacrificium incruentum, quale peragitur in SS. Missæ Sacrificio. Ad hoc quippe incruentum novæ Legis Sacrificium sufficit incruenta, mystica, & Sacramentalis illa immolatio Christi: quæ fit non quidem malleo, vel cultro materiali, sicut olim victimæ immolabantur, sed cultro verbi Dei: de quo dicitur *ad Hebr.cap.*4. *Vivus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Nam vi hujus verbi Dei, seu vi verborum formæ consecrationis in persona Christi prolatorum revera, quantum ex vi verborum, sub speciebus panis solum Corpus Christi & sub speciebus vini solus Sanguis ipsius ponitur: non obstante, quod ob naturalem partium inter se connexionem, & concomitantiam, ipsamque unionem Hypostaticam etiam aliæ partes humanitatis Christi, una cum Divinitate sub utraque specie contineantur; hoc enim est per accidens.

26 Secundo alii Respondent, distinguendo majorem. Ad rationem Sacrificii requiritur destructio, sive immutatio Hostiæ, vel physica vel saltem moralis, concedunt; semper physica, negant majorem, conformiter dictis *num.* 5. & 6. Et eodem modo distinguunt minorem. Siquidem in Sacrificio Missæ licet Christus Dominus secundum suam humanitatem vi consecratiois substantialiter non destruatur, adhuc tamen secundum eam moraliter immutatur, quatenus per consecrationem Corpus Christi transfertur a statu suo naturali ad Sacramentalem, atque in usum cibi & potus, longe diversum a statu suo naturali. Nam istud moraliter loquendo idem est, ac si fieret verus cibus; juxta quod idem Salvator, *Joan. cap.* 6. affirmabat: *Caro mea vere est cibus: & sanguis meus, vere est potus.* Ita Lugo *disp.* 19. *de Eucharistia sect.* 5. & plures alii.

27 Tertio quidam volunt, Christum sacrificari ex eo, quia terminat realiter conversionem, seu transsubstantiationem panis, & vini in Corpus & Sanguinem suum, vi consecrationis peractam. Quia enim in Missa offertur panis & vinum, non quomodocumque, sed ut vi consecrationis totaliter convertitur, seu transsubstantiatur in Corpus & Sanguinem Christi: hinc actio sacrificativa censetur consistere in hac physica conversione unius in aliud, ad quam etiam spectat Christus Dominus, veluti terminus *ad quem* dictæ conversionis. Et simile quid contingebat olim sub Lege veteri in oblatione thymiamatis, & thuris; ubi in protestationem supremi dominii Dei, & subjectionis sacrificantis ad ipsum una res convertebatur in aliam, videlicet thus, aut thymiama in suavissimum suffitum.

28 Si dicas. Ex hac sententia videtur sequi, solum panem & vinum sacrificari (nam illud proprie sacrificatur, quod realiter immutatur) atqui hoc est falsum; & contra Concilium. Trident. *num.* 20. citatum, simulque absurdum; quia alioquin Ecclesia haberet dumtaxat Sacrificium inanime, ac vilius, quam habuerunt olim Hebræi, foretque figuratum minus nobile, quam figura; ergo. Resp. negando sequelam, cum sua probatione. Etsi enim illud proprie offerri dicatur, quod destruitur, seu immutatur, quando non fit conversio unius in aliud: nihilominns, si fiat talis conversio, tunc proprie ac principaliter illud offertur, quod per ejusmodi actionem potissimum intenditur. Unde, si principaliter intendatur destructio prioris rei per conversionem in combustione Holocausti, conversi in ignem, ubi non ignis, sed aries v. g. vel bos igne absumptus censetur esse Hostia. Secus autem erit, si tunc principaliter intendatur res illa, in quam fit conversio alterius; quia enim, ut illud incipiat esse, alterum desinit, etiam Deus magis intendit honorari, honoraturque per illam actionem conversivam, ut ponit terminum *ad quem*, quam ut tollit terminum *a quo*: prout & in Lege veteri, dum thymiama vel thus offerebatur, convertendo ipsum in suavissimum suffitum, potius Deo offerebatur, & sacrificabatur ejusmodi suffitus suavissimus, quam thymiama vel thus. Igitur, cum in Sacrificio Missæ Christus ejusque præsentia principaliter intendatur, consequenter in eo Hostia principalis erit Christus Dominus, non quomodocumque, sed ut contentus sub speciebus consecratis, ac veluti terminus *ad quem* principaliter intentus transsubstantiationis, quæ divinitus accidit peracta consecratione, Quamvis eadem actione offeratur simul panis & vinum, secundario tamen & concomitanter, quatenus est terminus *a quo*, & cujus desitio intenditur propter aliud dumtaxat, sicque minus principaliter Lessius *lib.* 2. *de Just. & Jure cap.* 28. *num.* 13. licet postea *lib.* 12. *de Divinis Perfectionibus cap. num.* 95. amplexus sit primam sententiam *num.* 24. relatam, tanquam faciliorem intellectu; magisque respondentem ordinario sacrificandi modo, qui supponit Hostiam, non producit.

QUÆSTIO III.

Qui sint Offerentes Missæ Sacrificium, & in quo consistat Essentia ipsius?

SUMMARIUM.

29 *Principalis offerens in Missa Sacrificio est Christus Dominus.*
30 *Et quomodo?*
31 *Sacerdos celebrans est proximus Minister.*
32 *Et quomodo alii Fideles illud offerant? cum Addit.*
33 *In Missa non omnes actiones pertinent ad essentiam Sacrificii.*
34 *Hujus essentia consistit in consecratione.*
35 *In Parasceve non fit Sacrificium Missa.*
36 *Sumptio S. Hostiæ non est de essentia ejus;*

37 *Præ-*

37 Præsertim facta ab astantibus.
38 Requiritur ad hoc Sacrificium consecratio utriusque speciei.
39 Opposita sententia refertur, ac rejicitur.

29 CONCL. I. Principalis offerens Missæ Sacrificium est Christus Dominus, quamvis illud offerat Sacerdotum ministerio. Ita omnes Catholici Doctores; & patet tum ex Concilio Florentino *in Decreto Unionis*; tum ex Tridentino *Sess.* 22. *cap.* 2. ubi docet: *Una eademque est Hostia, idemque nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa.* Idem patet ex verbis consecrationis, ubi Sacerdos non nomine proprio, sed in persona Christi loquens, dicit: *Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus.*

30 Ceterum Christus dicitur offerens, & quidem principalis: tum quia Sacerdotium, ipsumque Missæ Sacrificium instituit: tum etiam, quia Sacerdos illud ex Christi ordinatione offert nomine, atque in persona ipsiusmet Domini. Ipse siquidem Sacerdotes constituere dignatus est suos Ministros, & Vicarios, qui nomine, atque in persona sua Patri Cœlesti istud offerrent Sacrificium; uti præter concordem SS. Patrum doctrinam tenet Concilium Florentinum, & Tridentinum *loc. cit.*

31 CONCL. II. Sacerdos celebrans offert Missæ Sacrificium ut proximus Minister; ceteri autem Fideles etiam aliquo modo, minus tamen proprie, dicuntur hoc Sacrificium offerre. Ita communis. Et quidem prima pars patet tum ex cit. Concilio Trid. ubi dicitur: *Idem nunc offerens Sacerdotum ministerio*: tum ex eo, quia Sacerdos est publicus Minister Ecclesiæ, ad hoc Mysterium conficiendum consecratus, verusque Sacrificans; juxta quod Christus Apostolis, eorumque in Sacerdotio Successoribus præcepit in ultima Cœna, dicens: *Hoc facite &c.* Quia vero Sacerdos, in persona Christi loquens, hoc conficit Sacramentum, & Sacrificium; hinc Sacerdos non est principalis offerens, sed post Christum, qui est offerens principalis, proximus Minister.

32 Altera pars patet ex Canone Missæ, ubi dicitur: *Memento Domine famulorum famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis.* Et infra: *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ Familiæ tuæ.* Dicuntur autem alii Fideles hoc Sacrificium offerre dupliciter: primo, ratione quadam generalissima, & solum, quia sunt membra Ecclesiæ, cujus nomine Sacerdos Deo offert Sacrificium illud. Secundo ratione quadam magis speciali, in quantum scilicet speciali externo concursu ad ejus oblationem cooperantur, illud vel petendo, aut procurando per donationem stipendii, vel faciendo sub ipsa oblationem ad Altare, aut inserviendo Sacerdoti celebranti, vel saltem per devotam assistentiam seu præsentiam consentiendo in ipsum.

Additio.

* Quæres hic. An etiam Neo-consecratus Sacerdos censeatur verum Missæ Sacrificium offerre pro tunc, quando juxta præscriptum Pontificalis Romani sub actuali Ordinatione una cum Episcopo functiones Missæ post Offertorium peragit, proferendo cum eodem verba consecratoria? Resp. Communionem quidem Doctorum affirmare; mihi tamen negativa Richardi, Angeli, Cajetani &c. præplacet sententia, quæ vult verba consecratoria in simili casu a Neo mysta proferri tantum *recitative* in signum potestatis vi Ordinationis adeptæ in Corpus Christi verum; non autem *significative*, ac in persona Christi, & consequenter verum pro tunc Neo Consecrator non offerri Sacrificium. Ratio hujus negativæ sententiæ est: partim quia pro eo tempore necdum est complete ordinatus Sacerdos; cum desit adhuc ultima manuum impositio, primum facienda post Communionem, uti videbitur *dist.* 12. *n.* 32. partim quia ordinarie Episcopus in consecratione Corporis & Sanguinis Christi singula verba consecratoria vel saltem ultimas eorum syllabas solet prius enuntiare, & postea primum subsequitur pronuntiatio Sacerdotum Neo-Consecratorum; & consequenter, dum ultimum verbum essentiale seu ultimam ejus syllabam Formæ consecrationis enuntiat Episcopus, in instanti adest Christus, sicque eadem Hostia non amplius consecratur, si postmodum in enuntiatione subsequitur ultimum verbum Neo-Consecrati Sacerdotis: nam in illo instanti, quo ponuntur essentialiter requisita ad rationem Sacramenti, conficitur Sacramentum, adeoque in præsenti etiam ipsum Sacrificium, uti consideranti patet. Unde finaliter non video, qua conscientia talis Neo-Consecratus pro hoc ipso actu possit accipere stipendium. In praxi autem inter tantam Doctorum varietatem prudenter aget Neo-Consecratus. si intendat hunc actum peragere secundum intentionem Christi, & Ecclesiæ, ac qualemcumque demum fructum, exinde obventurum vel sibimetipsi, vel aliis gratis aplicare. De quo videatur Sporer *part.* 2 *Theolog. Sacrament cap.* 1. *num.* 40. & præsens Auctor hic *n.* 140. *& seqq.* Nunc pergendo ad secundam hujus Quæstionis partem de essentia hujus Sacrificii, sit

33 CONCL. III. Certum est, quod non omnes sacræ actiones, quæ in Missa peraguntur, pertineant ad essentiam Sacrificii. Pleræque enim sunt piæ quidem, sed solum accidentales cæremoniæ. ritusque sacri ab Ecclesia instituti *ex Apostolica disciplina, & traditione, quo & Majestas tanti Sacrificii commendaretur, & mentes Fidelium per hæc visibilia Religionis, & Pietatis signa, ad rerum altissimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur*: prout loquitur Concilium Trid. *cit. Sess.* 22. *cap.* 5. Porro in quanam parte Missæ consistat essentia Sacrificii, quæstio remanet, pro cujus resolutione, sit

34 CONCL. IV. Essentia Sacrificii Missæ consistit in consecratione; & quidem probabilius in illa sola. Ita Herincx *disp.* 8. *de Eucharistia quæst.* 3. *num.* 42 Sannig. *dist.* 5. *de Miss. quæst.* 4. *num.* 5. cum communiori Theologorum contra Bonacinam *disp.* 4. *Eucharistia quæst. ult. punct.* 2. *num.* 1. dicentem, quod partes essentiales Sacrificii Missæ sint consecratio, oblatio, & sumptio; & contra nonnullos alios, qui volunt, saltem sumptionem a celebrante peractam spectare etiam ad essentiam Sacrificii Missæ. Ratio Conclusionis est: quia Sacrificium Missæ offertur: ac perficitur a Sacerdote in persona Christi, quia est principalis offerens, ut *num.* 29. dictum est: atqui consecratio, eaque sola fit a Sacerdote in persona Christi, ergo sola consecratio spectat ad essentiam ejus. Minor probatur: nam Sacerdos in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum: ut ait Concilium Florentinum *in Decreto Unionis*; ergo. Hinc

35 Infertur I. Quod Feria sexta Parasceves proprie non fiat Sacrificium Missæ, quia ibi non fit nova Hostiæ consecratio, sed sumitur dumtaxat Hostia pridie consecrata.

36 Infertur II. Quod sumptio Hostiæ seu sacramenti, quæ fit a Sacerdote celebrante, non spectet ad essentiam Sacrificii Missæ, stricte loquendo (hæc enim sumptio non fit in persona Christi, sicuti consecratio) quamvis spectet ad ejus integritatem, & complementum: nam, ut dicitur. *c. Relatum. De Consecr. dist.* 2. *Quale erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur?*

37 Infertur III. Quod multo minus sumptio Sacramenti; quæ fit ab aliis astantibus, spectet ad essentiam Sacrificii Missæ: unde Concilium Trid. *Sess.* 22. *cap. & can.* 8. approbat, & commendat Missas illas, in quibus solus Sacerdos Sacramentaliter communicat.

38 CONCL. V. Ad perfectam rationem Sacrificii novæ Legis requiritur consecratio utriusque speciei; idque ex Christi institutione, qui voluit in illo offerri Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini, prout docet Concilium Trid. *Sess.* 22. *cap.* 1. Unde Rubricæ Missalis *Tit. De defectibus in ministerio ipso occurrentibus*, quantum ad propositum, sic habent: *Si Sacerdos ante consecrationem graviter infirmetur, vel in syncopen incide-*

inciderit, aut moriatur, prætermittitur Missa (quia videlicet sacrificium substantialiter necdum est inchoatum) *Si post Consecrationem Corporis tantum ante Consecrationem Sanguinis, vel utroque consecratio id accidit, Missa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille desiit, & in casu necessitatis etiam per non jejunum.* Et merito: nam plus urget præceptum Divinum de substantiali perfectione, atque etiam de integritate Missæ, quam præceptum Ecclesiasticum de non sumendo Eucharistiam, nisi a jejunis.

39 Sunt quidem nonnulli Theologi, quos refert Barbosa *in Collectaneis ad Concilium Trid. Sess. 22. De Sacrificio Missæ c. 1. n. 26.* qui volunt, posse Papam ex causa urgenti concedere, ut Consecratio Eucharistiæ, & Sacrificium Missæ in una specie fiat. Quia vero Concilium Trid. *loc. cit,* satis indicat, consecrationem utriusque speciei esse de Jure Divino, dum *cit. c.* 1. inter alia sic loquitur: *Christus Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, ut sumerent, tradidit, & eisdem, eorumque in Sacerdotio Successoribus, ut offerrent, præcepit.* hinc merito de hac quorumdam sententia dubitatur, eaque probabilius & communius negatur.

QUÆSTIO IV.

De effectibus Sacrificii Missæ?

SUMMARIUM.

40 *Sacrificium Missæ habet valorem ex opere operato, & ex opere operantis.*
41 *Est Latreuticum, ac Eucharisticum.*
42 *Insuper est Propitiatorium, Satisfactorium, & Impetratorium.*
43 *Missæ Sacrificium, quomodo sit propitiatorium, & peccata mortalia expiet?*
44 *Per se ac immediate non causat gratiam sanctificantem. Differentia inter Sacramentum, & Sacrificium.*
45 *Missæ Sacrificium, quomodo sit satisfactorium?*
46 *Et quomodo Impetratorium?*
47 *Effectus impetrationis bonorum temporalium an sit infallibilis?*
(c) Concordant dicta Tract. 5. Dist. 1. num. 57. & 58.
* *De requisitis, ut quis horum effectuum fiat particeps.*

40 ADvertendum cum Scoto *Quodlib.* 20. & communi Theologorum, quod Missæ Sacrificium habeat duplicem vim, atque valorem operandi suos effectus, videlicet ex opere operantis, & ex opere operato. Prior valor promanat ex bonitate ipsius Ministri ejusque proprio merito, atque devotione, quacum peragit hoc Sacrificium; prout id ipsum accidit in omnibus aliis piis operibus, utpote quæ valent, seu prosunt ex opere operantis. Alter valor Sacrificii Missæ est ille, qui eidem ex Christi institutione, ejusque meritis atque independenter a bonitate Ministri competit; juxta quod Concilium Trid. *cit. cap.* 1. profitetur dicens: *Et hæc quidem illa munda oblatio est* (*Malach.* 1.) *quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest.* Unde sequitur, quod Missæ Sacrificium possit ex opere operato, seu virtute ipsius Sacrificii, quatenus habet specialem valorem sibi peculiariter ex Christi institutione annexum, & quidem ultra omne meritum operantis, seu procurantis celebrationem Missæ, atque independenter a bonitate Ministri illud offerentis. Hoc prænotato, sit

41 CONCL. I. Sacrificium Missæ inprimis est Latreuticum, atque Eucharisticum. Ita communis; & patet ex Concilio Trid. *Sess.* 22. *can.* 3. ubi inter alia dicitur, *Missæ Sacrificium esse laudis, & gratiarum actionis.* Siquidem Missæ Sacrificium dicitur *Latreuticum*, quatenus instar Holocausti offertur DEO in recognitionem suæ supremæ excellentiæ: ipsum quippe institutum est ad ferendum cultum Latriæ (qua ratione *Latreuticum* appellatur) soli DEO debitum. Verum, quatenus offertur in gratiarum actionem pro omnibus receptis beneficiis, præsertim Redemptionis nostræ, hac ratione Sacrificium Missæ vocatur *Eucharisticum*; *Eucharistia* enim latine sonat *bona gratia* sive *gratiarum actio.*

42 CONCL. II. Insuper Sacrificium Missæ est Propitiatorium, Satisfactorium, & Impetratorium: ac proinde (præterquam, quod sit Sacrificium laudis, & gratiarum actionis) triplicem habet effectum; propitiationem videlicet, seu expiationem peccatorum quoad culpam, satisfactionem pro pœnis remanentibus ex peccatis quoad culpam jam dimissis, & impetrationem diversorum beneficiorum. Ita omnes Catholici; & habetur novissime definitum in Concilio Trid. *Sess.* 22. *can.* 3. his verbis: *Si quis dixerit, Missæ Sacrificium tantum esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam Commemorationem sacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium, neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere: anathema sit.* Id ipsum fusius declarat citatum Concilium *cap.* 2.

43 CONCL. III. Missæ Sacrificium vere quidem est *Propitiatorium*; in quantum virtute ejusdem DEUS nobis fit placatus, & propitius; id est, movetur ad deponendam justissimam iram suam & indignationem, quam ob nostra peccata concepit in ordine ad neganda uberiora gratiæ auxilia, quibus pœnitentiam agere, atque in ejus amicitiam redire, & peccatorum remissionem acquirere valeamus: nihilominus effectum expiationis peccatorum Mortalium quoad culpam non causat immediate, sed dumtaxat mediate, ac dispositive, impetrando videlicet specialia gratiæ auxilia, quibus homo disponitur, atque excitatur ad agendam veram de peccatis pœnitentiam, mediante qua per infusionem gratiæ sanctificantis immediate remittuntur peccata. Ita communis Theologorum; & patet ex verbis Concilii Trid. *Sess.* 22. *c.* 2. ubi explicans modum, quo hoc Sacrificium nobis peccata remittit, sic loquitur: *Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata, etiam ingentia, dimittit.* Quibus verbis aperte docet Sacrificium istud non remittere peccata mortalia immediate, prout faciunt Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ, sed tantum mediate, impetrando nimirum a Deo gratias actuales prævenientes, quibus peccatores excitentur ad agendam veram pœnitentiam, sicque ad consequendam peccatorum remissionem virtute perfectæ Contritionis, vel Attritionis cum Sacramento.

44 Et conformiter dictis infertur, quod Missæ Sacrificium per se, & immediate non causet gratiam primam sanctificantem (alioquin enim immediate deleret peccata mortalia) neque augmentum ipsius: quia nemo recipit augmentum gratiæ habitualis, seu sanctificantis nisi vel per proprium meritum, vel per dignam receptionem Sacramenti. Et hoc ipsum suadet differentia inter Sacramentum, & Sacrificium: nam Sacramentum est primario & principaliter institutum ad nostram sanctificationem: Sacrificium vero immediate refertur ad cultum Dei, & protestandam supremam ejus excellentiam, secundario solum, ac veluti per quamdam redundantiam ad nostram utilitatem.

45 CONCL. IV. Quod attinet alterum effectum ipsius; Missæ Sacrificium dicitur esse *Satisfactorium*, & quidem tam respectu vivorum, quam respectu animarum in Purgatorio existentium, in quantum ex opere operato virtute ipsius aliqua pœna, peccatis quoad culpam jam deletis correspondens, remittitur illis, pro quibus hoc Sacrificium applicatur Unde Concilium Trid. *loc. cit.* ait., *Quare non solum pro Fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, rite juxta Apostolorum traditionem offertur.* Et infra *Sess.* 25. *in Decreto de Purgatorio,* docet: *Animas in Purgatorio deten-*

detentas fidelium Suffragiis, potissimum vero acceptabili Altaris Sacrificio juvari. Et hic effectus satisfactionis infallibiliter confertur virtute Sacrificii Missæ, dummodo, is, pro quo Missa offertur, sit capax ejusdem, 'id est indigeat aliqua satisfactione, nec ponat obicem peccati mortalis, de quo in Additione, neque sit actualiter in statu damnationis.

46 CONCL. V. Tandem Missæ Sacrificium est *Impetratorium*, inquantum habet virtutem impetrandi a Deo diversa bona, tum spiritualia, tum etiam temporalia, quatenus ad spiritualia conducunt. Ita omnes Catholici; & patet ex perpetuo sensu, atque traditione Ecclesiæ, ipsoque Concilio Tridentino proxime allegato. Additur vero notanter, *bona temporalia, quatenus ad spiritualia conducunt.* Quia effectus Sacrificii incruenti Missæ nituntur meritis Sacrificii cruenti a Christo in Ara Crucis oblati: atqui Christus non promeruit nobis in cruce bona temporalia, nisi quatenus conducunt ad spiritualia; nam bona temporalia secundumse præcise spectata non sunt bona imo sæpe sæpius homini mala & nociva.

47 Et hinc fit, quod effectus iste Sacrificii Missæ, nimi rum impetratio bonorum temporalium, non infallibiliter habeatur, ut experientia constat: neque illico omnia nobis conceduntur, pro quorum impetratione leguntur Missæ; si quidem hujusmodi bona temporalia non semper conducerent ad bonum spirituale, & salutem animæ. Interim tamen credibile est, semper aliquid obtineri a Deo, neque Sacrificium in vanum offerri, etiamsi non statim obtineatur illud in specie bonum temporale, pro quo obtinendo Missa offertur: potest enim Deus, atque pro summa in nos pietate solet, vel ejus concessionem in tempus opportunius, nobisque salutarius differre, vel loco illius, quod petimus, aliud nobis elargiri longe conducibilius ad salutem animæ nostræ: ad hoc quippe concedendum videtur ipsum compellere sua infinita Liberalitas, Bonitas, atque Misericordia. (*c*)

Additio.

* Quæres. Quidnam requiratur, ut ille, pro quo SS. Missæ Sacrificium offertur, fiat particeps horum effectuum? Respondeo *Primo.* Ante omnia requiritur, ut pro tali celebrans applicet hos effectus: is enim solus in sua ordinatione accipit potestatem applicandi, seu offerendi. *Secundo.* Quoad effectum propitiatorium non desideratur ex parte illius, pro quo applicatur, seu offertur, status gratiæ sanctificantis; cum hic effectus etiam communicetur gravibus peccatoribus gratia sanctificante privatis, obtinendo exinde adeptionem auxilii Divini excitantis ad agendam pœnitentiam. *Tertio.* Quoad effectum impetratorium dictus status gratiæ, etsi sit de meliori esse, simpliciter tamen pariformiter non exigitur ob eamdem rationem, modo ceteroquin beneficia, quæ petuntur, sint honesta, & ad æternam salutem aliquo modo conducentia. *Quarto.* Bene vero dictus status gratiæ ex parte illius, pro quo Missa legitur, requiritur quoad effectum satisfactorium saltem respectu illorum gravium peccatorum, quæ quoad culpam necdum sunt remissa: etenim virtute hujus effectus juxta communem DD. ac conformiter jam dictis Conclus. IV. remittuntur solæ pœnæ pro peccatis quoad culpam jam a Deo condonatis adhuc debitæ; ergo necessario præsupponunt condonationem culpæ mortalis, sicque statum gratiæ.

QUÆSTIO V.

Quantus sit valor Sacrificii Missæ.

SUMMARIUM

48 *Valor Missæ ad placandum, satisfaciendum, ac impetrandum non est infinitus;*
49 *Non obstante infinitate meritorum Christi.*
50 *Cur hæc per Missam finito dumtaxat modo applicetur?*
51 *Missa pro pluribus oblata minus prodest singulis.*
52 *Quid de pluribus inservientibus, aut astantibus?*
53 *Sacerdos pluribus stipendiis non satisfacit, si unicam Missam celebret.*
54 *Ne quidem applicando uni fructum satisfactorium, & alteri impetratorium.*
55 *Aut partem fructus ejus specialissimam.*
* *Quid circa divisionem fructuum sit sentiendum, si celebrans non obligetur vi stipendii ex titulo justitiæ, sed præcise ex liberalitate, vel ex voto, aut Ordinatione Superiorum?*
56 *Fidelibus plus prodest, si Missas curent sibi celebrari in vita, quam post mortem.*
57 *In Missa duo sunt consideranda.*
58 *Missa mali Sacerdotis tantum valet, quantum boni, quoad substantialia.*
Et quoad fructum ejus ex opere operato.
59 *Imo & quoad Orationes dictas nomine Ecclesiæ.*
60 *Secus quoad Orationes, prout a celebrante procedunt.*

48 CONCL. I. Valor, quem habet Missæ Sacrificium ex opere operato sive ad placandum nobis Deum, sive ad satisfaciendum, sive ad impetrandum, non est infinitus, sed finitus; non obstante infinitate satisfactionis, ac meritorum Christi, in quibus totus Missæ valor radicatur, & fundatur. Ita D. Bonaventura 4. *dist.* 45. *art.* 3. Scotus *Quodl.* 20. cum suis & aliis communiter, paucis exceptis. Conclusio hæc potissimum suadetur ex communi sensu Ecclesiæ: nam si idem numero Sacrificium foret infiniti valoris, tunc frustra speciales numero Missæ legerentur pro specialibus hominum necessitatibus; imo unica Missa utpote infiniti valoris, sufficeret ad exhauriendum totum Purgatorium, simulque posset quis per unius Missæ celebrationem satisfacere pro centum stipendiis a diversis hominibus datis: hæc autem omnia sunt absurda, & contra perpetuam praxin, ac sensum Ecclesiæ; ergo dicendum, quod Missæ Sacrificium a nobis oblatum non sit infiniti valoris.

49 Additur in Conclusione, *non obstante infinitate meritorum Christi.* Quia valor ille, quem habet Missa ex opere operato, fundatur, ac desumitur ex Sacrificio cruento in Ara Crucis oblato per Christum, ac meritis ejus, quæ sunt infinita, ac sufficientia pro redemptione infinitorum hominum, vel etiam mundorum, si darentur: quamvis hæc infinita merita Christi per incruentum Missæ Sacrificium finito, ac limitato dumtaxat modo juxta ordinatissimam DEI voluntatem nobis applicentur. Et hac de causa Barth. Gavantus *part.* 2. *Commentar. in Rubricas tit.* 8. *n.* 3. valorem Missæ ait esse infinitum in radice, quatenus nempe radicatur in meritis Christi, quæ sunt infinita, sed ad impetrandum & ad alios suos effectus, finitum in terminis, quia finite de eo omnes participant.

50 Ceterum ratio, cur per Missæ Sacrificium merita Christi finito dumtaxat modo nobis applicentur, alia non est, nisi voluntas, ac institutio Christi Domini, veri DEI & hominis, qui per hoc incruentum Missæ Sacrificium modo dumtaxat finito voluit nobis applicare merita suæ Dominicæ Passionis: atque satisfactiones præstitas in Sacrificio illo cruento, quod ipsemet obtulit in Ara Crucis, se ipsum offerendo Patri suo Cœlesti pro redemptione totius generis humani.

51 CONCL. II. Idem numero Sacrificium Missæ pro pluribus simul oblatum minus prodest singulis, ac si paucioribus, vel uni tantum applicaretur. Conclusio hæc sequitur ex præcedenti: quia valor ille finitus, qui ex opere operato correspondet Missæ, dividitur tunc in illos plures homines, pro quibus simul offertur, qui ceteroquin totus uni obveniret, si Missa pro uno solo applicaretur.

52 Dicitur, *Sacrificium Missæ pro pluribus simul oblatum.* Nam, si loquamur de Missæ Sacrificio, quatenus a plu-

pluribus offertur, nempe a pluribus Missæ inservientibus, vel devote assistentibus [qui etiam suo modo dicuntur Missam offerre juxta dicta *n.* 31. & 32.] non minorem fructum exinde singuli referunt, quam si ipsi soli essent. Ratio est: quia ejusmodi oblationes privatæ sunt distinctæ, ideoque eis distincti, ac proprii effectus correspondent, juxta propriam singulorum devotionem & capacitatem: & hoc ipsum suadet communis sensus Fidelium. Layman *lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 1. *n.* 11. & alii.

53 CONCL. III. Sacerdos, qui pluribus sive ob acceptum stipendium, sive ob aliam causam est obligatus ad celebrandum, non satisfacit unicum Sacrificium Missæ pro omnibus offerendo. Ita defacto tenendum pro certo, ob Decretum Urbani VIII. *De celebratione Missarum*, quod incipit: *Cum sæpe contingat* (habeturque tom. 4. Bullarii Romani *Constitut.* 45. *dicti Pont.*) ubi §. 2. *sub obtestatione Divini Judicii mandat, ac præcipit, ut absolute tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint, ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quinimo graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.* Concordat Decretum Alexandri VII. inter alias Propositiones etiam sequentem, ordine 10. damnantis: *Non est contra justitiam, pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.* Proinde

54 Infertur I. Sacerdotem non posse pro una Missa duplex stipendium accipere, applicando uni fructum satisfactorium, & alteri fructum impetratorium; dum v.g. unus petit celebrari Missam pro defunctis, alter pro infirmo. Nam, qui dat stipendium pro celebratione Missæ, censetur vel e fructus omnes ipsius, quantum est capax.

55 Infertur II. Non posse Sacerdotem licite pro una Missa duplex stipendium accipere, applicando uni petentium partem illam fructus, quæ ipsi sacrificanti competit. Siquidem hoc non modo sequitur ex dictis, sed rursum opposita sententia ab Alexandro VII. damnata est, dum is inter alias Propositiones etiam sequentem, ordine 8. rejecit: *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII.* Hæc, inquam, Propositio est damnata.

Additio.

* Ceterum dicta in Conclusione III. & subsequenti *n.* 54. de divisione fructuum Missæ Sacrificii (quod nimirum *propitiatorium*, *impetratorium*, & *satisfactorium*, vel etiam *Eucharisticum* ab invicem Sacerdoti dividere non liceat) semper intelligi debent, si celebrans pro talibus Missis accipit stipendium, sicque ex justitia pro dante stipendium tenetur applicare totum fructum medium, seu specialem. Quod si vero celebrans pluribus promiserit Missas ex mera liberalitate, & hi easdem petant ad diversos fines expressos: e. g. *unus* pro conversione peccatorum; *alter* pro peccatis suis, vel alicujus defuncti (intellige, ut pœnæ alias ob peccata luendæ deleantur;) *tertius* in honorem S. Antonii pro certo beneficio impetrando; & demum *quartus* in gratiarum actionem propter certum beneficium a Deo impetratum: in simili casu (dummodo nullus ex his ipsis, quibus donantur Missæ, obligetur titulo stipendii curare, ut hæ legantur) sufficeret, si *pro primo* fructus propitiatorius, *pro secundo* satisfactorius, *pro tertio* impetratorius, & demum *pro quarto* eucharisticus applicarentur, uti cum Gobat, & Tamburino notat Sporer *part.* 2. *Theolog. Sacrament. cap.* 4. *sect.* 4. *n.* 296. Ratio est; quia liberalis promissio ita est interpretanda, ut promittenti quam minime sit onerosa, uti colligitur ex *Leg. Quidquid adstringendæ*, 99. *ff. De Verb. obl.* Idem sentiendum putat Sporer *loc. cit. n.* 297. & *n.* 298. si ex voto præcise ad certum finem Deo aliquam Missam promisisti, vel si ex aliquo statuto, vel ordinatione tantum Superioris ad certum finem specificatum obligaris legere Missam. Secus haud dubie dicendum, si Superior tibi legendas imponeret Missas illas, ob quas ille recepit stipendium, vel si declararet, quod reliquos fructus, ad particularem finem non deservientes, velit applicari in bonum Religionis seu Provinciæ modo meliori, quo fieri potest.

56 Quæres. Utrum Fideles majora sibi beneficia, fructumque uberiorem comparent, si Missas sibi curent celebrari in vita, quam post mortem? *Resp.* affirmative, ut notat Barbosa *in Collectaneis ad Concil. Trid. Sess.* 22. *cap.* 2. *n.* 11. citans Fraxinellum, & Homobonum de Bonis. Ratio est: quia Missæ pro aliquo dictæ post mortem solum sunt satisfactoriæ pro pœnis in Purgatorio adhuc luendis: at in vita pro aliquo celebratæ non solum satisfactoriæ sunt, sed etiam propitiatoriæ, atque impetratoriæ, sicque juvant in vita & post mortem. Accedit illud D. Gregorii *lib.* 4. *Dialog. cap.* 58. *Tutior est via, ut bonum, quod quisque post mortem sperat agi per alios, ipse, dum vivit, per se exequatur: beatius quippe est liberum exire, quam post vincula libertatem quærere.*

57 Quæres ulterius. Utrum Missa mali Sacerdotis tantum valeat, quantum boni? Ubi notandum cum D. Thoma *part.* 3. *Quæst.* 82. *art.* 6. D. Bonaventura 4. *dist.* 13. *art.* 1. *quæst.* 4. & communi Doctorum, quod in Missa duo debeant considerari, scilicet ipsum Sacramentum seu Sacrificium, quod est principale, & Orationes, quæ in Missa pro vivis atque defunctis fiunt; itaque sive in persona totius Ecclesiæ, cujus Sacerdos est publicus Minister, sive in persona Sacerdotis, ac prout secundum propriam ejus devotionem spectantur. Hoc prænotato.

58 *Resp.* I. Certum est, quod Missa mali Sacerdotis quoad substantialia, sive quantum ad Sacramentum, atque Sacrificium, non minus valeat, quam Missa boni Sacerdotis. Ratio est: quia utrobique idem conficitur Sacramentum, atque Sacrificium; & quidem nomine, atque in persona Christi Domini, qui est principalis Offerens, simulque Hostia. Unde D. Augustinus relatus *c. Utrum* 72. *De Consecr. dist.* 2. inquit: *In Mysterio Corporis Christi nihil a bono majus, nihil a malo minus perficitur Sacerdote.* Et hoc ipsum etiam est intelligendum de fructu præcipuo Sacrificii Missæ, qui provenit ex opere operato, & quatenus illud offertur in persona Christi: sic enim nihil omnino pendet a dispositione, & bonitate Ministri, juxta dicta *n.* 30.

59 *Resp.* II. Quatenus Sacerdos offert Missam, oratque nomine Ecclesiæ, non minuitur fructus impetrationis ob malam dispositionem Ministri celebrantis: quia etiam in peccatoribus manet ministerium, inquit Doctor Angelicus. Unde, quantum ad hoc, non solum est fructuosa Oratio Sacerdotis peccatoris Missam celebrantis, sed etiam omnes aliæ ejus Orationes, quas facit in Horis Canonicis, aliisque Ecclesiasticis Officiis, in quibus gerit personam Ecclesiæ. Excipe, nisi Minister sit excommunicatus non toleratus; quia per hunc non vult Ecclesia ad DEUM preces offerri, & consequenter nullam habent efficaciam, quatenus fiunt nomine Ecclesiæ.

60 *Resp.* III. Orationes privatæ Sacerdotis mali, seu in statu peccati mortalis celebrantis non sunt fructuosæ, ne quidem secundum vim impetrandi pro aliis: ac proinde quoad circum adjacentia, sive annexa, hoc est, quoad Orationes, prout a celebrante procedunt, plus prodest Missa boni, quam mali Sacerdotis. Ratio est: quia Sacerdos malus celebrando de novo peccat mortaliter: unde, prout celebratio Missæ ab ipso procedit, potius meretur vindictam, quam misericordiam. Huc quadrat dictum illud cæci nati, atque a Christo illuminati, de quo *Joan.* 9. *Scimus, quia peccatores Deus non audit: sed, si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit.*

QUÆSTIO VI.

Pro quibus possit offerri Sacrificium Missæ?

SUMMARIUM.

61 *Missa potest offerri pro vivis, atque defunctis, non vero pro damnatis.*
62 *Nequit offerri pro Sanctis.*
* *Vel pro infantibus, si moriantur ante usum rationis.*
63 *Licite offertur pro Fidelibus non excommunicatis, etiam peccatoribus.*
64 *Secus de excommunicatis vitandis.*
65 *Quid de excommunicatis toleratis?*
(d) Videantur dict. Tract. 13. Dist. 2. num. 26.
* *Quid de nostris Hæreticis Missam petentibus?*
66 *Potest offerri pro conversione Infidelium,*
67 *Sive indirecte, non autem directe pro Infidelibus &c.*
68 *Et cur non directe?*
(e) Ut dictum Tract. 13, Dist. 1. n. 17.

61 CONCL. I. Missæ Sacrificium potest offerri tum pro vivis, tum pro defunctis in Christo, nondum plene purgatis: neutiquam vero pro damnatis. Ita communis. Et quidem prima pars constat ex dictis *n.* 42. & 45. Altera pars habetur *c. Pro obeuntibus.* 13. *quæst.* 2. ac ratio est: quia damnatorum desperata est redemptio. Et hoc intelligendum cum Glossa ibidem communiter recepta, quando evidens est, aliquem decessisse in peccato mortali; utputa cum quis se ipsum suspendit, præcipitat, vel alio modo occidit *arg. c. Placuit.* 23. *q.* 5. nam secus est dicendum, si de hoc sit dubium; quia tunc oportet meliora de proximo sperare.

62 CONCL. II. Etsi DEO in honorem Sanctorum rite offeratur Missæ Sacrificium juxta dicta *n.* 8. nequit tamen illud offerri pro Sanctis. Ita habetur decisum *c. Cum Marthæ* §. *Tertio loco. De Celebrat. Missarum*, addita hac duplici ratione; tum quia *injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*: tum quia Sancti in Cœlis *orationibus nostris non indigent, pro eo, quod, cum sint perfecte beati, omnia eis ad vota succedunt.*

Additio.

* Quod autem dictum est de Sanctis, valet de omnibus post Baptismum ante adeptum usum rationis defunctis, qui re ipsa sunt Sancti in cœlo. Hinc juxta Pasqualigum apud la Croix *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 3. graviter peccaret, qui pro tali legeret Missam *de Requiem*: tum quia graviter læderet præscriptum Ritum Ecclesiæ, volentis, ut in simili casu in funere infantium potius legatur de Angelis, vel teste la Croix de Gratiarum actione: tum quia Sacerdos per celebrationem de Requiem re ipsa ostenderet, se non bene sentire de efficacia Baptismi, perfectissime tales parvulos mundantis, ut non egeant, ullo fructu propitiatorio, satisfactorio, vel cœlestis gloriæ, quam tales parvuli post mortem statim possident, impetratorio.*

63 CONCL. III. Certum quidem est, Missæ Sacrificium licite offerri pro Fidelibus non excommunicatis, etiam peccatoribus; illud tamen existentibus in peccato mortali non prodest quoad effectum satisfactorium, sed solum, quatenus Sacrificium hoc est propitiatorium (modo *n.* 43. explicato) & impetratorium. Ratio est: quia Fideles in peccato mortali existentes sunt quidem capaces utriusque posterioris effectus, non vero effectus satisfactionis; seu remissionis pœnæ temporalis; cum ponant obicem peccati mortalis.

64 CONCL. IV. Pro excommunicatis vitandis, seu non toleratis nequit licite offerri Sacrificium Missæ, & peccat graviter Sacerdos, directe pro ipsis celebrans. Ratio est: quia Missæ Sacrificium offertur non solum in persona Christi, sed etiam nomine Ecclesiæ: atqui Ecclesia prohibet ne suo nomine, & publico ministerio Ecclesiastico pro excommunicatis oretur, aut Missa celebretur, donec fuerint absoluti; uti habetur *c. A nobis* 28. & *c. Sacris. De Sent. excommun* ergo.

65 Additur notanter, *pro excommunicatis non toleratis.* Nam non pauci Doctores cum Sanchez, Fagundez, Hurtado, & Pasqualigo volunt, post Concilium Constantiense, atque Extravag. Martini V. *Ad evitanda*, pro excommunicatis toleratis, seu non vitandis licite posse offerri Sacrificium Missæ: utpote quibus de facto licite communicamus in aliis Officiis Divinis, imo & pro ipsis præsentibus publice precamur in Choro, dicendo: *Misereatur vestri, Dominus vobiscum &c* prout argumentatur Herincx *disp.* 8. *de Miss. n.* 64. citans Navarrum, Sa, Lugonem, & alios passim. Verum, quamvis id licite fiat, simulque tale Sacrificium prodesse valeat excommunicatis toleratis, quatenus offertur in persona Christi, non tamen ipsis proderit, quatenus offertur in persona Ecclesiæ; cum Pontifex in præfata Bulla expresse protestetur, quod *per hoc non intendit, excommunicatos in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari.* (d)

Additio.

* Dices. Si Acatholicus petat aliquam Missam v. g. in honorem *S.* Antonii ad impetrandam ejusdem intercessione certam gratiam temporalem, & propterea offerat stipendium, prout in his partibus Septemtrionalibus non raro contingit, potest illud licite recipi, teste Pasqualigo; ergo etiam poterit licite offerri pro Excommunicatis toleratis Missæ Sacrificium. Respondeo ad hanc objectionem, tales recipere stipendium, & exinde offerre Sacrificium pro petentibus Acatholicis vel exinde; quia per principia reflexa amplectuntur alteram contrariam multorum sententiam; vel quia se resolvunt, talem obligationem Sacrificii non solum prodesse aliis, pro quibus legitur, sed etiam celebrantibus, utpote propterea NB. stipendium recipientibus, sicque similem casum non contineri sub prohibitione Martini V. nolentis, per tolerationem talium Excommunicatorum NB. præcise ipsos Excommunicatos in aliquo relevare. Videatur Kazenberger *de Censuris cap.* 3. *sect.* 2 *n.* 3.*

66 CONCL. V. Pro Infidelibus non baptizatis potest offerri Missæ Sacrificium per modum deprecationis, ut ad veram Fidem convertantur. Ita Bonacina *dist.* 4. *De Eucharistia quæst. ult. punct.* 5. *n.* 4. Herincx *n.* 59. Sannig *quæst.* 7. *n.* 15. & alii. Ratio est; quia juxta Concilium Trident. *n.* 42. & 45. relatum potest Missa offerri *pro peccatis & aliis necessitatibus*: atqui Infidelitas est peccatum, & necessitas maxima. Accedit; quod Sacrificium incruentum Missæ imitetur cruentum, olim a Christo in Ara Crucis oblatum; quod etiam non baptizatis profuit ad salutem animæ. Quinimo *cap. Apostolicam. De Presbytero non baptiz* jubet Pontifex, quod Missæ Sacrificium offeratur pro Presbytero non baptizato, qui in confessione nominis Christi decessit.

67 Ceterum Mastrius *disp.* 19. *Theolog. Moral. n.* 62. alia ratione hoc declarat, & citans communiorem, & probabiliorem Doctorum ait, posse quidem pro Paganis & infidelibus (imo & Excommunicatis) Sacrificium Missæ indirecte offerri, non autem directe. Et quidem prior pars suadetur ex eo, quod de facto sic fiat, quoties Missæ Sacrificium Deo offertur pro incremento & exaltatione Sanctæ Matris Ecclesiæ, vel tollendo ab ea schismate, aut heresum extirpatione: nam, quia hæc vel maxime fiunt per conversionem Infidelium atque resipiscentiam Hæreticorum, Schismaticorum, aliorumque excommunicatorum, celebrando Missam juxta dictam intentionem, pro his pariter indirecte oratur, & celebratur.

68 Altera pars probatur ex eo: quia Pagani, & Infideles necdum sunt effecti membra Christi per Baptismum in re, vel saltem in voto susceptum: atqui Sacrificium Missæ non potest directe applicari, nisi pro

membris

membris Christi: quia, ut inquit D. Augustinus *lib. 1. De Anima & ejus orig. cap. 9.* relatus a D. Thoma 3. *part. q. 79. art. 7. ad 2. Quis offerat Corpus Christi, nisi pro eis, qui membra sunt Christi?* Idem desumitur ex ipsa praxi, & consuetudine Ecclesiæ, quæ quidem summo affectu, veluti pia Mater, paganorum, aliorumque enumeratorum conversionem, & salutem exoptat; nullam tamen pro ipsorum conversione Missam ordinavit (bene tamen pro tollendo schismate, vel contra Paganos) neque preces aliquas pro eis dicendas instituit: dempto solo die Parasceves, quo propter speciale mysterium, & quia Christus JESUS eadem die pro suis persecutoribus in Cruce orare dignatus est, etiam Ecclesia pro Hæreticis & Schismaticis, Judæis & Paganis publice precatur. (e)

QUÆSTIO VII.

De Applicatione Missæ.

SUMMARIUM.

69 *Missa tripliciter prodest, specialissime, generalissime, & specialiter.*
70 *Missa specialiter prodest iis, quibus applicatur a Celebrante.*
71 *Quid, si nemini applicatur?*
72 *Aut Celebrans eam applicet contra suam obligationem, vel voluntatem Superioris?*
73 *Applicatio Missæ, an sufficiat habitualis?*
* *Corollarium.*
74 *Quando applicatio fieri debeat?*
75 *An sit licitum celebrare cum reservatione applicationis?*
76 *Vel Missam applicare proxime daturo stipendium?*
* *Alia duæ notabiles Conclusiones circa applicationem Missæ adjunguntur. Addit. I. & II.*
77 *Praxis optima applicandi Missam.*
78 *Expedite etiam facere secundam intentionem.*
79 *Et quomodo?*
(f) Ut dictum num. 73.
80 *Digne celebrans plus participat de fructu Missæ, quam alii.*
* *Item Ministri, vel alias præsentes.*

69 ADvertendum cum Scoto *Quodlib.* 20. & aliis, Sanctissimum Missæ Sacrificium (idem servata proportione dicendum de Orationibus Fidelium, aliisque Justorum meritis, de quibus ex professo Doctor Subtilis *ibidem. §. De primo*, hoc declarat) tripliciter valere, seu prodesse; nimirum specialissime, generalissime, ac modo quodam medio seu specialiter. *Specialissime* prodest solum Ipsi celebranti Missam, seu alium actum Religionis, vel alterum bonum opus peragenti, ac in statu gratiæ existenti, & hoc modo non videtur, id posse recta, seu ordinata voluntate alteri applicari; quia quilibet tenetur magis seipsum diligere, quam proximum. *Generalissime* prodest toti Ecclesiæ: neque enim celebrans, seu sacrificans tamquam Minister publicus nomine totius Ecclesiæ, vel ejusdem nomine orans debet aliquam de Ecclesia excludere, sed ex intentione saltem habituali omnes includere; uti patet ex Oratione Dominica, in qua singuli ex Christi intentione orantes dicimus: *Et ne nos inducas in tentationem &c.* non vero, *& ne me inducas in tentationem.* Et de hoc fructu generalissimo videtur David loqui *Psalm.* 118. dicens: *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.* Item de hoc ipso fructu loqui videtur Concilium Trident. quando *Sess.* 22. *De Sacrificio Miss. cap.* 6. inquit, dictum Sacrificium *a publico Ecclesiæ Ministro non pro se tantum, sed pro omnibus Fidelibus, qui ad Corpus Christi pertinent, celebrari.* Tertio tandem modo, seu *specialiter* prodest Missæ Sacrificium, vel aliud pium opus illi, cui specialiter per celebrantem, vel orantem applicatur v. g. animabus in purgatorio, vel danti stipendium pro celebratione Missæ: & hic solus fructus, nempe specialis, applicatur pro eo, pro quo offertur Missæ Sacrificium.

70 CONCL. I. Sacrificium Missæ specialiter prodest iis, pro quibus offertur; attamen ad hoc, ut Sacrificium habeat suum effectum ex opere operato pro iis, pro quibus offertur, necessaria est propria applicatio Sacerdotis celebrantis. Ita Herincx *part. 4. disp. 8. de Missa quæst. 7.* Sannig *dist. 5. quæst. 6.* & alii. Ratio est: quia in hoc tremendo Missæ Sacrificio Sacerdos celebrans, & quidem solus sustinet personam Christi; ergo sicut a solo Sacerdote celebrante in persona Christi Sacrificium pro aliis offertur, sic etiam ab eo solo fructus ejusdem applicatur. Idem desumitur ex forma Ordinationis cujuslibet Sacerdotis, qua eidem dicitur: *accipe potestatem offerendi Sacrificium &c. pro vivis & defunctis*: & consequenter ab ipso pendet applicatio fructus ejus.

71 Infertur proinde I. Sacrificium Missæ nemini applicatum quoad fructum suum specialem nemini profuturum ex opere operato, sed fructum ipsius in thesauro Ecclesiæ remansurum. Intellige, si Sacerdos eumdem ex certa scientia nolit neque sibi, neque alteri applicare. Si vero hoc accidat ex inadvertentia, videtur ex parte celebrantis adesse tacita, & habitualis intentio applicandi sibi, aut certe aliis, pro quibus tenetur; qualis applicatio habitualis jam sufficeret, juxta dicenda *n.* 73.

72 Infertur II. Etsi Sacerdos ex voto, Justitia, Charitate, vel Obedientia obligetur, Missam applicare certis Personis, valide tamen eumdem posse Missam applicare aliis [etsi illicite] quantumvis intentio & applicatio Superiorum, vel Ecclesiæ sit in contrarium. Ita Herincx *loc. cit. n.* 80. Layman *cap.* 2 *n.* 11. Sannig *n.* 11. & alii communiter, contra Fraxinellum, qui, ut refert Gavantus *tom. 1. Comment. in Rubricas part. 3. tit. 12. n.* 18. docebat Prælatum Regularem posse irritare intentionem subditorum in celebratione Missæ, si hanc contra suam intentionem applicarent, ita ut valeat applicatio Prælati, & non subditi. Sed communis sententia ex eo probatur: quia applicatio Missæ est actus potestatis Ordinis, quæ non dependet ex potestate Superioris Regularis. Unde, quamvis subditus peccet agendo contra obedientiam suo Prælato debitam, ejus tamen applicatio non potest irritari per Prælatum: sicut a simili nequeunt irritari alia, quæ sunt annexa Ordini Sacerdotali, uti patet intentione conficiendi Sacramenta.

73 CONCL. II. Applicatio Sacrificii Missæ non necessario debet esse actualis, aut virtualis, sed sufficit habitualis; id est, actualis quondam habita, & nondum retractata. Ita communiter Doctores, paucis exceptis. Ratio est: quia per actualem intentionem olim habitam, ac necdum retractatam Sacerdos jam donavit alteri fructum Sacrificii sui; qui proinde eidem, utpote vi donationis jam debitus, obveniet, supposito, quod sequatur Sacrificium, neque revocetur applicatio.

Additio.

* Et hinc valet applicatio Missæ, quam promisisti Paulo, quod velis in ejusdem Natali cras (vel pone etiam longiorem terminum) incidente pro ipso Missam legere, etsi ipso die Natali non renoves intentionem, dum celebras.

Nec dicas: Ut valide sacrifices, non sufficit dicta intentio habitualis, sed potius requiritur juxta dicta *dist. 1. Tractatus hujus. qu.* 3. actualis, vel virtualis; ergo etiam non sufficit hæc habitualis, ut Sacrificium illud alteri valide applices. *Resp.* enim negando consequentiam, & paritatem: in priori enim casu sacrificans, seu celebrans habet se per modum agentis, uti loco citato insinuatum jam est, in posteriore autem per modum donantis. Ad valorem autem donationis alicujus sufficit voluntas actualis aliquando habita, & nondum retractata, seu habitualiter adhuc, etsi non actualiter, vel virtualiter perseverans. *

74 CONCL. III. Applicatio Missæ debet fieri, antequam Sacrificium sit perfectum, ac proinde ante consecrationem, utpote in qua Sacrificium Missæ essentialiter consistit. Imo debet Sacerdos, præsertim quando accepto stipendio pro aliis celebrat, formare intentionem ante initium Missæ, ut etiam fructus precum, nomine Ecclesiæ peractarum, obveniat illis, pro quibus celebrat.

75 CONCL. IV. Illicitum est, quod Sacerdos, qui defacto non habet stipendium pro Sacro faciendo, celebret cum reservatione suæ applicationis, applicaturus ei, qui dato stipendio proxime Sacrum fieri postulabit. Ita communis. Ratio est: quia fructus Sacrificii non potest suspendi a Sacerdote, in cujus potestate non aliter est Sacrificii effectus, quam ipsum Sacrificium.

76 Et ob eamdem rationem neque licitum est, per modum anticipatæ solutionis ex nunc applicare fructum Sacrificii iis; qui postea primo petent, aut celebrare ad eorum futuram intentionem, quam Deus jam novit. Quinimo hæc praxis nonnullorum, tamquam periculosa, scandalosa, ac antiquissimæ Ecclesiæ consuetudini contraria, reprobata est a Congregatione Cardinalium 1605. ut refert Barbosa *part. 2. de Offic. & Potest. Episc. allegat. 24. num. 12.*

Additio I.

* CONCL. V. Si quis accipiat decem stipendia a decem hominibus, vel ab unico quidem, sed ad decem distinctos fines, Bonacina, Diana, & Aversa defendunt, satis esse, si primas decem Missas legendas pro his conjunctim, & in confuso applicet, relinquendo ceteroquin, postquam homines jam semel Missam aliquam ad certam intentionem actualiter petierunt, Deo determinationem in individuo quoad quamlibet Missam particularem, seu potius suam applicationem regulando juxta beneplacitum DEI quoad determinationem in individuo illorum decem hominum, vel quoad quemlibet finem in specie: si enim valet (prout valere tenet communis teste la Croix *lib. 6. part. 2. n. 221.*) applicatio facta *pro eo, pro quo Deus vult applicari Missam*, relinquendo sic DEO quasi determinationem, quale ex ejusmodi individuis velit determinare, vel cuinam animæ in purgatorio applicare: sicuti ferme simili modo *n. 78. & 79.* discurretur de intentione secundaria; cur non etiam (inquiunt) pariformiter hic in casu præsenti? Sed quidquid de hoc sit, tutius, & adhuc melius faciunt, illi qui singulis diebus determinate pro certo individuo v. g. Petro, vel Paulo, & juxta quamlibet intentionem determinatam (si tamen diversas illas intentiones, seu distinctos fines ipsemet petens pro stipendio Missas expresse specificet) applicent, prout taliter volunt alii Auctores apud la Croix *loc. cit. n. 200.* In monasteriis autem, in quibus subditi tenentur legere juxta intentionem Superioris, saltem ipsimet Superiores, vel hi, quibus per Superiores cura designandi Missas Patribus commissa est, diligenter invigilent, ut Libros Missales (de quorum praxi faciliori agitur *lib. 5. Decretalium. Tit. 3. n. 214.*) confici curent, ex quibus intentiones applicandi, quas subditis insinuant, depromant: poterunt dein subditi securius, & cum majori animi quiete se remittere ad intentionem Superioris, seu Sacristani indicantis, quamvis ipsimet subditi aliquoties nesciant, nec ipsis significetur, in quem finem in specie tendat hæc intentio applicandi, & pro quo individuo. *

Additio II.

* CONCL. VI. Si quis accipiat decem stipendia a decem distinctis hominibus, ut decem Missas legat, in simili casu Possevinus, & Pasqualigus apud la Croix *loc. cit. n. 210.* dicunt, talem Sacerdotem non satisfacere, si in singulis Missis ad intentionem singulorum ex his decem hominibus applicet decimam partem harum suarum decem Missarum: ast alii, ut Bonacina, & Aversa, tenent, eumdem satisfacere partim, quia quotidie dividendo partem fructus in singulos in fine ultimæ, seu decimæ Missæ cuilibet ex his decem hominibus solvitur, quantum debetur, prout consideranti patet; partim quia sic singulis melius providetur; cum singuli ex his maturius saltem partialiter quidpiam participent de fructu Missæ: cum alias, si pro quolibet ex his decem fuisset applicata Missa tota, aliqui (puta quos Sacerdos apud se determinavit tamquam octavum, vel nonum in ordine) deberent expectare octo diebus, & ultra, antequam quidpiam participent. Ast sententia ista practicanda non est saltem pro tunc, quando aliquæ ex his decem intentionibus differri ad decem dies non possunt, e. g. si nonnullæ ex his Missis sint applicandæ pro felici partu, pro felici morte alicujus in agone constituti &c. *

77 CONCL. ultima. Loquendo de modo circa applicationem Missæ observando, optimum est, atque in praxi consultissimum, ut Sacerdos applicet valorem Missæ juxta intentionem petentis, eique modo, quo debet, ac potest, meliori prodesse intendat; interim tamen simul & sibi, & toti Ecclesiæ prodesse velit ea ratione, qua potest, meliori, absque præjudicio tamen dantis stipendium. Ita Gavantus *tom. 1. Comment. in Rubricas, part. 2. tit. 8. n. 3.* Nam, ut bene considerantibus patebit, hoc modo fiet perfectissima applicatio Missæ, absque ullo cujusque præjudicio, cum DEUS optime noverit, simulque de fructu Sacrificii dare paratus sit cuique, quantum ipsi competit.

78 Deinde, quia quandoque contingere potest, ut is, pro quo sive ratione accepti stipendii, sive ex alio titulo quis est celebraturus, non sit capax fructus Sacrificii Missæ (prout v. g. accideret, si anima defuncti, pro qua legitur Missa, jam sit in cœlo, vel ob sua delicta in inferno) in quo proinde casu fructus specialis Missæ rediret in thesaurum Ecclesiæ, si nulla alia adesset persona, cui ipse competeret, & applicaretur. Hinc ad illud evitandum optime consulunt Doctores, ut fiat aliqua secunda intentio, seu applicatio, per quam, si fructu Missæ non egeat, vel ejus incapax sit ille, pro quo applicatur, mox alii substituantur, quibus in tali casu fructus Missæ applicatus obveniat.

79 Sed quoniam nobis non certo constat, quibus in tali casu optime possit, vel etiam debeat fructus Missæ applicari: hinc consultum erit, ut generaliter eliciatur talis intentio, qua quis in ejusmodi casibus semper velit, tali secunda intentione fructum Sacrificii Missæ illi, vel illis applicare, cui, vel quibus Deus novit, hic & nunc præ ceteris magis debere illum applicari, ac, ut applicetur, Deo gratius fore. Nam, cum ad applicationem Missæ sufficiat intentio non solum actualis, & virtualis, sed etiam (*f*) habitualis, ejusmodi intentio secundaria, generalis pariter sufficiet, potestque practicari absque ulla animi perturbatione, & anxietate.

80 His addendum pro solatio spirituali Sacerdotum devote celebrantium, cum Gavanto *cit. tit. 8. num. 3.* certum esse, quod Sacerdos digne celebrans in majori quantitate participet de fructu & valore Missæ, quam quilibet alius, qui eumdem celebrare jubet, vel dato stipendio procurat. Et hoc tum ex ministerio proximiori, ac fructu specialissimo tam propitiatorio, quam impetratorio, ac satisfactorio, sibi reservato: tum ex majori fide, ac devotione, quæ sub devota Celebratione multipliciter excitatur: tum ex ipsa digna Sacramenti Eucharistiæ perceptione, quæ semper in eodem adauget ex opere operato gratiam secundam, quod augmentum non derivatur in alterum, qui dedit stipendium pro Missa.

Additio.

* Pariter pro consolatione ministrantium, vel Missam devote audientium adjungendum videtur, quod de fructu etiam generali (seu uti vocant generalissimo) plus non solum *ex opere operantis* ob devotionem, sed

etiam *ex opere operato* (loquendo tam de propitiatorio, quam impetratorio, & satisfactorio) participent illi, qui magis & vicinius concurrunt ad ipsum Sacrificium; qualiter utique magis influunt præprimis Ministrantes, præsertim Diaconus, ac Subdiaconus; deinde devote assistentes Missæ, qui omnes ob cooperationem, & præsentiam censentur cum Celebrante offerre simul hoc Sacrificium juxta illud in Canone Missæ post primum *Memento* a Sacerdote prolatum: *& omnium circumstantium &c. pro quibus tibi offerimus, vel NB. qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis NB. pro se suisque omnibus &c. pro spe salutis, & incolumitatis suæ &c.* Ex quibus ultimis verbis recte quoque cum Sporer *part. 2. Theolog. Sacrament. cap. 4. sect. 2. num.* 253. deducitur, quod proxime allegatos fructus tam ministrantes, quam audientes Missam possint quoque aliis donare, uti facere censentur illi, qui aliis promittunt, se velle pro his Missam audire &c. de cujus promissi utilitate, si executioni mandetur, mira poteris legere apud Sporer *loc. cit. num.* 253. & 254. *

QUÆSTIO VIII.

De Obligatione celebrandi, vel etiam applicandi Missam, quam ex variis titulis habent Sacerdotes.

SUMMARIUM.

81 *Sacerdos ex variis titulis potest obligari ad celebrandum.*
82 *An & quoties per annum celebrare teneatur ratione suscepti Ordinis?*
83 *Curatus, quibus diebus celebrare debeat?*
84 *An tunc teneatur Missam applicare pro Parochianis?*
85 *Resolutio.*
86 *Sententia merito practicanda.*
 * *Adjungitur novum Decretum. Ad. I. II. III. IV. ac V.*
87 *Beneficiarius, quoties teneatur celebrare?*
88 *Quid, si infirmetur ad tempus?*
89 *Beneficiarus, qui quotidie celebrare tenetur, an possit quandoque abstinere?*
90 *Aut pro alia intentione celebrare?*
91 *An satisfaciat anticipando Missas?*
 * *An diminutis reditibus possit propria auctoritate diminuere onera Missarum? Addit. I.*
 * *An pereunte Capitali fundationis ex integro, possit cessare a celebratione obligatoria absque petita desuper dispensatione? Addit. II. & III.*

81 ADvertendum, quod generatim Sacerdos ex variis Titulis obligari possit ad celebrandam Missam. I. Ratione suscepti sacri Ordinis Sacerdotalis. II. Ratione Curæ animarum, quam habet. III. Ratione Beneficii, seu Capellaniæ, ex primæva Fundatione annexum est onus celebrandi certas Missas, in Litteris Fundationis præscriptas. IV. Ratione recepti stipendii, seu eleemosynæ, pro Missa celebranda porrectæ; non enim tenetur Sacerdos, quamvis sit dives ac opulentus, ultro Missam pro aliis celebrare, sed potest licite stipendium sui ministerii, juxta consuetudinem laudabilem cujuslibet loci, recipere, idque pro sustentatione congrua vitæ suæ, juxta illud Salvatoris *Matth.* 10. *Dignus est operarius cibo suo*, & alibi. Hoc prænotato, de singulis procedit præsens Quæstio, ad cujus resolutionem, sit

82 CONCL. I. Simplex Sacerdos peccat, & quidem juxta plures Doctores (quorum sententiam Sannig *loc. cit. quæst.* 8. *num.* 1. censet probabiliorem) mortaliter, si cessante justo impedimento numquam celebret toto anno: tenetur enim saltem ter, vel quater in anno, in Festis præsertim solemnioribus, celebrare. Probatur hoc ex Concilio Trident. *Sess.* 23. *cap.* 14. *De Reform.* ubi dicitur: *Curet Episcopus, ut Sacerdotes saltem diebus Dominicis, & Festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.* Accedit *c. Dolentes. De celebrat. Miss.* ubi graviter reprehenduntur ii, qui Missarum solemnia vix quater celebrant in anno. * Quamvis ceteroquin talis Sacerdos simplex, nisi aliunde habeat obligationem, non teneatur vi suscepti Ordinis tales Missas pro aliis applicare, præsertim si tres Missas, quas legendas in Ordinatione in Presbyteratum imposuit Episcopus, jam absolverit. *

83 CONCL. II. Sacerdos Curatus per se, vel per alium omnibus illis diebus tenetur celebrare, quibus plebs sibi subjecta ex præcepto Ecclesiæ tenetur Missam audire. Ita communis, & patet tum ex citatis verbis Concilii Tridentini, tum ex ipsa ratione Curæ animarum; nam alias non posset populus implere præceptum de audienda Missa.

84 Num autem omnibus dictis diebus teneatur Sacerdos Curatus applicare Missam pro populo, quæstio non modica est, eo quod Concilium Trident. *Sess.* 23. *De Reform. cap.* 1. sic dicat: *Cum præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus cura animarum commissa est, oves suas cognoscere, pro his Sacrificium offerre &c.* Quibus verbis Concilium videtur agnoscere præceptum Divinum celebrandi, Missamque applicandi pro suis ovibus, ex parte ipsius Parochi, seu Curati.

85 Resp. Licet Scotus *lib.* 9. *de Justitia quæst.* 3. *art.* 1. arbitretur, Parochum non solum obligari celebrare Missam, ut eam subditi audire valeant, sed etiam hanc pro ipsis offerre: communior tamen sententia negat, talem obligationem ipsi incumbere ratione muneris sui, nisi forsan ex Fundatione, Consuetudine, Lege Diœcesana, Pacto, aut alio hujusmodi Titulo specialis obligatio habeatur. Ita Layman *lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 3. *n.* 3. Herincx *disp.* 8. *de Missa. quæst.* 9. *n.* 95. & 96. Sannig *disp.* 5. *quæst.* 8. *num.* 3. Suarez, & alii. Ratio est: quia Beneficia curata proprie sunt instituta ad pascendum populum verbo, & Sacramentorum administratione, non item ad semper applicandam Missam pro ipso, nisi secus habeatur ex Fundatione, vel alio speciali Titulo. Deinde non plus videtur evincere citatus textus Concilii Trid. nisi quod Sacerdotes Curati teneantur pro ovibus suis Sacrificium offerre, celebrando saltem diebus, quibus urget præceptum audiendi Missam, ut sic Parochiani possint Missam audire, eique devote assistendo de fructibus ipsius participare: nam diversæ sunt obligationes ad celebrandum, & ad applicandum pro Parochianis Missæ Sacrificium; ab una autem obligatione non est facienda extensio ad aliam.

86 Fatendum tamen, quod his non obstantibus Barbosa *part. 2. de Offic. & Potest. Episc. alleg.* 24. *num.* 23 & amplius *part.* 1. *de Officio Parochi cap.* 11. *num.* 10. verius esse putet, Parochum teneri Missæ Sacrificium pro suis ovibus applicare aliquoties, juxta boni viri arbitrium. Idem censet Gobat *tract.* 3. *Theolog. Experim. n.* 493. additque, istud boni viri arbitrium esse ferendum attenta copia vel inopia redituum, magna aut parva necessitate Parochianorum. Notat etiam Layman *cit. num.* 3. quod lex Charitatis, ac æquitatis ratio suadeat, ut Pastores ordinarii, videlicet Papa, Episcopus, Parochus, & Prælatus Regularium, pro suis subditis Deo intra, & extra Sacrificium frequenter supplicent, & aliquando etiam pro eisdem illud offerant.

Additio I.

* Quinimo in Jure Canonico *Lib.* 3. *Decret Tit.* 41. *n.* 22. & adhuc latius *Lib.* 5. *Tit.* : *n.* 209. *ac seqq.* invenitur aliquod Decretum Sacræ Congregationis, faciens distinctionem inter pingues, & non pingues Parochias his formalibus: *Cum præcepto Divino iis, quibus animarum cura commissa est, mandatum sit pro ovibus suis Sacrificium offerre, sæpe alias Sacra Congregatio censuit, Parochianis Sacrificium applicare, atque ea cum distinctione, ut si reditus pingues sint, singulis diebus* (quod tamen intelligitur discrete cum grano salis excipiendo anniversaria, exequias, & similes, quas habent Parochi, obligationes &c.) *si vero tenues, saltem festivis diebus. Idem nunc censet. &c.* Vide de hoc *loc. cit.* *

Additio II.

* Propter allegatam proxime Declarationem formabis dubium, an ergo Parochi habentes pingues reditus teneantur applicare Missam pro suis Parochianis extra Dominicas, & festivos dies, posito, quod pro tunc neque occurrant anniversaria, nec dies depositionis, septimi, vel trigesimi, nec benedictiones nuptiarum, similesve Parochiales functiones, alias curæ animarum annexæ, & quasi inter ipsos reditus stolæ computatæ? Ratio dubitandi, & affirmativam tenendi videtur esse; tum quia Decretum allegatum expresse ait, Parochos habentes pingues reditus adstringi *singulis diebus* pro ovibus Sacrificium applicare, sicque tam diebus Dominicis, & festivis, quam aliis, nisi ipsæ functiones Parochiales similibus diebus aliam insinuent applicationem: tum quia a P. Reiffenstuel in Jure Can. *lib.* 5. *Decret. Tit.* 3 *num.* 213. adducitur aliquod Breve Apostolicum Innocentii XII. vi cujus Parochi etiam non habentes pingues reditus tenentur applicare diebus Dominicis, ac festivis Missas pro ovibus, supple, nisi ipsæ functiones Parochiales insinuent aliam intentionem: ergo cum vi Decretorum ibidem allegatorum fiat distinctio inter Curatos habentes, & non habentes pingues reditus, atque priores majorem habeant obligationem applicandi, quam posteriores, consequenter illi posteriores adstringentur etiam extra Dominicas, & dies festivos applicare Missam pro ovibus suis. Et ita quidem tenent scribentes post hoc Decretum aliqui Doctores non exigui nominis, citati apud Paulum Zetl in suo Clerico curato *part.* 1. *instruct.* 6. *num.* 67. prout etiam videre poteris in Jure Can. P. Anacleti Reiffenstuel locis superius citatis. *

Additio III.

* Ego vero (salvo tamen meliori) etiam insistendo allegatis Sac. Congregationis Decretis cum P. Schmalzgrueber *lib.* 3. *Decret Tit.* 41. *n.* 106. & Alberto Reiffenstuel in sua Novenna Canonica *Resolut.* 8. *fol. apud me* 54. distinguendum puto, num Parochi illi habentes alias pingues reditus pariter ex peculiari quadam fundatione, seu particulari statuto, vel consuetudine sint obligati extra Dominicas, & Festa Fori Populo Missam legere, vel non? Si prius: existimo, Parochos hosce, si tenentur ex tali particulari causa legere, pariter obligari, regulariter loquendo, Missam lectam pro populo applicare, ita enim in sensu aliquo moderato, & non nimium duro adhuc verificantur illa verba allegati Decreti, quod nimirum Parochi habentes pingues reditus, teneantur Missam pro ovibus non solum in Dominicis, & Festis, verum etiam singulis diebus applicare, id est, singulis diebus illis, quibus ex peculiari fundatione, statuto particulari vel consuetudine tenentur etiam extra Dominicas, & Festa Fori legere Missam, sicque in Casibus particularibus eo ferme modo resolvitur, quomodo *post numerum* 103. *Addit. I. ac II.* discurritur de aliis pinguibus fundationibus, in quibus equidem obligatio celebrandi, non tamen obligatio applicandi fuerat expressa. Econtra autem, quando neque ex peculiari fundatione, neque ex particulari Statuto, vel consuetudine Parochi tenentur legere populo Missam, multo minus obligantur similem Missam, si nihilominus velint celebrare, pro populo applicare: videtur enim mihi captu difficillimum, non teneri quempiam legere Missam, nihilominus tamen obligari (supposito, quod ex proprio beneplacito, seu ex stimulo devotionis velit legere) eamdem alteri applicare. Et sane alias, si ratione curæ animarum censeretur adesse tam gravis obligatio, pariter Episcopi, tamquam Parochi Parochorum, imo etiam Summi Pontifices tamquam Episcopi Episcoporum tenerentur singulis diebus Missam pro populo sibi commisso applicare, utpote superiorem animarum curam exercentes; quod tamen videtur contra communem praxin, uti notat Albertus Reiffenstuel *loc. cit.*, ac pluribus ostendit. *

Additio. IV.

* Profecto ego ipsemet nuperrime, cum circa prædicta quidam AA. post illa Decreta scribentes nolint quidpiam positive decidere, anxius ad aliorum instantiam per R. P. Secretarium nostrum in Curia Romana a Sacra Congregatione Concilii supplici libello humillime desuper declarationem petii. Ast Eminentissimi Patres responderunt:

Exprimatur Casus particularis.

Ex quo tacite apud me ipsum inferebam. Ergo similia responsa Sacræ Congregationis emanare solent quoad casus particulares, uti discurrebam antea. Et hinc secundo Altedictæ Sacræ Congregationi sequentem casum per supplicem libellum novum humillime præsentari feci.

Eminentissimi DD. Cardinales.

Petrus N. Parochus ad S. Geminianum Diœcesis Frisingensis pingues equidem habet reditus, non tamen sive ex particulari Statuto, sive ex consuetudine obligatur extra Dominicas, & dies festivos sacrificare, quia vero nihilominus sæpius infra septimanam extra dies festivos, & Dominicos ex devotione celebrat,

Dubitatur I. An has Missas infra septimanam ex devotione lectas teneatur applicare pro suis Parochianis § Quod si negative,

Dubitatur II. An ergo pro his Missis ex devotione lectis possit recipere stipendium a particularibus oblatum, præsertim cum ibidem existat Statua mira ulosa; ad quam confluunt peregrini petentes pro stipendio celebrationem Missæ? Humillime supplicatur pro Declaratione horum dubiorum ad quietandam Parochi conscientiam multum anxiam &c. Pro qua gratia &c. Lecto hoc casu particulari, Eminentissimi Patres recentissime denuo responderunt:

Congregationem Concilii non esse institutam ad fovendos scrupulos.

Interea tamen Illustrissimus quidam, ac Doctissimus ad Altefatam Sacram Congregationem spectans Secretario nostro in Curia Romana oretenus reposuit, mihique per litteras insinuari voluit, quod exceptis diebus Dominicis & festivis allegatus in casu Dominus Parochus non teneatur applicare Missas pro suis Parochianis, & pro Missis infra septimanam lectis possit sine scrupulo recipere stipendium a particularibus oblatum, uti communiter practicatur a Parochis. Ita in formalibus sonabant litteræ; ubi tamen adhuc subjungebatur quoad pingues reditus obligatio dicti Parochi superflua erogandi in pauperes. Volui hæc candida mente, uti accepi, pro multorum forsan sublevatione inserere. *

Additio V.

* Ceteroquin insistendo Juri præsertim moderno, illud non auderem defendere amplius, quod antea pauci tenuerunt AA. nimirum similes Parochos neque diebus Dominicis, neque Festivis fructum specialem teneri applicare pro suis ovibus: deterrent enim me *Inprimis* Breve Apostolicum Innocentii XII. superius allegatum: *Secundo* Instructio Sacri Concilii pro visitatione Liminum SS. Apostolorum Episcopis præscripta, atque reperienda in Appendice novissimi Concilii Romani Lateranensis ad Titulum XIII. ubi §. 3. *num.* 11. expresse petitur informatio, *an singuli Parochi, ceterique curam animarum exercentes singulis Dominicis, Festisque de præcepto Missam applicent pro populo eorum Curæ commisso?* tum demum *Tertio*, quia in visitatione sacrorum Liminum Celsissimi Principis ac Episcopi Frisingensis per Deputatum facta, Sacra Congregatio Concilii 30. Decembris 1722. sequentia ad Celsissimum rescripsit.

Puto inter ceteras pastoralis vigilantiæ Curas, quas omnes egregie sustines, suum & illam tenere locum, quæ sedulo invigilet, ut Parochi diebus festis pro populo Missam, Collegia

legia Canonicorum suam Conventualem applicent, quod quidem a Concilio Tridentino summopere commendatum Sacram Congregationem solicitam, ne omittatur, habet. *

87 CONCL. III. Capellanus, seu Beneficiarius ex justitia sub mortali culpa est obligatus ad illum Missarum numerum, quem & qualiter Litteræ fundationis requirunt. Ita communis; & patet ex natura ipsius fundationis Beneficii, ad cujus onera Beneficiarius illud acceptans sese obligavit. Circa hoc tamen

88 Notant I. Doctores, ac inter eos Navarrus *lib.* 2. *de Restit. cap.* 2. *num.* 210. Lugo *disp.* 21. *de Eucharist. n.* 49. Sannig. *n.* 5. & Layman. *num.* 7. quod, si ejusmodi Beneficiarius, ad certum Missarum numerum singulis hebdomadibus dicendarum obligatus, ad breve tempus infirmetur, utputa una, vel altera hebdomada (aut juxta cit. Laymanum, & Lugonem, uno mense) præsumendum sit, Fundatorem, & Ecclesiam non intendisse tam arctam obligationem, ac proinde talem non teneri ad recompensationem: nam etiam dominus temporalis, tametsi jure detrahere posset de mercede famuli ob ejus infirmitatem (ut multi volunt *arg. l. Ex conducto* §. *Item cum ff. Locati,*) si tamen pius & benignus est, detrahere non solet.

89 Notant II. Doctores, quod, si Fundatio exigat quotidianum Sacrificium in certo loco v. g. in determinata Ecclesia, vel Altari peragendum, sicque obligatio principaliter habeatur ratione loci v. g. ob majorem ejus reverentiam, vel commoditatem populi, tunc teneatur Sacerdos, tale onus Missarum quotidie ibi celebrandarum in se habens, ibidem quotidie celebrare, vel per se, vel per alium substitutum, juxta fundationem ipsi loco impositam. Si vero talis obligatio quotidie celebrandi sit ipsimet personæ Capellani, seu Beneficiarii imposita non respiciendo, modo proxime dicto, ad locum, aut certum tempus pro commoditate populi: tunc arbitrantur, ob reverentiam Sacrificii, majoremque devotionem in se excitandam, aut alia justa de causa, posse eumdem quandoque abstinere, etiam semel in hebdomada *arg. c. Significatum. De Præbend.* ubi de obligato ad quotidie celebrandum dicitur, eum teneri quotidie extra casum infirmitatis celebrare, *salva honestate sua, & debita devotione.* Nam propter plurimos mundanos casus contingit nonnumquam, debitam impediri devotionem.

90 Non tamen hinc sequitur, quod, is, qui titulo honestatis, majorisque devotionis potest semel in hebdomada a Missa abstinere, possit etiam semel Missam alibi, vel pro alia intentione celebrare. Nam hæc sunt omnino diversa: atqui ex diversis non valet illatio. Dicendum proinde, quod obligatus ad quotidie celebrandum juxta certam intentionem, etsi advertens, se esse minus dispositum, possit quandoque ob causam honestatis, debitæque devotionis abstinere (ad summum semel in hebdomada) tamen eo die nec pro se, nec pro alio, neque alibi celebrare valeat, aut, si celebraturus est, teneatur Missam applicare juxta præscriptam Fundatoris intentionem, vel saltem hanc per alium celebrandam curare. Bonacina *disp.* 4. *de Eucharistia quæst. ult. punct.* 7. §. 2. *n.* 16. Sannig *disp.* 5. *de Missa qu.* 8. *n.* 5. & alii.

91 Notant III. Capellanum, qui ad celebrandum in determinato loco aliquot per hebdomadam diebus obligatus est, per se loquendo, ac nisi aliud exprimatur, posse satisfacere, si anticipet præcedenti hebdomada ibidem celebrando: eo quod non defraudet intentionem Fundatoris, utpote qui (nisi aliud expresserit) videtur exigere certum duntaxat Missarum numerum tempestive persolvendum. Additur tamen, *per se loquendo &c.* quia, si in Litteris fundationis contrarium exprimatur, specialiter statuendo, quod v. g. ob commoditatem devotionemque populi, aut reverentiam Loci sacri in nulla hebdomada Missæ prætermittantur, non licebit eas anticipare; mens enim justa Fundatorum, tamquam lex specialis, adimplenda est. Bonacina *ibidem* §. 5. *n.* 4. Sannig *num.* 8. Navarrus, & alii.

Additio I.

* Notant DD. IV. Capellanum Beneficiatum, vel etiam alium annuis oneribus Missarum v. g. ex Legato semel acceptato gravatum non posse ex eo, quod redditus annui sint multum diminuti, propria auctoritate imminuere onera Missarum, quinimo, stabiliter loquendo, neque idem defacto possunt spectato jure scripto ipsimet Episcopi, cum per Decreta emanata tempore Urbani VIII. & ab Innocentio XII. in Bulla: *Nuper a Congregatione* &c. anno 1697. die 23. Decembris novissime confirmata; atque *lib.* 3. *Decret. Tit.* 5. *num.* 114. & 115. item *Tit.* 26. *num.* 804. *ac seqq.* ac per extensum videnda in Jure Canonico *Lib.* 5. *Tit.* 3. §. 10. ipsis fuerit interdictum. Quare attento Jure scripto pro reductione in eo casu recurrendum foret Romam: quando stabilis fieret reductio. Quod si autem uno tantum, vel altero anno fructus alias ratione Missarum obventuri notabiliter minuerentur, posse pro tunc adhuc Episcopos non obstantibus Decretis Urbani VIII. & Innocentii XII. pro rata damni imminuere onera Missarum, tenet la Croix *Lib.* 4. *n.* 855. rationem hanc subjungens: quia allegata Decreta Pontificum prohibitoria videantur loqui de reductione stabili, & semper duratura, non autem pro brevi tempore: alias enim ob nimiam similium temporalium eventuum frequentiam deberet in locis remotioribus quasi continuo scribi Romam pro aliqua reductione non sine retardatione responsi, & cum non levibus expensis apud Magistros Pastorum &c. Quinimo de consuetudine, quam spectandam esse, ait la Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 117. dicuntur saltem aliqui Germaniæ Episcopatus defacto adhuc prætendere jus faciendi similes moderationes, & reductiones Missarum etiam perpetuas, prout testes sunt Gobat, & Tamburinus apud la Croix *loco mox citato,* ac de Germania inferiore Gaudentius Kerchove in suis Commentariis *cap.* 3. §. 6. *num.* 15. & *seqq.* ac *cap.* 8. §. 2. *nu.* 20. *ac seqq* Concessit equidem Concilium Trident. *Sess.* 25. *De Reformat. cap.* 4. eamdem reducendi Missas facultatem Abbatibus, & Generalibus Ordinum, verum etiam hæc potestas per dictos Pontifices Urban. VIII. ac Innoc. XII. sublata fuit, prout notant nostra Statuta Generalia Victoriensia apud Kerchove *loc. cit.* licet ceteroquin ad instantiam Generalium soleant subinde hisce de novo similes gratiæ tribui, prout Benedictus XIII. Mense Julio, anno 1724. novissime per Breve Apostolicum nostro Generali etiam respectu Monialium, & Tertiariorum capacium bonorum, ac suæ Jurisdictioni subjectorum clementissime concessit amplissimam circa eam reductionem facultatem in Italia, ac adjacentib. insulis triennio, extra vero sexennio duraturam, de quo fuse & utiliter videri poterit loquendo de nostra Religione novissimus Auctor Hispanus Thomas Montalvus in sua Glossa fundamentali *Tom.* 1. *cap.* 10. *art.* 5. *nu.* 22. & *seqq.* ubi etiam *num.* 34. & *seqq.* adducit pro nostro sacro Ordine valde favorabilem doctrinam ex Kerchove *cit. in Comment. cap.* 3. §. 6. *num.* 16. merito in casu emergenti revidendam, præsertim in Germania. Ceterum hanc ipsam facultatem reducendi onera Missarum perpetua dictus Sanctissimus eodem anno concessit Abbati Generali Congregationis Cassinensis, quam facultatem pariter extendit ad illos Episcopos, qui vel per se, vel per suos Procuratores ultimo Romano Provinciali interfuerunt Concilio, prout videndum *Tit.* 15. *cap.* 8. ejusdem Concilii. *

Additio. II.

* Notant V. Non pauci DD. signanter Tamburinus *De Sacrific. Miss. lib.* 3. *cap.* 1. §. 3. *num.* 89. la Croix *lib.* 4. *num.* 855. & *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 118. Pichler in suis decisionibus *Parte Priori lib.* 1. *Tit.* 7. *Decis.* 7. *q.* 4. Hyacinthus Donati *Tom.* 3. *tract.* 7. *quæst.* 60. citans Fraxinellum *De Obligat. Sacerdot.* §. 27. & Riccium *part.* 3. *pract. Resolut.* 364. *in fine.* Item adstipulantur Schmalzgrueber

3. *Decret. Tit.* 41. §. 5. *n.* 137. pluresque alii ab eo citati, quod, si capitale annuo censui pro fundatione Missarum, aliorumve piorum operum subjectum citra ullam culpam recipientium fundationem ex integro perierit: vel frugifer fundus, ex quo solvebantur reditus, ad hæreticos transierit, iique dictum fundum ad alios fines, applicaverint, deobligetur absque ulteriori petitione reductionis Beneficiatus regulariter loquendo ab onere Missarum, aliarumque piarum fundationum. Ratio ipsorum est; quod regulariter loquendo statim ad initium fundationis nec mens Fundatorum fuerit, recipientes (forsan ex hoc unico saltem priori anni tempore suam sustentationem habentes) gravare hisce oneribus spiritualibus, si prorsus nihil titulo sustentationis exinde citra suam culpam recipiant, nec etiam primi recipientes sub hoc casu se obligare intenderint ad persolvenda Sacra, aliave pia opera. Et ita ait Monacell. apud Schmalzgrueber *loco citato*, fuisse declaratum a Sac. Congreg. repetitis vicibus. *Nec opponas.* Si tantum pars redituum etiam citra ullam culpam Beneficiati pereat, sicque reditus in perpetuum diminuantur, opus est juxta dicta præcedentia recurrere ad altius Tribunal pro reductione; ergo etiam, si capitale, & consequenter etiam annui reditus ex integro pereant. Respondetur enim negando consequentiam & paritatem. Disparitas est; quia si tantum pars pereat, forsan adhuc altera residua pars potest esse honestum stipendium, ut obligationes præcedentes adhuc vel ex integro, vel saltem magna ex parte persolvantur. Unde, ne amor proprius respectu Beneficiati cum dispendio causarum piarum forsan huic suggerat, residuum non esse amplius sufficiens, & honestum respectu obligationis suæ stipendium, sicque reductionem ad suum beneplacitum faciat ultra, quod alias ab altiori potestate concederetur, voluit Pontifex, ut in simili casu ob periculum frequens ad altius Tribunal recurratur, quod periculum ordinarie & regulariter loquendo non contingit, si fundus ex integro pereat, sicque nulli deinceps acquirantur reditus, uti consideranti patet. *

Additio III.

* Dixi autem, *regulariter loquendo* deobligari ab onere Missarum quempiam Beneficiatum, si nimirum capitale illud, quod ex integro nunc periit, fuerit designatum *pro aliquo Beneficiato particulari* nullam utilitatem habente ex eo, quod antiquiores Antecessores sui pinguius stipendium obtinuerint. Alia difficultas, & quæstio foret, si alicui sacræ Communitati (puta alicui Monasterio Bonorum capaci) consignatum fuisset tale capitale respectu onerum notabiliter excessivum, & largissimum, atque juxta prudentem interpretationem propterea sic augmentatum, ut Collegium illud, vel Monasterium adhuc obligetur ad præscripta onera spiritualia, quamvis capitale fortuito periret, aut successu temporis diminueretur notabilissime; in quo casu non video, quomodo illa sacra Communitas, quæ per valde pingue, & respectu oneris longe excedens stipendium fuit jam multo tempore ditata, deobligetur ab executione Missarum, aliorumve piorum operum citra dispensationem, seu commutationem Pontificiam, quæ etiam vix impetrabitur, nisi temporum injuria fuerit successu temporis hoc Collegium, vel Monasterium valde depauperatum. Quod si autem memoratum capitale respectu onerum non fuisset adeo pingue, non pauci Doctores hic pariformiter discurrunt, uti de beneficiato ob eamdem rationem; dummodo non graviter culpabilis negligentia quoad deperditionem talis capitalis &c. ex parte dictæ Communitatis intervenerit. Ita Bordonus *Tom.* 2. *variar. Resolut. Resolutione* 25. *quæst.* 21. *n.* 31. citans plures alios. Pellizarius *Tom.* 1. *Tract.* 6. *cap.* 3. *q.* 19. *n.* 46. Felix Potestas *Tom.* 3. *part.* 1. *num.* 258. *prope finem.* Hyacinthus Donati *loc. cit. &c.* Ceterum, ut securiores sint Fundatores in suis fundationibus, vult Papa Innocentius XII. ut capitalia imponantur fundis frugiferis. *

APPENDIX.

Continuatur Quæstio octava de Obligatione celebrandi, vel etiam juxta intentionem dantium stipendium applicandi Missas.

SUMMARIUM.

92 *Obligatus ad celebrandum in certa Ecclesia, vel Altari peccat alibi celebrando.*

93 *Nisi justa causa subsit; ubi etiam quanta sit hæc obligatio?*

94 *An alibi celebrans teneatur ad restitutionem?*

* *Præsertim, si Missa petitur pro defuncto in aliquo Altari privilegiato? Addit. I. & II.*

95 *Nequit Sacerdos Missam alteri legendam dare, retenta aliqua parte stipendii, cum Addit.*

96 *Limitatur hoc in certis casibus.*

97 *Peccat mortaliter, qui est notabiliter in mora celebrandi Missas debitas.*

98 *Quid, si ad modicum tempus differantur, & quid sit modicum tempus.*

99 *Aut dans stipendium consentiat?*

* *Aut si foret grave periculum non recipiendi stipendium? Addit. I. & II.*

100 *Sacerdos tenetur dicere Missam, quæ petitur, nisi obstent Rubricæ.*

101 *Quid de Missis votivis, ac de Requiem in Festis duplicibus? ubi de indulgentiis Altarium privilegiatorum.*

* *Determinantur præter Festa duplicia etiam alia tempora, in quibus obtinetur indulgentia Altaris privilegiati, quamvis ibidem non legatur Missa de Requiem.*

102 *Obligatio celebrandi Missam ratione stipendii de per se loquendo est gravis.*

103 *Unicam missam omittens, an peccet graviter?*

* *An sit obligatio gravis non solum celebrandi, sed etiam applicandi, si dans stipendium nullam fecit mentionem applicationis nec in testamento, nec in litteris fundationis? Addit. I. & II.*

* *Quid sit resolvendum in casu, quo Sacerdos plura recepit stipendia, quam legere potest Missas, nec est in statu restituendi stipendium?*

92 CONCL. IV. Qui ex titulo Fundationis, vel ex conventione, aut pacto ratione recepti stipendii tenetur in certa Ecclesia, vel Altari celebrare, non potest absque peccato alibi celebrare, nisi hoc fiat ex justa, & rationabili causa. Ratio est: quia rationabilis, piaque voluntas Fundatoris, vel dantis eleemosynam pro celebratione Missæ est adimplenda; quod alioquin non fieret.

93 Dicitur notanter, *nisi hoc fiat ex justa causa.* Nam, si hoc accidat ob legitimum impedimentum v. g. ob profanationem Ecclesiæ, inundationem aquarum, aut quia Sacerdos bona fide exiens e Sacristia invenit Altare jam occupatum ab alio celebrante & hujusmodi, nullum committitur peccatum.

Et quamvis obligatio celebrandi in loco determinato ex genere suo sit gravis, adeo, ut juxta Bonacinam *cit. punct.* 7. §. 4. *num.* 2. & alios, alibi celebrans peccet mortaliter: nihilominus recte notat Herincx *disp.* 8. *de Missa quæst.* 15. *num.* 185. hic etiam locum habere levitatem materiæ, utpote si raro mutetur locus v. g. bis vel ter in anno, vel etiam semel aut bis in mense, dum quis debet quotidie celebrare. Insuper facilius excusari potest celebrans in alio Altari ejusdem Ecclesiæ, quam si celebret in diversa Ecclesia, utpote minus recedens a voluntate Fundatoris. Lugo *Disp.* 21. *de Eucharistia n.* 36.

94 His adde, quod, quamvis Sacerdos extra præscriptam Ecclesiam, vel Altare contra voluntatem Fundatoris, vel dantis stipendium celebrans peccet, ut dictum, nihilominus sit probabilius, talem non teneri ad restitutionem, aut novam celebrationem Missæ. Bonacina *cit.* §. 4. *num.* 5. cum aliis. Siquidem talis celebrans, etsi peccaverit, non tamen fraudavit Fundatorem, vel dantem stipendium fructu ipsius Sacrificii,

Additio I.

*Excipe, si Missæ fuerint petitæ in Altari privilegiato pro defunctis eo die, quo privilegium est; tunc enim tenetur Sacerdos recompensare in simili Altari privilegiato, si alibi legerit: quia privat animam defuncti notabili fructu, nimirum Indulgentiis plenariis Altari privilegiato concessis. Azorius *p.* 1. *L.* 10. *c.* 24. *q.* 7. & *Lib.* 6. *c.* 24. *qu.* 7. ac Castropalao *Tract.* 13. *d.* 1. *p.* 6. *n.* 27. Difficile mihi tamen videtur, similem, qui tales Missas in Altari privilegiato legendas bona fide alibi celebravit, ex integro condemnare ad resarcitionem, & repetitionem ipsarum Missarum; cum animæ illæ, pro quibus præcedentes erant applicatæ, saltem ex opere operato nimirum ex ipsismet Missarum Sacrificiis notabiles fructus perceperint, puta satisfactorium, & probabiliter etiam impetratorium. Hinc credo, alicui simili injungi posse, ut in supplementum conetur pro illis defunctis devote lucrari aliquoties Indulgentias plenarias alias puta per Viam Crucis, generalem communionem &c. prout idem videtur innuere Kazenberger in Supplement. Sacram. P. Sporer de Indulgentiis. *cap.* 3. *Sect.* 2. *n.* 137. dum ait, tales non celebrantes in Altari privilegiato obligari id compensare aliis proportionatis precibus.*

Additio II.

*Dices Indulgentiæ plenariæ, quæ acquiruntur defunctis per applicationem Sacrificii in Altari privilegiato, annectuntur ipsimet *operi operato*, aliæ vero *operi operantis*, sicque priores suo modo securius acquiruntur, quam posteriores; quoniam ex parte operantis frequentius contingere potest defectus, ne Indulgentiæ obtineantur: ergo per posteriores non videtur fieri sufficiens compensatio cum prioribus. Ad hanc satis difficilem objectionem respondeo *imprimis*, etiam quoad Indulgentias priores Altarium privilegiatorum non esse omnino certum, easdem *infallibiliter* prodesse his, quibus per modum suffragii applicantur: quamvis enim id ut probabilius asseratur superius *Tract.* 12. *dist.* 3. *q.* 4. *n.* 43. & 44. non desunt tamen, qui cum Van Ranst de Indulgentiis *qu.* 5. *n.* 12. tenent contrarium, allegantes pro se D. August. in Enchirid. *cap.* 109. ibi: *Suffragia eis prosunt, qui, cum viverent, ut hæc sibi postea prodesse possent, meruerunt.* Respondeo II. etiam tales Indulgentias viæ Crucis, aut generalis communionis, & similes quibusdam piis operantium actionibus annexas satis secure pro ipsis defunctis lucrifieri, si præscripta opera devote, & attente pro ipsis persolvere conemur, & quod fortasse adhuc in securitate aliqualiter deesset, posset per majorem numerum Indulgentiarum, aliaque bona opera suppleri.*

95 CONCL. V. Non est licitum Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam sub certo stipendio, eamdem Missam alteri, parte illius stipendii sibi retenta, celebrandam committere. Ita habetur in Decreto Urbani VIII. *De Celebratione Missarum*, ubi §. 4. hoc prohibetur, *ut omne damnabile lucrum ab Ecclesia removeatur.* Unde oppositam nonnullorum sententiam Alexander VII. denuo rejecit, inter alias Propositiones etiam sequentem, ordine 9. damnando: *Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.* Et hæc Conclusio procedit etiam in casu, quo cuipiam Sacerdoti offertur eleemosyna solito major pro celebratione Missarum; nam debet is absolute integram eleemosynam tribuere alteri Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere potest; prout declararunt Cardinales *Respondendo ad* 10. quorum Declarationes habentur additæ post cit. Decretum Urbani VIII. in Bullario Romano.

Additio.

*Idipsum, quod Urbanus VIII. statuit, novissime innovavit Benedictus XIV. in sua Constitutione *Quanta Cura.* edita 30. Junii anno 1641. improbrans ibidem pessimam illam corruptelam, vi cujus nonnulli Collectores sive Clerici, sive Laici, stipendiorum propter celebrationem Missarum datorum coacervant plura stipendia juxta consuetudinem vel legem Synodalem hujus loci aut Diœcesis sub majori pretio taxata, & postea Missas alibi, ubi vi consuetudinis, vel legis alicujus Synodalis minus stipendium pro singulis Missis attributum est, celebrari curant, residua parte stipendii sibi retenta, quam iniquam restantis pretii retentionem (sive ceteroquin dictæ Missæ ab aliis Sacerdotibus pro dato minori pretio fuerint in eo ipso loco, vel alibi lectæ) non solum damnat, verum etiam gravissimas pœnas superaddit a talibus Collectoribus ipso facto incurrendas, & quidem, si isti fuerint Laici, pœnam Excommunicationis; si autem Clerici, pœnam Suspensionis, a quibus nullus per alium (uti sonant verba Bullæ) quam per Romanum Pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit.*

96 Ceterum hoc Decretum non habet locum in Beneficiis: unde satis est, quod Rector Beneficii, qui potest Missam celebrare per alium, tribuat eleemosynam congruam secundum morem patriæ, nisi secus caveatur in fundatione Beneficii, prout declararunt iidem Cardinales *ad* 8. Et merito: nam Beneficiarii habent suum stipendium non præcise ratione Missarum, sed etiam propter alia onera Beneficio annexa, cui specialiter obligati sunt deservire, atque intuitu ipsius recitare Horas Canonicas; unde non mirum, quod residuum ex reditibus Beneficii sibi retinere possint. Hoc ipsum dicendum videtur de Capellano, habente salarium stabile instar Beneficiarii: cum similiter sit obligatus ad alia onera Capellaniæ. Insuper dictum Decretum non tangit illos, qui pinguius stipendium accipiunt per modum eleemosynæ, tamquam a speciali amico, vel benefactore, uti notat Sannig *cit. dist.* 5. *quæst.* 9. *num.* 5. aut quando alter Sacerdos sponte in se suscipit sacrificandi obligationem, parte stipendii condonata. Layman *L.* 5. *T.* 5. *c.* 1. *n.* 14. Nam quilibet potest cedere juri suo, vel favorem specialem cuipiam exhibere.

97 CONCL. VI. Sacerdotes, qui sunt notabiliter in mora celebrandi Missas debitas, peccant mortaliter. Ita Herincx *disp.* 8. *de Missa. quæst.* 15. *n.* 181. Bonacina, & alii passim. Ratio est: quia potest contingere, ut dans stipendium pro celebratione Missæ fraudetur fructu ipsius; uti accideret, si Missa petatur celebranda ad impetrandum aliquid a DEO, & Missa dicatur jam elapso tempore necessitatis; vel petatur Missa ad impetrandam infirmo sanitatem, aut pro anima defuncti, & illa primum legatur, postquam obiit infirmus, aut anima ex purgatorio post gravissimas pœnas jam est liberata. Quinimo (addunt Doctores cum P. Sporer *part.* 2. *Theolog. Sacrament. cap.* 5. *sect.* 3 *n.* 355. satis practice procedente) in tali casu tenetur Sacerdos ad restitutionem. Et hinc Urbanus VIII. in citato Decreto *De Celebratione Missarum.* §. 8. provide statuit, quod *eleemosynas manuales, & quotidianas ita demum Sacerdotes accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfacerent, ut nova quoque onera suscipere valeant: alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis, in futurum recipiendis.* Hæc ibi.

98 Dicitur, *qui sunt notabiliter in mora celebrandi.* Nam inprimis Declaratio Cardinalium ad dictum Decretum Urbani VIII. *Respondendo ad* 11. excipit casum, quando *infra modicum tempus* potest omnibus oneribus Missarum satisfieri: modicum autem tempus (ait Herincx *n.* 182.) valde credibile censetur esse tempus unius mensis, aut etiam duorum mensium, imo nonnulli id extendunt ad tres menses: * nam, a pari

loquendo,

loquendo, etiam supremi Rectores a suis Ecclesiis absentes *tribus mensibus* dicuntur tantummodo NB. *aliquantisper* abesse juxta Concil. Trid. *sess.* 23. *de Reform. cap.* 1. sicque (uti ait Kerchove in Commentariis in nostra Statuta Generalia *cap.* 3. §. 6. *n.* 5.) trimestre censetur *tempus modicum* in Jure &c. nec dantes stipendium præsumuntur ordinarie quoad talem dilationem intra trimestre inviti; cum hæc Auctorum sententia, volens trimestre esse *modicum tempus differendi* tradatur publice in libris, nec contra eamdem, quæ conformiter dictis etiam fundamentum habet in Jure satis probabile, a dantibus stipendium excipiatur. Ultra tamen trimestre vix ab aliquo Auctore conceditur extensio teste Pasqualigo hic *n.* 695. Quinimo potest contingere (uti bene notat Herincx hic *disp.* 8. *quæst.* 15. *n.* 82.) ut neque possit prudenter præsumi voluntas dantium stipendium ad extensionem ultra ipsum diem, quo petitur Missa: puta si hæc petatur pro actualiter agonizante, vel pro felici decisione litis eo ipso die terminandæ &c. Unde præcedens doctrina de dilatione ad trimestre non in similibus casibus extraordinariis intelligi debet, sed ordinarie, ubi tales extraordinariæ circumstantiæ non influunt, & ceteroquin dans stipendium explicite nullum tempus certum celebrandi præfigit. *

99 Deinde citata Declaratio Cardinalium *Respondendo ad* 12. excipit casum, *si tribuens eleemosynam pro aliarum Missarum celebratione sciat, & consentit, ut illæ tunc demum celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit*: nam tunc juxta benefactoris consensum poterit Missarum celebratio differri.

Additio I.

* Quod si inquiras. An mortaliter peccent Sacerdotes, si differant missas annuas, seu anniversaria certo die præfixo celebranda etiam ultra trimestre; eo, quoniam fundatum stipendium (uti docti fuerunt experientia) ab his, quibus solutionem præstare incumbit, longius protrahitur, forsan cum periculo omnino deperdendi; quia e. g. stipendium, annuatim determinatum, jam aliquot annis non amplius solvitur, etsi ab initio fundationis, ac receptionis dictum periculum necdum fuerit prævisum? Resp. ad hoc Quæsitum Tamburinus *Tr. de Sacrific. Miss. lib.* 3. *cap.* 1. §. 9. *n.* 12. & Pasqualigus *Tom.* 2. *quæst.* 917. & *quæst.* 1074. cum aliis a se citatis, taliter differentes regulariter non peccare. Ratio est: quia obligatio similia Sacra celebrandi assumpta fuit eum in finem, ut per fructus fundationis toties subministretur congrua respective sustentatio, quoties obligatoria recurrit celebratio; nam Beneficium datur propter Officium: ergo dum hæc solutio stipendii citra culpam Sacerdotis, vel Collegii, aut Monasterii differtur tamdiu cum periculo forsan, ne umquam deinceps solvatur, pariter licite usque ad solutionem differtur celebratio. Viderint autem illi, qui culpabiliter sunt in causa, ut solutio stipendii tamdiu non sequatur. *

Additio II.

* Ast ponamus, Missas aliquot centenas præcise manuales in aliquo testamento relictas fuisse, quæ ab Executore testamenti offeruntur nonnullis Sacerdotibus Sæcularibus, aut regularibus; ubi tamen ab his, quibus offeruntur, ante receptionem jam timetur prudenter ex gravi ratione, seu etiam prævidetur periculum tardioris, & omnino forsan intermittendæ solutionis, poteruntne, hoc non obstante, illimitate ab hisce Missæ recipi pro credito stipendio, interne tamen apud se resolvendo pro tunc actualem earum celebrationem, quando solvitur stipendium? Respondet sub terminis Quæsiti P. Henno negative; nam exinde Executor Testamenti, sibi persuadens ex hac illimitata acceptione Missas interim fore celebrandas, in tarditate, ac morositate solutionis stipendii magis firmatur, & anima Testatoris ob suspensam executionem celebrationis Missarum interim his maximis fructibus privatur; ubi forsan, si veritas ab initio fuisset candide manifestata, Executor fuisset magis permotus ad accelerationem stipendii, videns alias Missas non fore celebrandas. Pono formalia P. Francisci Henno *Tom.* 2. *Theolog. Tract.* 2. *disp.* 6. fol. apud me 84. sequentis tenoris: *Non excusantur Sacerdotes, qui sub prætextu dilati stipendii etiam Missas differunt, postquam fidem dederunt de illis celebrandis credito stipendio: vel enim non debent onus illud recipere, vel, si susceperint, tenentur quamprimum moraliter Missas exsolvere, non minus, ac si stipendium recepissent &c. Unde, si de solutione timeant, debent se ab illis recipiendis honeste excusare, vel certe se periculo exponere. Si secus fecerint, peccent graviter &c. Quam vera est hæc resolutio, sed quam male practicata.* Ita ille. Interim tamen Pasqualigus ex Tamburino *Tom.* 2. *q.* 917. fuse probat, talem suspensionem fore licitam, quod puto valde probabiliter defendi posse, si brevis expeditio Missarum non expresse per verba formalia adpromittatur ex una, & ex altera parte jam aliquot Missæ fuerint celebratæ; nec tamen ulla solutio subsecuta debiti stipendii. Viderit autem adeo negligens in solvendo stipendio; cum facile sibi prudenter imaginari deberet, quod in hoc quasi contractu reciproco, & utrinque oneroso non sit dandum unum certum (puta, certo celebrandæ tot Missæ) cum magno periculo non recipiendi alterum, nimirum debitum stipendium. *

100 CONCL. VIII. Sacerdos, qui stipendium accipit, tenetur dicere Missam, sicut offerens petivit, videlicet Missam talem, aut talem Votivam, vel Missam de Requiem, nisi obstet Ritus Ecclesiæ. Prima pars probatur ex eo: quia alioquin virtus Fidelitatis violaretur, simulque potest contingere, quod vel ob speciales indulgentias, vel ob specialem offerentis devotionem, nec non speciales Missæ Orationes major fructus impetrationis eidem proveniat. Altera pars ex eo liquet: quia sanctæ Matris Ecclesiæ voluntas, & ordinatio prævalere debet voluntati privatorum Fidelium; eo præsertim, quod hi non intendant, nec rationabiliter possint intendere, contravenire Ritui Ecclesiæ.

101 Hinc, quia Rubricæ Missalis *Tit. de Missis Votivis*, & *Missis Defunctorum*, prohibent, dici tales Missas in Festis Duplicibus, ac diebus Dominicis, non est dubitandum, quin satisfiat intentioni petentium celebrando Missam de Festo Duplici occurrente cum applicatione ad intentionem petentis, & non Missam votivam. Hoc idem, loquendo de Missis privatis de Requiem (secus est de Anniversariis, ac Missis cantatis.) novissime declaravit, ac fieri mandavit Alexander VII. Anno 1662. simulque tum ipse in speciali Decreto 1664. tum Clemens IX. in alio, die 23. Septembris 1669. emanato, quod incipit: *Cum fil. record.* (& habetur tom. V. Bullarii Romani *Constit.* 39. *dicti Pont.*) concessit, atque declaravit, per Missam de Festo occurrente dictis diebus celebratam pro Defunctis obtineri indulgentias Altarium privilegiatorum pro animabus in purgatorio: de quo antea fuerat magna difficultas inter Doctores, qui communiter negativam tenuerunt.

Additio.

* Pariter satisfit intentioni offerentium stipendium, & obtinentur indulgentiæ, si in Altari privilegiato fuerit petita Missa privata pro defuncto, & ea legatur de Semiduplici, vel de Feria illis diebus, quibus aut est prohibitum legere Missam privatam de Requiem, v. g. infra octavas Corporis Christi, Paschatis, Pentecostes &c. aut interdictum celebrare etiam de Duplici e. g. Die Cinerum &c. Idem dicendum, si festum quidem apud Regulares fuerit Semiduplex, ceteroquin tamen in Diœcesi Festum Fori de præcepto; nam tunc ipsis, uti in Dominicis interdictæ sunt privatæ Missæ de

de Requiem. Item si in Semiduplici publice est expositum sanctissimum Sacramentum; ubi pariter non permittitur Missa privata de Requiem juxta Decretum Clementis XI. editum 20. Januarii anno 1706. nec non juxta antiquiorem declarationem Congregat. SS. Rituum 2. Decembris anno 1684. editam, & a Cajetano Merati in Thesauro SS. Rituum *Tom.* 1. *part.* 2. *Tit.* 14. relatam sequentis tenoris: *durante expositione SS. Sacramenti occasione quadraginta horarum* (NB. eadem est ratio, si hæc publica Expositio duret paucioribus horis) *celebrari non potest Missa privata de Requiem, neque cantari potest Missa defunctorum pro adimplenda mente Testatoris.* Aliis autem diebus, quibus Missa privata de Requiem est licita, eadem, dato propterea stipendio, sub peccato celebrari debebit, nec enim alias obtinentur indulgentiæ, si in Altari privilegiato petatur. *

102 Quæres I. Qualis sit obligatio celebrandi Missam ratione stipendii? Resp. I. Certum est, quod hujusmodi obligatio sit de genere Justitiæ, habens annexum onus restitutionis, si non adimpleatur: alioquin enim talis injuste retineret stipendium. Et hujusmodi obligatio indubie ex genere suo est gravis, atque sub mortali.

103 Resp. II. Num peccet mortaliter, qui accepto stipendio unam dumtaxat Missam scienter omittit celebrare, variant Doctores. Et quidem talem peccati mortalis reum censet Mastrius *disp.* 19. *Théol. Moral. n.* 80. citans Petrum Navarrum, Bonacinam, & alios; eo quod damnum spirituale, per privationem debiti fructus Missæ illatum, sit admodum grave. Econtra negativam sententiam sequuntur Herincx *cit. disp.* 8. *n.* 180. Sannig *quæst.* 9 *n.* 10. Sanchez *lib.* 1. *de Matr. disp.* 5. *n.* 25. & quidam alii: quia censent esse parvitatem materiæ in una dumtaxat Missa omissa: neque enim hic attendendum, ajunt, ad damnum spirituale (alioquin enim omittens recitationem unius Salutationis Angelicæ, ad quam tenebatur, peccaret mortaliter; cum damnum spirituale ex tali omissione sequens anteferatur cuilibet temporali) sed gravitas materiæ mensuranda est juxta gravitatem, seu quantitatem stipendii; quale pro unica Missa datum communiter non attingit quantitatem sufficientem ad peccatum mortale; ut patet in furto.

Additio. I.

*Quæres II. An ratione stipendii sit obligatio non solum celebrandi, sed etiam applicandi Missas, si in testamento, vel in litteris fundationis nulla facta sit mentio de applicatione, sed tantum de celebratione? Resp. in dubio affirmative, supposito, quod consignatum fuerit ex una parte sufficiens, ac proportionatum stipendium, etiamsi Missæ applicentur pro Fundatore: ex altera vero non adsint positæ valde efficaces circumstantiæ suadentes, Fundatorem præcise celebrationem, non autem fundationem petiisse. Ita cum aliis Barbosa *de officio Parochi. cap.* 11. *n.* 13. Pasqualigus *de Sacrificio. q.* 908. La Croix *Lib.* 4. *n.* 833. ac *Lib.* 6. *n.* 144. & Sabinus Bononiens. *part.* 2. *Lucis Moralis. Tract.* 45. *n.* 69. Ratio est; quia stante sufficienti pro applicatione stipendio præsumitur quisque in dubio sibi, vel suis voluisse optime consulere. Accedit pro hac sententia aliqua declaratio Cardinalium, quam refert Pignatelli *Tom.* 1. *Consil.* 139. uti etiam Elbel *part. V. Theologiæ Moralis. Tract. de Beneficiis. Conferentia XI. n.* 373. *

Additio II.

* Ex hac ultima resolutione infert I. Sylvius *p.* 2. *V. Missa. Casu* 4. si fundatio nude habeat: *fundo Missam omni die Veneris legendam*, præsumi legendam ad intentionem Fundatoris, nisi particulares circumstantiæ concurrant suadentes contrarium, prout in casu, ubi stipendium vix videtur proportionatum oneri (e. g. si pro quotidiana celebratione annuatim designarentur tantummodo centum, & quinquaginta floreni, seu circiter 75. Scuta Romana) merito videri poterit Elbel *loc. cit.* Infert II. la Croix *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 145. Sacerdotem, qui celebrat in quodam loco v. g. in Templo Monialium, si ideo congruum stipendium habeat ab Ecclesia, vel Monialibus, non posse recipere aliud stipendium pro applicatione talis Missæ, nisi expresse aliquis alius specialis titulus in fundatione assignetur, ex quo prudenter præsumi possit, quod Fundator solam celebrationem intenderit, non autem applicationem prout pro his Stipendiariis valde favorabiliter exemplificant ex Reding. P. Schmier *Lib.* 3. *Tract.* 1. *part.* 2. *cap.* 1. *sect.* 2. *n.* 93. & Schmalzgrueber *Lib.* 3. *Decret. Tit.* 41. *n.* 113. Hæc tamen præsumptio stante pingui stipendio facile fieri non debet. Videatur la Croix *Lib.* 4. & 6. *locis citatis.* *

Additio III.

* Quæres III. Quid resolvendum sit in casu, quo Sacerdos aliquis confitetur, se plura recepisse stipendia, quam Missas pro dantibus applicare potest? Resp. I. Talem recipientem haud dubie peccasse acceptando tot stipendia, & obligari summam illam, respectu cujus nequit dantibus stipendium satisfacere, aliis reddere ex toto pro celebratione, uti totum colligitur ex jam dictis: quinimo obligatur alias quoque superaddere orationes pro illis, quibus debebantur hæ Missæ, si ex hac nimia dilatione passi fuerint aliquale damnum teste Sporer hic *part.* 2. *cap.* 5. *n.* 355. Ast ponamus, quod illam summam pecuniariam jam consumpserit, & tamquam pauper non habeat, unde in æquivalenti aliis ad legendas Missas dare queat, nec ipse etiam in futurum tot Missas celebrare valeat, puta jam aliis de novo oneratus, vel graviter ægrotus? *Resp.* ex la Croix *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 155. talem conari debere satisfacere saltem, in quantum potest, v. g. petendo ab aliis Sacerdotibus sibi familiaribus aliquot Missas gratis ad suam intentionem, ex futuris Missis offerendo restantibus, quantum licite potest, etiam ex fructu suo specialissimo sub eadem limitatione, audiendo quoque Missas devote, eisque applicando fructum exinde, vel per alia bona opera (puta jejunia, mortificationes & orationes) acquisitum. *

QUÆSTIO IX.

De Tempore celebrandi Missam.

SUMMARIUM.

104 *Tempus celebrandi Missam quale?*
105 *Per Auroram quid intelligatur?*
106 *Est moraliter, non mathematice consideranda, & attendenda consuetudo de hyeme.*
107 *Quid de meridie?*
108 *Et privilegiis Regularium,*
109 *An sit licitum, quotidie celebrare?*
110 *Quid de Feria V. Cœna Domini, & Sabbato Sancto?*
* *Ubi pariter refertur aliquod novum Decretum. Addit. I.*
* *An aliquando liceat celebrare die Parasceves? Addit. II.*
111 *Non licet plures Missas eodem die celebrare.*
112 *Excepto die Nativitatis Domini?*
* *De quo notabile Corollarium.*
113 *Et casu necessitatis.*
114 *Casus necessitatis præcipui, qui?*
* *Tempus inchoati Sacrificii an, & quando possit interrumpi?*

104 CONCL. I. Tempus ordinarium celebrandi Missam incipit ab aurora, & terminatur in meridie, sive hora diei duodecima. Ita communis; & patet ex Rubricis Missalis *Tit. de defectibus in Ministerio ipso occurrentibus:*

rentibus: ubi dicitur, quod *tempus debitum celebrandi sit ab aurora usque ad meridiem communiter.*

105 Ceterum per *Auroram* non intelligitur ortus Solis, sed prima Solis irradiatio, quando nempe aliquid lucis apparet. Et licet diluculum hoc non semper, & ubique locorum sit æquale, ordinarie tamen solet incipere hora & quadrante vel sesqui hora ante ortum Solis.

106 Notandum ulterius cum Doctoribus passim, quod hæc res moraliter potius, quam mathematice sit consideranda. Hinc inferunt, posse Missam inchoari duabus horis ante ortum Solis, ita ut circa initium auroræ finiatur. Quinimo tempore hyberno recepta consuetudo in partibus Septemtrionalibus obtinuit, quod Missa tribus vel quatuor horis ante Solis ortum celebretur, eo præsertim tempore, quo communiter homines sese labori suo manuali solent accingere. Siquidem hæc consuetudo justa de causa est introducta, ut in hisce partibus, quibus in hyeme Sol sero oritur, operari, & famuli prius Missæ Sacrificium audire possint, antequam ad suas operationes sese accingant. Layman *cap.* 4. *de Sacrificio Missæ. n.* 3 & alii.* Videturque Sacra Rituum Congregatio hanc consuetudinem in specie approbasse, quando in una Missalis Romani 18. Septembris & 2. Novembris 1634. ita resolvit: *ubi non est Aurora physice pro licita Missarum celebratione, attendatur ea moraliter, & politice, quando scilicet terminari solet hominum quies & inchoari labor juxta probatam Regionum consuetudinem.*

107 Insuper, quamvis ordinarie non sit licitum sacrificare post meridiem, ut patet ex Conclusione, adhuc tamen satis est ad evitandam culpam, si Missa inchoetur ante meridiem: vel in meridie, licet postea primum finiatur. Quinimo ex causa justa potest Missa inchoari etiam post meridiem; utputa ne infirmus sine Viatico decedat, aut propter protractum Principis funus, vel solemnem Processionem, præsertim ubi multi necdum Missam audierunt, vel si Sacerdos itinerans, diebus præsertim festivis, etiam integra hora post meridiem (uti inquit Sporer hic) ad locum Ecclesiæ perveniens celebrare velit, vel si in magno concursu confitentium adhuc exstarent communicandi: puta pro lucrandis indulgentiis &c. Herincx *disp.* 8. *quæst.* 10. Layman & alii.

108 Notandum præterea, Regularibus Mendicantibus varia privilegia a SS. Pontificibus concessa esse celebrandi una hora ante auroram, & una post meridiem; imo etiam usque ad horam nonam, id est, horam tertiam vespertinam; ut refertur in Compendio Privilegiorum ℣. *Missa.*

109 CONCL. II. Licitum est cuilibet Sacerdoti rite disposito quotidie celebrare, exceptis tribus postremis diebus hebdomadæ Sanctæ. Prior pars est certa, & patet ex *c. Consuluisti. De Celebrat. Missar.* & praxi Ecclesiæ universalis. Altera pars ex eo probatur: quia inprimis Feria sexta Parasceves omnino prohibitum est, celebrare Missam; cum eo die, ob memoriam illius Sacrificii cruenti, quo Christus Dominus semetipsum Patri cœlesti hac die pro salute totius mundi in Ara Crucis offerre dignatus est, non fiat Consecratio, sed a Sacerdote Actum consuetum perficiente, juxta Ritum Ecclesiæ, solum sumatur sacra Hostia pridie consecrata.

110 Porro Feria quinta Cœnæ Domini, & Sabbato Sancto una dumtaxat Missa solemnis celebrari solet juxta traditionem, & consuetudinem Ecclesiæ. Verum quidem est, multos Doctores, ut Suarezium, Scotum, Barbosam, Lugonem, quos citant, & sequuntur Layman *loc. cit. n.* 8. & Gobat *tract.* 3. *Theol. Experim. n.* 219. & *seqq.* existimare, quod non sit prohibitum, Sabbato Sancto privatim, ac secluso scandalo, post Officium solemne celebrato: cum nullo jure hoc prohibitum reperiatur. Et hoc ob datam rationem, ac loquendo de celebratione privata ante Officium solemne, multo magis admittunt Doctores de Feria quinta Cœnæ Domini, quamvis communiter hac die Sacerdotes de manibus sui Prælati, Missam solemnem celebrantis, sacram Communionem more Laicorum sumere soleant, exemplo Apostolorum, qui isto die de manu Christi Eucharistiam acceperunt.

Additio I.

* Verum hæc DD. opinio moderno tempore non videtur ulterius manuteneri posse, ubi ex novo Decreto S. R. C. & publica prohibitione Clement. XI. 23. *Martii,* 1701. & 20. *Aprilis* 1707. item 15. *Aprilis* 1710. Item 15. *Martii anno* 1712. uti refert Cajetanus Merati novissime in suo Thesauro, interdictum est amplius die Jovis, aut Sabbato Sancto in una, eademque Ecclesia, præter Missam solemnem habere aliam privatam, prout idem de Sabbato Sancto jam antea declaravit pariter Sacra Congregatio *die* 11. *Februarii,* & iterum 11. *Martii* 1690. etiam non obstante contraria consuetudine. Dicitur notanter, *in una eademque Ecclesia*, per quæ verba non credo improbatam illam communem praxin multorum Monasteriorum, vi cujus die Jovis, si non in una, eademque Ecclesia, saltem in distincto aliquo Sacello (puta infirmariæ) ante Missam solemnem celebratur una privata *De Cœna Domini*, ut Fratres illi, qui tanquam legitime impediti solemnem audire nequeunt, huic privatæ interesse, & sub ea communicare valeant, prout notat Constantinus Hagerer in Rituali *part.* 2. §. 4. *n.* 3. Quinimo loquendo, etiam de una, eademque Ecclesia, si Festum S. Josephi, vel Annuntiationis incideret in illum diem Jovis Hebdomadis Sacræ, possunt celebrari aliquæ Missæ privatæ ante solemnem, ut populus adimplere valeat commodius præceptum audiendi Missam; cum tale Festum tantum quoad chorum, non autem quoad forum transferatur. Sac. Congregatio 13. *Septembris* 1692. & alia 12. Septembris anno 1716. prout denuo adducit Cajetanus Merati. Quando autem simile Festum occurreret Sabbato Sancto, vel die Parasceves, transfertur etiam in foro, & quoad præceptum audiendi Missam post Pascha. Sac. Congregatio 11. *Martii* 1690. Hinc adhuc manet, quod etiam pro tunc in Sabbato Sancto nequirent dici plures Missæ.

Additio II.

* Ast quid sentiendum de die Parasceves, si Parochus ex oblivione præcedente die Jovis neque pro futuro officio, neque pro expositione SS. Sacramenti in Sepulchro (uti vocari solet in his terris) aliquam consecravit Hostiam, & ceteroquin hæ ceremoniæ absque gravi scandalo, & obmurmuratione intermitti non possunt? Resp. in simili casu extraordinario, quod ad evitandum scandalum etiam die Parasceves poterit celebrari Missa ante ipsum Officium, legendo illam ex votivis de Passione Domini, nisi adsint saltem parvæ Hostiæ consecratæ, quæ alias potius deberent accipi (si tamen absque novo gravi murmure fieri possit) tam pro ipso Officio diei, quam pro expositione in Sepulchro. Ita Sporer *p.* 2. *Theolog. Sacram. cap.* 6. *sect.* 6. *n.* 453. & la Croix *lib.* 6. *p.* 2. *n.* 233. *

111 CONCL. III. Excepto die Nativitatis Domini, & casu necessitatis, non licet eidem Sacerdoti plures Missas eodem die celebrare citra speciale aliquod Privilegium. Ita statuitur *c. Consuluisti.* & *c. Te referente, De Celebrat. Missar.* juncto *c. Sufficit. De Consecr. d st* 1. ubi pro ratione subjungitur: *Non modica res est, unam Missam facere: & valde felix est, qui unam digne celebrare potest.*

112 Additur, *Excepto die Nativitatis Domini.* Quia illo die potest quilibet Sacerdos tres Missas celebrare, quamvis ad eas omnes celebrandas non obligetur: &, si voluerit dicere tantum unam, dicat quam maluerit, sed melius leget tertiam, utpote cujus oratio concordat Officio diei.

Additio.

* Ubi tamen, si tres Missas legere placeat, bene notetur, non posse de Jure loquendo omnes tres celebrari media nocte, prout inter alia novissime innuit Decretum S. R. C. emanatum 18. *Decembris* 1702. sequentis tenoris: *non licet in media nocte Nativitatis Dominicæ celebrare successive alias duas Missas, & in eis Sacram Communionem exhibere sed utrumque omnino prohibitum.* Unde insistendo Juri communi, manuteneri amplius nequit sententia contraria Bauldrii, Gerlaci, Vinitoris, & plurium aliorum, quos refert Diana *part. 2. tract.* 14. *resol.* 35. *& part.* 10. *Tract.* 12. *resol.* 57. Utrum vero non possint saltem duæ Missæ media nocte Nativitatis Domini celebrari, alia est quæstio, quam tamen sublatam puto per aliud Decretum Sacræ Rituum Congregationis editum in una Pisauriensi 20. April. anno 1641. uti refert Merati in suis Commentariis in Gavantum *Tom.* 1. *part* 4. *Tit.* 3. *n.* 13. & in indice Decretorum *n.* 282. sequentis tenoris: *In nocte Nativitatis Domini post cantatam primam Missam NB. nullo modo (sicque nec ex parte) possunt aliæ duæ immediate celebrari, nec fideles communicare.* Huic, & aliis pluribus Decretis insistens Summus Pontifex Clemens XI. per speciale Edictum tam in suo proprio Bullario Romæ 1723. impresso *p.* 2. *Constit.* 5. quam in Bullario editionis Luxenb. *T.* 8. *p.* 2. *Constit.* 5. relatum Romæ expresse inhibuit omnibus Ecclesiis Patriarchalibus, Collegiatis, Parochialibus, & Regularibus utriusque sexus &c. ne media nocte Nativitatis Domini legantur aliæ duæ Missæ, sed sola prima dici possit. *

113 Additur ulterius in Conclusione, *& casu Necessitatis.* Nam in casu necessitatis plures eodem die Missas celebrari posse a Sacerdote jejuno, & qui in prima Missa non sumpsit Purificationem, patet ex *cit c. Consuluisti. De Celebrat. Missar.* estque communis Doctorum,

114. Porro inter hujusmodi casus necessitatis potissimum numerantur sequentes. I. Ne moriturus sine S. Viatico decedat, quando non adest alia Hostia consecrata. II. Ne populus die Festo Missa privetur, præsertim in casu; quando plures Sacerdotes haberi non possunt, v. g. in Anglia &c. aut quando Sacerdos habet duas Parochias, & die Festo in utraque celebrare tenetur III. Juxta nonnullos, quando die Festo adveniunt peregrini Missam audituri, vel quando ad Ecclesiam accedit Vir Illustris, utputa Princeps, vel Episcopus. Verum hodie standum est consuetudini locorum, cum ob multiplicationem Sacerdotum aliqui casus raro amplius locum habere soleant.

Additio.

* Quæres. An, & quando tempus inchoatæ Missæ possit quoad continuationem ejusdem interrumpi per alia negotia, vel eventus? Resp. In hoc quæsito ad duo debere reflecti *primo* quousque Missa jam pervenerit? *secundo* quam grave negotium intervenerit? Si necdum Missa pervenit ad oblationem, rationabilis quidem causa, sed necdum adeo magna exigitur: sic etiam per intervenientem concionem interrumpi potest, uti patet ex consuetudine in plurimis locis introducta. Quod si Missa jam attigerit Canonem, nondum tamen peracta sit consecratio, requiritur causa aliquo modo gravior interrumpendi, necdum tamen gravissima; sic juxta Pasqualigum apud la Croix *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 248. ad acquirendas speciales certas gratias tantisper relinqui potest Missa ante consecrationem, ut a Parocho in defectu aliorum Sacerdotum ministretur cum priori Alba & Stola Viaticum, & Extrema Unctio, si sit periculum in mora, quamvis ceteroquin dictus ægrotus NB. alia Sacramenta jam receperit. Quando vero consecratio jam peracta fuit, causa interrumpendi Missam debet esse gravissima, qualis foret, si in priori casu periculose decumbens, ne quidem Sacramentum Pœnitentiæ recepisset, vel infans morti proximus necdum baptizatus esset, vel Sacerdos celebrans ipsemet post consecrationem deliquium pateretur, in quibus, & similibus eventibus in defectu aliorum Sacerdotum haud dubie per alios actus disparatos tempus Missæ interrumpi, & postea posset iterum continuari; ubi tamen, ne interpolatio inter priorem partem Missæ, & inter posteriorem, adhuc post consecrationem restantem, sit nimium longa, concedunt Auctores apud la Croix *loc. cit. n.* 248. quod, si e. g. Confessio talis moribundi ultra mediam horam perduraret, Sacerdos, a Sacrificio incompleto discedens, possit talem, auditis tantum aliquibus peccatis absolvere, ut sic securius partem posteriorem Missæ cum priori valeat tamquam unum continuum moraliter connectere. Ubi finita Missa residua adhuc peccata (si tamen moribundus confiteri possit) audiat, & absolvat ab iisdem ante necdum confessis, atque in aliis modo possibili agonizantem adjuvet. Plura de similibus utiliter videri possunt in Missali *De defectibus Missæ. Tit.* 10. & apud Constantinum Hagerer in novissimo suo Tractatu *De defectibus Missæ*, apud me *fol.* 39. *n.* 21. *& seqq.* in prænotione *De abruptione & interruptione Missæ.*

QUÆSTIO X.

Quo in Loco sit celebranda Missa? Ubi de Violatione Ecclesiæ.

SUMMARIUM.

115 *Quo in loco de Jure communi sit celebranda Missa?*
116 *Quid in casu necessitatis?*
117 *Enumerantur tales casus necessitatis.*
118 *Episcopus potest dispensare ex causa rationabili.*
* *Quibus tale privilegium Romæ concedatur?*
119 *An sit licitum, celebrare Missam in aqua vel mari?*
120 *Non licet celebrare Missam in Ecclesia polluta.*
121 *Ecclesia polluitur quinque præcipue modis.*
122 *I. Per injuriosam humani Sanguinis effusionem; & qualem?*
(g) Ut dictum Tract. 12. dist. 2. n. 7.
123 *II. Per injuriosum homicidium.*
124 *III. Per illicitam humani seminis effusionem.*
125 *Et quid de actu conjugali?*
126 *IV. Per sepulturam excommunicati vitandi.*
(h) Tract. 13. dist. 2. n. 26.
127 *V. Per sepulturam Pagani, seu Infidelis.*
128 *Alii duo modi a nonnullis adduntur.*
129 *Polluta Ecclesia an polluatur cœmeterium, & econtra?*
130 *Quid, si in dictis casibus factum est occultum.*
131 *Quid agendum, si Ecclesia sit polluta?*
132 *Et quomodo reconcilianda, & a quo?*
133 *Quid de FF. Minoribus?*
134 *Aut si Ecclesia fuit tantum benedicta?*
135 *Ecclesia polluta, an reconcilietur per celebrationem Missæ?*
136 *Quid agendum, si durante Missa violetur Ecclesia?*

115 CONCL. I. Jure communi, & ordinario olim Missam celebrare non licuit, nisi in Ecclesia consecrata, sive, ut dicitur *c. Nullus. De Consecr. dist.* 1. *Nisi in sacratis ab Episcopo locis.* Hodie autem sufficit, Ecclesiam, vel Oratorium esse benedictum, aut etiam non benedictum, dummodo ad hunc solum usum debite deputatum, atque ab Episcopo designatum fuerit, sicque sit Oratorium publicum. Ita Herincx *cit. disp.* 8. *quæst.* 11. cum communi: idque inter alia desumitur ex Concil. Trid. *sess.* 22. *in Decreto de Observandis in celebratione Missarum.* ubi prohibetur Episcopis, *ne patiantur privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad Divinum tantum cultum dedicata Oratoria, Sanctum hoc Sacrificium peragi.* Concordant Rubricæ Missalis

Missalis *Tit. De defectibus in Ministerio ipso occurrentibus*, ibi: *Si celebratur in loco non sacro, vel non deputato ab Episcopo*; & consequenter a sensu contrario sufficit locum ab Episcopo esse deputatum.

II Dicitur notanter, *Jure communi, & ordinario.* Siquidem imprimis excipitur casus necessitatis *arg. can.* I. *De Consecr. dist.* I. ubi dicitur, *Missarum celebrationem non alibi, quam in sacratis Domino locis absque magna necessitate fieri debere.* Unde, cum exceptio firmet regulam in oppositum, tempore magnæ necessitatis licet alibi celebrare, in loco tamen honesto.

117 Porro necessitas celebrandi extra Ecclesiam consecratam in privatis domibus, aut etiam sub dio, in Altari tamen portatili, & loco ceteroquin honesto, juxta Doctores communiter potest esse. I. Si Ecclesiæ sint dirutæ, vel ab Infidelibus, sive Hæreticis occupatæ. II. Si Locus sacer non capiat tot homines, vel celebrantes: ut in Supplicationibus ad parvas Capellas quandoque contingere solet. Similiter ob eamdem necessitatem in publicis castris, seu Bello pro exercitu licitum est celebrare. Herincx, Layman *l. c. cap.* 5. *n.* 3. & alii.

118 Excipitur ulterius, si fiat dispensatio ab Episcopo. Nam Episcopus ex rationabili causa saltem insistendo Juri communi *c.* 12. *de Privileg. in* 6. potest dispensare, ut celebretur Missa in loco profano, honesto tamen, etsi aliis usibus sit deputatus, utputa in hypocausto nobilis Personæ ex morbo decumbentis super Altare portatile rite præparatum. Layman *n.* 4. & alibi. Idem dicendum, si qui a Summo Pontifice privilegium acceperint extra Ecclesiam Missas celebrandi.

Additio.

* Porro quibusnam illud privilegium jure moderno post Decretum Clementis XI. competat, habetur partim in Jure Canon. *lib.* 3. *Decr. tit.* 41. partim dicetur in Appendice I. hujus Quæstionis.

119 Quæres. Num sit licitum, celebrare Missam in aqua, vel mari pro navigantibus? Resp. negative regulariter loquendo: idque propter periculum effusionis sacratissimi Sanguinis. Dicitur, *regulariter loquendo*: nam in longinquis navigationibus v. g. in Indias Orientales susceptis, si magna sit tranquillitas sine ullo tempestatis indicio, adsitque præter celebrantem alius Sacerdos, qui post consecrationem firmiter teneat Calicem, ita ut absit omne periculum effusionis sacri Sanguinis, non pauci Doctores, quos citat, & sequitur Lugo *disp.* 20. *de Eucharistia. sect.* 3. existimant, posse aliquando celebrari in mari. Id ipsum in navigatione Orientali nonnullis a Sede Apostolica specialiter concessum fuisse, sed pro triremibus in mari mediterraneo negatum, refert cit. Lugo *n.* 89. * Econtra P. Cajetanus Merati in suo Commentario in Rubricas *part.* I. *tit* 20. *n.* 10. *prope finem.* testatur, hoc privilegium a Clemente XI. habita prævia consultatione Sacræ Congregat. Concil. die 13. Martii anno 1706. fuisse datum Militibus Hierosolymitanis quoad suas magnas naves occasione longæ navigationis in mari contra infideles, absque eo, quod positive excludatur Mediterraneum ibidem. *

120 CONCL. II. Non licet celebrare Missam in Ecclesia polluta, seu violata. Ita communis; & patet ex *c. proposuisti. ac seqq. De Consecr. Ecclesiæ.* cum concordantiis. Hinc Rubricæ Missalis *Tit. De defectibus in ministerio ipso occurrentibus*, sic habent: *Si Sacerdote celebrante violatur Ecclesia ante Canonem, dimittatur Missa: si post Canonem, non dimittatur.* Hæc ibi. Incipit autem Canon post dictum *Sanctus*, ab illis verbis: *Te igitur Clementissime Pater &c.* Nihilominus, etsi celebrans in Ecclesia polluta mortaliter peccet (uti patet ex prohibitione Ecclesiæ, & gravitate ipsius materiæ) nullam tamen Censuram, vel Irregularitatem talis incurrit, cum hæc Jure statuta non reperiatur. Bonacina *quæst.* 4. *de Matrim. punct. ult. n.* 26. cum communiori.

121 Quæres autem occasione hujus Conclusionis, & quantum attinet ad alteram partem Quæstionis, quibus modis Ecclesia violetur? Resp. Generatim loquendo, quinque præcipue modis violatur, seu polluitur Ecclesia. Et quidem

122 I. Violatur Ecclesia per injuriosam humani sanguinis effusionem. Requiritur autem ad hoc, ut percussio, seu vulnus infligatur homini existenti in Ecclesia, & non super tectum, aut turrim, aut subtus speluncam Ecclesiæ (g) sive deinde sanguis effundatur intra, sive extra Ecclesiam; imo etiamsi vulnerans existat extra Ecclesiam. Deinde requiritur, ut percussio sit gravis, seu talis, quæ sit peccatum mortale: unde, si casu quis alterum percutiat, vel cum veniali tantum culpa excutiat alteri sanguinem e naribus (v. g. cum pueri ex veniali solum cholera sese percutiunt, usque dum manent sanguine e naribus) Ecclesia non polluitur. Tandem requiritur, ut tale factum sit notorium juris, aut facti notitia: universim enim, ut Ecclesiæ aut Altaris violatio inducatur, oportet factum esse notorium, idque vel per sententiam Judicis, aut confessionem in Judicio factam, quod dicitur *Notorium Juris*, vel per evidentiam rei, quæ tergiversatione aliqua celari non possit, quod vocant *Notorium facti*.

123 II. Violatur Ecclesia per homicidium injuriosum, ac notorium, quod, vel cujus causa intra Ecclesiam perpetrata est, licet fiat sine sanguinis effusione. Dicitur notanter, *cujus causa intra Ecclesiam perpetrata est*: nam, si quis foris sit percussus, & postmodum in Ecclesiam se recipiat, ibique quantumvis copioso sanguine effuso moriatur, non violatur Ecclesia. Ceterum sufficit in proposito, ut homicidium sit injuriosum ipsi Ecclesiæ, seu sanctitati loci, quamvis non sit injuriosum ipsi occiso, unde, si quis seipsum in Ecclesia suspendat, vel Judex cuipiam Reo in Ecclesia mortis supplicium inferat, adhuc violabitur Ecclesia.

124 III. Violatur Ecclesia per illicitam, & notoriam humani seminis effusionem factam intra Ecclesiam non autem in turre tantum, vel super tectum, ut supra *n.* 122. in simili dictum est: repugnat enim ea sanctitati loci. Quod si ejusmodi effusio sit involuntaria, aut si accidat in somno, licet causa sit data in vigilia, non violatur Ecclesia: nam hoc ipso, quod ipsa accidat in somno, secundum se non est libera. Herincx *loc. cit. quæst.* 11. *n.* 119. Bonacina *n.* 19. Navarrus, Silvester, & alii. Sufficit autem, sive ea seminis effusio fiat per pollutionem voluntariam, sive per fornicationem: utroque enim modo violatur Ecclesia, si ea sit notoria juris, vel facti notorietate.

125 De actu conjugali dubitant Doctores, quibusdam absolute affirmantibus, aliis negantibus, ceteris vero magis probabiliter excusantibus dumtaxat casum necessitatis, quæ contingere potest ob probabile periculum incontinentiæ, si conjuges longo tempore intra Ecclesiam cohabitare teneantur.

126 IV. Violatur Ecclesia per sepulturam excommunicati. Hoc tamen post Concilium Constantiense intelligendum est de excommunicato non tolerato, videlicet de illo, qui aut publice denuntiatus est, aut notorius percussor Clerici existit: hi enim soli defacto sunt vitandi in vita, ac proinde etiam in morte juxta illam regulam: *Quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis. c. Sacris. De Sepulturis.* Nec obstant dicta superius (*b*) ubi cum probabiliori Doctorum negatur, excommunicatum toleratum absque prævia absolutione posse sepeliri in loco sacro. Ratio enim disparitatis est: quia Concilium Constantiense noluit ipsosmet excommunicatos in aliquo relevare, aut eis quomodolibet suffragari, sed solum intendit tollere alia incommoda, quæ ex antiqua generali prohibitione communicationis Fidelium cum excommunicatis sæpius oriebantur, atque imposterum oriri poterant, inter quæ merito connumeratur violatio Ecclesiæ per sepulturam excommunicati: sicque etiam talis

violatio

violatio Ecclesiæ defacto solum procedit in duobus enumeratis casibus.

127 V. Violatur Ecclesia per sepulturam Pagani seu Infidelis, prout habetur *c. Ecclesia. De Consecr. dist.* 1. Et hoc etiam intelligendum de infante necdum baptizato. Quod si tamen infans in utero matris mortuus sit, potest una cum matre Christiana sepeliri in loco sacro: quia fœtus est pars matris, & unum quasi cum ea corpus censetur *arg. l.* 1. *ff. De inspiciendo ventre.* ibi: *Partus enim, antequam edatur, mulieris portio est, vel viscerum.*

128 Dicitur notanter *num.* 121. *quinque præcipue modis.* Nam nonnulli addunt duos alios modos violationis Ecclesiarum; videlicet, quando Ecclesia benedicitur, vel consecratur ab Episcopo excommunicato publico; item, quando parietes Ecclesiæ consecratæ majori ex parte simul dejiciuntur, ac destruuntur, ut reædificari debeat. Verum de priori casu merito dubitant ceteri Doctores; cum ejusmodi violatio nulli claro textui Juris innitatur, atque in pœnalibus non sit facienda extensio, nisi habeatur in Jure: unde sententiam negativam appellat Bonacina *loc. cit. n.* 22. probabilissimam. Posteriori autem casu potius Ecclesia destruitur, quam polluitur.

129 Quæres II. An polluta Ecclesia etiam polluatur Cœmeterium, & econtra? Resp. cum communi. Polluta Ecclesia polluitur simul Cœmeterium, si ei contiguum sit; non tamen vicissim polluto Cœmeterio polluitur Ecclesia. Ita communis; & habetur decisum *cap. un. De Consecrat. Eccles. in* 6. Accedit ratio: quia, ut inquit *Reg.* 42. *Juris. in* 6. *Accessorium naturam sequi congruit principalis*, non econtra: atqui Cœmeterium, si sit contiguum, est accessorium Ecclesiæ; ergo. Additur notanter, *si sit contiguum*: nam secus est, si Cœmeterium fuerit remotum ab Ecclesia, prout notatur *cit. cap. un. in* 6.

130 Quæres III. Quid juris, quando in dictis casibus factum est occultum? Resp. Locus sacer in ejusmodi casibus non censetur pollutus, ita ut indigeat reconciliatione, quamdiu de eis publice non constat. Ita Glossa communiter recepta *cap.* 1. ℣. *Pollui de Consecr. Eccles. in* 6. Quare quamdiu res manet occulta, ita ut nemo, vel non nisi pauci sciant, Ecclesia quoad judicium humanum non est polluta: censebitur autem polluta, quandocumque res mala propalabitur, & de facto publice constabit; quia tunc bona fama, ejusque existimatio apud homines deperdita erit, ac proinde indigebit reconciliatione.

131 Quæres IV. Quid agendum, si Ecclesia fuerit polluta, seu violata? Resp. Cum per se loquendo sit grave peccatum, celebrare in Ecclesia violata, hinc eadem prius est reconcilianda. Ita communis.

132 Et quidem, si Ecclesia prius fuit solemniter consecrata; eam solus Episcopus reconciliare potest, adhibita aqua per ipsum benedicta, ac vino & cinere mixta: unde simplex Sacerdos Ecclesiam consecratam reconciliare nequit, nisi ex commissione Summi Pontificis.

133 Dicitur notanter, *nisi ex commissione Summi Pontificis*: nam hac accedente poterit etiam simplex Sacerdos Ecclesiam consecratam reconciliare. Quo modo ex privilegio, & concessione Domini Papæ, Superiores Fr. Minorum possunt Ecclesias sibi subjectas, aqua tamen prius per Episcopum consecrata, reconciliare, quando Episcopus distat duabus dietis (una dieta continet viginti milliaria Italica, quæ faciunt quatuor vel quinque Germanica) prout eisdem concessum est a Leone X. & refertur in Compendio Privilegiorum. ℣. *Benedicere.*

134 Dicitur ulterius, *Eclesiam consecratam.* Nam, si Ecclesia solum fuerat benedicta, seu auctoritate Episcopi ad Divinum Cultum, atque Officium deputata, poterit etiam simplex Sacerdos eam reconciliare aqua a se benedicta; prout notat cum aliis Layman *loc. cit. n.* 12. Quamvis decens sit, ac ita consuetum, ut negotium hoc prius Episcopo significetur.

135 Addunt nonnulli Auctores, videlicet Sa ℣. *Ecclesia. n.* 19. Castro, Avila, quando Sacerdos celebrat in Ecclesia polluta, præsertim bona fide (imo & mala fide) jam propter summam virtutem tanti Sacrificii Ecclesiam haberi pro reconciliata. Accedit textus *c. De fabrica. De Consecrat. dist.* 1. Sed hanc sententiam merito rejiciunt Layman *loc. cit. num.* 13. Sannig. *dist.* 5. *de Missa. quæst.* 10. *num.* 23. & alii; cum ea nullo jure fundata sit. Nam textus citatus loquitur de alio casu, ut notat Engel. *tit. de Consecrat. Eccles. num.* 15. ubi, quamvis non nihil faveat priori sententiæ, illico subjungit, quod tutius sit, vera reconciliatione uti, quam sacri Canones præscribunt.

136 Quæres V. Quid agendum, si durante Missa contingat Ecclesiam violari? Resp. conformiter Rubricis Missalis *n. n.* 120. relatis, si id accidat ante Canonem, dimittendam esse Missam: secus, si post Canonem. Quid autem sit agendum, quando sub Missæ Sacrificio ingreditur Ecclesiam excommunicatus vitandus, dictum est *Tract.* 13. *dist.* 2. *n.* 40.

APPENDIX

Continens specialia de Oratoriis, & privatis Cameris, an, quibus, & quando liceat ibidem celebrare Missam?

SUMMARIUM

* *Præmittitur distinctio inter Ecclesias, & Oratoria. Addit. I.*
* *An liceat Regularibus celebrare in Cameris, aut privatis Oratoriis? Addit. II. & III.*
* *Item num Episcopis, & quando? Addit. IV.*
* *An, & quando possint Episcopi aliis concedere licentiam in privatis Oratoriis celebrandi? Additio V. & VI.*
* *Qualiter Romæ detur licentia celebrandi in Oratoriis privatis pro Rure tantum? Addit. VII.*
* *Quomodo pro Civitate? Addit. VIII.*
* *Qualiter ea licentia impetretur pro Infirmis? Addit. IX.*
* *Et quomodo pro Itinerantibus? Addit. X.*
* *Formula concessionis alicujus Oratorii. Addit. XI.*

Additio I.

* ANte resolutiones prænotandum est, quidnam sit proprie Ecclesia, & quidnam Oratorium? *Ecclesia* est locus Deo dicatus, & auctoritate Episcopi perpetuo designatus, in quo fideles ad Officia Divina, & Sacra Religionis exercitia conveniunt. *Oratorium publicum* videtur convenire cum Ecclesia; dicitur enim ædificium Religiosum auctoritate Episcopi perpetuo destinatum Divino cultui habens ostium patens in via publica: prout hoc ultimum est præcipuum, teste Clericato, a Doctoribus requisitum ad rationem Oratorii publici.

Oratorium privatum est locus in aliqua arce, vel domo privatorum &c. a Domino domus, vel arcis ad cultum Divinum hic, & nunc deputatus, & ab eodem pro l bitu in usum profanum convertibilis. Ita Barbosa *de Jure Eccles. L.* 2. *c.* 8. *n.* 18. Unde ad Oratorium privatum nec requiritur auctoritas Episcopi, nec ostium patens in via publica. Paucis, censetur semper Oratorium privatum illud, cui deficit aliquid ex requisitis ad Oratorium publicum, superius in definitione expressis, & potest erigi illud in quacumque camera, seu hypocausto, modo sit locus honestus,

Porro emergente subinde dubio, an hoc vel illud Oratorium sit publicum legitima auctoritate erectum, nec ne? recurrendum est ad præsumptiones, & si fuerit illud ædificatum in modum alicujus Ecclesiæ, si extet ibidem Altare, & Campanile, si ad Missam personæ nullo facto discrimine admittantur, erit præsumendum publicum, legitima auctoritate erectum juxta

Abbatem, Mascardum, Pignatellum; & Clericatum teste Francisco Shmier *lib. 3. Jurisprudentiæ Tract. 1. part. 2. cap. 2. sect. 3. num. 96.* Hoc notato *.

Additio II.

* Quæres I. An liceat defacto Regularibus extra casum necessitatis celebrare Missam in privatis extraneorum Oratoriis aut Cameris? Resp. negative, nisi novum privilegium, vel dispensatio particularis obtineantur, vel per consuetudinem jam debito tempore legitime præscriptam, nec reprobatam habeatur. Ita præter alia jura colligitur clare tum ex Concil. Trid. *sess.* 22. *Decret. De observandis in celebratione Missæ.* tum ex Decreto Clementis XI. edito anno 1703. 15. *Septembris*, & per extensum reperiendo in Jure Canonico *Lib.* 3. *Decr. Tit.* 41. *post. n.* 5. ubi Summus Pontifex verbis formalibus annullavit similia Privilegia antea Regularibus concessa per *cap. in his*, 30, *De Privilegiis.* vi cujus capituli antea potuerunt cum Altari portatili ubicumque, etiam in domibus Laicis celebrare. *

Additio III.

* Quæres II. An non obstante illo Decreto Clementis XI. liceat Regularibus mendicantibus adhuc erigere Oratoria in suis Monasteriis; ibique, vel in Cameris infirmorum Confratrum celebrare? Resp. Non obstante priori Decreto Clementis XI. Regulares mendicantes, & cum ipsis quoad privilegia communicantes adhuc retinere defacto speciale privilegium extruendi Oratoria privata, & Capellas domesticas in suis habitaculis, ibique legendi, & audiendi Missam diebus quoque Festivis, ac Dominicis. Quinimo, si quis Fratrum fuerit infirmus, poterit etiam eadem legi in sua Camera, vel alio commodo loco: non enim hæc loca videntur comprehendi sub Decreto prohibente superius allegato, prout fusius deductum est in Jure Canonico *Lib.* 3. *Tit.* 41. *n.* 19. *& seqq.* quorsum lectorem brevitatis gratia remitto, simulque ex dictis ibidem. *n.* 21. adverto, quod in Oratoriis Religiosorum a Superioribus legitime ad cultum Divinum deputatis possint alii quoque Sacerdotes Sæculares (uti præter alios recenter notat Merati *Tom. part.* 1. *Tit.* 2. legere, & Laici audire Missam, atque sic satisfacere præcepto Ecclesiæ: tum, quia ipsa Monasteria non sunt domus tales privatæ, uti nec Hospitalia auctoritate ordinaria vel Apostolica fundata, sicque nec comprehenduntur sub prohibitione celebrandi *in Domibus privatis*, uti recte advertunt Holzmam *Tom.* 2. *part.* 5. *Tract.* 3. *n.* 383. *V. Respondetur quinto.* ac Matthæucius *in Officiali Curiæ cap.* 10. §. 3. *num.* 81. adducens desuper declarationem Sac. Congregationis: tum, quia Gregorius XIII. etiam post Concilium. Trident. absolute, & generalibus terminis concessit, ut in Oratoriis Monasteriorum, ad Divinum cultum a legitimo Superiore deputatis, possit dici Missa, adeoque a quocumque; cum potius videatur locale, quam personale privilegium. Econtra vero in Cameris, & aliis locis ad cultum Divinum a Superioribus non deputatis Pius IV. tantum concessit pro solatio, & in favorem infirmorum, sicque videtur privilegium personale ad alios illimitate non extendendum. Vide dicenda *Quæst. X I. Additione VI.* *

Additio IV.

* Quæres III. Quidnam Jure moderno sentiendum sit de Episcopis in ordine ad Oratoria quoad suam propriam personam? Resp. Jure antiquo juxta *cap. ult. De Privilegiis in* 6. habuerunt Episcopi speciale Privilegium non solum in loco habitationis suæ, verum etiam alibi intra & extra Diœcesin erigendi Oratoria privata, ibique in Altari portatili celebrandi. Moderno autem tempore Clemens XI. in novissimo Decreto superius jam citato contrarium statuit, sequentibus formalibus: *Episcopis, & his majoribus Prælatis, etiamsi Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque sub prætextu privilegii clausi in Corpore Juris, neque alio quocumque titulo ullo modo licet extra Domum propriæ habitationis in domibus Laicis, etiam in propria Diœcesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamsi Diœcesani consensus adhiberetur, erigere Altare, ibique Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare, seu celebrari facere.* Vide totum Decretum in Jure Canonico *Lib.* 3. *Tit.* 41. Recollige etiam dicenda *Quæst. X I. Addit. V I.* *

Additio. V.

* Quæres IV. An jure moderno possint Episcopi saltem suis Diœcesanis post Decretum allegatum Clementis XI. concedere celebrationem in Oratoriis privatis? Ratio dubitandi est; quia juxta illud Decretum ipsemet Episcopus non potest celebrare in Oratoriis privatis Laicorum suæ Diœcesis; ergo multo minus videtur posse hanc facultatem aliis concedere. Resp. tamen, dubium istud juxta modernos AA. etiam post memoratum Decretum scribentes valde probabiliter, præsertim ubi accedit consuetudo tamquam optima Legum interpres, solvi sequenti distinctione, dicendo, defacto vi moderni Decreti Episcopis hanc facultatem non esse omnino ademptam, sed tantum restrictam, ut hodie non ordinarie amplius, & libere, quomodo olim poterant, sed solum tunc, quando dubia est necessitas, num sit sufficiens pro celebratione extra Ecclesiam, aut Oratorium publicum, vel ubi alia justa, & rationabilis, licet non absolute necessaria, adest causa, licentiam dare, vel ipsemet eadem uti possint. Exemplum sit persona nobilis ægrotans, quamvis non fataliter decumbens: in isto allegato casu, si humiliter suplicetur, solet frequenter in his partibus Episcopus dispensare, ut in ejus domo in loco decenti celebretur, quatenus Missam audiat, vel Sac. Communionem etiam ex devotione e. g. diebus festivis pro speciali animæ suæ consolatione recipiat. Et ita suadet praxis, ac optima legum interpres, nimirum consuetudo in his regionibus, atque præter plures alios præcedentes Auctores etiam sic ex novissimis docent Schmalgrueber *Lib.* 3. *Decret. Tit.* 49. *num.* 12. la Croix *Lib.* 6. *part.* 2. *num.* 263. Pichler *Lib.* 3. *Decr. Tit.* 41. *num.* 5. Vide etiam dicta *Lib.* 3. *Dec. Tit.* 42. *num.* 15. ac præterea attende, an, quæ, & quanta sit consuetudo in qualibet Diœcesi vel Regione legitime præscripta? Item notanter adverte doctrinam P. Reiffenstuel *Lib.* 1. *Decret. Tit.* 4. §. 8. traditam, quod nempe juxta valde probabilem sententiam per clausulam generalem (*Non obstante quacumque consuetudine*) equidem derogetur consuetudini præteritæ, non autem in futurum inducendæ, nisi ea reprobetur tamquam abusus, & corruptela. *

Additio. VI.

* Ceterum adhuc impræsentiarum addo, quod equidem soleant quoque a Reverendissimis Ordinariis in similibus concessionibus non raro, uti dispensationibus Papæ, excipi festa Resurrectionis, Pentecostes (id est quoad primum diem, non autem quoad alios duos subsequentes, etsi & isti sint primæ classis, uti observat Cajetanus Merati *Part.* 1. *Tit.* 20 *fol. in Editione Romana* 288. & adhuc fusius *fol.* 283.) ac Nativitatis Domini, aliaque solemniora (sub quibus solemnioribus Sacra Congregatio 17. Novembris 1607. comprehendi declaravit præter enarrata etiam festa Epiphaniæ, Annuntiationis, Assumptionis, Apostolorum Petri, & Pauli, ac omnium Sanctorum) hæc tamen exceptio, nisi aliter expresse constet de mente Reverendissimorum Ordinariorum, sit benigne interpretanda, & tantummodo intelligenda, quoad sanos, si ipsis a lia domo egredi potentibus ex alia certa rationabili

causa

causa concedatur in ædibus Oratorium privatum cum portatili, non autem quoad infirmos hypocausto, vel etiam lectulo affixos; cum enim infirmis tale Oratorium privatum concedatur in spirituale solatium jure merito præsumitur, nisi aliter constet expresse de mente concedentis pariter concessum illis solemnibus diebus festivis, quibus hi pauperculi dicto solatio spirituali vel maxime indigent, pro tunc præter SS. Missæ Sacrificium etiam cibo Angelico, nimirum SS. Corpore Christi sæpius anhelantes refici in suo cubiculo; quoniam nequeunt egredi domo, sicut alii sani. Profecto talem esse pariter stylum Curiæ Romanæ, si pro ægrotis petuntur Oratoria privata, testis est la Croix *L. 6. part. 2. n.* 271. & præsertim *part.* 8. *n.* 931. V. *De Oratoriis.* *

Additio VII.

* Quæres V. Qualiter Romæ privilegium mediante portatili celebrandi, seu Missam audiendi concedatur in Oratoriis privatis *pro Rure tantum?* Ante resolutionem nota, similia Oratoria Romæ concedi quadrupliciter; nimirum *pro Rure tantum, pro civitate, pro infirmis nobilibus, & pro itinerantibus.* H. N. Resp. ex la Croix *lib. 6. part. 3. n.* 931. V. *de Oratoriis.* Privilegium istud *pro Rure tantum*, id est, pro locis, seu habitationibus extra urbem, aut oppidum sitis datur etiam personis iis, quæ non sunt nobiles, & nullam exercent Jurisdictionem temporalem in aliquo dominio: modus petendi est iste: *Petitur Oratorium pro N. N. Diœcesis N. vigore cujus ipse, moderna conjux ipsius N. cum prolibus, & familia possit curare celebrari Missam cum solitis clausulis, & exceptionibus in domo suæ habitationis rure extra urbem N. &c.* Taxa 12. circiter Scuta conficiet. *

Additio VIII.

* Quæres VI. Qualiter dictum Privilegium celebrandi, & Missam audiendi in privatis Oratoriis detur Romæ *pro Civitate*? Resp. Pro Civitate, & omnibus omnino locis, sive ea sint oppida, sive villæ, sive dominia, conceditur ordinarie personis tantum Nobilibus exercentibus Jurisdictionem temporalem altam, vel bassam in aliquo loco, qui specificari debet: Datur autem hoc Oratorium ordinarie loquendo cum sequentibus restrictionibus. I. Ut valeat tantum pro Civitate, & locis unius Diœcesis; unde, si quis velit erigere in loco alterius Diœcesis, debet petere aliud Oratorium pro illo Diœcesi. II. Ut quotidie tantum una Missa dicatur, per quod tamen non prohibentur celebrare ii, qui Privilegium habent personale celebrandi, ubicumque commoditatem nacti fuerint. III. Ut locus sit mundatus, & a domesticis aliis usibus separatus, ac prius visitetur ab Ordinario, vel ejus Vicario. IV. Ut in Festis solemnioribus anni ibidem Missa non habeatur. V. Ut famuli, & famulæ illo tempore ad servitia non necessarii diebus Festis, & Dominicis eant ad Ecclesiam publicam: filii autem, & famuli necessarii, ac ruri etiam hospites nobiles possunt dictis diebus interesse Missæ privatæ cum Domino, & Domina, satisfaciuntque præcepto Ecclesiæ. Quinimo non desunt AA. qui contra communiorem cum Azorio, Castropalao, & Marchantio apud la Croix *lib.* 3. *part* 1. *n.* 628. defendunt, etiam alios extraneos, qui tali Missæ intersunt, satisfacere substantiæ præcepti audiendi Missam. Quod si ipsis objiciatur clausula Brevi Concessionis inserta, quæ videtur contraria, conantur eamdem solvere. Vide la Croix *loc. cit.* & P. Sporer *tract.* 3. *in Decalog. cap.* 4. *n.* 24. Qui ultimus, etsi extraneis suadeat in praxi, ut aliam Missam audiant, nolentes tamen non adigit. Porro modus petendi hoc Oratorium est iste: *Petitur Oratorium pro N. N. S. Rom. Imperii Comite &c. ejus moderna conjuge N. Prolibus, & Familia, pro Civitate N. & loco N. Diœcesis N. in quo exercet jurisdictionem temporalem.* Si quis addere velit etiam alia dominia ejusdem Diœcesis, quæ forte quis habet, potest: quia etiam illa inserentur Brevi Concessionis. Imo hæc additio sæpius necessaria non est, quoniam etiam absque ea in fine concessionis adjungi frequenter solent hæc verba: *aliisque locis ejusdem Diœcesis*; expedit tamen, ut quis addat dominia, quæ habet in alia Diœcesi, quia subinde impetratur insertio, si non omnium, saltem unius, vel alterius per idem Breve, & quidem cum eadem taxa 12. circiter Scutorum concessum. *

Additio. IX.

* Quæres VII. Qualiter eadem licentia quoad Oratoria Romæ impetretur pro infirmis? Resp. Eamdem licentiam Romæ impetrari pro infirmis Nobilibus, quamvis hi nullam jurisdictionem exerceant. Modus impetrandi convenit cum præcedenti, præterquam, quod valeat tantum pro eo tempore, quo Orator ob infirmitatem domo ad Missam audiendam egredi nequit, quamvis alias nulla anni dies etiam solemnissima excipiatur; deinde diebus Dominicis, & Festis restringitur ad unam tantum personam usibus necessariam: aliæ vero debent audire Missam in publica Ecclesia, ut satisfaciant præcepto. Si conjux etiam sit infirma, nominetur & ipsa, quia impetrabitur unum Breve pro utroque. Impetrari etiam potest pro Patre, & Filio, vel Filia. Item pro Matre, ac etiam pro Fratre, & Sorore infirmis, si simul habitent. Taxa, quæ supra. Modus petendi est iste: *Petitur Oratorium pro N. N. & ejusdem conjuge N. Nobilibus Diœcesis N. si laborant quibusdam infirmitatibus, propter quas domo Missam audiendi* (si est Sacerdos, dicitur celebrandi) *causa egredi non possunt, pro Civitate N. & tota Diœcesi N.* *

Additio X.

* Quæres VIII. Qualiter concedatur pro itinerantibus? Resp. Pro itinerantibus datur cum sequentibus clausulis. I. Ut persona sit Nobilis, sive Jurisdictionem temporalem exerceat, sive non. II Ut valeat tantum v. g. per Italiam, Germaniam, vel Hispaniam &c. III. Ut valeat tantum in actuali itinere, & quidem, ubi Missarum commoditas deest. Ceterum ejusmodi Missæ interesse possunt valide omnes comites itineris. Taxa, quæ supra. Modus petendi est iste: *Petitur Altare portatile, sive viatorium pro N. N. ejusque moderna conjuge N. Nobilibus Diœcesis N. frequenter, aut subinde iter facientibus per Germaniam.* Porro loquendo de ultimis quatuor quæsitis, si quis impetraverit privilegium in Oratorio, seu alias mediante Altari portatili in privata camera audiendi Missam, non tenetur quidem diebus festivis sibi dato stipendio Missam procurare, uti habet communis; nihilominus tamen saltem probabilius obligatur interesse, quando eamdem ex una parte hic gratis habere, ex altera autem alibi audire non potest. Ratio est: quia diebus festivis, & Dominicis tenetur quilibet Christianus audire Missam, qui sine incommoditate mediocriter gravi audiri potest. Videatur la Croix *lib.* 3. *part.* 1. *n.* 676.

Additio XI.

* Quæres IX. An non possit afferri aliqua formula similis concessionis alicujus Oratorii? Resp. Eamdem cum suis clausulis, & fusiore singularum declaratione adduci a Patre Constantino Hagerer in suo Tractatu. *De defectibus in celebratione Missarum tit. X.* agendo de Oratoriis privatis, atque dicta formula potissimum respicit supplicantes *pro Oratorio in civitate* conformiter Additioni VIII. estque sequentis tenoris: *Tibi N. Diœcesis N, qui ut asseris, de nobili genere procreatus existis; concedimus in privato Domus tuæ solitæ habitationis Oratorio, decenter muro exstructo, & ornato, ab omnibus domesticis usibus*

usibus libero, unam Missam pro unoquoque die, dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri concessa non fuerit, per quemcumque Sacerdotem ab Ordinario approbatum Sæcularem, seu de Superiorum suorum licentia Regularem, sine tamen quorumcumque Jurium Parochialium præjudicio, exceptis quoque diebus Paschatis, Resurrectionis, Pentecostes, & Nativitatis Domini, nec non aliis solemnibus festis diebus, in tua & familiæ tuæ præsentia celebrari facere; nec non in Hospitum tuorum Nobilium præsentia. Volumus autem, ut familiares, servitiis tuis non necessarii, ibidem Missæ interessentes non liberentur ab obligatione præcepti &c. Hactenus Breve Apostolicum, cujus potiores clausulas jam invenies declaratas per decursum hujus Appendicis; dummodo adhuc ad quatuor attendas. I. Quod, si illud favorabile Breve detur alicui *de nobili stirpe procreato*, non sufficeret, si talis, ex communibus parentibus progenitus, fuisset primum successu temporis nobilitatus. II. Quod pluribus in eadem domo Familiis distinctis, nec principali privilegiato subordinatis non soleat unum, idemque, vel etiam duplex Oratorium in eadem domo concedi; unde notanter dicitur: *dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri concessa non fuerit.* III. Quod per Supplicantis *Familiam* pariter favore talis privilegii gaudentem, intelligantur illi, qui cum principali privilegiato habent aliquam subordinationem, vel saltem moralem connexionem, quales sunt ejusdem liberi una cum conjuge, aliique descendentes, vel etiam ascendentes per lineam rectam, habitantes cum ipso, ejusque commensales: item cum ancillis famuli illi, qui, si non absolute, saltem ad decentiam Status conservandam sunt necessarii: alii autem tamquam superflui per ultimam Brevis Apostolici clausulam excluduntur. IV. Nobiles Hospites ad talem privilegiatum venientes, qui cum eodem gaudent privilegio Oratorii, non necessario debent esse *procreati de nobili stirpe*; cum id in Brevi non reperiatur taliter expressum, uti apud ipsum primarium Supplicantem: debent tamen esse advenæ seu aliunde advenientes; nam in eadem civitate habitantes non censentur proprie ad intentum Hospites, uti cum Gobat, Diana, & Quarti notat Hagerer *loc. cit. Claus. X.* *

APPENDIX. II.

Qualenam debeat esse Altare, & quomodo instructum, ut Missa in eodem celebrari valeat? Ubi etiam de execratione Altarium.

SUMMARIUM.

* *Quid, & quotuplex sit Altare? Addit. I.*
* *Quidnam requiratur, ut in Altari Missa legi possit? Addit. II.*
* *Qualiter dictum Altare debeat esse instructum? Addit. III.*
* *Quot modis Altare consecratum deperdat suam consecrationem? Addit. IV.*
* *An eamdem deperdat per fractionem sigilli, aut remotionem sepulchri &c. Addit. V.*

Additio I.

Quæres. I. Quid, & quotuplex sit Altare? Resp. I. Altare dicitur illa mensa, supra quam peragitur incruentum Missæ Sacrificium; uti in Monte Calvariæ Crux ipsa suo mod odicebatur Altare Sacrificii cruenti in die Parasceves immolati. Magis adhuc succincte describitur Altare ut sic a P. Pichler *l. 3. Decret. tit. 40. n. 1.* quod sit *Lapis ad sacrificandum ordinatus, & consecratus*; unde illa structura præcedens necdum est Altare ante consecrationem, sicque nec ibi sacrificari posset, si non adesset consecratum Altare portatile. Resp II. Altare ut sic dividitur in fixum, & portatile, quod ultimum ab aliis Altare Viaticum vocatur. Fixum est structura alicui basi affixa. Portatile, seu Viaticum, quod amoveri, & de loco in locum transferri potest. Ita communis. *

Additio II.

* Quæres. II. Quidnam requiratur, ut in tali Altari Missa celebrari licite valeat? Resp. I. Tale Altare sive fixum, sive portatile debet esse lapideum. Ita Scotus *in 4. dist. 13. q. 2. n. 24.* Ratio hujus congruentialis ex Divo Thoma. *3. part. q. 83. a. 3. ad. 5.* assignatur ista; quia nimirum Altare significat præter alia sepulchrum Christi lapideum, vel etiam, quia ipsum Christum repræsentat, qui in Scriptura dicitur *Petra, Lapis Angularis &c.* Quod autem aliquando fuerit in usu Altare ligneum, casu erat persecutionum frequentia, ut hoc facile valuerit transferri: potuit & illud repræsentare Altare ligneum sanctæ Crucis, ubi peragebatur Sacrificium cruentum.

Resp. II. Non est necesse, ut tota structura Altaris sit ex lapide, sed sufficit, si pars ipsius, seu mensa superior, sit lapidea, & saltem ita longa, ac lata, ut Calicem, & Patenam cum Hostia commode capere possit. Unde pars reliqua potest esse lignea ad augendum illius latitudinem, uti Angelus a Clavasio *V. Altare*, deducere nititur *ex can. 30. De Consecrat. dist. 1.*

Resp. III. Pariter tale Altare debet esse consecratum. *argum. can. 30. & 31. De Consecr.* ita quidem, ut graviter teste Gobat *in Theol. Experim. T. 3. n. 279.* delinqueret, qui in Altari non consecrato, vel enormiter fracto, & consequenter juxta dicenda consecrationem amittente Missam celebrare præsumeret. Recte tamen la Croix *lib. 6. part. 2. n. 309.* addit, non esse opus celebranti petere, & inspicere, num Altare sit consecratum, & integrum: ut enim prudenter censeatur esse tale, quale esse debet, sufficit, quod sit celebrationi expositum ab iis, ad quos spectat attendere. *

Additio III.

* Quæres. III. Qualiter Altare debeat esse instructum, ut ibidem Missa celebrari possit? Resp. partim ex Rubricis Missalis, partim ex probatis Auctoribus Sporer, Gobat, la Croix &c. super hanc materiam scribentibus. *Inprimis* Altare debet esse coopertum tribus tobaleis benedictis juxta Missale Romanum jussu Clementis VIII. & S. Pii V. editum *Tit. De Defunct. Rubric. 10.* vel saltem duabus, quarum una est duplicata, sicque æquivalenter duplex. Quinimo testibus Layman, Gobat, & Sporer juxta modernam aliquarum Provinciarum consuetudinem apponuntur duæ simplices tobaleæ seu mappæ, & loco tertiæ deservit corporale. In necessitate autem licitum est celebrare citra ullum peccatum præter corporale super unica etiam non benedicta. *2do.* Tobaleis, seu mappis adjungi debet antipendium: sufficit etiam ex asseribus depictis formatum, aut ex polito marmore, quod se ipso est ornamentum; quinimo aliqua causa rationabilis excusaret ab omni antipendio. Ceterum, ordinarie loquendo, Altare ornetur antipendio coloris, quoad fieri potest, diei festo, vel officio convenientis, uti inquit Rubrica XX. Missalis Romani. *3tio.* In dicto Altari debet adesse candela accensa duplex, atque ex cera. Missale *loco citato.* In necessitate tamen sufficeret unica, & quidem etiam ex sebo, vel lucerna, aut lampas ex oleo. Sine ullo tamen lumine etiam in necessitate probabilius celebrare prohibitum est: cum numquam teste Bosco legatur in hoc Ecclesia dispensasse, & sit communior hæc Doctorum persuasio. Quod, si Missa sit cum lumine inchoata, & usque ad Consecrationem (Lugo, Sporer, la Croix, & Gobat dicunt usque ad Offertorium) perducta, potest eadem continuari, quamvis postmodum sint v. g. per vehementiam venti in aliqua Capella in publico campo existente omnia etiam in lampade extincta lumina sine spe reaccensionis. Quando autem foret spes reaccensionis, deberet exspectari; ast post Consecrationem

certe

certe non multum ultra medium quadrantem horæ: longiori autem tempore (Quintad. judicat per mediam horam) si ante Consecrationem talis casus accideret. *Quarto.* Oportet saltem sub peccato veniali esse præsentem Crucifixum etiam exposito venerabili, sive is sit sculptus, sive etiam juxta satis probabilem sententiam in imagine depictus &c. Decretum Sac. Congregationis 14. Maji 1707. emanatum sic habet: *Quando super Altare expositum est Venerabile, debet etiam in eo collocare Crux cum Imagine Crucifixi.* Porro nec imago Crucifixi, nec candelabra, nec candelæ, nec antipendia debent esse necessario benedicta. *

Additio IV.

* Quæres IV. Quot modis Altare semel consecratum iterum execretur, seu deperdat suam consecrationem, ita ut in eodem amplius celebrari nequeat? Resp. I. Altare fixum deperdit suam consecrationem, si pars superior ejusdem (id est, Mensa consecrata) removetur ab altera parte inferiori, cui compaginabatur. Ita Alexander III. c. 1. *De consecrat. Eccles.* Quod si structura Altaris fixi tota integra cum superiori, & inferiori parte simul translocetur ad alium locum Ecclesiæ, exinde non amittit suam consecrationem, la Croix *loc. cit. n.* 304. sicuti etiam Altare portatile non execratur, si ab uno loco ad alium transferatur. Resp. II. Si Altare frangitur enormiter, deperdit suam consecrationem. Ita Innocent III. *c.* 3. *de Consecrat.* censetur autem frangi enormiter, quando ob talem fractionem de lapide non remanet spatium sufficiens ad capiendum Calicem, & Patenam cum Hostia saltem secundum majorem sui partem, prout subinde solet contingere quoad Altaria portatilia.

Resp. III, Si altare non sit fractum, sed tantum scissum, non deperdit consecrationem, dummodo partes non ab invicem, nec etiam a structura inferiori (si fuerit Altare fixum) separentur. Ratio est: quia scissura non tollit formam, nec facit Altare aliud, & hinc poterit illa scissura etiam aliquo glutine reparari. Pasqual. hic *quæst.* 689. *n.* 10.

Nec dicas. Ergo etiam, dum ponimus consecratum lapidem fractum in plures partes, quarum nulla sufficiens est ad capiendum Calicem cum Patena, posset ibidem celebrari, si partes illæ aliquo glutine denuo coadunentur. Resp. enim negando paritatem; quia per fractionem talem lapis iste jam perdidisset consecrationem, quæ per istam unionem mediante glutine artificioso probabilius non iterum recuperatur, sicuti Crux Indulgentiis prædita, & taliter fracta, ut non amplius retineat figuram Crucis, exinde probabilius non recuperat amplius Indulgentias, quamvis iterum per gluten conjungatur: econtra vero per scissuram solam lapis consecratus numquam deperdidit suam formam; & consequenter neque consecrationem. *

Additio V.

* Quæres V. An Altare deperdat suam consecrationem per hoc, quod frangatur sigillum, vel removeatur sepulcrum cum reliquiis? Ubi nota, quod per *sepulchrum* intelligatur loculus ille, seu capsula, in qua sacræ Reliquiæ reconduntur; per *sigillum* vero parvulus ille lapis, quo sepulchrum clauditur, & tegitur. H. N. Resp. jam fuisse probabiliter in Jure Canonico *lib.* 3. *Decr. Tit.* 40. *n.* 39. & 40. propugnatum; per talem fractionem sigilli, aut amotionem sepulchri Altare non perdere consecrationem; cum nullus textus ex Jure possit ab Adversariis assignari, qui convinceret, Reliquias Sanctorum necessario requiri ad consecrationem Altarium, licet ceteroquin haud facile debeant omitti, prout etiam tempore Suecorum, quando in bello aliquot millia Altarium in sola Dioecesi Augustana erant spoliata sacris Reliquiis, voluit Sac. Rituum Congregatio *die* 21, *Aprilis.* 1668. ut tales in iisdem iterum reponerentur, sed absque nova Altarium consecratione. Ita testis Franciscus Schmier *l.* 3 *Jurisprudentiæ. Tract.* 1. *part.* 2. *sect.* 3. *n.* 146. Vide pariter de hoc fusius la Croix *l.* 6. *part.* 2. *n.* 306. Attamen simul etiam reflecte ad recentius Decretum S. R. C. longe post bellum Suecicum (id est 11. Junii 1710.) editum, quod præsertim ultimis verbis videtur insinuare, per fractionem Sepulchri execrari Altare. Decretum illud reperiendum apud Cajetanum Merati in Indice Decretorum *n.* 633. est sequentis tenoris: *Quando Altare fuit consecratum ad modum Altaris fixi cum sacris sigillis, & unctionibus inter stipitem & Altare, si motus fuerit lapis superior, qui format mensam Altaris, a suo stipite; tunc execratur Altare. Si vero fuit consecratum ad modum Altaris portatilis, non execratur in quavis remotione: NB. sed tantum, quando frangitur Sepulchrum Reliquiarum.* Si autem hoc in Altari portatili, cur non pariter in fixo?

APPENDIX.

De variis præter Ecclesiam, & Altare requisitis, ac scitu necessariis ad Missam rite celebrandam.

SUMMARIUM.

* *De Sacerdotalibus vestibus ad celebrandum requisitis. Addit. I.*
* *An sub celebratione possit portari Perrucca. Addit. II.*
* *De Calice, ac patena. Addit. III. & IV.*
* *De Ministro ad celebrandum requisito. Addit. V.*
* *De Missa, qualem quis singulis diebus legere valeat? Addit. VI.*
* *Quandonam Missam votivam? Addit. VII. VIII. & IX.*
* *Vel privatam de Requiem, & qualem? Addit. X. & XI.*
* *Quando cantari possit Missa solemnis de Requiem? Addit. XII.*
* *Qualiter peccent Sacerdotes, qui celebrando Missam non observant Rubricas! Addit. XIII.*
* *Corollaria Addit. XIV.*
* *In quibus casibus liceat Missam celebrare, quamvis prævideatur, aliquas Rubricas observari non posse? Addit. XV.*

Additio. I.

* QUæres I. Qualibus Sacerdos debeat indui vestibus, ut rite celebret? Resp. I. Ex communi, vestes Sacerdotales esse Humerale, seu Amictum, Albam cum Cingulo, Manipulum, Stolam, & Planetam, seu casulam quoad colores tempori, seu Rubricis conformem: ubi notandum, quod color aureus, vel croceus juxta DD. æquivaleat omni colori; quia omnes ad ipsum concurrunt juxta quarti *part.* 1. *Tit.* 18. *Dub.* 2. Quinimo in defectu uniformitatis adhiberi potest manipulus, vel stola diversi coloris ab invicem; & a casula, etiamsi Missa non ex necessitate (puta, ut provideatur infirmus Viatico, vel populus die festivo Missam audiat) sed & ex sola devotione celebretur; nam hæc Rubrica de coloribus est præcise directiva, vel certe tantum leviter præceptiva, ubi consequenter facilior causa excusans admittitur, testibus Sporer, Busenbaum, la Croix, Suarez &c. econtra vero altera Rubrica de ipsis vestibus Sacerdotalibus, ut eæ adhibeantur in Missa, ex communi Doctorum est ex se loquendo graviter præceptiva, quia secus facientibus gravis ultio imminet. *can.* 42. *dist.* 1. *De Consecrat.* non tamen incurreret peccatum mortale, qui in aliquali necessitate unam vel alteram ex minoribus, puta manipulum, vel cingulum tantummodo intermitteret. Busenbaum *hic dubio* 5. Quinimo omissionem cinguli a mortali etiam citra necessitatem ullam Herincx, Coen, & Henno &c. excusant ob levitatem materiæ. Quod idem aliqui sentiunt de manipulo apud Hagerer in Ritu

exacto. Item non desunt Auctores, qui cum Gobat apud Sporer *part. 2. Theolog. Sacrament. c. 6. sect. 3. n.* 410. defendunt, etiam sine Stola celebrari posse ex valde gravi causa: e. g. si Sacerdos jam processerit ad Altare, & primum sub Missa advertat, quod ex inculpabili incuria oblitus fuerit Stolæ, quam nunc in Altari induere nequit citra grave murmur, aut irrisionem, vel scandalum populi: vel si foret providendus Viatico periculose ægrotus, nulla tamen posset statim inveniri Stola, quam alias Sacerdos, qui providet, assumere deberet: non enim videntur hæ Leges Ecclesiasticæ cum tanta difficultate adstringere velle.

Resp. II. Hæ vestes debent esse benedictæ ab Episcopo, vel alio habente speciale privilegium, quale habent Superiores Regularium quoad paramenta Ecclesiastica illa, quæ non indigent unctione, uti fusius tibi exhibebit Jus Canon. *l. 3. tit. 40. n. 50. & seqq.* atque præter alios Auctores ibi citatos ab Antonio a Spiritu sancto in suo Directorio *tract. 2. disput 1. sect. 1. n. 9.* defenditur non solum quoad paramenta propria, sed etiam extranea.

Resp. III. Vestes, vel alia paramenta Ecclesiastica benedicta deperdunt suam benedictionem, si ita immutentur, ut vel amittant pristinam formam e. g. si ex stola fiat manipulus, ex casula detrita aliqua stola &c. vel si ad illum usum, ad quem antea destinata, redduntur inepta, puta, si Alba deperdat manicas, si cingulum ita frangatur, ut nulla pars (secus, si una adhuc) sit sufficiens ad cingendum Sacerdotem, si anterior pars casulæ separetur a posteriori &c. Ita communis, & patet ex jam dictis in Jure canonico *loc. cit. n. 53.* Subjungit utiliter Pater Henno, Sacristam, si taliter immutata reficienda extradat sartoribus, debere eos monere, ut antequam de novo ad sacrum usum applicentur, Superioribus pro nova benedictione consignentur.

Additio II.

*Quæres II. An non possit Sacerdos licite sub Missa assumere pileolum (alii vocant birretinum seu capitegium) item an non saltem possit portare fictum capillitium, seu (uti alii appellant) perruccam? Respond. I. Ordinarie citra dispensationem id fieri non posse. Ita communissima, videturque sic exigere reverentia erga SS. Sacramentum; prout etiam Rubricæ Missalis *part. 3. tit. 10. n. 1.* inter defectus in Missa contingentes numerant *celebrare capite cooperto sine dispensatione.* Utrum autem id sit peccatum grave, vel leve tantum, Doctores apud Constantinum Hagerer in suo novissimo Tractatu *De defectibus Missæ. tit. 10. n. 257.* inter se non conveniunt. Mihi cum eodem & pluribus aliis præplacet aliqua distinctio: nimirum, si (secluso tamen scandalo, & contemptu) id fiat usque ad Præfationem, esse solummodo veniale; alias vero, præsertim si continuetur etiam post Consecrationem, & ubi actualiter præsens est SS Corpus & Sanguis Christi, fore mortale, saltem loquendo de pileolo. Dixi notanter: *saltem loquendo de pileolo*: nam, si quis una tantum alterave vice, & quidem non ex malo fine, sed ex aliqua rationabili causa, citra tamen dispensationem portaret perruccam, continuando etiam post Consecrationem, non auderem talem in his terris peccati gravis condemnare, nisi nova decreta sub gravi prohibentia accedant. Ratio mea est; quia in his terris per perruccam non censetur adeo stricte, moraliter loquendo, coopertum caput, sicuti per pileolum; hincque etiam apud magnos Principes, ubi in eorum præsentia non licet cooperire caput, attamen non prohibetur portare perruccam. Resp. II. Ut possit licite sub Missa portari perrucca, vel pileolus, insistendo Bullis, vel repetitis Sacrarum Congregationum Declarationibus, non sufficit regulariter & extra periculum in mora dispensatio Episcopalis, sed requiritur Pontificia. Patet hoc ex Decreto S. R. C. ab Urbano VIII. confirmato, ejusque jussu Missali Romano inserto sequentis tenoris: *Nemo audeat uti pileolo in celebratione Missarum sine expressa licentia Sedis Apostolicæ non obstante quacumque consuetudine contraria.* Accedunt plures declarationes aliæ, videndæ apud Cajetanum Merati *part. 2. tit. 2. n. 10. fol. in Editione Romana* apud me 552. & apud Baruffaldum in Commentariis ad Rituale Romanum *Tit. 80. §. 4. n. 51.* prout etiam expresse de comis adscititiis sic declaravit Innocentius XI. suo Legato ad partes Rheni; ubi Edictum publicum in fonte refert la Croix *l. 6. part. 2. n. 401.* & Innocentius XII. Nuntio Apostolico Viennensi, ut in alio Edicto testatur Serenissimus Elector & Archiepiscopus Coloniensis apud Reiffenstuel. *lib. 3. Decret. Tit. 1. n. 93.* Ceterum in supplica pro motivo dispensandi allegari solet vel *nimia Regionis frigiditas*, vel *senectus*, vel *calvitium*, vel *capitis debilitas*; ubi tamen simul suadetur, ut accedat legitimum Medici testimonium. Quod si petatur retentio perruccæ sub integra Missa, consulitur, ut expresse de hoc fiat mentio, addendo, quod minor desuper apud populum in his terris sit admiratio, quam si sub Missa portaretur pileolus: nec mireris, si absque additione hujus subin tibi Roma rescribatur, quod quidem sis dispensatus quoad usum pileoli in Missa, ita tamen, ut tempus a Præfatione usque ad Communionem excipiatur.*

Additio. III.

Quæres III. Qualem Calicem cum patena, & quomodo instructum debeat Sacerdos ad celebrandam Missam adhibere?

Resp. I. Calix cum patena, si non ex auro, omnino ex argento sit confectus. Pauper Ecclesia saltem stanneum calicem habeat. De ære, & aurichalco non fiat calix; quia ob vini virtutem æruginem causat, quæ vomitum provocat. Nullus autem in ligneo, aut vitreo calice præsumat Missam cantare. Ita habetur in terminis *can. 44. & can. 45. dist 1. de Consecrat.* Addit Missale *de Defectibus Missæ tit. 10.* sufficere, si cuppa calicis sit aurea, argentea, vel in Ecclesiis pauperibus stannea, quamvis pes ejusdem alterius existat materiæ. Quinimo defacto de consuetudine in Ecclesiis aliquibus pauperibus licite juxta Gobat *in Theolog. Experiment. Tit. 3. n. 306.* adhibentur non solum patenæ, verum etiam calices ex alio metallo, dummodo pro tunc cuppa intus sit deaurata: & potest hujus consuetudinis esse ratio, quia per inaurationem non amplius virtus vini æruginem parit provocantem vomitum, hincque videtur cessare ratio prohibendi cuppam ex ære &c. prius assignata.

Resp. II. Calix, aut patena nequeunt benedici a Superioribus Regularibus etiam Mendicantibus, nisi qui extraordinarium aliquod possent adhibere privilegium. Ita Communis, & constat ex aliqua declaratione Sac. Congregationis sub Alexandro VI. Ratio est, quia concurrit ad similia unctio Sacri Chrismatis, quæ debet exerceri ab ipsis Episcopis, non autem ab aliis, qui nequeunt quodpiam extraordinarium privilegium exhibere, quale privilegium Innocentii III. juncta simul aliqua declaratione adesse *pro Abbatibus, Pontificalia exercentibus*, defendit Diana apud la Croix *l. 6. part. 2. n. 308.* & quidem non solum quoad calices, verum etiam quoad altaria, & campanas, quamvis in omnibus istis interveniat sacra unctio. Idque etiam, cum speciali tamen licentia Ordinarii, ad Ecclesias alienas apud eumdem Auctorem *loc. cit. n. 353.* extendunt Aversa, Tamburinus, Bordonus, Gavantus, & Schmalzgrueber *l. 3. Decr. tit. 40. n. 38. & 39.* putatque P. Pichler *tit. eodem. 3. Jurisprud. abbreviat.* tale privilegium posse saltem ex immemoriali consuetudine præsumi; etsi præsens Auctor P. Reiffenstuel ceteroquin in Jure Canonico *lib. 3. Decret. tit. 40. n. 43* videatur inclinare in sententiam oppositam, cui, si pertineant talia ad alienas Ecclesias, nec adsint particularia privilegia, non solum adstipulantur Gavantus, & Cajetanus Merati, verum etiam ad hunc finem

multas declarationes adducunt. Econtra vero, quando similia spectant ad Ecclesias subditas, declaratio aliqua Congregat. S. Rituum a Patre Merati in suo *Indice Decretorum. n.* 356. allegatur multum favorabilis, utpote similem unctionem non absolute, sed tantum quoad Ecclesias alienas prohibens; estque sequentis tenoris: *Prælati, Episcopis inferiores, aliqua Pontificialia NB. Extra loca ipsis subjecta, vel pro servitio alienæ Ecclesiæ, aut in subditos pariter alienos, etiam de licentia Ordinariorum exercere non possunt, puta campanarum benedictiones, calicum, & similium, in quibus sacra adhibetur unctio, nec non minorum Ordinum collationes.* Ita S R.C. coram Alexandro VII.27. Sept. 1659.

Resp. III. Calix, in quo Sacerdos celebrat, debet præter patenam *Imprimis* esse instructus purificatorio lineo, quod tamen non habet in Rituali propriam benedictionem, & hinc neque erit mortale sine eo celebrare, quando facile haberi nequit, ubi etiam pro tunc aliud mundum strophiolum adhiberi potest. 2*do*. Palla, & quidem juxta quodpiam S. Cong. Decretum 22. Januarii 1701. emanatum linea, saltem ex illa parte (ut inquit Sporer hic cum Gavanto apud Merati *part.* 2. *tit.* 1. *Litt. p.*) qua calicem tangit, ac benedicta, quæ si desit, aut per quadrantem exspectari deberet, potest ad tegendum calicem substitui corporale aliud, vel purificatorium. 3*tio*. Corporali, & quidem benedicto, ac mundo; quale si notabiliter esset immundum, præsertim in illo spatio, ubi ponitur Sacratissimum Corpus Christi, foret ob irreverentiam notabilem peccatum grave in eo celebrare juxta Gavantum *p.* 2. *Tit.* 1. *n.* 1. *Litt. q.* ac plures. Ceterum intermittere velum calicis, vel bursam corporalis etiam in Missa ex sola devotione, ubi haberi nequeunt, nullum omnino est peccatum juxta communem Doctorum: cum non ita proxime accedant ad ministerium hujus sacratissimi Sacrificii. *

Additio IV.

* Porro valde probabiliter (quamvis etiam altera sententia contraria relata a P. Reiffenstuel *lib.* 1. *Decr. tit.* 16. *n.* 31. *ac. seq.* suis gravibus non careat fundamentis) nec Calix, nec Patena execrantur, etsi longo usu interior deauratio abstergatur. Quinimo nec censentur execrari, etsi in simili casu per aurifabrum de novo inaurentur, & consequenter etiam in eo casu non indigent nova consecratione, sicuti a pari nec Ecclesia censetur execrata, aut indigens nova consecratione, etsi decidente consecrato superficiei cœmento novum parietibus Ecclesiæ superinducatur. Item nec purificatoria, vel pallæ, aut corporalia benedicta execrantur per lotionem. Debet autem prima hæc lotio fieri ab aliquo in Ordinibus sacris constituto. Antecedenter Laicis sine speciali prvilegio (quale potest tribui a Superioribus Mendicantium Fratribus Sacristanis, testibus Sporer, & la Croix) non licet absque causa legitima citra peccatum veniale illa tangere, quæ Corpus Christi immediate contigerunt, aut sacro Chrismate inuncta fuerunt. Quinimo ea sacra vasa &c. tangere, dum actu continent Corpus Christi, ex communi prohibitum est sub mortali, exceptis Sacerdotibus, & Diaconis. Post primam autem lotionem, antequam denuo actu fuerint applicata talia corporalia, pallæ & purificatoria, eadem tangere (puta, ut exactius mundentur, aut lacera reficiantur) omni caret peccato. Quinimo insigniti Ordine Acolythatus ex concessione Martini Papæ *can. Non liceat* 32. *dist.* 23. possunt absque ullo peccato tangere vasa sacra, & Paramenta benedicta etiam ante primam lotionem, dummodo eo tempore actu non contineant Corpus, & Sanguinem Christi, quod tamen inferioribus Minoristis, puta Ostiariis, vel Lectoribus expresse prohibetur *can. Non liceat.* 31. *Distinctione eadem.* vi cujus neque Acolythis videretur concessum, nisi sequens Canon dedisset his licentiam. Vide latius Jus Canonicum *lib.* 3. *Decret. tit.* 40. *n.* 44. *& seqq.* *

Additio V.

* Quæres IV. Qualem Sacerdos celebrans debet adhibere Ministrum? Resp. regulariter masculum. Ita clare desumitur ex Missali *De defectibus. tit.* 10. Hinc adhibens feminam peccaret, *arg. cap. Inhibendum. De Cohabit. Cleric. & Mulier.* & quidem ex communi Doctorum mortaliter, saltem in locis, ubi contraria praxis non est introducta, qualem praxin tamen Doctores non laudant apud la Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 388. ubi apud eumdem Pasqualigus cum Sporer, Gobat, & pluribus aliis sentit, melius esse celebrare sine Ministro, quam permittere mulierem ad Altare servire. Licitum autem est, in necessitate gravi (e.g. ut populus Missam audiat vel ægrotus Viatico provideatur) celebrare sine Ministro: quod idem juxta Lugo, Henriquez, Tambur. Hurtad. fieri poterit, si Minister quidem cum Sacerdote exiverit, ac postea sub Missa (prout nonnulli petulantes pueri solent facere) discesserit, & aliquantulum exspectatus nec ipse, nec substitutus reversus fuerit.

Item Layman, Sporer, & la Croix *l. cit. n.* 385. defendunt hanc praxin Germaniæ, qua in multis pagis celebrari solet nullo præsente, qui respondere noverit, bene tamen substituto v.g. æditui rustico, qui alias cæremonias exequatur, portando librum ab uno cornu ad aliud administrando urceolos &c. atque tali modo licere celebrationem Missæ etiam extra necessitatem ex sola devotione dici solitam, tenet cum Layman Sporer *Theol. Sacram. p.* 2. *c.* 6. *sect.* 1. §. 4. *n.* 390. cum saltem habeatur aliquo modo Minister in Missali requisitus. *

Additio VI.

* Quæres V. Qualem Sacerdos, qui vult celebrare singulis diebus, debeat legere Missam? Resp. I. In die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, quamvis ipsum Officium Divinum possit celebrari de duplici festo, Missæ tamen privatæ non concordant huic Officio; sed debent dici de Requiem ex missali pro die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum. Ita S. R. Congreg. 5. *Maji* 1736. Etsi autem Missa debeat desumi ex die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, non tamen debet ea necessario applicari quoque pro omnibus Fidelibus defunctis, sed ad libitum, etiam pro aliquibus tantum, uti denuo *S. R. C.* 4. *August.* 1663. Resp. II. Quoad reliquos dies, nisi talis Sacerdos diebus, quibus ex causa rationabili licitum est, velit celebrare Missam votivam, aut de Requiem, debebit ordinarie legere Missam conformem Officio Divino, seu Breviario, quod recitat. Ita expresse præscribunt Rubricæ. Excipe tamen si quis legeret Missam in alia Ecclesia, in qua est aliqua solemnitas, vel duplex; tunc enim debebit se huic presertim in colore conformare, quamvis longe aliud ipse recitet pro eo die Officium Divinum v. g. de semiduplici, vel de feria, prout eruitur ex Decreto 19. Novemb. 1622. emanato, & 9. Junii 1668. repetito sequentis tenoris: *Qui celebrat Missam in aliqua Ecclesia Regularium, aut etiam Monialium, in qua fit de Festo duplici habente Missam propriam, quæ non sit concessa omnibus, Missam quidem dicat de Festo, sed cum Missali Romano.* Atque ex hoc ipso fundamento Capellani sæculares in Ecclesiis existentes illarum Monialium, quæ Romano non utuntur Breviario, dicere possunt Missam de Sancto Ordinis, de quo Moniales Officium recitant, sed cum Missali Romano, uti in Proprio de Sanctis, vel de Communi, prout resolvit S. Congreg. Rituum 20. Novembris 1628. & 1717. Item celebrans in aliqua Ecclesia, in qua habetur Festum Reliquiarum, sicque dicitur *Credo*, potest quoque ipse se accomodare etiam quoad *Credo*, etsi id in sua Ecclesia ob Festum semiduplex, aut de Feria non dicatur. Idque verum est, etsi illæ Reliquiæ non sint publice expositæ in ipsa Ecclesia, uti notat Merati in suo Thesauro Sacr. Rit. *Tom.* 1. *p.* 1. *Tit.* 11. *n.* 10. & Constantinus Hagerer *in secunda editione Ritus exacti* apud me *fol.* 53. *

Addi-

Additio VII.

* Quæres VI. Quandonam Sacerdoti sit licitum legere Missas votivas? Resp. I. Quandocumque non est Festum duplex, aut Dominica, aut talis dies, in quo de duplici prohibetur fieri Festum, semper licitum est ex causa rationabili legere Missam votivam privatam. Ita eruitur ex *Rubric. Missal. p.* 1. *Tit.* 4. *n.* 3. junctis variis Decretis Sac. Rituum Congregationis. In specie autem per Sacram Congregationem Missæ votivæ privatæ præter Dominicas: & Festa duplicia fieri prohibentur infra octavas Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi, & Nativitatis Domini. Item in Vigiliis Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Pentecostes, Feria quarta Cinerum, ac in tota hebdomada majori. Ita præter alia Decreta Sac. Rit. Congregationis partim apud Rubricistas invenienda statuerunt in specie clemens X. 13. Septembr. 1670. & Clemens XI. 29. Septembris 1714. Quod si igitur his diebus petantur Missæ votivæ, legantur de die, vel Festo occurrente ad intentionem petentis, atque exinde satisfiet dantibus pro missa stipendium. Ceterum, si dies Dominica anticipetur, seu transferatur ad aliquam feriam intra hebdomadem, potest legi Missa votiva, quod idem sentiendum censet la Croix *l.* 6 *p.* 2. *n.* 498. si Festum duplex sit præcise ad libitum; potest enim recipi Festum illud ad libitum quoad recitationem Breviarii, quin acceptetur quoad Missæ celebrationem, utpote privilegium. Quinimo Cajetanus Merati in suo Thesauro *p.* 4. *Tit.* 17. *Observ.* III. etiam post Clement. XI. Romæ cum approbatione Reverendissimi P. Magistri S. Palatii scribens, admittit loco longioris Missam votivam e. g. de Passione Domini diebus Hebdomadis Sanctæ, quibus alias Passio Dominica legi deberet, quando nimirum illa longior Missa ob magnam debilitatem capitis, vel malam affectionem oculorum, aliamve similem causam a sacrificante sine notabili incommodo legi nequit. Ceterum universaliter nota, quod, etsi in Missis privatis votivis casula cum manipulo, & stola quoad colorem debeat esse conformis tali Missæ votivæ, e. g. in Missa votiva de S. Cruce color rubeus, de Passione Dominica color violaceus, de B. V. Maria color albus, & pro felici morte color violaceus &c. nihilominustamen quoad alia Paramenta Altaris e. g. Antipendia, ea potius sint conformanda Officio, quod illo die celebratur. Econtra aliter sentiendum quoad Missas votivas solemnes, in quibus etiam reliqua Paramenta Altaris in colore cum Missa convenire debent.

Resp. II. Missas votivas publicas, seu solemnes pro re gravi e.g. tempore pestis, famis, belli &c. magnæ siccitatis, vel pro publica causa Ecclesiæ, licitum est legere in omnibus duplicibus, si non sint primæ Classis. Ita pariter in Dominicis etiam privilegiatis, dummodo similiter non æquivaleant Festis primæ Classis, prout tamen talibus primæ Classis Festivitatibus æquivalent feria 4. Cinerum, Dominica prima Quadragesimæ, Passionis, Palmarum cum tota Hebdomada sancta, Dominica Resurrectionis, & Pentecostes cum subsequentibus utrobique duobus diebus, Dominica in Albis, & Dominica I. Adventus. Ita cum Diana, Fagioli, & pluribus aliis Constantinus Hagerer in Ritu exacto in Appendice *tit.* 1. *in additione post* §. 5. *num.* 4. la Croix *l.* 6. *p.* 2. *num.* 499. & Lohner *de Sacrif. Missæ p.* 4. *tit.* 2. §. 1. *n.* 7.

Nec dicas. Juxta novissimum Mandatum Clement. XI. emanatum 20 Januarii 1705. & reperibile in suo Bullario *p.* 2. *n.* 9. equidem comprecatio 40. horarum inter causas publicas, ubi licet cantare Missam votivam solemnem, numeratur; attamen ibidem Festa non solum primæ, sed etiam secundæ Classis excipiuntur: ergo Missas votivas publicas seu solemnes prohibitum est legere in Festis non solum primæ, sed etiam secundæ Classis.

Resp. enim, equidem, si constet sufficienter, Decretum illud in partibus hisce, ubi scribo, etiam quoad hoc punctum fuisse receptum; haud dubie sic esse sentiendum: interea tamen, si una mecum in fonte legere velis, multa in illo Decreto, seu instructione reperies, quæ in his partibus in praxi non observantur, quod propterea contingere potuit, quia allegatum Mandatum instructivum videtur directum ad solos Italos: solummodo enim in dicto Bullario Editione Romana anno 1723. exprimitur in lingua Italica, ac continetur in secunda parte Bullarii Clement. XI. cui secundæ parti præfixus titulus sic habet: *Edicta, Decreta, & Mandata ad spirituale, & temporale NB. Urbis, Ditionisque Pontificiæ regimen pertinentia.* Non nego tamen, saltem aliqua puncta hujus Decreti etiam in his partibus observari. Quod si alicubi in Germania dictum Decretum etiam quoad hanc dispositionem foret receptum, haud dubie nec in Duplicibus, & Dominicis secundæ classis Missa votiva solemnis, sed potius de Festo, seu tali Dominica cantanda foret; bene tamen adhuc in aliis Duplicibus, & quidem semper (quandocumque licite habetur Missa solemnis votiva) cum unica Oratione ex illa Missa votiva desumpta; ac cum *Gloria* & *Credo*: præterquam, quando color violaceus (puta in Processionibus Rogationum, & Missis votivis solemnibus tempore belli, vel pro pace) adhibetur; quia tunc nec *Gloria*, nec *Credo* diceretur, nisi fuerit Dominica, qua Credo cantaretur. Ita Lohner *Instruct. pract. De SS. Missæ Sacrificio p.* 4. *Tit.* 2. §. 3. *n.* 1. allegans quodpiam Decretum Congregationis Sacrorum Rituum. *

Additio VIII.

* Porro declarando, quænam sit res gravis, qua stante Missam solemnem votivam celebrare licet, eadem censetur illa, quæ merito potest Episcopo (ubi aliquis adest) & Clero, vel altari Communitati, puta alicui Religioni, præbere occasionem conveniendi, Deoque supplicandi e. g. tempore Belli, pestis &c. aut comprecationis 40. seu 10. horarum cum expositione Venerabilis pro advertendo gravi Reipublicæ malo, aut procurando notabili bono. Item tempore alicujus Capituli Generalis, aut Provincialis ad eligendum utilem Pastorem, vel Deo gratias agendi pro magno beneficio notabiliter in communitatem redundante; puta pro recuperata sanitate Summi Pontificis, Episcopi, vel alterius communitati multum proficui Principis. Imo Sacra Rituum Congregatio *in Aretina* 20. *Novembr.* 1662. & 16. *Junii* 1663. apud Merati in Indice Decretorum *n.* 397. & *n.* 401. pro causa gravi admittit, ut Missa solemnis votiva de B. Virgine diebus Dominicis, vel festivis, alias non specialiter exceptis, (de quibus antecedenti Additione) cantari possit ratione concursus populi, vel voti, seu alia ex causa, subintellige, gravi.

Ceterum Decretum Sac. Rit, Congreg. 19. Maii 1697. sic habet: *Res gravis pro licita votivæ solemnis decantatione cum gloria, & Credo ea est, pro qua convenit totus Clerus cum Episcopo, vel apud Regulares in eorum Comitiis Generalibus, seu Provincialibus, cum cantatur Missa pro re eorumdem judicio gravi.* Ubi tamen nota, quod teste Kerchove *in Commentar. c.* 2. §. 2. *n.* 29. consuetudo locorum alicubi rationem causæ gravis soleat extendere etiam ad Primitias, Investitionem, & Professionem Regularem; quam tamen extensionem adeo generalem passim, & extra casus quosdam extraordinarios non auderem practicare ob Decretum S.R.C. anno 1683. 24. Julii editum, & eam consuetudinem, saltem etiam extra casus extraordinarios, vocans abusum, quod est sequentis tenoris: *Receptio ad Habitum & ad Professionem Religiosam sub re gravi numerari non potest, ut ex consuetudine cantari possit Missa votiva solemnis, etiam de Spiritu Sancto in Dominicis, vel Duplicibus, & hic abusus omnino est derogandus.* Hucusque Decretum relatum a Cajetano Merati dictæ Sacræ Congregationis Consultore Emerito *in Indice Decretorum n.* 462. ubi tamen forsan Fautores sententiæ Patris Kerchove respondebunt, illud Decretum in dictis partibus vel numquam fuisse usu receptum, vel usu contrario abrogatum &c. de quo viderint ipsi.

Ceterum modum celebrandi Missas votivas publicas, vel privatas: item quot ibidem sumantur Orationes, num *Gloria*, vel *Credo*, & qualis color paramentorum &c. vide utiliter in Ritu exacto Patris Constantini Hagerer novissime edito, præsertim in Appendice *tit.* 1. ubi etiam §. 2. varios circa præsentem materiam casus reperies. Videri etiam potest Merati *p.* 1. *tit.* 4.

Additio IX.

* Quæres VII. De quibus Sanctis, vel Beatis Missæ votivæ dici queant? Resp. 1. De quocumque Sancto, de cujus canonizatione vel ex Martyrologio, vel aliunde constat, potest dici Missa votiva, quamvis de eodem nondum celebretur Officium Divinum quoad Horas Canonicas. Ita communis, & ratio est; quia juxta Rubricas de Sanctis Missæ votivæ dici queunt absolute, & absque aliqua limitatione. Resp. II. Quoad Beatos equidem Auctores non conveniunt, communis tamen sententia, teste P. Hagerer in Ritu exacto apud me fol. 173. & apud Cajetanum Merati *p.* 1. *Tit.* 4. §. 3. *n.* 15. contra Pasqualigum *Tom.* 1. *de Missæ Sacrif. q.* 277. *nu.* 3. *ac. seqq.* & alios existimat, potius in honorem talis Beati esse dicendam Missam ordinariam de Tempore: cum Sacra Congregatio Rituum juxta Decretum 5. Octobris 1652. nolit, ut super Beatificationibus excedantur limites Concessionis præsertim *in Celebratione Missarum*: ergo, nisi in Decreto Beatificationis addatur concessio etiam quoad Missas votivas, non erit extendenda ad easdem, quod maxime verum esse videtur quoad illos, quibus neque in ipso Festo Beati de eodem Missam celebrare licet. Vide in variis circa Missas votivas casibus Cajetanum Merati & P. Hagerer in Ritu exacto *loc. cit.**

Additio X.

* Quæres VIII. Quo tempore Sacerdoti non sit licitum legere Missam de Requiem privatam? Resp. tempore illo, quo non est licitum legere Missam privatam votivam, neque licebit celebrare privatam de Requiem. Ita denuo communis, & præter plura Decreta Sac. Rit. Congregationis apud Merati p. 1. *Tit. V.* patet etiam ex Brevi Innocentii XI. *Alias postquam &c.* edito 4. *Maji anno* 1688. atque hoc adeo verum est, ut Missæ privatæ de Requiem non sint licitæ diebus alias prohibitis, etiam præsente, seu insepulto corpore, prout easdem absolute prohibuit Sac. Congregatio Rituum 5. *Augusti.* 1662. atque adhuc clarius 10. *Junii* 1693. Et Alexander VII. idem decrevit apud Matthæucium in Officiali Curiæ Ecclesiasticæ *c.* 10. §. 2. *n.* 67. cujus Decretum Clemens XI. innovavit 30. *Augusti* 1706. & apud Merati 29. *Sep.* 1714. qui ultimus Pontifex pariformiter juxta jam dicta post *n.* 101. inhibuit celebrare Missas de Requiem sub publica expositione Sanctissimi Sacramenti. Ubi nota ex aliquo Decreto S. Congregationis videndo *in l.* 1. *Decr. tit.* 31. *n.* 39. quod tunc publice censeatur expositum Sanctissimum, si in Monstrantia publice, ita ut Hostia publice videri queat, exponatur: secus, si fiat in ostiolo Tabernaculi, vel si in pixide velata, in qua S. Hostia non cernitur. Uti etiam notat Stanislaus Karg in suo Manuali Canonico Legali *p.* 1. §. 5. *n.* 39. *de administratione Sacramenti Eucharistiæ.* Quod si ulterius indages, quid ergo sit faciendum, si in alia Ecclesia, in qua debes celebrare, legantur Missæ privatæ de Requiem? Resp. sub distinctione: vel enim in alia Ecclesia, in qua celebras, est duplex de præcepto, sicut apud te, vel non? Si non: utique poteris, imo debes te conformare huic alteri Ecclesiæ, & confluentibus ad funus Sacerdotibus nigro colore celebrantibus, quamvis tu recitaveris in tuo Breviario Officium Divinum de duplici. Quando autem pariter ibi foret duplex, & tamen reliqui confluentes dicerent Missam de Requiem nolentes servare, & servari Rubricas, vel forsan contrariam consuetudinem prætendentes &c. poteris te tandem in Nomine Domini conformare legendo de Requiem ut multa incommoda, murmura, & scandala evites; cum sub tam gravi incommodo Rubrica talis te non videatur obligare. Viderint autem illi (inquit Hagerer in Ritu exacto in Appendice *tit.* 2. §. 1. *numer.* 5.) qui talibus Ecclesiis præpositi, etsi facile possent, similes tamen abusus non tollunt. Legatur dictus Auctor in fonte, qui eodem modo resolvit, si in aliquo Sacello privato, præsente funere Illustris personæ, Missæ quædam dici debeant. *

Additio XI.

* Quæres IX. Qualis ex quatuor Missis in Missali designatis sit sumenda, si celebratur de Requiem? Ante resolutionem notandum, Missas, quæ pro defunctis designantur, esse quadruplicis generis. *Prima* habet superinscriptionem *pro die Animarum*. *Secunda* pro *die obitus*, vel depositionis seu sepulturæ. *Tertia* pro *Anniversario*. *Quarta* intitulatur *Missa quotidiana* H. N.

Resp. I. *Prima Missa* non solum sumenda est pro die Animarum; sed etiam in die Depositionis, Tertii, Septimi, Trigesimi, vel etiam in Anniversario cum orationibus propriis ad finem Missalis adjunctis, quando celebrantur specificati dies Obitus, Anniversarii, Septimi, Trigesimi &c. pro Summo Pontifice, Cardinalibus, vel Episcopis. Ita Gavantus *p.* 4. *Tit* 18. *n.* 6. *& seqq.* cum communi apud Hagerer *loc. cit. n.* 1. Quinimo Gavantus *l. cit. n.* 8. præscindendo a consuetudine id concedit etiam quoad alios Sacerdotes, & apud Merati in suo Thesauro *p.* 4. *Tit.* 18. *Observ.* 3. Guyetus id saltem admittit quoad defunctos, antea in aliqua dignitate constitutos, puta Reges, Principes, Abbates, Generales Ordinis &c.

Resp. II. Si dies Obitus, Septimus vel Trigesimus celebratur pro aliis juxta consuetudinem, etiam pro Sacerdotibus, saltem non in magna dignitate constitutis, semper sumenda est Missa *secunda*, cum hac tamen distinctione, ut, si ille defunctus fuerit Sacerdos, oratio accipiatur propria *pro defuncto Sacerdote*, idque tam in die Depositionis, quam Tertio, Septimo ac Trigesimo, quoad alios vero, uti in Missali assignatur pro die Obitus &c. Ita, qui supra.

Resp. III. Si Anniversarium habeatur pro Sacerdote, *Missa secunda*, cum oratione *pro defuncto Sacerdote*, accipienda est, & non *Missa tertia*, quæ tamen sumitur, quando celebratur pro aliis. Ita denuo, qui supra.

Resp. IV. Si neque sit dies Obitus, nec Tertius, Septimus, vel Trigesimus; neque dies Anniversarius, semper in Missa solemni & privata sumitur Missa *Quarta* seu quotidiana, sive defunctus fuerit Pontifex, sive alius Clericus, vel Laicus cum oratione tamen propria, si fuerit Pontifex, Cardinalis, Episcopus, vel Sacerdos; alias vero cum oratione *Inclina*, vel *Quæsumus &c.* idque P. Constantinus Hagerer *loc. c. n.* 3. intelligit quoque, quando in quibusdam Confraternitatibus, vel pro singulis Confratribus una Missa vel singulis Mensibus, aut Angariis pro omnibus Confratribus intra hoc tempus mortuis certa Missa offertur, dummodo expresse non habeat rationem obitus, nec adsit speciale privilegium.

Resp. V. Inter Missam quotidianam solemnem, & privatam hæc est differentia, quod, quandocumque eadem pro defunctis solemniter celebratur, dicatur unica tantum tum oratio cum sequentia, *Dies iræ, dies illa &c.* Econtra vero in Missis quotidianis privatis orationes erunt tres: prima competens pro iis, pro quibus Missa applicatur: secunda vero, *Deus veniæ Largitor &c.* ac tertia *Fidelium Deus &c.* ubi tamen secundo loco alia, quam *Deus veniæ Largitor &c.* poni poterit e. g. pro defunctis propriis parentibus, dummodo ultima sit *Fidelium Deus*, tamquam generalis pro defunctis. Sequentia *Dies iræ* in Missis quotidianis privatis dici, vel omitti poterit ad beneplacitum. Videantur Rubricæ Missalis *p.* 1. *Tit.* 5. *n.* 3. *ac.* 4. Gavantus, Gerlacus, Lohner, Hagerer &c. Nec mireris amice Lector, similia nostræ Theologiæ

morali inseri: crede enim, reperiri aliquos in speculativis & altioribus quidem non parum versatos, qui tamen in similibus ignorantes, non paucos etiam in publico contra Rubricas non sine erubescentia committunt errores, quamvis Sanctus Pius V. in Bulla anno 1750. edita, ac ordinarie Missalibus præfixa observantiam Rubricarum urgeat in virtute sanctæ Obedientiæ. *

Additio XII.

* Quæres X. Quando possit cantari Missa solemnis de Requiem? Resp. I. Missa solemnis de Requiem præsente corpore potest cantari non solum in duplicibus, sed etiam in Dominicis, & aliis festivis diebus, qui non sunt primæ Classis. Ita colligitur partim ex Matthæucio *l. cit.* partim ex la Croix *l. 6. p. 2. n.* 507. Resp. II. Quando corpus defuncti non est præsens, nequit diebus Dominicis, vel festivis cantari Missa solemnis de Requiem, bene vero in aliis etiam majoribus duplicibus pro die obitus cantari poterit, prout eruitur totum ex Decreto Sac. Congregationis Rituum 4. *Maji anno* 1686. in Rubricis particularibus nostri Breviarii reperibili *n.* 47. sequentis tenoris: *Ubi ex dispositione Constitutionum Provinciarum, aut Ordinis cantari debet Nocturnum cum Missa de Requiem, cum primum habita fuerit notitia de obitu &c. dicta Missa cantari poterit cum Nocturno in festo duplici etiam majori, secus vero in Festo de præcepto.* In quo textu per Festum de præcepto intellige festum fori, seu dies illos, quos populus feriare tenetur, audiendo Missam, & abstinendo ab opere servili. Porro, quod de die obitus absente corpore statutum reperitur idem Fagioli in suo Calendario perpetuo *f.* 79. extendit ad diem *tertium, septimum, & trigesimum*, utpote quasi unum continuum cum die obitus. Resp. III. Loquendo de Anniversariis ex dispositione Testatorum quotannis cum cantu celebrandis, poterunt eadem pariformiter haberi in Festo duplici, quod non est festum fori, uti videndum in Decreto emanato mense Septembri 1714. reperiendo supra, conformiter Bullario Clementis XI. Romæ anno 1723. edito *fol.* apud me 571. etsi fuerit duplex majus. Ita pariter sonat Decretum 22. *Novembr.* 1664. & aliud apud Merati *in indice Decretorum n.* 438. emanatum 20. *Julii* 1669.

Dixi notanter, *etsi fuerit Duplex majus:* nam, quando esset illud festum adhuc altioris Classis deberet observari aliud Decretum editum 5. *Julii* 1698. *reperiendum apud Merati in Indice Decretorum sub. nu.* 524. sequentis tenoris: *In Anniversario occurrente in Festo duplici secundæ Classis, non potest cantari Missa de Requiem.* Unde in simili casu tale Anniversarium deberet vel anticipari, vel proximo die non impedito celebrari: etsi etiam tunc foret duplex majus, uti ex alio Decreto 4. *Maji* 1686. edito ostendit Merati *p.* 1. *Tit.* 5. *in Observ. n.* 5. Ceterum durante expositione publica SS. Sacramenti v. g. in comprecatione 40. vel 10. horarum nequit regulariter celebrari Missa de Requiem, neque cantari pro implenda mente testatoris, quamvis illis diebus esset ceteroquin festum, seu Officium hujusmodi admittens, uti in terminis statuit Sac. Rit. Congregatio 2. *Decembr.* 1684.

Additio XIII.

* Quæres XI. Quando, & qualiter peccet Sacerdos Missam legens, qui non observat deliberate Rubricas in Missali Romano præscriptas? Ante Responsionem Nota I. Rubricam, nil aliud esse, quam informationem, & designationem eorum, quæ in Missa facienda sunt. Vocatur autem Rubrica, quia plerumque rubris litteris exprimitur. Nota II. juxta Gavantum *p.* 3. *Tit.* 11. & Card. de Lugo *disp.* 20. *De Eucharistia sect.* 4. *n.* 105. ac plures alios, Rubricam aliam esse directivam, aliam præceptivam; *Prima* consulit, quid agendum, ut cum majori decentia, & reverentia celebretur, qualiter consuluntur certæ quædam preces ante Missam persolvendæ, & post eamdem. *Secunda* præceptiva etiam mandat, vel expresse sub peccato, vel designando saltem talem materiam, quæ alias sive ex jure, sive ex consuetudine jubetur, prout fit circa paramenta, & vestes Sacerdotales modo superius indicato, circa Epistolas, Evangelia, & Canonem. Nota III. ex Sporer hic, Partes Missæ alias esse *Essentiales*, uti Consecratio Corporis, & Sanguinis Christi, alias *Integrales* ex præcepto Divino requisitas, uti Oblatio, seu Sumptio utriusque speciei, & demum alias *Accidentales*, id est, primum ab Ecclesia subjunctas, quæ ab aliis AA. etiam integrales per Ecclesiam additæ vocari solent, atque hæ rursum sunt vel *Ordinariæ*, id est, in omni Missa concurrentes, uti *Introitus*, *Oratio primaria*, *Epistola*, *Evangelium*, *Canon &c.* vel non *Ordinariæ*, uti *Gloria*, *Credo*, *Orationes secundariæ*, *Præfatio extraordinaria*, vel *Communicantes speciale*, quæ utique non in qualibet Missa concurrunt. H. N.

Resp. I. Si celebrans non observat deliberate tales Rubricas Missalis Romani, quæ versantur circa quidpiam ad valorem, vel saltem ad integritatem Sacrificii ex ordinatione Divina requisitum, peccat graviter. Ita communissima, & ratio est; quia Rubrica circa similia est graviter præceptiva, uti patet ex ipsa dignitate, & gravitate materiæ: sic utique peccaret graviter, qui consecraret sub una specie tantum, vel qui adhiberet pro Consecratione panem non triticeum, aut ex aqua rosacea confectum &c.

Resp. II. Si celebrans non observat Rubricas circa partes accidentales ordinarias, pariter ex communi DD. graviter peccat, nisi inadvertentia actus, aut parvitas materiæ excusent a gravi. Ratio est; quia hæ partes continentur absolute sub Rubricis præceptivis, quæ per Bullam S. Pii V. Missali Romano præfixam jubentur *in virtute Sanctæ obedientiæ* observari, adeoque in materia notabili, qualis ex communi Doctorum sensu censetur quælibet notabilis pars ordinaria ex jussu Ecclesiæ Sacrosancto Missæ Sacrificio adjuncta, erit obligatio gravis.

Resp. III. Si pars aliqua accidentalis sit extraordinaria, equidem celebrans, qui non observat, peccat, ast non graviter, sed tantum venialiter. Ratio est; quia, etsi etiam circa tales partes adsint Rubricæ præceptivæ, ex communi tamen Doctorum judicio, cui in similibus omnino acquiescendum, partes accidentales extraordinariæ non sunt materia adeo notabilis, ad quam Legislator voluerit sub gravi adstringere; cum multæ Missæ existant etiam quoad requisita Ecclesiæ omnino completæ sine his partibus extraordinariis. *

Additio XIV.

* Ex his Doctores communiter, ut Herincx, Illsung, Sporer, Suarez, Coen, Castropalao, la Croix, Henno, & alii, inferunt *primo*, peccare mortaliter, qui celebrat in vino putrido, atque in acetum quasi jam mutato, vel de uvis immaturis expresso. Item qui sine oblatione saltem mente concepta, vel qui in una tantum specie sacrificat. Ratio est; quia agit contra Rubricas versantes circa valorem, aut saltem integritatem Sacrificii.

Inferunt *secundo*, graviter peccare eos, qui omittunt totam Epistolam cum Graduali, vel aliis Strophis tempori accommodis, Evangelium cum Offertorio, quamlibet periodum in Canone. Ratio est; quia hæ partes, etsi accidentales, sunt tamen ordinariæ, & juxta communem D. D. censentur simul notabiles. Econtra foret veniale tantum omittere *Kyrie eleyson*, nonnullas benedictiones super oblata, aut Orationem ordinariam, sive unum, vel alterum verbulum etiam in Canone, vel particulam *enim* in consecratione Hostiæ. Ratio est: quia tales partes non sunt notabiles; uti recte cum communi advertit Sporer hic contra aliquos nimium rigide & sine solido fundamento docentes, omissionem unius verbuli in Canone esse mortale. Fatendum tamen, concedi a

Docto-

Doctoribus, fore mortale intermittere admixtionem aquæ cum vino post Offertorium vel etiam juxta Gobat, & Suarez apud la Croix *lib. 6. pag. 2. n.* 419. fractionem Hostiæ, & ejusdem particulæ immissionem in calicem; licet enim hæ actiones videantur in se modicæ, fiunt tamen magnæ, & notabiles ob magnitudinem Mysterii, quod repræsentant, prout appositio aquæ in calice significat effusionem Sanguinis & aquæ emanantis ex latere Salvatoris nostri, ac etiam unionem Christi cum Ecclesia.

Inferunt *tertio*, esse tantum veniale, omittere Orationes secundarias, *Gloria*, vel *Credo*, Rhytmos post Epistolas: *Lauda Sion Salvatorem*, *Victimæ Paschali*, *Veni Sancte Spiritus*, *Dies iræ*, *dies illa*, *&c.* vel sumere de communi, loco specialis alicujus in certo Festo occurrentis, *Præfationes*, *& Communicantes*. Ratio est: quia dictæ partes non sunt ordinariæ Missæ ut sic, hincque ex mente Doctorum non censentur notabiles, seu materiæ graves, ad quas nimirum voluisset Ecclesia adstringere sub gravi, nisi adjungeretur contemptus ipsius Ecclesiæ præcipientis, aut grave scandalum. Vide de his fusius, & valde utiliter novissime P. Constantinum Hagerer in Tr. *De Defectibus Missæ in Prænotione n.6. & seqq.* *

Additio XV.

* Quæres XII. Quidnam sit agendum Sacerdoti volenti celebrare, qui tamen prævidet, quod unam alteramve Ceremoniam in Missali præscriptam nequeat servare? Resp. ex Gobat *Tom. 3. Theol. Experim. n.* 743. talem, ubi ad unum, alterumve casum particularem neque hic, neque apud alios A A. aliquid expresse decisum invenerit, vel ubi tempus non amplius concedit inquirere, debere inter se conferre ex una parte gravitatem Cæremoniarum intermittendarum, ex altera vero necessitatem celebrandi, ac exinde videre, num sit consultius sine his Missam legere, quam ob earum defectum eamdem omittere. Alii Doctores recte etiam hoc subjungunt, quod circa aliquam Rubricam præcise directivam tantummodo sub veniali minor sufficiat causa excusans ab observantia, quam si illa Rubrica graviter obligatoria foret.

QUÆSTIO XI.

De aliis notabilibus Dubiis circa Sacrificium Missæ.

SUMMARIUM

137 *An plures possint eamdem Hostiam consecrare?*
138 *Et quomodo?*
139 *Solvitur instantia.*
140 *Sacerdotes ordinati, quam intentionem consecrandi cum Episcopo debeant formare?*
141 *Consilium pro praxi.*
142 *Sacerdos ordinatus non debet prævenire Episcopum consecrando;*
143 *Sed consecrare cum Episcopo, si potest; aut verba Consecrationis proferre materialiter.*
144 *Qnid agendum, si aqua pro vino infundatur?*
145 *Quid, si error primum advertatur post sumptionem?*
146 *Aut dum aqua habetur in ore? Et Addit. I. & II.*
* *Alia quattuor Notabilia, quæ in celebratione evenire possunt. Add. III. IV. V. VI. VII. & VII.*
147 *Cetera Dubia remissive, una cum nova Additione.*

137 QUæritur I. An plures simul eamdem Hostiam consecrare possint? Ratio dubitandi est: quia Sacerdotes noviter ordinati juxta Pontificale Romanum monentur, ut una cum Episcopo, eosdem ordinante, proferant verba consecrationis, & cetera peragant, quæ habentur in Canone Missæ, atqui eo tempore jam habent iidem Sacerdotes potestatem consecrandi; ergo.

138 Resp. Possunt plures simul eamdem Hostiam consecrare, dummodo formam consecrationis cum debita intentione simul super eamdem Hostiam proferant; & absolvant: quod si vero unus eorum, intendens absolute consecrare, alterum in finienda prolatione formæ quoad essentialia præveniat, tunc ipse solus consecrabit, non vero alter. Ita communis Theologorum; & ratio hujus postremæ partis est: quia Hostia semel consecrata est incapax ulterioris consecrationis.

139 Nec obstat quod ambo simul inceperint formam consecrationis proferre. Respondeo enim, consecrationem complete non perfici, nisi post integram prolationem essentialium formæ consecrationis; qua rite prolata mox consecratio Eucharistiæ est perfecta: unde solus ille consecrabit, qui cum debita intentione consecrandi prius absolvit formam.

140 Quæritur II. Quam igitur intentionem consecrandi simul cum Episcopo debeant formare Sacerdotes noviter ordinati in ea Missa, sub qua ordinantur? Ratio dubitandi est: quia vix moraliter loquendo possibile est, ut in eodem momento una cum Episcopo finiant formam consecrationis: unde videtur sequi; quod, si Episcopus prius finierit formam consecrationis, Sacerdotes noviter ordinati consecrent Hostiam jam consecratam, quod est falsum: vel, si isti præveniant, Episcopus ordinans nihil sit acturus, neque consecraturus, quod est absurdum; cum Episcopus sit principalis Minister, offerens illud Missæ Sacrificium.

141 Resp. I. Quod ad praxin attinet, optimum est consilium, ut Sacerdotes noviter ordinati intendant cum Episcopo proferre verba consecrationis, modo, quo possint, meliori, sive cum ea intentione, quam juxta sensum, atque ordinationem Ecclesiæ tunc habere debent. Ratio est: quia hoc modo evitatur omne periculum errandi, & quodlibet inconveniens ex præallegatis. Suarez *p. 3. tom. 3. disp. 61. sect.* 4, & alii.

142 Resp. II. Optimus modus, atque intentio Ecclesiæ videtur in hoc consistere, ut Sacerdos noviter ordinatus nullo modo præsumat, neque intendat prævenire Episcopum in consecrando: hoc enim foret magnum inconveniens, quia tunc revera Episcopus non sacrificaret; eo quod Missæ Sacrificium essentialiter consistat in consecratione, quæ tunc non ab Episcopo, sed a Sacerdote noviter ordinato fieret.

143 Deinde noviter ordinatus Sacerdos habeat intentionem conditionatam, seu potius disjunctam, vel consecrandi cum Episcopo, si possit simul cum eo formam absolvere, vel, si id non accidat, verba consecrationis materialiter solum proferendi in signum potestatis sacerdotalis sibi tunc concessæ. Quinimo sunt multi Auctores, quos refert, ac sequitur citatus Suarez, qui tenent, in dicto casu solum Episcopum proferre verba cõsecrationis formaliter, seu cum intentione consecrandi, alios vero Sacerdotes noviter ordinatos proferre ea solum materialiter, seu in signum potestatis sacerdotalis sibi tunc concessæ. Igitur ad evitanda quæcumque incommoda proferant Sacerdotes noviter ordinati una cum Episcopo verba consecrationis juxta sensum, atque intentionem Ecclesiæ, ac modo, quo possunt meliori: sic enim nullum aderit periculum errandi.

144 Quæritur III. Quid agendum, si ex errore Sacerdos infuderit aquam pro vino, idque primum post consecrationem advertat? Resp. cum Rubricis Missalis, *tit. De defectu vini*, & communi Doctorum. Si Sacerdos post verba consecrationis advertat, vinum non esse positum in calice, sed aquam, deposita aqua in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in calice, & facta Oblatione, saltem mente concepta (id est, formando intentionem consecrandi & dicendo saltem mentaliter illam Orationem, *Offerimus tibi Domine calicem salutaris &c.* absque elevatione, neque faciendo cum ipso Crucem super Altare) statim debet consecrare incipiendo ab illis verbis: *Simili modo*, *postquam cœnatum est*, *&c.* & Missam prosequi.

145 Et hoc idem faciendum, etiamsi error primum advertatur post sumptionem hujusmodi aquæ. Debet enim Sacerdos pariter apponere novum vinum cum aqua in calice & facta Oblatione, saltem mente concepta, consecrare, ut supra, & sumere, quamvis non amplius sit jejunus. Siquidem præceptum Divinum de integritate Sacrificii Missæ magis urget, quam præceptum Ecclesiasticum de sumenda Eucharistia a jejunis: non tamen debet in simili casu de novo elevari Hostia vel Calix.

146 Sed dubitabis. Quid agendum, si Sacerdos, dum potum adhuc habet in ore, priusquam deglutiat, sentiat, eum esse meram aquam? Respondent Angelus v. *Missa n.* 17. & Silvester. v. *Eucharist. II.* 15. quod, si potest sine scandalo, emittat aquam in calicem, & extrahat particulam S. Hostiæ, ipsamque aquam reponat in alio vase, & sic accipiat vinum, & consecret, ut supra, ac post sumptionem Sanguinis etiam aquam illam sumat, si potest sine periculo vomitus, vel, si timet de vomitu, reponat in Sacrario. Sed cum hoc sit difficillimum, & communiter non careat periculo scandali, præsertim si celebretur in publico, sitque non parva irreverentia, Particulam consecratam, prius calici in fractione sacræ Hostiæ immissam, rursus ex ore in Calicem evomere: hinc bene notat Gavantus *p.* 3. *in Rubric. Missar tit.* 4. *n.* 5. post Suarezium, quod absque scrupulo possit Sacerdos deglutire primum, & rursum consecrare, ac sumere secundum.

Additio. I.

* Quodsi ulterius indages. An Sacerdos invalide in aqua celebrans supposito, quod ex perplexitate, vel ignorantia non substituisset aliud vinum repetendo de novo Consecrationem, ast primum rediens in Sacristiam finita Missa se recollegisset, aut ab aliis informatus fuisset de sua obligatione, an (inquam) Sacerdos ille adhuc de novo in Sacristia posset consecrare vinum? Resp. cum Suarez, Herincx, & Pasqualigo probabilius negative. Ratio est: quia tunc non amplius videtur durare prior actio sacrificativa, adeoque etiam non habet locum aliqua suppletio.

Nec dicas. Sacerdos regressus ad Sacristiam, & adhuc vestibus Sacerdotalibus indutus licite particulas Hostiæ in patena sua inventas sumit, atque hoc ideo, quia moraliter adhuc durat actio sua sacrificativa: consequenter censetur in regressu ad Sacristiam durare actio sacrificativa, & sic poterit etiam ad Sacristiam regressus adhuc consecrare. Resp. enim cum Angelo v. *Missa* & Laymam *l.* 5. *tr.* 4. *c.* 6. *n.* 22. negando suppositum: quod Sacerdos ille jam reversus ad Sacristiam (secus dic, si adhuc staret ad altare etiam post purificationem) possit sumere relictas in patena particulas; quia sic reversus ministerium suum jam complevit, ita, ut hanc actionem nihil amplius per modum alicujus continui referri possit; unde tales particulæ potius forent reverenter ponendæ in Ciborium, vel alium decentem locum, qui si non adesset, possent equidem sumi etiam a non jejuno, non tamen ex eo fundamento, quasi adhuc duraret eadem actio sacrificativa, sed quia alias majori exponerentur periculo irreverentiæ, sicque jejunium non videtur adstringere. *

Additio II.

* Quæritur IV. Quid agendum Sacerdoti, si deprehendat in sumptione, vinum esse acetosum?

Resp. I. Si tantummodo sit aliquantum acescens, potest sumi absque scrupulo, præsertim in his partibus septemtrionalibus, ubi alia vina non sunt adeo dulcia, maxime in pagis. Ratio est: quia non adest grave periculum valoris Sacramenti, prout patet ex præcedenti 4. *Distinctione qu.* 3.

Resp. II. Si ita deprehendatur acetosum, ut ex gravi ratione prudenter dubitetur, num non omnino degeneraverit in substantiam aceti, debet ob periculum grave ipsius valoris: & integritatis Sacrificii sub conditione de novo consecrari, si sit prudens spes acquirendi novum melius vinum, & illud non nimis diu exspectari debeat; alias pergendum esset; nam Rubrica equidem dicit *aliquandiu*, sed non ponit *nimis diu* esse exspectandum; etenim nimis diuturna exspectatio videretur interrumpere connexionem moralem cum Consecratione Hostiæ. Ita la Croix *lib.* 6. *p.* 2. 2. *n.* 539. Pater Gobat *in Theol. Experimen T.* 3. *num.* 806. apud la Croix *loc. cit. num.* 549. putat in alio casu non esse diutius exspectandum, quam per unam circiter horam. *

Additio III.

* Quæritur V. Quid faciendum, si Sacerdos sub Missæ Celebratione moriatur, aut saltem ita destituatur viribus, ut nequeat continuare Missam? Resp. ex Missali Romano, si id contingat ante primam Consecrationem Corporis Christi, vel post sumptionem utriusque speciei, nihil erit ab alio supplendum: si vero post Consecrationem Hostiæ eveniat, Sacerdos alius etiam non jejunus (si nequeat jejunus haberi) debebit consecrare Sanguinem, sicque Missam prosequi, & quidem convenienter secundum illam intentionem applicandi, quam prior habuit. Quod si ambæ species jam fuissent à priori consecratæ, deberet alter Sacerdos utramque, si restet, alias illam, quæ est adhuc residua, sumere. Ita Missale Romanum *De Defectibus Tit.* 10. *num.* 3. *

Additio IV.

* Quæritur VI. An, & quando defectus accidentales a Sacerdote vel in recitando, vel in agendo commissi, sint ab eodem supplendi? Resp. Si quis longius jam sit progressus in Missa, vel si per supletionem deberet inverti Ordo Missæ, defectus accidentales, seu cæremoniales non amplius sunt per repetitionem supplendi in Missa. Ita omnes teste Sporer *p.* 2. *Theol. Sacram. cap.* 6. *sect.* 4. *n.* 433. Et ratio est: quia gravior fieret deordinatio, & irreverentia in sacra actione ista repetendo, quam prius contingit in omittendo. Accedit, quod teste Divo Thoma ea, quæ hic fiunt, ita ad invicem sint connexa, ut, si a propriis suis locis extrahantur, jam non ita ad invicem cohæreant. Hinc, si quis omiserit *Gloria*, vel competentem Epistolam, aut Evangelium, aut *Credo*, & primum notet post Offertorium, sive si intermiserit illud, quod sumere debuisset, extraordinarium *Communicantes*, ac jam procul v. g. ad consecrandam Hostiam processerit, non tenetur ista repetendo supplere. Quod si Sacerdos vero, dum secreto orat, post pauca verba non solum dubie, sed certo cognoscat, se notabile quidpiam ex oblivione, vel inadvertentia &c. omisisse, paululum regrediendum erit; quoniam id faciliter sine confusione, vel incommodo celebrantis, & absque murmure, seu admiratione populi fieri poterit. Ita cum aliis Sporer *loc. cit.* *

Additio V.

* Quæritur ulterius VII. Quidnam specialiter circa Sacrificium Missæ pro suo sanctissimo zelo statuerit Summus Pontifex Benedictus XIII. in Concilio Provinciali Lateranensi novissime celebrato? Ante Resp. Nota I. quod illud Concilium ad Dominicam in Albis Anni jubilæi 1725. indictum, ac postea ad Dominicam secundam post Pascha ejusdem Anni prorogatum, non fuerit Generale, sed Provinciale; Capuanam inter, & Pisanam Provinciam institutum, prout ipsemet Summus Pontifex insinuat in sua Constitutione: *Redemptor noster qui plantavit &c.* edita in pervigilio Nativitatis Domini die 24. Decemb. Anno 1724.

Nota II. Ex *Lib.* 1. *Decr. tit.* 2. §. 3. Concilium aliud dici Generale, seu OEcumenicum, aliud Nationale, aut Provin-

Provinciale, & demum aliud Diœcesanum, quod communiter Synodus Diœcesana appellatur. Concilium Generale conflatur ex Episcopis totius Orbis. Nationale ex Episcopis certæ Nationis e.g. Gallicæ &c. Provinciale ex Episcopis certæ Provinciæ, seu Archi-Episcopatus, & demum Diœcesanum ex Pastoribus alicujus Diœcesis.

Generale suppositis supponendis obligat quoad suas Constitutiones, & Decreta Orbem Universum, *Nationale* illam Nationem, & non ultra. *Provinciale* dictam Provinciam, & demum *Diœcesanum* eam Diœcesin. H. N. *

Additio VI.

* Resp. Circa Sacrificium Missæ Summus Pontifex Benedictus XIII. in suo Concilio Provinciali Lateranensi novissimo Tit. XV. sequentia statuit *Imprimis* c. 1. ejusdem Tituli XV. zelose commendat observationem Rubricarum Missalis, addens, intermissionem cujuslibet etiam in minimis (quod intellige saltem quoad Rubricas præceptivas) arguere peccatum, nimirum leve, vel grave pro qualitate materiæ, & contrariam consuetudinem, immemorialem quoque esse potius abusum, ac corruptelam, consequenter præscriptione defendi non poterit.

Secundo ibidem capite II. sustulit facultatem celebrandi in privatis, ubi dormiri solet, cubiculis, non obstantibus Indultis, aut Consuetudinibus quibuscumque, ita nimirum, ut exinde indifferenter, & absque necessitate, ac infirmitate non possit amplius prætendi facultas ibidem celebrandi. Interea tamen difficulter mihi persuadeo, quod piissimus, & clementissimus Pontifex per hæc verba voluerit cassare etiam speciale privilegium superius post quæstionem decimam Appendice I. Addit III. adductum, ac concessum Regularibus Mendicantibus, non quidem indifferenter, sed tantum in casu particulari gravis infirmitatis, ubi tales pauperculi nec Capellam Infirmariæ habent, vel saltem eamdem sine valde gravi difficultate accedere nequeunt. Eodem mitiori modo, quo Benedicti XIII. explicari quoque poterit Decretum Innocentii XIII. pariter celebrationem Missæ in privatis cubiculis inhibentis, uti Decretum illud S. R. C. 13. Maji anno 1723. editum, & ab eodem Pontifice approbatum cum aliis refert Cajetanus Merati *in Indice Decretorum n.* 648. Quod si autem aliquis Summus Pontifex expresse aliter statueret, etiam quoad *tales pauperculos infirmos* abrogando priora Apostolica privilegia, haud dubie se conformandum foret. Interea tamen, usque dum aliter expresse constet de mente Summorum Pontificum, pauperculi hi afflicti, quibus non est addenda nova afflictio, hoc privilegium (teste Peyerinis *tom.* 1. *fol.* apud me 195. *n.* 34. à Pio IV cum clausula: *Non obstantibus quibusvis Apostolicis Constitutionibus* concessum) in conscientia meo judicio tuto adhibere possunt. Adde quoad Concilium Romanum a Benedicto XIII. convocatum, quod id non fuerit Generale, sed tantum Provinciale, vel Nationale, sicque de per se non obliget, nisi illam Provinciam, vel Nationem.

Tertio loco citato, capite III. memoratus Summus Pontifex Decretum Clementis XI. quo Episcopis extra domum propriæ habitationis celebrationem Missæ in domibus laicis interdixit, conformiter Prædecessori suo Innocentio XIII. declaravit, ut sequitur: *Declaramus, quod, cum in prædicto Decreto statuatur, non licere Episcopis extra domum propriæ habitationis, in domibus laicis erigere Altare, ibique Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare, sive celebrari facere, hujusmodi prohibitio intelligenda non sit de domibus, etiam laicis, in quibus ipsi Episcopi forte, occasione visitationis, vel itineris, hospitio excipiuntur: & nec etiam, quando Episcopi in casibus a Jure permissis, vel de speciali Sedis Apostolicæ licentia, absentes a domo propriæ ordinariæ habitationis, moram idcirco faciunt in aliena domo per modum similis habitationis: his enim casibus licita iis erit erectio Altaris ad effectum prædictæ celebrationis, non secus, ac in domo propriæ ordinariæ habitationis.* *

Additio VII.

* Quæritur VIII. Quid sit sentiendum de Missis Gregorianis? Ante responsionem nota I. ex Felice Potestas *Tom.* 3. *Examinis p.* 1. *n.* 156. D. Gregorium *L.* 4. *Dial. c.* 55. Abbati Pretioso, ut pro quodam defuncto Monacho curaret celebrari Missas triginta, præcepisse his formalibus: *Vade, ab hodierna die diebus triginta continuis offerre pro eo Sacrificium: stude, ut nullus omnino prætermittatur dies, quo pro absolutione illius Hostia salutaris non offeratur.* Nota II. quod hunc Ritum sequantur multi Fidelium simili modo pro defunctis Patribus, Consanguineis &c. triginta Missas celebrari curantium, quæ Missæ, uti recte apud Felicem Potestas notat Tamburinus *l.* 2. *c.* 6. §. 7. non sunt prohibitæ, sed solum quædam aliæ impressæ pro vivis, & defunctis, quæ falso D. Gregorio adscribuntur. Patet hoc totum ex duplici Decreto a Cajetano Merati in indice Decretorum *n.* 228. & *n.* 236. relato H. N.

Respondeo ex Ritu exacto Constantini Hagerer *Ti.* 2. §. 1. *n.* 11. quoad Missas Gregorianas respiciendum esse ad tria. *Imprimis*, quod non sit necesse, ut idem numero Sacerdos has triginta Missas celebret: non enim dicit. in allata Historia D. Gregorius: *Vade offerre NB. per te &c. Secundo*, quod hæ tamen (remota autem omni superstitione) celebrari debeant diebus triginta continuis: taliter enim in Dialogo præcepit Abbati D. Gregorius. Ubi tamen non censetur fieri moralis discontinuatio ob triduum Sacrum majoris Hebdomadæ. *Tertio*, quod non necessario hæ Missæ triginta debeant esse de Requiem; hoc enim Gregorius superius denuo non exegit. *

Additio VIII.

* Quæres IX. Quidnam sit statuendum de Missis siccis? Ante resolutionem Nota, quad Missæ siccæ proprie non sint verum Sacrificium, cum careant non solum Consecratione, sed etiam Sumptione Sacratissimi Corporis, & Sanguinis Christi; fiebant autem antiquis temporibus valde frequenter præsertim in Gallia & ordinem hujus Missæ describunt Durandus, Joannes Burchardus, aliique apud Cajetanum Merati *part.* 1. *tit.* 20. *n.* 30. & 31. H. N. Resp. Missæ siccæ defacto, ne forte rudiores hasce cum veris Missis confundant, ferme totaliter abierunt in desuetudinem, exceptis Navalibus seu Nauticis (uti vocant) quæ adhuc in defectu veræ, & perfectæ Missæ in longiori navigatione pro consolatione navigantium in locis maris fluctuantibus & vacillantibus recitari solent. Videantur desuper Cardinalis Bonæ *Lib.* 1. *Rerum Liturgicarum cap.* 15. *n.* 6. & 7. & Merati *in Commentario in Rubricas Generales loc. cit.* *

147 Possent hoc loco plura similia dubia, Sacrificium Missæ concernentia, moveri. Verum ea exacte, simulque breviter resolvuntur in Rubricis Missalis, a quolibet Sacerdote bene legendis, atque observandis: hinc ipsa impræsentiarum omittuntur.

Additio IX.

* Illam tamen doctrinam, quam tradunt Rubricistæ super verba Canonis sequentia: *Una cum famulo tuo Papa nostro N. & Antistite nostro N.* non puto intermittendam esse ob plures errores, quos in nominando Papa, vel Antistite sæpius intervenire ipsemet observavi. Itaque *primo* nominatur semper Papa actu regnans & quidem ob summam reverentiam cum inclinatione capitis versus librum, non versus crucem in Altari positam. *Secundo*. Sede vacante dicta verba *una cum Papa nostro* omnino intermittuntur. *Tertio*. Per Antistitem (in Missa nominandum sine inclinatione capitis, ut sit distinctio inter Summum Pontificem, & inferiorem Antistitem) intelligitur Episcopus loci, in quo celebratur, quamvis ceteroquin celebrans non sit ejusdem Diœcesis, sed tantum peregrinus, seu transiens. Quod si nesciret nomen illius Episco-

Episcopi, per cujus Diœcesin transit, teste Merati satis esset in dicto casu dicere pro Antistite nostro, *mentaliter* intelligendo, in cujus Diœcesi celebratur. *Quarto* Si Episcopus illius loci per quem celebrans transit, fuerit mortuus, ea verba *pro Antistite nostro* omnino intermittuntur, uti pariter a Sacerdotibus Romæ celebrantibus defuncto Papa; quia, ibidem ipsemet Papa est simul Episcopus Romanus, & nullus alius. *Quinto* In locis *nullius Diœcesis*, quamvis Abbas Exemptus ibidem sit simul S. R. I. Princeps, non nominatur is post verba *& Antistite nostro*, sed uti vult Gavantus, Episcopus vicinior, ad quem pro Ordinatione itur: alii volunt, in loco omnino debere omitti verba illa *& Antistite nostro*; cum in eo loco non existat aliquis talis *Antistes*, qui sit *Episcopus*, uti tamen per ly *Antistes* intelligitur *Episcopus* vere talis. Utraque sententia est probabilis, & in praxi consulitur, ut celebrans in loco nullius Diœcesis se accommodet privilegiis particularibus, vel legitimæ consuetudini in eo loco introductæ. *Sexto.* In prædicto Canonis loco non est addendum nomen alicujus Principis Sæcularis citra speciale Privilegium Apostolicum, quale tamen concessisse fertur S. Pius V. pro Hispanis; vel si adsit inveterata & legitima consuetudo, quæ teste Merati asseritur vigere in Gallia pro Rege, & Venetiis pro Duce. Videantur Gavantus in Thesauro SS. Rituum super Rubricas Missalis hic, Catejanus Merati ibidem *Tom.* 1. *part.* 2. *Tit.* 8. *n.* 6. Constantinus Hagerer in Ritu exacto hic *par.* 1. *Tit.* 8. *n.* 3. *apud me in editione secunda fol.* 79. *&* 82. *

DISTINCTIO VI.

De Sacramento Pœnitentiæ.

QUÆSTIO I.

De institutione, natura & necessitate Sacramenti Pœnitentiæ.

SUMMARIUM.

1 *Pœnitentia sumitur ut Sacramentum, & ut virtus.*
2 *De Fide est, Pœnitentiam esse Sacramentum.*
3 *Est a Christo institutum.*
4 *Et quando præcipue?*
5 *Sacramentum Pœnitentiæ, quid?*
6 *Definitio ejus explicatur.*
7 *Est necessarium omnibus post Baptismum lapsis.* (*a* Dist. 2. n. 65. & 66.
8 *Appellatur* secunda post naufragium Tabula.

1 POEnitentia dupliciter sumitur, nempe ut est virtus, & ut est Sacramentum. *Pœnitentia ut Sacramentum* est unum, & in ordine quartum ex septem novæ Legis Sacramentis. *Pœnitentia ut virtus* non est Sacramentum, sed virtus quædam: qualis defacto etiam requiritur ad ipsum Sacramentum Pœnitentiæ rite ac fructuose percipiendum, cum sit pars ipsius. Et hanc communiter ad differentiam Pœnitentiæ Sacramenti solemus alio nomine vocare *Dolorem de peccatis, cum proposito non peccandi de cetero*; qui postmodum dividitur in Contritionem & Attritionem.

2 CONCL. I. De Fide est Pœnitentiam esse verum, & proprie dictum novæ Legis Sacramentum. Ita habetur tum ex perpetuo sensu, & traditione Ecclesiæ, tum ex definitione plurium Conciliorum, ac novissime Concilii Tridentini *Sess.* 14. *Can.* 1. sic definientis: *Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia pœnitentiam non esse vere & proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum; anathema sit.*

3 CONCL. II. Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue Christus Dominus instituit: cum a mortuis excitatus insufflavit in Discipulos suos *Joan.* 20. dicens: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis; retenta sunt.* Ita communis. Nam optime S. Concil. Trid. *Sess.* 14. *c.* 1. ad citatum textum Evangelicum sic loquitur: *Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis Successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit.* Hæc Concilium.

4 Dicitur, *tunc præcipue Christus instituit cum a mortuis &c.* Quamvis enim jam in vita sua Christus Dominus D. Petro hanc potestatem remittendi peccata sese daturum repromiserit, dum eidem dixit *Matth.* 16. *Tibi dabo claves regni Cœlorum; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis*: similemque promissionem ceteris postmodum Apostolis fecerit *Matth.* 18. eam tamen potestatem Christus actualiter primum post suam gloriosam Resurrectionem Apostolis antea sub ultima Cœna in Sacerdotes ordinatis, contulit *citat. loc. Joan.* 20. Unde & eo tempore Sacramentum Pœnitentiæ præcipue institutum dicitur.

5 CONCL. III. *Sacramentum Pœnitentiæ* est absolutio hominis pœnitentis, facta certis verbis, cum debita intentione prolatis a Sacerdote Jurisdictionem habente, ex institutione Divina efficaciter significantibus absolutionem animæ a peccato. Ita Doctor Subtilis *in* 4. *Dist.* 14. *quæst.* 4. cum suis.

6 Dicitur, *Absolutio hominis pœnitentis*: id est, signum sensibile, sive Sacramentum novæ Legis consistens in absolutione hominis pœnitentis; eo modo, quo Baptismus dicitur esse absolutio hominis &c. Et additur, *facta certis verbis, cum debita intentione prolatis a Sacerdote jurisdictionem habente*: tum quia Minister hujus Sacramenti est solus Sacerdos, ita ut nullo modo Diaconus, multo minus alius inferior Clericus, illud ministrare possit: tum quia Sacerdos ille præter characterem Sacerdotalem etiam habere debet jurisdictionem in pœnitentem, vel ordinariam, vel saltem delegatam, alioquin etiam absolutio data non valeret, cum sententia, a non suo Judice lata, nulla sit. Ceteræ particulæ vel patent ex dictis in simili de aliis Sacramentis, vel amplius patebunt ex dicendis.

7 CONCL. IV. Sacramentum Pœnitentiæ est omnibus, post Baptismum in peccatum mortale lapsis, necessarium ad salutem in re, vel saltem in voto. Conclusio hæc est certa, & inter Catholicos indubitata, atque præter alia patet ex Concilio Trident. *Sess.* 14. *c.* prout jam superius (*a*) declaratum fuit.

8 Additur vero, *omnibus post Baptismum in peccatum mortale lapsis.* Siquidem peccata ante receptum Baptismum commissa remittuntur virtute ipsius Sacramenti Baptismi, neque sunt materia apta Sacramenti Pœnitentiæ. Et hinc istud Pœnitentiæ Sacramentum recte a SS. Patribus appellatur *secunda post naufragium Tabula*, naufragis præparata; prout habetur *can. Secund. De Pœnit. dist.* 1. juncto Concilio Trident. *cit. Sess.* 14. *can.* 2. ibi: *Si quis Sacramenta confundens &c. dixerit, Pœnitentiam non recte secundam post naufragium Tabulam appellari, anathema sit.*

QUÆSTIO II.

De Materia Sacramenti Pœnitentiæ.

SUMMARIUM.

9 *Materia ipsius remota, eaque vel necessaria, vel sufficiens*
10 *Et proxima, quæ,*
11 *Circa hanc doctrina Scoti, & Concilii Trid. concordant.*
12 *Peccatum originale, & actualia ante Baptismum non sunt materia Sacramenti Pœnitentiæ.*
13 *Peccata venialia sunt materia sufficiens.*
14 *Non autem solæ imperfectiones.*
15 *Circa has, quid observandum in praxi?*
16 *Aut quando materia certa haberi nequit?*

17 *Peccata rite confessa sunt materia sufficiens.*
18 *Solvitur instantia.*
(b Adde dicenda n. 34. & 35.
19 *An sit necesse addere; quod peccata jam fuerunt confessa, nec ne?*
20 *Id per accidens quandoque explicandum.*

9 CONCL. I. Materia Sacramenti Pœnitentiæ est duplex, remota, & proxima. *Remota* sunt peccata post Baptismum commissa: & hæc rursum est duplex, videlicet necessaria, & sufficiens. *Materia remota & necessaria* Sacramenti Pœnitentiæ est omne peccatum mortale post Baptismum commissum, & nondum rite confessum. *Materia sufficiens*, etsi non necessaria, est omne peccatum veniale post Baptismum commissum, vel etiam mortale alias rite confessum. Ita communis Theologorum, idque patet inter alia ex Concilio Trid. *Sess.* 14. *c.* 5.

10 Porro *Materia proxima* Sacramenti Pœnitentiæ sunt actus pœnitentis, videlicet Contritio, Confessio, & Satisfactio. Ex quibus Satisfactio in re exhibita communiter conceditur esse solum pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ: uti patet in agnonizante, qui, si prius petivit Confessarium, aut aliud signum petitæ Confessionis dedit, potest, ac debet absolvi absque alia injuncta Satisfactione, utpote quam amplius præ mortis angustiis peragere nequit. Contritio vero, & Confessio juxta Thomistas & Recentiores passim, sunt partes essentiales Sacramenti Pœnitentiæ, juxta Doctorem Subtilem vero 4. *dist.* 16. *q.* 1. §. *De Pœnitentia*, & Scotistas potiores, essentiam stricte ac præcise pro ipsa quidditate rei accipientes, solum requiruntur (necessario tamen, seu simpliciter) *ad Sacramentum Pœnitentiæ, ad hoc, ut digne recipiatur*, prout amplius ibidem explicat Scotus.

11 Et cum hac Scotica doctrina concordat Concilium Trident. *Sess.* 14 *cap.* 3. sic dicens: *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus; nempe Contritio, Confessio, & Satisfactio: qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem ex DEI institutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur.* Nota ly *qui, quatenus ad integritatem Sacramenti &c. requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur*: & consequenter, ex mente Concilii Tridentini, actus Pœnitentis non sunt partes essentiales hujus Sacramenti (ut volunt alii) sed solum eatenus dicuntur partes ipsius, quatenus ad ejus integritatem, atque ut digne & perfecte recipiatur, requiruntur: quæ est ipsissima sententia Scoti, & communis Scotistarum. Sed dimissa Theologis hujusmodi difficultate speculativa, sit ulterius

12 CONCL. II. Peccatum originale, nec non peccata actualia ante Baptismum commissa non sunt materia apta Sacramenti Pœnitentiæ. Ita Scotus 4. *dist.* 4. *q.* 5. cum communi. Nam peccatum originale, sicut & peccata actualia ante Baptismum commissa tolluntur virtute Sacramenti Baptismi: & Sacramentum Pœnitentiæ, tanquam secunda post naufragium Tabula, est institutum a Christo pro remissione sequentium peccatorum. Unde, si Judæus, vel Gentilis recens baptizatus sola peccata ante Baptismum commissa vellet confiteri, ipse non posset absolvi: quia non afferret materiam aptam hujus Sacramenti Pœnitentiæ.

13 CONCL. III. Peccata venialia possunt vel omnia, vel aliqua eorum (idem dicendum de mortalibus jam rite confessis, si peragitur Confessio generalis) in Confessione omitti: cum non sint materia necessaria, sed solum sufficiens, ac proinde utiliter quidem, sed non necessario Clavibus Ecclesiæ subjiciuntur. Unde Concilium Trid. *loc. cit. cap.* 5. sic ait: *Peccata venialia, quibus a gratia DEI non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quamquam recte & utiliter, citraque omnem præsumptionem in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis expiari possunt.*

14 CONCL. IV. Solæ imperfectiones non sunt materia apta Sacramenti Pœnitentiæ. Ratio est; quia tales non sunt peccatum mortale, aut Veniale. Unde recte monent Doctores, quod in Confessione semper sit afferenda materia certa, & si nova non occurrat, saltem ex jam semel confessis.

15 Porro materia certa (ut notat Diana *part.* 3. *tr.* 4 *resol.* 5. contra Toletum *lib.* 3. *c.* 2. *n.* 6.) non est, confiteri dumtaxat, quod quis non responderit Divinis inspirationibus, non fecerit bonum, quod poterat, & hujusmodi. Ratio est quia similia de per se non sunt peccata, sed tantum imperfectiones, utpote tantum contra consilium, non contra præceptum. Quamvis idcirco in his exponendis non debeat Confessarius impedire Pœnitentem: tum quia multa, quæ nonnumquam videntur meræ inperfectiones, sunt peccata venialia, idque ob varias intervenientes circumstantias, utputa negligentias voluntarias, vel leves contra rectam rationem excessus: tum quia ad majorem sui humilitatem, atque exercitationem ferventioris progressus spiritualia talia recte aperiuntur. Lugo *disp.* 16. *De Pœnitentia*: *n.* 103.

16 Quod si vero materia certa omnino haberi non possit, sed dumtaxat dubia, pro ratione dubii danda est absolutio sub conditione, saltem tacita, præsertim si gravitas peccati dubii, aut alia circumstantia id expostulare videtur: vel, nulla apparet necessitas, aut saltem magna utilitas Sacramentum sub conditione ministrandi, absolutione penitus supersedeatur. Layman *lib.* 5. *tr.* 6. *cap.* 3. *n.* 5.

17 CONCL. V. Peccata jam rite confessa, & remissa sunt materia sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ, possuntque denuo fructuose confiteri, & subjici Clavibus Ecclesiæ. Ita communis; & patet *Extravag. Inter cunctas.* §. *Ceterum. De Privilegiis*, ibi: *Licet de necessitate non sit, iterum eadem confiteri peccata; tamen quia propter erubescentiam, quæ magna est Pœnitentiæ pars, ut eorumdem peccatorum iteretur Confessio, reputamus salubre &c.* Accedit praxis piorum hominum, qui sæpius peragunt Confessiones tum generales, tum certorum peccatorum jam antehac confessorum.

18 Dices. Nemo potest solvi, qui non est ligatus; sed pœnitens post peccata rite confessa eisdem non est ligatus, maxime, si eadem remittuntur tam quoad culpam, quam simul quoad pœnam: ergo eisdem non potest solvi virtute absolutionis Sacramentalis, sicque ea non videntur amplius posse subjici Clavibus Ecclesiæ. Respond. majorem illam, *Nemo potest solvi &c.* procedere solum in physicis (prout v. g. nemo potest solvi a catena, vel alio vinculo corporali, nisi actualiter ipso ligatus existat) non vero in moralibus, ubi sufficit tale vinculum præcessisse, cum talis *solutio* habeat se per modum *condonationis*: potest autem in moralibus quis injuriam sibi illatam sæpius alteri condonare, præsertim si is iterato veniam roget. Idem ergo dicendum de absolutione Sacramentali a peccatis, sæpius cum iterato dolore confessis, Clavibus Ecclesiæ subjectis. Et hinc ob eamdem rationem utique etiam valide subjiciuntur Clavibus Ecclesiæ illa peccata gravia, quæ antea per perfectam contritionem erant remissa. Ubi vides, quod non procedat paritas quoad vincula physica (*b*)

19 Quæres. Utrum sit necesse pœnitentem in Confessione exprimere, quod peccata sua jam semel sint confessa, nec ne? Resp. Per se loquendo id necesse non est; prout notant Lugo *disp.* 16. *De Pœnit. sect.* 2. §. 1. Sanchez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 10. *num.* 17. Bonacina, & alii: quia peccatum est idem specie, ac numero, sive confessum fuerit, sive non; neque etiam tempus, quo id commissum est, addit circumstantiam speciem mutantem.

20 Dicitur, *per se loquendo.* Siquidem per accidens quandoque id necessarium est explicare v. g. ob annexam reservationem eo quod a casu reservato ceteroquin posterior Confessarius absolvere non posset, nisi illud peccatum jam prius habenti debitam jurisdictionem confessum fuisset. Idem contingere potest ob proximam

peccandi occasionem, quæ alioquin Confessario non innotesceret. Item, quando ratione circumstantiarum peccatum specie mutatur; ut si Peccatum venereum sit, & tempore, quo committebatur, pœnitens existerit solutus, aut laicus, nunc autem est conjugatus, Clericus, aut voto Castitatis obstrictus, vel econtra: nam, nisi tunc notificetur status iste variatus, deciperetur in materia gravi Confessarius, intelligens, pœnitentem vel habere circumstantiam specie diversam, vel ipsa carere &c. In praxi proinde saltem tutius erit nova peccata ab antiquis separare: eo præsertim, quia alioquin pœnitentiam competentem Confessarius imponere non sciret; cum major debeatur peccato mortali necdum confesso, quam semel jam rite confesso, & quoad culpam dimisso.

QUÆSTIO III.

De Forma Sacramenti Pœnitentiæ.

SUMMARIUM

21 *Forma Sacramenti Pœnitentiæ, quæ?*
22 *Quæ verba sint de ejus essentia?*
23 *Solvitur instantia de ly &c.*
24 *Solvuntur aliæ instantiæ.*
25 *An possit omitti particula* Te?
26 *Absolutio in scriptis, vel absenti data non valet.*
27 *Solvitur instantia.*
28 *Disparitas inter absolutionem a peccatis & censuris.*
(c) Ut dictum Tract. 13. Dist. 1. n. 41. & 43.
* *Quando censeatur Pœnitens moraliter præsens, ut possit absolvi?*
29 *Forma absolutionis sub modo deprecativo non valet.*
30 *Quid, si dicatur,* Absolvo Dominationem vestram.
31 *Aliæ preces non sunt de essentia formæ.*
32 *Ritus absolutionis sacramentalis.*
33 *Quid observandum circa Irregularitatem?*
(d) Vide Tract. 13. Dist. 1. n. 41. & 42. ac Dist. 3. n. 74.
* *Qualiter Absolutio a censuris præmittenda Sacramentalis?*
34 *Sensus verborum formæ Absolutionis, quis?*
35 *Præsertim, si peccata jam prius remissa sunt.*
* *Quando forma Absolutionis sit proferenda absolute, & quando conditionate? Add. I.*
* *Quando eadem semel data sit iterum repetenda? Add. II.*
* *An ob novum peccatum veniale post Absolutionem allatum repeti valeat? Add. III.*

21 CONCL. I. Forma Sacramenti Pœnitentiæ sunt verba absolutionis a Sacerdote prolata, videlicet illa, *Ego te absolvo a peccatis tuis*, vel alia æquipollentia, & actum judicialem sententiæ absolventis sufficienter exprimentia. Desumitur hoc tum ex Rituali Romano Pauli V. cujus verba *n.* 32. referentur: tum ex Concilio Trid. *Sess.* 14. *cap.* 3. ubi ait: *Sacramenti Pœnitentiæ formam in illis Ministri verbis positam esse, Ego te absolvo &c. &c. Quibus quidem de Ecclesiæ Sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur, ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacrament administrationem sunt necessariæ.* Hæc Concilium.

22 CONCL. II. Ex prædictis sola illa duo verba, *Absolvo te*, vel æquivalentia sunt de essentia formæ absolutionis, ac necessario exprimenda necessitate Sacramenti. Ita Doctor Subtilis 4. *dist.* 14. *q.* 4. §. *Ex hoc sequitur*, ibi: *Communiter tamen ista verba sunt apta, Ego te absolvo.* Concordat Concilium Florentinum in Decreto Unionis ibi: *Forma hujus Sacramenti est: Ego te absolvo &c.* Et Tridentinum *loc cit.* Accedit ratio: quia hæc duo sola vocabula, *absolvo te*, constituunt perfectam sententiam absolutoriam Rei quoad peccata ab eodem in Confessione explicata; ergo hæc sola constituunt essentiam formæ absolutionis.

23 Dices I. Concilium tam Florentinum, quam Tridentinum post dicta duo vocabula apponit ly &c. ergo & sequentia spectant ad essentiam formæ. Resp. negando consequentiam: quia inde solum sequitur, sequentia verba, *a peccatis tuis*, esse apponenda de præcepto, adeo, quod eadem omittens peccaret, vel mortaliter, vel juxta alios venialiter Busenbaum. *lib.* 6. *tr.* 4. *cap.* 1. *dub.* 1. Deinde per citatum ly &c. denotatur, quamvis verba immediate sequentia, *a peccatis tuis*, jam tacite intelligantur in præcedentibus, adhuc tamen ea spectare ad magis explicatam, atque expressam significationem formæ.

24 Dices II. Verba illa, *absolvo te*, ex se non faciunt completum sensum absolutionis Sacramentalis, cum sint indifferentia ad significandam absolutionem a censuris, pœnis, vel culpis: ergo se solis non sufficiunt pro essentia formæ Sacramenti Pœnitentiæ. Respond. negando consequentiam: quia, licet verbum, *absolvo te*, ex se sit indifferens ad significandam absolutionem a pœnis, censuris, vel peccatis, ipsum tamen præcedente hominis pœnitentis Confessione, super quam cadit, sufficienter, atque ex vi talis locutionis determinatur ad significandam illius hominis absolutionem a peccatis, ita ut determinate cadat super hæc peccata absolvenda: sicuti in simili, si quis roget veniam illatæ injuriæ, altero respondente, *remitto tibi*, censetur vi hujus locutionis ipsi remissa injuria, pro qua rogavit veniam.

25 Dices III. Ergo pariter poterit omitti ly *Te*; cum similiter verbum, *Absolvo*, concurrentibus hujusmodi circumstantiis sufficienter determinetur ad significandam absolutionem a peccatis potius, quam a censuris, vel aliis vinculis. Resp. negando sequelam. Siquidem omissa particula *Te* mutatur substantialiter significatio formæ; forma enim absolutionis fuit instituta a Christo Domino per voces demonstrativas, adeo ut non nisi super præsentem cadere possit, prout desumitur ex illis verbis Christ. *Joan.* 20. *Quorum remiseritis peccata &c.* juncta perpetua traditione, ac sensu Ecclesiæ: atqui omissa particula *Te*, locutio illa non est demonstrativa; cum verbum *Absolvo* proferri possit non solum circa peccata præsentis, sed etiam absentis. Sufficeret tamen pro essentia formæ absolutionis, si Sacerdos diceret, *Absolvo a peccatis tuis*: quia in ly *Tuis* implicite continetur ly *Te*. Lugo *disp.* 13. *De Pœnit. n.* 26.

26 CONCL. III. Absolutio in scriptis data, vel etiam absenti collata est nulla, & invalida. Ita communis. Siquidem ad formam absolutionis requiruntur verba proprie dicta, seu quæ oretenus proferuntur in præsentem prout tenuit perpetuus sensus Ecclesiæ, & indicant verba Concil. Trid. *n.* 21. relata, ubi ait: *Sacramenti Pœnitentiæ formam in illis Ministri verbis* (hoc enim scripturæ non *convenit*) *positam esse.* Id ipsum declarat ly *Ego te absolvo &c.* quod est demonstrativum, & de absente non verificatur. Hinc merito Clemens VIII. in Decreto quod incipit, *Sanctissimus*, 1602. die 20. Julii edito (& habetur *tom.* 3. *Bullarii Romani Constit.* 87. *dicti Pont.*) damnavit & sub pœna Excommunicationis prohibuit oppositam quorumdam sententiam, asserentium, *Licere per litteras, seu internuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere.*

27 Nec obstat, quod Sacramentum Pœnitentiæ sit a Christo Domino institutum per modum Judicii; in Judicio autem possit quis absolvi absens, ac etiam per scripturam. Resp. enim, etsi hoc verum sit in foro externo, ac Judicio publico, sive Sæculari, sive Ecclesiastico; negatur tamen, id procedere in foro pœnitentiali, seu Judicio Sacramentali. Nam istud habet totum suum valorem ex institutione Christi, qui voluit, & ordinavit, ut rem ex institutione Christi, qui voluit, & ordinavit, ut in hoc Sacramento, seu foro Pœnitentiali proferatur forma absolutionis per verba proprie dicta, atque in præsentem; non autem scripto, vel in absentem. Et quidem Christum sic instituisse, patet ex perpetua traditione, praxi, ac sensu Ecclesiæ, ipsiusque Summi Pontificis, Christi in terris Vicarii, definitione. Ex quo ulterius sequitur, quamvis hoc Sacramentum fuerit institutum per modum Judicii, nihilominus illud non per omnia æquiparari Judicio forensi, idque ob specialem Christi ordinationem circa aliqua factam.

28 Nec

28 Nec rursum obstat, quod absolutio ab Excommunicatione, aliisque Censuris Ecclesiasticis possit dari absenti, atque in scriptis. (*c*) Resp. enim negando consequentiam, & paritatem. Ratio disparitatis desumitur ex Christi institutione, qua ad formam Sacramenti Pœnitentiæ seu absolutionem Sacramentalem a peccatis requiruntur verba proprie dicta & in præsentem prolata prout patet ex dictis superius *n.* 26. Id autem nequit dici de absolutione a Censuris Ecclesiasticis, utpote Jure Ecclesiastico constitutis, non autem a Christo immediate provenientibus, sicut forma Sacramenti Pœnitentiæ. Accedit communis praxis Ecclesiæ, & consensus Doctorum.

Additio.

* Quæres. Quandonam ergo Pœnitens censeatur moraliter ita præsens, ut possit valide absolvi. Respond. Pœnitentem tunc censeri moraliter præsentem, si inter eumdem & Confessarium tanta solummodo intercedat distantia, qua alias homines etiam in communi, licet altiori voce, ad invicem loqui possunt, & solent: Ratio est, quia intra talem distantiam adhuc commode potest exerceri actus judicialis. Addit P. Elbel *part.* 2. *Theolog. Sacrament. Conferent* 2. *n.* 29. in formalibus: *talem moralem præsentiam, & modum invicem communicandi se posse extendere ad viginti circiter passus, præsertim, ubi pœnitens necdum est egressus conspectum Confessarii.* Notant insuper apud eumdem Auctorem Sporer, Stoz, la Croix, minime fore necessarium, ut dicta verba absolutionis Pœnitens ipsemet actualiter audiat: nam valet absolutio etiam surdi, vel si Confessarius tam submisse loquatur, ut a Pœnitente nequeat intelligi; dummodo ceteroquin verba exterius vere proferat. Ita ille: ex quo etiam valde prudenter approbat factum cujusdam Sacerdotis, stantis supra pontem, & pertranseuntem navim, pontis sublicæ seu jugo allisam videntis, uti & Nautas cum aliis aquæ innatantes, quos omnes sub ipso ponte, vel intra spatium 20. passuum cum evidenti periculo submersionis existentes, saltem conditionate absolvit, quamvis nonnullos sub ponte immersos non amplius pro tunc videre potuerit. *

29 CONCL. IV. Forma absolutionis sub modo deprecativo prolata non valet. Unde, si dicatur: *Absolvat te DEUS*, nullum perficitur Sacramentum. Ita communis Doctorum. Ratio est: quia hoc Sacramentum est a Christo institutum per modum Judicii; ergo & forma ejus debet proferri per modum sententiæ judicialis, non autem per modum deprecationis, vel impetrationis.

30 CONCL. V. Valida est absolutio, si reverentiæ causa Confessarius dicat, *Absolvo Dominationem vestram*, vel *Majestatem vestram.* Ratio est: quia non mutatur substantialiter forma; etsi mutatio hujusmodi neutiquam sit adhibenda in praxi. Idem erit, si dicatur, *Solvo te a peccatis tuis*, vel *Remitto tibi pecccata tua*, & hujusmodi: quia talia verba sunt æquivalentia formæ communiter usitatæ. Econtra vero hanc formulam, *Ego te mundo a peccatis tuis*, plerique arbitrantur non sufficere; quia non videtur significare absolutionem per modum sententiæ judicialis: qualis requiritur ad Sacramentum Pœnitentiæ, utpote quod per modum judicii est a Christo institutum.

31 CONCL. VI. Aliæ preces, quæ juxta morem Sanctæ Eclesiæ laudabiliter apponuntur, non spectant ad essentiam formæ, neque ad hujus Sacramenti administrationem sunt necessariæ. Ita expresse Concilium Trid. *Sess.* 13. *cap.* 3. cujus verba *n.* relata sunt. Hinc Rituale Romanum, jussu Pauli V. editum, dicit, quod in Confessionibus frequentioribus & brevioribus possit omitti, *Misereatur tui. &c.* & satis sit dicere, *Dominus noster JESUS Christus &c.* usque ad illud, *Passio Domini &c.* Unde hoc in concursu Pœnitentium practicari licite poterit.

32 Ceterum pro praxi, & digna administratione Sacramenti Pœnitentiæ observandum, quod juxta citatum Rituale Romanum, Pœnitente ante Confessionem petente benedictionem, Confessarius dicat: *Dominus sit in corde tuo, & in labiis tuis, ut digne & competenter confitearis peccata tua, in nomine Patris* (formando signum Crucis versus eum) *& Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Deinde peracta rite Confessione, & injuncta Pœnitenti prius, ab eoque acceptata salutari pænitentia, primo dicit *Misereatur tui &c.* Deinde dextera versus Pœnitentem elevata, dicit: *Indulgentiam &c. Dominus noster JESUS Christus te absolvat: & ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis*, (hoc verbum *Suspensionis* in Laicis omittitur) *& interdicti, in quantum possum, & tu indiges. Deinde, ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris † & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Passio Domini nostri JESUS Christi, merita B. M. V., & omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ & præmium vitæ æternæ. Amen.* Urgente vero aliqua gravi necessitate, ut puta in periculo mortis instantis, breviter Confessarius dicere poterit: *Ego te absolvo ab omnibus Censuris, & peccatis in nomine Patris &c.* Ita Rituale Rom.

33 Observandum ulterius nomine Censurarum non venire Irregularitatem; atque ideo, si quid circa eam concedatur ipsam ab habente facultatem dispensandi esse specialiter exprimendam, dicendo: *Dispenso tecum in Irregularitate, quam incurristi propter &c.* & specificatur causa. Et hoc ultimum etiam observandum in absolutione a Censuris. (*d*)

Additio

* Porro non præmittere deliberate absolutionem a Censura excommunicationis ante absolutionem a peccatis, quando prudens foret dubium, utrum pœnitens forsan non sit tali vinculo innodatus, juxta Suarez, & Sporer esset peccatum grave; quia Ecclesia graviter præcipit, ut nemo excommunicatus ullum Sacramentum, etiam Pœnitentiæ, recipiat, antequam prius tollatur tale vinculum. Quoniam vero *suspensio* non æque ac excommunicatio privat receptione Sacramentorum, non foret peccatum grave absolutionem suspensionis postponere absolutioni Sacramentali, uti notat hic la Croix: idque in praxi vel maxime deservire poterit, si Pœnitens esset Sacerdos, & Confessarius ex aliqua incuria post verba, *absolvo te ab omni vinculo excommunicationis*, non adderet, *suspensionis*, primum reflectendo post, vel intra verba, *Ego te absolvo a peccatis tuis*, hujusce omissionis circa absolutionem a suspensione.

34 Quæres I. Quis sit sensus verborum formæ absolutionis, *Ego te absolvo a peccatis tuis?* Resp. Sensus horum verborum ille est, quem verba ipsa juxta proprium suum significatum important, ita ut per modum sententiæ judicialis significent absolutionem hominis a peccatis, loco Dei a Sacerdote factam. Ita Mastrius 4. *disp.* 5. *n.* 386. Lugo *disp.* 3. *de Pœnit. n.* 72. & alii, quamvis multi dictam formam in alio sensu explicent. Ratio est: quia forma Sacramentorum, quantum fieri potest, intelligenda est in sua propria significatione, uti patet in forma Sacramenti Baptismi, Confirmationis, & aliis: ergo idem dicendum de forma Sacramenti Pœnitentiæ, sive de absolutione Sacramentali, cum commode sic intelligi possit.

35 Dices. Sæpius contingit, quod peccata confessa jam sint prius remissa virtute contritionis perfectæ, vel alterius confessionis prioris; ergo saltem tunc verba formæ absolutionis non possunt intelligi in propria significatione, sicque erunt accipienda in alio sensu. Resp. negando consequentiam: quia nihil obstat, quo minus idem peccatum cuipiam sæpius remittatur, conformiter dictis *n.* 18. Quinimo hoc ipsum contingit etiam in Judicio humano, ubi Reus sæpius judicialiter absolvitur, si eadem causa sæpius in Judicium deducatur.

Additio. I.

* Quæres II. Quando hæc forma absolutionis sit proferenda absolute, & quando conditionate? Resp. I.

Quando nullum prudens dubium emergit de valore Sacramenti, forma absolutionis proferenda est absolute, eo ipso, cum nulla prudens ratio dubitandi adsit, propter quam deberet proferri conditionate. Ita communis, adeo, ut Castropalao, & Stoz apud la Croix *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 1769. satis in hoc puncto rigidi judicent peccati mortalis reum illum Confessarium, qui absque Justa causa absolveret conditionate. Ubi tamen Doctores ab hac gravi culpa recte eximunt illos anxios Confessarios, qui formam absolutionis proferunt sub conditione ex eo, ut se molestis liberent scrupulis, quia, quando hi anxie agunt ex metu, ne offendant Deum, non videntur agere imprudenter, nec gravem irreverentiam inferre Sacramento, si verba absolutionis conditionate proferant, ut exinde ab his anxietatibus se liberent. quas alias de periculo irreverentiæ Sacramento inferendæ haberent, si formam proferrent absolute. Ita ex Tamburino, Leandro, & Gobat advertunt la Croix *lib.* 6.*part.* 1.*n.* 130. & Sporer *part.* 3. *Theolog. Sacrament.cap.* 5. *q.* 3. *n.* 631. Unde, practice loquendo, meo Judicio (salvo meliori) vix unquam peccabitur mortaliter proferendo formam absolutionis conditionate; quia vix umquam sic proferetur, nisi simul habeatur aliqua anxietas, vel causa dubitandi ex proxime enarrandis de subsistentia valoris Sacramenti; ubi propterea absolutio conditionate datur, ut ex una parte hoc Sacramentum forsan non exponatur periculo nullitatis absolvendo absolute, ex altera vero simul etiam pœnitens, si omnia requisita adessent, non defraudetur fructu hujus Sacramenti, prout tamen fieret, si nullo modo absolutio daretur. Interea tamen scropulosi tam in forma absolutoria, quam consecratoria non abutantur hac doctrina, sed cæco modo sequantur consilium Directoris conscientiæ eorum.

Resp. II. Quando circa valorem Sacramenti Pœnitentiæ prudens resultat dubium, forma absolutionis danda est conditionate, nimirum, *si capax es, ego te absolvo &c.* conditione hac, vel simili saltem mente retenta. Ita Sporer *p.* 3. *Theol. Sacram. c.* 5. *qu.* 2. §.4. & qu. 3. § 2. Ratio est: quia alias Sacramentum exponeretur periculo nullitatis, sicque eidem Sacramento per prolationem formulæ absolutam juxta communem existimationem Doctorum gravis irreverentia irrogaretur. Porro talia dubia solent non raro oriri *Primo.* Quoad pueros confitentes, num sint capaces rationis; vel, ut inquit Sporer *l. cit.* num vere peccaverint, nec ne? 2. Quoad adultos consuetudinarios, & inveteratos peccatores, num habeant verum dolorem, & efficax propositum? 3. Quoad animas perfectioni deditas, vel etiam quoad rudes, num habeant sufficientem materiam? ubi, si tunc ad instantiam Confessarii addunt unum, vel alterum peccatum antiquum v.g. in juventute commissum, attamen exinde aliquoties Confessarius, præsertim apud rudes, novo anxiabitur dubio ex circumstantiis, num pro eo tempore, quando commiserunt, malitiam peccati sufficienter intellexerint, vel num deliberate egerint &c. 4. Quoad moribundos, num signa doloris, & confessionis adsint vera, nec ne? num ex corde contrito, vel vehementia morbi elicita? *

Additio. II.

* Quæres III. An, & quando formula absolutionis semel data sit iterum repetenda? Resp. I. Quando Confessarius post factam Confessionem, antequam pœnitens suus ex ipso confessionali jam discesserit, prudenter dubitat, aut graviter formidat, an suo pœnitenti v. g. ob distractionem aliquam dederit jam absolutionem, vel num in ea nihil de verbis essentialibus omiserit, repetenda erit absolutio, non quidem absolute, sed conditionate e. g. *si te nondum valide absolvi, ego te absolvo &c.* Ita communis, & ratio est: quia necessitas, vel magna utilitas suscipientis hoc Sacramentum Pœnitentiæ, & exinde fructus ejusdem subsecuturos, est justa causa repetendi formulam absolutionis: reverentiæ autem Sacramenti satis consulitur per conditionem appositam &c. Dixi notanter: *Si dubium sit prudens, aut timor gravis*; nam, si tale dubium foret imprudens, aut timor irrationabilis, deberet contemni, & repetitio formulæ intermitti, nisi nimiæ anxietates in animo tuo, si intermittas, exortæ te excusent a peccato in conditionata repetitione formulæ. De quo vide Sporer *p.* 3. *Theol. Sacram. c.* 5. *q.* 3. §. 2. *n.* 631.

Resp. II. Si Confessarius quidem bene se recolligat, quod jam dederit suo Pœnitenti Absolutionem, interea tamen idem peccator post eamdem adhuc afferat quidpiam, quod a principio debuisset necessario exprimi, nosito, quod pro tunc fuisset recordatus, in tali casu formula Absolutionis erit repetenda absolute: puta, si post primam Absolutionem pœnitens dicat, se fuisse oblitum unius fornicationis; vel si confessus, se fornicatum quinquies *circiter*, postea se magis reflectens asserat, factum esse decies, qui numerus per ly *circiter* non erat in priori inclusus &c. In omnibus his, quos adducit Sporer *l. cit.* & similibus casibus repeti debet formula Absolutionis absolute. Ita communis, & ratio est; quia hæc gravia peccata numquam adhuc fuerunt directe absoluta; utpote numquam adhuc confessa, uti suppono, adeoque postea de novo Ecclesiæ clavibus subjecta indigent Absolutione nova absoluta. Nota hic incidentaliter ex la Croix *l.* 6.*p.* 2.*n.* 940. quod sub particulis, *circiter*, *plus*, *minusve* censeatur quidem inclusus excessus aliquis hujus numeri parvus in se, vel saltem talis respectu magnæ summæ: nullatenus autem excessus major, hincque in materia gravi excessus major post Absolutionem cognitus debet de novo clavibus subjici; non autem parvus, si in priori Confessione fuerint adhibitæ particulæ *circiter &c.*

Resp. III. Si illa nova materia, quæ post primam Absolutionem a pœnitente affertur non est materia necessaria Confessionis, puta solummodo peccatum veniale, vel si numerus ille jam fuit in prima Confessione per particulas *circiter &c.* inclusus, e. g. si prius dixerit, se deliberate blasphemasse quinquies *circiter*, *plus minusve*, & post primam Absolutionem deprehendat, factum esse sexies, in similibus casibus non obligatur Confessarius de novo repetere formam Absolutionis, uti nec ipse pœnitens teneretur de novo similia confiteri. Ita Sporer *loc. cit. n.* 628. & ratio est; quia vel illa peccata, si gravia jam fuerunt in prima Confessione per particulas *circiter &c.* inclusa, sicque per primam Absolutionem directe remissa, uti in casu de blasphemiis, adeoque non amplius sub obligatione repetenda: vel si levia forent necdum confessa, attamen jam condonata essent propter dolorem, aut humilem confessionem; quoniam peccata venialia etiam extra Sacramentum Pœnitentiæ per actus virtuosos deleri possunt immediate. *

Additio III.

* Ceterum his non obstantibus necdum auderem arguere imprudentiæ illum Confessarium, qui suo Pœnitenti post primam Absolutionem aliquod novum certum peccatum veniale nondum clavibus Ecclesiæ subjectum afferenti, de novo pro suæ animæ consolatione impertiret Absolutionem ex ea ratione, ut clienti suo novam & specialem gratiam absolutivam conferret, quam propter hoc peccatum necdum clavibus Ecclesiæ adhuc antea subjectum in eo augmento nondum obtinuit. Interim stante tali repetitione recte adhuc monendo subjungit la Croix *Lib.* 6.*part.* 2.*n.* 644. ut, quando forma Absolutionis repetitur, id fiat tacite, non formata de novo Cruce, alioquin enim adstantes, qui jam viderant talem antea absolvi, quandoque suspicarentur, cum novum attulisse peccatum forsan grave &c.

QUÆSTIO IV.

De Contritione, seu Pœnitentia virtute, quæ est prima pars materialis Sacramentalis Pœnitentiæ.

SUMMARIUM

36 *Partes Sacramenti Pœnitentiæ, tres.*
37 *Contritio generatim, quid?*
38 *Dividitur in perfectam, & imperfectam seu Attritionem*
39 *Contritio perfecta.*
40 *Amor DEI appretiative, & intensive summus, quis?*
* *Contritio perfecta Benedicti XIII. una cum notabili doctrina de eadem. Addit. I. & II.*
(*e*) Vide Tract. 4. dist. 6. n. 6, & 7.
41 *Contritio imperfecta sive Attritio, quid?*
Et, quomodo differat a Contritione perfecta?
42 *Attritio mere naturalis non sufficit.*
43 *Pœnitentia virtus, seu Contritio aliqua est necessaria ad salutem &c.*
44 *An sufficiat Pœnitentia virtualis?*
45 *Actus Contritionis perfectæ sufficit ad justificationem.*
46 *Sed ea defacto includit votum Sacramenti, & cujus?*
47 *Extra Sacramentum requiritur Contritio, cum Sacramento sufficit Attritio.*
48 *Etiam cognita.*
* *Quidnam in contra opponant moderni Rigoristæ, & quomodo refutentur? Addit. I. II. III. IV & V.*
49 *Propositum non peccandi de cetero, an sufficiat virtuale?*
50 *Contritio, & propositum hoc debet esse universale de mortalibus,*
* *Videatur quoque Addit. I. & II.*
51 *Quid de peccatis venialibus?*
52 *Ad propositum illud non requirirur credulitas de non relapsu.*
53 *Corollarium.*
54 *Doctrina notabilis circa tentationem de futuro relapsu, cum Addit.*
55 *Non sufficit dolere, quod non satis doleas.*
56 *Tamen in tali actu plerumque intervenit verus dolor.*
57 *Dolor de mortalibus debet esse summus appretiative, quomodo?*
58 *Dolor hic præcedere debet Absolutionem.*
59 *Non autem necessario Confessionem.*
60 *Etsi hoc sit consultum.*
61 *Dolor de peccatis, quanto tempore possit præcedere Confessionem?*
62 *An confitens peccata prius omissa, teneatur elicere novum dolorem?*
63 *Corollarium de moribundo.*

36 TRes esse partes Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, patet ex dictis *n.* 10 & 11. ac unanimi Catholicorum. Unde viso de natura, simulque materia, & forma Sacramenti Pœnitentiæ, breviter (quantum fieri poterit) erit videndum de singulis partibus ejus, incipiendo, a Contritione, additis tamen nonnullis, quæ Pœnitentiæ virtuti secundum se conveniunt. Hinc sit

37 CONCL. I. Contritio, quæ primum locum inter partes Sacramenti Pœnitentiæ obtinet, ac prout est genus ad Attritionem & Contritionem perfectam, bene describitur a Concilio Tridentino *Sess.* 14. *cap.* 4. quod sit *dolor animi, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero.* Unde Contritio, seu Pœnitentia virtus non solum cessationem a peccato, & vitæ novæ propositum, vel veteris etiam odium, seu detestationem peccati commissi continet; prout idem Concilium *loc. cit.* uberius declarat.

38 CONCL. II. Contritio sic generatim sumpta recte dividitur in Contritionem perfectam, & in Attritionem, seu Contritionem imperfectam. Ita Concilium Trid. *loc. cit.* & omnes Catholici. Et hæc divisio Contritionis in perfectam, & imperfectam oritur ex diversitate motivi illius formalis, ob quod quis dolet, ac detestatur peccatum commissum; nam, si quis doleat ex motivo amoris Dei per peccatum offensi, erit Contritio perfecta, si vero ex motivo solum turpitudinis peccati, aut metu inferni, seu pœnarum a Deo immissarum (per has intelligendo pœnas distinctas ab infernalibus, utputa pœnas purgatorii, vel pœnas temporales vitæ præsentis v. g. pestem, famem, bellum, ac hujusmodi, quibus Deus castigare solet peccata Fidelium) erit Attritio. Siquidem

39 *Contritio perfecta*, quæ est *Contritio simpliciter dicta*, est dolor animi, ac detestatio peccati propter Deum summe dilectum, cum firmo proposito non peccandi de cetero. Ubi ly *propter Deum summe dilectum* intelligendum est de Deo summe dilecto saltem appretiative, quamvis non semper amor ille Dei sit summus intensive.

40 Porro *Amor Dei appretiave summus* tunc habetur, quando Deum ita amamus, ipsumque omnibus aliis rebus anteponimus, ut nullius creaturæ amore, vel timore velimus ipsum offendere, aut ab ejus amore recedere. Et hoc modo omnes homines tenentur amare Deum super omnia, juxta illud *Matt.* 10 *Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus.* Et alibi. Et qui ex motivo hujus amoris Dei dolet de commissis suis peccatis, censetur habere Contritionem perfectam. *Amor Dei intensive summus* ille dicitur, qui est intensior, & vehementior omni alio actu amoris: & hoc modo non tenemur in hac vita Deum diligere super omnia; quinimo non raro parentes plus intense amant liberos suos, quam Deum, quamvis adhuc appretiative plus diligant Deum, eo quod hunc ob amorem filiorum nolint offendere. (*e*)

Additio I.

* Benedictus XIII. in Appendice ad Concilium Romanum Lateranense anno 1725. celebratum, agendo de Sacramento Pœnitentiæ, ponit sequentem formulam perfectæ Contritionis: *Deus meus, & Dominus meus, cum sis summum, infinitum, & perfectissimum Bonum, amo te super omnia, & ideo me pænitet, ac ex toto corde doleo, quod te toties offenderim peccatis meis. Abominor ea, & detestor super omnia mala, maxima cum displicentia, & rogo humiliter veniam cum firmo proposito, tua sancta gratia auxiliante, te imposterum non amplius offendendi.* *

Additio II.

* Ceteroquin, quando in Libris asceticis, vel catecheticis, ut etiam in SS. PP. legis, quod Contritio perfecta peccatum detestetur *tantummodo* propter Deum summe dilectum *non propter pœnas inferni*, nec *propter amissionem Regni celestis &c.* similes formulæ dumtaxat innuere volunt, quod motivum specificativum, seu principale hujus contritionis perfectæ qua talis reduplicative sit *solummodo* Deus, quatenus in se summum Bonum; nullatenus autem dicere intendunt, quasi vero actus Contritionis sit incompossibilis cum actu detestativo peccati propter pœnas inferni, seu ob æternam beatitudinem deperditam &c. Pari modo Ascetæ & SS. PP. intelligi debent, quando exercite describunt actum amoris perfecti illum, quo Deus *solum*, quatenus est *summum Bonum*, diligitur; non enim per hunc dicendi modum volunt excludere actus amoris concupiscentiæ, quasi imcompossibiles cum actibus amoris puri seu amicitiæ, sed potius intendunt insinuare, quod actus amoris Dei perfecti sive appreciative, sive etiam intensive summi sit solus Deus, quatenus *summe Bonus in se*, non *quatenus Bonus nobis.* Paucis: potest quidem actus amoris Dei aliquoties præscindere ab inferioribus motivis sistendo in solo Deo, quatenus in se ipso infinite Bono non tamen debet alia inferiora motiva necessario quasi incom possibilia positive excludere: quod bene notandum ad tollendos multos errores, & æquivocationes. Videantur dicta *part.* 1. *tract* 4. *dist.* 6. *quæst.* 1. *Additione post. num.* 9. *

41 Con-

41 *Contritio imperfecta*, quæ proprio nomine communiter dicitur *Attritio*, est dolor animi, ac detestatio peccati contra Deum commissi, ob turpitudinem peccati, vel metum gehennæ, aut pœnarum conceptus cum firmo proposito non peccandi de cetero. Unde patet, hanc a Contritione perfecta differre dumtaxat penes motivum formale: nam perfecta Contritio concipitur ex motivo amoris Dei per peccatum offensi; Attritio autem *vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur*, ut loquitur Concilium Tridentinum *cit. Sess.* 14. *cap.* 4.

42 Notandum tamen, ut Attritio cum Sacramento sufficiat ad justificationem peccatoris, requiri, quod ea procedat ex aliquo motivo supernaturali; sive quod *sit donum Dei & Spiritus sancti impulsus*, juxta cit. Concilium. Unde dolor mere naturalis neutiquam sufficit, utputa si puer de peccato doleat, eo quod virgas a patre meruerit; aut homo adultus, eo quod publicam apud homines infamiam incurrerit: nam dolor talis nulla ratione foret supernaturalis, neque donum Dei, aut impulsus Spiritus sancti. Et merito Innocentius XI sequentem inter alias, ordine 57. Propositionem damnavit: *Probabile est, sufficere Attritionem naturalem, modo honestam.* Secus foret, si quis de peccatis doleat ob metum pœnarum temporalium uti a Deo immissarum: nam talis dolor non educitur ex motivo mere humano, sed respicit Deum ut justum vindicem peccati & ultorem ejus per pœnas etiam temporales; prout Fideles credunt ex lumine Fidei supernaturalis.

43 CONCL. III. Pœnitentia virtus, sive Contritio aliqua est, & fuit universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinaverunt, pro quocumque statu ad salutem, & justitiam consequendam necessaria. Conclusio sic prolata est de fide, habeturque in Concilio Trid. *Sess.* 14. *cap.* 4. ubi inter alia hoc probatur ex illis verbis Christi *Luc.* 13. *Nisi Pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.*

44 CONCL. IV. Quamvis regulariter loquendo post peccatum mortale commissum homini sit necessaria ad salutem Pœnitentia formalis, adhuc tamen in aliquo casu potest ipsa suppleri per Pœnitentiam virtualem, qualis est Dilectio Dei super omnia. Ita Doctores communiter. Hinc *Luc.* 7. dicitur: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* & alibi.

45 CONCL. V. Actus Contritionis perfectæ est fuitque in omni Lege semper congrua dispositio, per Christi merita consequendi gratiam Divinam, nostramque justificationem: ea tamen in Lege gratiæ, post receptum Baptismum, includit votum Sacramenti Pœnitentiæ suo tempore recipiendi. Ita communis omnium Catholicorum; & habetur clare in Concilio Trid. *Sess.* 14. *cap.* 4. ubi dicitur: *Docet præterea, etsi Contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum* (Pœnitentiæ) *actu suscipiatur: ipsam nihilominus reconciliationem ipsi Contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.*

46 Additur notanter, *in Lege gratiæ, post receptum Baptismum.* Nam Contritio perfecta ante receptionem Baptismi elicita includit votum recipiendi Sacramentum Baptismi (unde & *Baptismus flaminis* dicitur) non autem votum Sacramenti Pœnitentiæ; cum peccata ante Baptismum commissa non sint materia apta ipsius. Secus de Contritione post Baptismum elicita, nam hæc includit votum Sacramenti Pœnitentiæ imposterum recipiendi.

47 CONCL. VI. Quamvis ad salutem, & justificationem peccatoris extra Sacramentum omnino requiratur Contritio perfecta cum voto Sacramenti saltem implicito, attamen cum Sacramento Pœnitentiæ sufficit Attritio, etiam cognita. Ita defacto Doctores communiter. Unde Concilium Trid. *cit. cap.* 4. ait: *Quamvis Contritio imperfecta, quæ Attritio dicitur, si voluntatem peccandi excludat, sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Hæc Concilium.

48 Fatendum quidem est, "ultimam partem", quod etiam Attritio cognita (id est, ea, quæ certe scitur, ac cognoscitur esse solum Attritio) sufficiat cum Sacramento ad salutem, a pluribus olim fuisse negatam: verum defacto ob tam clara verba Concilii Oecumenici communiter tenetur Conclusio. Et ratio ulterior est: quia Sacramentum Pœnitentiæ est Sacramentum mortuorum, id est, per se ac primario a Christo Domino Institutum ad remissionem peccati mortalis, & collationem primæ gratiæ sanctificantis: atqui tale non esset, si virtute ejus numquam conferretur prima gratia, sed hæc mediante prævia Contritione perfecta semper collata supponeretur; ergo.

Additio I.

* Ut vim argumenti hujus aliqui Recentiores Rigoristæ eludant, gratis nobiscum concedunt contra alios apud le Drou *De Contrit. Dissert.* 1. *c.* 3. ad Sacramentum Pœnitentiæ (quod utique juxta SS. PP. & textus Conciliorum est Sacramentum mortuorum potius, quam vivorum) non requiri Contritionem perfectam, sed sufficere Attritionem; negant tamen suppositum, quod ipsa Attritio sine aliquali saltem actu Dilectionis Dei super omnia interveniente in Sacramento Pœnitentiæ justificet. Unde ajunt, Contritionem proprie talem, quæ extra Sacramentum justificat, tunc haberi, quando fit in aliquo gradu valde intenso detestatio peccati ob Bonum infinito amore dignum exinde offensum: econtra vero, quando eadem detestatio ex hoc ipso motivo proxime adducto contingit in gradu aliquo valde remisso, dicunt illud esse Attritionem, quæ extra Sacramentum nullatenus, bene tamen cum Sacramento Pœnitentiæ justificat. *

Additio II.

*Ex quo inferunt, quod Contritio perfecta, & Attritio non distinguantur specie, sed tantum secundum magis, & minus, utpote habentes idem motivum formale, ita, ut si eliciatur dolor de peccato gravi ob Bonum infinito amore dignum exinde offensum, talisque dolor sit elicitus in gradu valde intenso, foras mittens timorem pœnarum, dicatur Contritio perfecta; e contra vero, si idem fiat in gradu tamen valde remisso, censeatur Attritio, insufficiens sine Sacramento Pœnitentiæ, bene tamen sufficiens cum eodem. Ita illi. Sed contra sic argumentor: quando Concilium Trid. ex professo *Sess.* 14. præsertim *c.* 3. & *c.* 4. *de Pœnitent.* partes Sacramenti Pœnitentiæ explicat, etiam simul subjunxit loquens de Attritione, talem dolorem conceptum ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex metu gehennæ, & pœnarum acerbitate esse donum Dei, & Spiritus Sancti impulsum, qui in Sacramento Pœnitentiæ NB. disponit ad impetrandam gratiam, atqui nullam facit ibidem Concilium Trid. mentionem, quasi nimirum ad hunc ipsum dolorem, qui Attritio a dicto Concilio appellatur, deberet intervenire aliquis actus remissus saltem Dilectionis Dei super omnia: adeoque ad rationem Attritionis talis necessitas interveniendi actum Dilectionis super omnia gratis adstruitur, simulque falsum est, quod Attritio, & Contritio perfecta distinguatur præcise secundum magis, & minus; cum potius differant specie, utpote habentes diversa proxima, & immediata motiva formalia: Contritio perfecta quidem *Summum Bonum infinito amore dignum*, Attritio autem *turpitudinem peccati*, aut *acerbitatem pœnarum* a Deo propter peccatum immittendarum. *

Additio III.

* Ast persistunt adversarii in sua opinione, requirentes adhuc ad Attritionem, quatenus justificantem intra Sacra-

Sacramentum Pœnitentiæ, aliquem actum saltem remissum Dilectionis DEI super omnia: & quando ipsis opponitur textus Concilii Trident *loc. cit.* ubi inquit, dolorem conceptum ex metu gehennæ, vel turpitudinis peccati NB. disponere in Sacramento Pœnitentiæ ad impetrandam gratiam, *Respondent*, talem dolorem præcise conceptum ex eo motivo, in Sacramento Pœnitentiæ tantum *remote* ad impetrandam gratiam disponere, non autem *proxime*, nisi simul adsit aliquis remissus actus Dilectionis Dei super omnia. Sed contra est *primo*, quod Concilium Tridentinum *loc. cit.* absolute dicat, hunc dolorem ex metu pœnarum, vel turpitudinis peccati conceptum disponere ad gratiam: ergo non solum remote, sed proxime disponet; alias enim Concilium Trident. *cit. Sess.* 14. si voluisset innuere, quod dolor iste pœnarum tantum remote ad justificantem gratiam disponeret, idque nobis non expresse indicasset, neutiquam exinde dedisset nobis plenam notitiam de Sacramento Pœnitentiæ, ejusque requisitis, prout tamen se daturum ad initium hujus *Sess.* 14. promiserat. Contra est *secundo*. Eo modo confirmat Concilium Trident. memoratum dolorem ex acerbitate pœnarum &c. conceptum, ad gratiam justificantem ipsum peccatorem disponere intra Sacramentum Pœnitentiæ, quo modo negat, eumdem perducere peccatorem ad justificantem gratiam extra Sacramentum Pœnitentiæ: sed tantum negatur, quod præfatus dolor ex metu gehennæ &c. conceptus, extra Sacramentum Pœnitentiæ perducat ad justificantem gratiam proxime: ergo Concilium Trident. intendit affirmare, quod intra Sacramentum Pœnitentiæ disponat proxime; alias enim non foret discrimen quoad hunc dolorem in se, sive intra, sive extra Sacramentum Pœnitentiæ eliceretur; cum utrobique disponeret ac perduceret ad gratiam sanctificantem, & justificationem remote, nullibi vero proxime. Percipiamus, & bene perpendamus adhuc ipsamet verba formalia Concilii Trid. *cit. Sess.* 14. *de Pœnitentia cap.* 4. ubi loquens de dolore ex metu gehennæ, vel turpitudine peccati concepto sic habet: *quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere* NB. *nequeat, tamen ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ* NB. *impetrandam disponit.* *

Additio IV.

* Vides ex hoc textu *imprimis*, quod dolor ex metu gehennæ conceptus sit bonus: alias enim nullo modo ne quidem remote posset disponere ad gratiam; hincque recte Alexander VIII. sequentes duas Propositiones damnavit. Prima, ordine 14. erat hujus tenoris: *Timor gehennæ non est supernaturalis.* Altera, ordine 15. sic sonabat. *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, sine dilectione Benevolentiæ DEI propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.* Vides *secundo*, quomodo Concilium innuat, quod dolor iste ex metu pœnarum conceptus aliter extra, & aliter intra Sacramentum Pœnitentiæ disponat ad gratiam justificantem, in primo nimirum remote, in altero proxime. Plura de his invenire potes apud la Croix *Lib. 6. part. 2. a. n.* 1717 usque ad *numerum.* 892. Ubi etiam contra Attritionem ex metu gehennæ conceptam varias reperies solutas objectiones: etenim auctoritates contra talem dolorem adductæ vel solum loquuntur de illis, qui ita sunt constituti positive, ut non dolerent de peccato, si gehennæ pœna non foret, vel certe alias probaret nimium; quod nimirum contra Decretum Alexandri VIII. proxime adductum, talis dolor ex acerbitate pœnarum elicitus neque esset supernaturalis, ac bonus; vel demum, si requirerent, similem dolorem debere in Sacramento Pœnitentiæ saltem esse conjunctum cum quodam actu amoris, intelligendi sunt de amore *Concupiscentiæ*, pertinente ad virtutem Spei, quo DEUM prosequimur ut nobis bonum, non de amore *Amicitiæ* spectante ad charitatem Theologicam, quo Deum amamus tamquam Bonum infinitum in se. *

Additio V.

* Dices. Altera sententia, quæ ad valorem Attritionis in Sacramento Pœnitentiæ requirit conjunctionem cum inchoativo quodam amore Benevolentiæ erga Deum, necdum est a Sancta Sede rejecta: ergo tamquam tutior merito est defendenda, cum agatur de valore Sacramenti, ubi tutiora sunt præferenda. Antecedens probatur partim ex eo, quia Alexander VII. in Decreto anno 1667. die 5. Maii edito prohibuit, ut illa sententia, requirens ad Attritionem aliquem inchoatum amorem Benevolentiæ erga Deum, aliqua censura Theologica afficiatur, qualis utique foret dicere, eamdem a Sancta Sede rejectam; partim quia Benedictus XIII. in Appendice ad suum Romanum Concilium Lateranense anno Jubilæo 1725. celebratum, *Parte Tertia Instructionis ad Sacramentalem Confessionem*, expresse testatur, præfatam sententiam hucusque a sacra Sede esse relictam indecisam. Respondeo, præfatam sententiam contrariam nec a nobis aliqua censura affici, quam ultro fatemur, necdum a S. Sede esto rejectam: interea tamen opinio communis Doctorum, quæ negat ad Attritionem requiri amorem inchoatum Benevolentiæ, nimirum formalem & explicitum, vi nostrorum fundamentorum, & attendendo ad omnia principia etiam reflexa consecutive, & ultimato creditur a nobis ita moraliter certa, ac tuta, ut excludatur omne grave periculum invaliditatis Sacramenti, in quo sensu non tenemur sequi tutiora, id est, meliora, alias, quandocumque nobis actus virtutis melior, seu perfectior proponitur, illico adesset obligatio sequendi. Quare in forma Resp. ad hanc molestam objectionem, conc. antec. distin. conf. esset merito defendenda contraria sententia, si in eo sensu esset tutior, ac si altera sententia communis negans ad Attritionem requiri amorem Benevolentiæ, neque amplius esset tuta, conc. secus, nego consequent. Neque hoc est sententiam contrariam aliqua Censura Theologica afficere, si absque scommatibus ullis dicamus, vi fundamentorum sequi, nostram, & communem opinionem Doctorum in praxi ita esse moraliter certam, ac tutam, ut omne grave periculum invaliditatis excludatur. Quinimo si Adversarii dicerent, nostram, ac communem Doctorum sententiam esse confitentibus ex gravi in contrarium ratione in praxi periculosam, possemus nos forsan magis conqueri de censura desuper inusta. Et plane difficulter mihi imaginari possum, Benedictum XIII. qui propterea Instructionem pro Confessionali Concilio suo adjunxit, ut eviteutur in praxi errores, in hoc Sacramento alias committenti, difficulter (inquam) mihi imaginari possum, tam ferventem, & sollicitum Pastorem non positive nos in praxi dehortatum fuisse ab illa communi sententia, quæ negat, ad dolorem Sacramenti Pœnitentiæ requiri amorem benevolum, si in eadem periculum grave invaliditatis, attentis omnibus principiis directis, & reflexis, ultimato subesse censuisset. Verum quidem est, quod Summus Pontifex alteram sententiam, quæ ad Attritionem in Sacramento Pœnitentiæ requirit actum positivum amoris Benevolentiæ, æque non rejecerit, ac nostram; interim tamen hoc minori admiratione dignum creditur ex ea ratione, quia adversariorum sententiam facilius dissimulare potuit ideo, quoniam in Sacramento Pœnitentiæ simul elicere actum amoris benevoli, in praxi neutiquam nocet pœnitenti, qualiter tamen noceret in praxi sententia excludens necessitatem hujus amoris benevoli, si eadem a Summo Pontifice judicaretur non tuta, sed practice periculosa in sacramento tam necessario, & tamen scienter toleraretur doceri, &c. *

49 CONCL. VII. Propositum non peccandi de cetero, quod requiritur una cum dolore de peccatis ad Contritionem, & Sacramentum Pœnitentiæ, regulariter quidem debet esse formale, ac explicitum, ita ut quis expresse sibi proponat, non amplius peccare de cetero: per accidens tamen potest etiam sufficere propositum virtuale-

le, ac implicitum, quale includitur in ipsomet actu Contritionis, ac detestationis peccati. Ita communis. Nam, dum quis vere, & ex corde dolet de peccato commisso, illudque detestatur, simulque non habet actualem voluntatem peccandi pro futuro, hoc ipso censetur saltem virtualiter, ac implicite habere propositum non peccandi de cetero. Et ita fit in casu, quo quis dolet ac detestatur peccatum super omnia, nihil advertens ad futuram vitam; censetur enim habere propositum sese emendandi, saltem virtuale ac implicitum.

50 CONCL. VIII. Contritio, ac propositum non peccandi de cetero debet esse universale de omnibus peccatis mortalibus. Est certum. Unde peccat graviter, qui recepturus Sacramentum Pœnitentiæ, sciens non atteritur de omnibus mortalibus necdum confessis, vel proponit dumtaxat unum peccatum mortale evitare, non vero alterum.

Additio I.

* Oppones. Potest contingere, quod pœnitens invincibiliter non recordetur unius, vel alterius gravis peccati a se commissi; talis utique nihilominus valide confitetur, & peccata invincibiliter ignorata adhuc indirecte remittuntur, sed iste pœnitens non habet dolorem, & propositum de peccatis invincibiliter ignoratis; quia juxta commune axioma, *nihil volitum, quin præcognitum*: adeoque ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ non requiritur dolor, & propositum universale de omnibus peccatis mortalibus. Respondeo disting. min. talis non habet dolorem, & propositum formaliter, & expresse extensum ad peccata gravia commissa & oblita, seu invincibiliter ignorata, conced. neque virtualiter, ac implicite extensum, neg. min. & similiter disting. conseq. non requiritur ad Sacramentum Pœnitentiæ, ut dolor, & propositum expresse, ac explicite se extendant ad peccata gravia commissa, ast invincibiliter ignorata, conced. conseq. non requiritur, ut saltem se sic extendant virtualiter, neg. conseq. Censentur autem virtualiter talis dolor, & propositum in simili casu se extendere etiam ad peccata gravia oblita ideo, quia motivum doloris quoad peccata gravia, ut quis gratiam justificantem recipiat, est universale, seu quod movet non solum ad detestandum unum, alterumve peccatum mortale in particulari, sed ad omnia gravia; qualia motiva sunt offensa Dei Summi Boni, turpitudo gravis peccati, timor deperdendi regni cœlestis, aut incurrendæ pœnæ gehennalis, quæ motiva utique pugnant contra omnia peccata gravia. *

Additio II.

* Instabis. Etsi ad Confessionem frugiferam, seu collativam gratiæ remissivæ omnium gravium peccatorum perpetratorum requiratur dolor universalis, explicite, vel saltem virtute motivi universalis dolendi, implicite, se extendens ad omnia peccata gravia perpetrata, & necdum remissa, prout videtur innuere Concl. VIII. attamen talis dolor non exigitur semper ad Confessionem validam; cum aliquoties juxta plures Doctores graves apud la Croix *Lib. 6. part. 2. n. 672.* uti alia Sacramenta, e. g. Baptismus, ita etiam hoc detur ex defectu doloris universalis validum & informe; e.g. si pœnitens solum doleat de peccato fornicationis commisso ex motivo particulari, puta ob hujus singularem turpitudinem angelicæ virtutis Castitatis repugnantem, alterius autem gravis peccati, e. g. detractionis invincibiliter obliviscatur; in quo casu ex hoc ipso fundamento, si postea gravis detractionis recordetur, solum eamdem, non autem repetito priorem fornicationem tenetur in Confessionali detegere; quamvis præcedens dolor fuerit tamtummodo particularis. Resp. *Imprimis*, quamplures Doctores cum Scoto *in. 4. Sent. Dist. 1. quæst. 5.* in simili casu, ubi præcise elicitur dolor particularis, id ipsum negare, nimirum ex defectu doloris dari Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe: quia a Concilio Trid. *Sess. 14. de Pœnitent. cap. 3. & 4,* non fit distinctio inter dolorem requisitum ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ: & inter dolorem requisitum ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ, nimirum remissionis omnium gravium peccatorum: ergo si ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ acquirendum requiritur dolor universalis superius explicatus, pariter talis desiderabitur ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ. Videatur Holzman *Tom. 2. Theolog. Moral Tract. 4. n. 506. & seqq.* Unde attendendo præsertim ad principia directa teneretur dolorem solummodo particularem eliciens de fornicatione, eamdem de novo in altera Confessione detegere; sicque negatur suppositum. Respondeo *Secundo*, attendendo ad principia reflexa, si altera sententia multorum DD. alicui adhuc videatur vere probabilis, posset pœnitens in dato casu priorem fornicationem in altera Confessione intermittere sequendo sententiam probabilem contrariam; uti notat Elbel in sua Theologia Sacramentali *part. 2. n. 84 Conferentia III.* *

51 Dicitur autem notanter in Conclusione, quod *dolor* (idem dic de proposito) *debeat esse universalis de omnibus peccatis mortalibus*: nam secus est dicendum de peccatis venialibus; licet enim ad Confessionem peccatorum etiam venialium requiratur aliquis dolor, ac propositum eadem evitandi: quia tamen peccatum veniale hominem a gratia Dei non excludit: potestque unum remitti sine altero (quod non est in mortalibus) hinc sufficit attritio, & propositum de uno veniali confesso, etsi de aliis non habeatur. Sufficit etiam dolor, & propositum de evitandis venialibus confessis præcise quoad frequentiam: quia talis habet jam voluntatem diminuendi peccata venialia, sicque se emendandi.

52 CONCL. IX. Quamvis propositum non peccandi de cetero debeat esse firmum, nihilominus ad illud non requiritur credulitas, seu existimatio, quod quis deinceps non amplius sit relapsurus. Ita Petrus archantius *tom. 1. Tribunalis tract. 4. tit. 3. q. 3.* Layman *lib. 5. tr. 6. cap. 4. n. 8.* & alii. Ratio est: quia dolere de peccatis, & proponere emendationem vitæ, est actus præsens voluntatis peccatum commissum detestantis, & nolentis in illud relabi: existimatio vero, seu credulitas illa non est actus voluntatis, sed intellectus, qui ex dolore & proposito illo non necessario consequitur; idque ob cognitam humanæ conditionis fragilitatem, nostræque voluntatis mutabilitatem, & plurimas hinc inde peccandi occasiones. Hinc donum perseverantiæ in bono est equidem vel maxime exoptandum, summisque a Deo precibus postulandum, & auxiliante gratia Divina, in virtute Passionis ac meritorum Jesu Christi humiliter sperandum, neutiquam tamen stulte præsumendum, aut absque speciali revelatione firmiter credendum; cum David, Petrum, aliosque post optima proposita lapsos fuisse constet.

53 Infertur proinde cum citatis Auctoribus, & aliis, sæpe fieri posse, ut, licet quis absolutum, & sufficiens propositum habeat, non peccandi de cetero, nihilominus timeat, se non evitaturum omnia mortalia, vel certum peccati genus; idque ob rationes dictas; & expertam hactenus suæ voluntatis mutabilitatem.

54 Pro praxi tamen, & si diabolus conetur talibus persuasive suggerere, *Tu cades sine dubio, Tu non poteris ab hisce peccatis abstinere, occurente tali occasione non resistes &c.* consultum erit, & hujusmodi afflictis personis consulendum, ne cum vaferrimo isto Sophista, qui exinde solum vult impedire nos a firmitate propositi, & inducere in desperationem, multum disputent, sed potius mentem ad Deum convertant, & cum humilitate cordis dicant: *Domine, verum est, quod, quantum ex me, meaque fragilitate, rursus in peccatum caderem, si tua gratia me non protegeret: sed rogo, adesto mihi, & adjuva fragilitatem meam, quia per gratiam tuam spero, & firmiter propono, non amplius peccare.* Hoc, vel consimili modo, ejusmodi diabolicæ suggestiones eludendæ sunt, ne alioquin pœnitens, multum cum dæmone disputans sexcentis ejus fallaciis succumbat; & vel in conditionatam voli

volitionem pertrahatur rursum peccandi, si talis occasio sese offerret; vel certe in pusillanimitatem, aut diffidentiam erga DEUM, nec non & desperationem præcipitetur: ex quo fieri solet, quod vel Pœnitentiæ Sacramentum sacrilege recipiatur, vel desperans ab ipso, aliisque spiritualibus mediis penitus retrahatur.

Additio.

*Illud insuper quoad efficaciam propositi, præsertim quoad venialia, Pœnitentibus desuper anxiis consolationi esse poterit, quod ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ sufficiat, ut dictum propositum sit efficax *affective*, quamvis non fuerit efficax *effective*, id est, ut de præsenti tempore Confessionis existens dictum propositum sit pro tunc incompossibile cum peccatis, quæ detestatur, quamvis considerata humana fragilitate quasi præcognoscat, quod, si adhuc longiori tempore supervivat, hæc ipsa seria voluntas non sit semper duratura, prout declaravi in alio libello de Propositionibus damnatis *part. 2. cap. 4. n.* 136. ac desuper etiam videri poterunt la Croix *lib. 6. part. 2. n.* 908. & Elbel *part 2. Theolog. Sacramentalis Conferentia IV. n.* 90. *& n.* 112. *ac n.* 113.*

55 CONCL. X. Ad Sacramentum Pœnitentiæ speculative loquendo non sufficit dolere, quod non satis doleas. Ita Layman *cit. cap.* 4 *n.* 5. Herincx *disp.* 2. *de Pœnit. n.* 57. *cap.* 3. *n.* 5. & communis aliorum, contra Silvestrum, Navarrum, & Sa, talem dolorem sufficere asserentes. Ratio est: quia talis revera non est dolor de peccatis commissis.

56 Interim tamen practice fatendum cum Doctoribus passim, in tali actu, quo quis dolet, se non satis dolere de peccatis, plerumque conjunctum esse dolorem de peccatis, etsi pœnitens sensibiliter eum non cognoscat. Neque enim ad Confessionem requiritur dolor sensibilis: sufficit quippe voluntas, ejusque aversio, & dolor de peccato commisso, quæ cum sit potentia spiritualis, ac interna, scrupulosi tam facile angi non debent, quasi sine dolore accedant ad Sacramentum, eo quod exterius sensibiliter nullum sentiant, puta, quia nequeunt desuper profundos gemitus, aut copiosas lacrymas elicere, quod tamen nullatenus ad valorem doloris requiritur.

57 CONCL. XI. Etsi dolor de peccatis mortalibus commissis debeat esse summus appretiative, ita ut pœnitens nihil magis detestetur, quam peccatum, malitque omnia mala mundi perpeti, quam mortaliter contra Deum peccare: non tamen opus est, imo nec passim expedit, particulares facere collationes, e. g. mallem hoc vel illud malum subire, quam mortaliter peccare. Ita Doctores communiter. Quinimo ejusmodi particulares collationes, seu reflexiones spectata fragilitate humana, sunt infirmioribus periculosæ: quamvis, si rite fiant, sint actus valde excellentes, ac meritorii.

58 CONCL. XII. Dolor requisitus ad Sacramentum Pœnitentiæ præcedere debet Absolutionem, estque tutius ut ipsam quoque Confessionem antecedat; quamvis sufficiat, si Absolutionem præcedat. Ita communis. Ratio primæ partis est: quia in Absolutione essentialiter consistit Sacramentum Pœnitentiæ: atqui ad hoc necessario necessitate Sacramenti prærequiritur dolor, & consequenter iste debet etiam præcedere Absolutionem.

59 Altera pars probatur ex communi sensu Fidelium, & recepta praxi Confessariorum, qui post auditam Confessionem solent exhortari pœnitentes ad eliciendum dolorem, quem & hi amplius pro tunc elicere gestiunt: frustra enim hoc fieret, nisi dolor tunc elicitus sufficeret. Accedit ratio: quia dolor ille cadit supra peccata confessa, simulque Confessio sufficienter redditur dolorosa per sequentem dolorem, & dolor sufficienter redditur sensibilis per præcedentem Confessionem, eo ipso, quod pœnitens ordinet Confessionem ad dolorem, & dolorem ad Confessionem. Sic enim affert hæc duo, tamquam facientia unum quid morale, id est, Confessionem dolorosam, qualis requiritur ad Sacramentum Pœnitentiæ.

60 Quia vero in praxi periculosum est, tam diu differre dolorem; cum facile contingere possit, ut quis peracta Confessione fiat distractus, aut attendendo ad pœnitentiam injunctam, vel reflectendo, num omnia rite confessus fuerit, obliviscatur doloris tunc eliciendi, sicque consultissimum erit, dolorem ipsimet Confessioni præmittere.

61 Quod si quæras, quanto tempore dolor possit præcedere Confessionem? Resp. Tanto, quanto adhuc moraliter censeri potest, unum actum imperari ab alio, & facere unum quid moraliter cum ipso, videlicet Confessionem dolorosam. Quod ad praxin attinet, respondet Tamburinus *in Methodo expeditæ Confessionis. Lib.* 1. *cap.* 2. § 4. Qui mane dolet, & actu non revocato post tres vel quatuor horas confitetur sine novo doloris actu, non est dubium, quin satisfaciat. Rursus, si quis vesperi examinans conscientiam elicit actum doloris, proponens sequenti die confiteri, abunde est. Idem puto (addit citatus Auctor) si non solum præcedenti vesperi, sed etiam præcedente die id fecerit, actu semper, ut dixi, non revocato: colligitur hoc ex Lugone *disp.* 14. *De Pœnit. sect.* 4. *in fine n.* 36. *& initio n.* 37. Longiorem temporis extensionem nondum inveni apud Theologos. Hæc ille. Porro actus doloris censetur revocari per actum contrarium (id est, per complacentiam peccati, de quo doluisti) vel per aliud novum peccatum mortale quodlibet.

62 CONCL. XIII. Qui peracta Confessione iterum confitetur aliqua peccata, quorum antea fuit oblitus, probabilius non tenetur elicere novum actum doloris antea generaliter concepti de omnibus peccatis, sed potest absolvi virtute prioris doloris adhuc virtualiter permanentis. Ita Lugo *disp.* 14. *De Pœn. sect.* 3. Henriquez, Diana, aliique. Ratio est: quia prior dolor, uti supponitur, fuit generalis, sicque extendit se ad illud peccatum, cujus confitens antea fuit oblitus; ergo, cum adhuc maneat, nihil obstat, quin possit deservire ad duo Sacramenta, cum censeantur virtualiter multiplex.

63 Inferunt proinde Doctores, posse moribundum propter instans periculum mortis a Confessario absolvi audito uno, alterove peccato, & deinde, si supersit tempus, auditis per otium ceteris, iterato absolvi in virtute doloris præcedentis. Quod si quis velit eadem peccata repetere, ac denuo confiteri, tunc plures Doctores volunt, dolorem esse renovandum: quamvis nonnulli contradicant.

DISTINCTIO VII.

De Confessione, quæ est altera Pars materialis Sacramenti Pœnitentiæ.

QUÆSTIO I.

Quæ Conditiones requirantur ad Confessionem Sacramentalem.

SUMMARIUM.

1 *Confessio varie sumitur. Et quomodo in proposito?*
2 *Confessio Sacramentalis, quid, & quomodo necessaria?*
3 *Conditiones ejus sedecim.*
4 *An omnes necessariæ?*
(a) Ut dictum Tract. 10. dist. 3. n. 5. 7. & 8.
(b) De his vide loc. cit. n. 9. & seqq.
5 *Reducuntur ad tres. I. Confessio Sacramentalis debet esse dolorosa; & sic*
6 *Humilis.*
* *Corollarium.*
7 *Libens.*
8 *Discreta.*
9 *Corollarium.*
10 *Verecunda.*
11 *Lacrymabilis, &*

12 *Parere parata, quomodo?*
13 *II. Confessio debet esse vera, atque ideo simplex, pura, fidelis, nuda, &*
14 *Accusans, quomodo?*
15 *Mentiri in Confessione, an sit peccatum mortale?*
16 *Quid, si major numerus peccatorum exprimatur?*
17 *Vel fiat mendacium circa peccatum veniale?*
18 *Declaratur amplius.*
19 *III. Confessio debet esse integra; & sic*
20 *Fortis, ac*
21 *Secreta, & quomodo?*
22 *Confessio, si fiat publice, an valida sit?*
23 *Quid de Confessione per interpretem?*
24 *Et de Confessione, tempore v. g. naufragii alta voce facta?*
(c) Juxta dicenda n. 35. & seqq.
25 *Confessio, an debeat esse vocalis?*
26 *Saltem extra casum impotentiæ?*
27 *Magna verecundia an excuset a Confessione oretenus facienda?*
* *Quid in casu aliquo extraordinario?*

1 CONfessionis nomen varie solet accipi. I. Pro Confessione cujuscumque veritatis: & sic confiteri sumitur *Joan.* 8. *Et confessus est, & non negavit.* II. Pro Confessione Fidei; sic sumitur *Lucæ* 12. *Qui me confessus fuerit coram hominibus &c.* III. Pro Confessione laudis, quam DEO deferimus ob ejus beneficia, opera, & attributa: & sic frequentissime sumitur in Psalmis, & alibi passim in S. Scriptura. IV. Pro confessione judiciali in Foro externo, in quo sensu dici solet: *Propria Confessio est optima probatio.* V. Pro Confessione Sacramentali, prout hæc est altera pars materialis Sacramenti Pœnitentiæ, & in hoc sensu agitur hic de Confessione.

2 Definitur autem Confessio Sacramentalis taliter: *Confessio* est accusatio legitima de propriis peccatis, facta coram Sacerdote, ad eorum veniam impetrandam virtute Clavium. Ubi ly *accusatio* stat loco generis, reliqua ponuntur loco differentiæ; prout ex professo dictum fuit *Tract.* 10. *dist.* 3. *n.* 1. *& seqq.* ubi explicando quartum Præceptum Ecclesiæ, simul de institutione, atque necessitate Confessionis Sacramentalis fusius agitur.

3 Quantum igitur nunc attinet ad alia, atque inprimis ad conditiones Confessionis Sacramentalis, earum sedecim communiter a Doctoribus enumerantur, hisce versiculis comprehensæ:

Sit simplex, humilis Confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, & discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, & lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

5 Observandum tamen, non omnes istas conditiones esse simpliciter necessarias ad Confessionem, bene tamen utiles, ac valde proficuas; prout patet præsertim in illis duabus conditionibus, quod sit *frequens* & *accelerata.* Nam, licet sit consultissimum, atque utilissimum, post admissum peccatum gravius quamprimum confugere ad Sacramentum Pœnitentiæ per veram peccatorum Confessionem, ad id tamen homo non obligatur. (*a*) Neque tenetur quis per se loquendo, ac extra certos casus (*b*) intra annum sæpius confiteri, quam procul dubio id sit utilissimum, ac summe commendandum. Porro ceteræ conditiones commode ad hasce tres reducuntur, nempe quod Confessio sit *Dolorosa*, *vera* & *integra*: de quibus sigillatim loquendo, sit

5 CONCL. I. Confessio Sacramentalis necessario debet esse *Dolorosa.* Patet hoc ex eo: quia Confessio debet fieri cum vero dolore de peccatis, ac firmo proposito non peccandi de cetero; ut proxime dictum est *Distinct. præc. qu.* 4. *per totum.*

6 Ad hanc conditionem reducuntur plures aliæ ex enumeratis sedecim; ut illa, quod Confessio sit *Humilis*, id est, ut pœnitens cum humilitate cordis, nec non & humili corporis exterioris compositione, utputa genibus flexis, & capite nudato, si vir est, neque infirmitas excuset, peccata sua confiteatur.

Additio.

* Ubi ex aliis Auctoribus subjungit la Croix *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 1116. peccari venialiter, si quid tale sine rationabili causa omittatur. Addit pariter ad humilitatem conservandam spectare, ut ante Confessionem gladius deponatur, nisi pœnitens profiteretur militiam pro tuenda Fide, quod faciunt Equites Melitenses, & Teutonici: de his enim docet Joann. Sanchez, merito portare gladium in receptione Sacramentorum. Imo, quod si etiam alii non deponerent eumdem, existimat citatus Sanchez, non fore peccatum, etsi in his locis sit consuetudo deponendi ad humilitatem, & majorem reverentiam. *

7 Item huc reducitur, quod sit Confessio *Libens*, id est, voluntaria, & ut ipsa cum animo recipiendi Sacramentum peragatur. Cui tamen conditioni non obstat, quod quis confiteatur propter obligationem præcepti, aut ad eam inducatur timore excommunicationis, infamiæ &c. dummodo adsit animus vere confitendi, ac recipiendi Sacramentum, & nullum aliud ex necessario requisitis deficiat.

8 Huc ulterius refertur, quod Confessio sit *Discreta:* & hoc ex eo, quod pœnitens utatur honestis & discretis verbis in sua Confessione, maxime in explicandis peccatis carnalibus. Vel maxime autem Confessio debet esse discreta in eligendo prudente atque erudito Confessario, qui sciat discernere intra lepram & lepram, ac debita remedia & consilia dare, maxime si pœnitens habeat casus difficiliores.

9 Ex quo proinde infertur cum Bonacina *disp.* 5. *de Pœnit. qu.* 5. *sect.* 2. *punct.* 2. §. 2. *n.* 17. & aliis, quod, si pœnitens, dubius de contractu v. g. usurario, eligat Confessarium, quem novit esse indoctum, putans, se propter ipsius inscitiam non obligandum ad restitutionem, non solum non excusetur a restitutione, verùm etiam teneatur iterum confiteri. Hic enim non videtur habuisse debitum dolorem cum firmo proposito vitandi peccata in futurum.

10 Insuper ad Confessionem dolorosam revocatur illa conditio, quod sit *Verecunda*; hoc est, quod pœnitens corde & ore debeat præferre verecundiam, ne sicut fabulam, aut historiam impudenter narret peccata sua. Et certe, si quis cum risu proponat peccata, quomodo is præsumi poterit habere verum dolorem de peccatis suis? unde severe talis erit admonendus, adhibitis motivis etiam gravioribus, ad eliciendum dolorem requisitum pro Sacramento Pœnitentiæ rite suscipiendo.

11 Ulterius huc spectat alia conditio, nempe, quod Confessio sit *Lacrymabilis.* Non quod ad Confessionem requirantur lacrymæ sensibiles seu exteriores, quandoquidem hæ non sint in nostra potestate; sed quia debet fieri cum lacrymis cordis, id est, cum vera displicentia, atque interno dolore de peccatis, firmoque emendationis proposito. Unde hæc particula idem importat, ac *Confessio dolorosa.*

12 Tandem huc reducitur, quod Confessio sit *Parere Parata*, in quantum pœnitens debet accedere animo parato ad obediendum Confessario in his, in quibus tenetur ipsi obedire, puta, in acceptanda pœnitentia, in vitandis occasionibus proximis peccatorum, in restitutione male ablatorum, si facultas suppetat, & hujusmodi: alioquin enim pœnitens non haberet firmum emendationis propositum.

13 CONCL. II. Confessio insuper debet esse *Vera*; ita videlicet, ut nihil falsitatis, vel simulationis, aut deceptionis habeat annexum. Ad hoc pertinent quinque sequentes conditiones ex supra enumeratis; nempe, quod Confessio sit *Simplex*, id est, non ita artificiose facta, ut aliquod peccatum occultetur, atque a Confessario non intelligatur. Item, quod sit *Pura*: tum quoad intentionem, ut non fiat ob pravum finem, utpute ob vanam gloriam, vel ad capessendum favorem Confessarii

fessarii &c. sed spe veniæ, atque ad consequendam peccatorum remissionem: tum etiam quoad explicationem peccatorum, ut fiat sine admixtione rerum, vel historiarum impertinentium. Insuper, quod Confessio sit *Fidelis*, id est, verax, & sine mendacio, de quo mox plura. Et *Nuda*, id est, non palliata, & vestita certis verborum ambagibus, quibus peccata obscurentur, ne eorum gravitas a Confessario percipiatur, vel minus ponderetur.

14 Et tandem, quod sit *Accusans*: tum quia accusatio est de essentia Confessionis Sacramentalis, ut patet ex hujus definitione *n.* 2. allata: tum quia Confessio ita debet institui, ut per eam pœnitens se accuset, sibique peccata imputet, non autem inaniter se excuset alteri imputando v. g. diabolo, malis sociis, naturali complexioni &c. utpote quæ ejus liberam voluntatem ad peccatum cogere non possunt. Excipe tamen circumstantias illas, quæ speciem peccati mutant, atque ex mortali faciunt veniale; ut est indeliberatio actus, imperfectus consensus voluntatis, & parvitas materiæ: hæ enim necessario debent addi.

15 Quæres. An mentiri in Confessione sit peccatum mortale. Resp. I. Mentiri deliberate in Confessione circa materiam mortalem, ac necessariam, est peccatum mortale; & consequenter tali mendacio irritum redditur Sacramentum. Sic juxta omnes Theologos peccat mortaliter, & sacrilege recipit Sacramentum, qui scienter negat, se fecisse peccatum mortale, quod revera fecit, ac necdum rite confessus est, vel qui deliberate dicit, se commisisse tale peccatum mortale, quod revera non commisit; quia talis in Foro DEI maliciose decipit Judicem, seu Confessarium, Christi Vicarium, & quidem in materia gravi, utpote pertinente ad substantiam causæ, seu Sacramenti Pœnitentiæ.

16 Addunt Doctores, ac præsertim Bonacina *loc cit. n.* 9. eum similiter peccare mortaliter, & invalide confiteri, qui scienter majorem numerum peccatorum mortalium exprimit, quam revera admisit: quia etiam talis decipit Confessarium in materia gravi. Per accidens tamen contingere potest, quandoque pœnitentem circa hoc excusari a mortali: ut si homo simplex, ac rudis bona fide majorem numerum fateatur, putans consultius esse ac melius, majorem explicare numerum peccatorum, quam forte minorem.

17 Resp. II. Mentiri in Confessione circa peccatum veniale, vel aliam materiam non necessariam, aut quam hic & nunc confiteri quis non tenetur, non est peccatum mortale, sed veniale dumtaxat. Ita Layman *Lib.* 5. *tr.* 6. *c.* 8. *n.* 15. Bonacina *loc. cit. nu.* 12. aliique communiter contra Cajetanum. Ratio est: quia, cum tale mendacium non sit circa materiam necessariam Sacramenti Pœnitentiæ, non decipitur graviter ipse Confessarius, seu Judex.

18 Excipe, dummodo pœnitens non sit confessus unum dumtaxat peccatum veniale, ac circa illud mentitus. Quia, cum tale veniale tunc sit tota materia Confessionis, & juxta hypothesin falso narrata, nulla revera afferretur materia Sacramenti Pœnitentiæ, ac proinde talis graviter peccaret: nisi forte animi perturbatio, vel scrupulus eum excuset. Ita citati Auctores, & alii.

19 CONCL. III. Confessio debet etiam esse *Integra*. Unde Concilium Trid. *Sess.* 14. *cap.* 5. docet, ac infra *can.* 7. sub anathemate definit: *In Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium esse jure Divino, confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant.* Sed de Confessionis integritate ex professo *Quæst. seq.*

20 Ad hanc Confessionis conditionem spectat illa alia, qua dicitur, quod debeat esse *Fortis*; ne videlicet ob naturalem verecundiam, aut timorem aliquid ex necessario dicendis omittatur. Unde patet, quod ista conditio juvet ad integritatem Confessionis.

21 Huc accedit altera conditio, qua dicitur, quod Confessio debeat esse *Secreta*: sic dicta, quod ex Christi institutione ordinarie, & regulariter loquendo debeat fieri coram solo Sacerdote Confessario; unde & communiter *Confessio auricularis* appellatur. Nam, si Confessio Sacramentalis ex Christi institutione non esset secreta (adeo, ut & Confessarius arctissime teneretur ad servandum Sigillum) ea hominibus foret difficillima, præsertim loquendo de peccatis occultis, & cogitationum, quin etiam parum accommodata, ac consulta communitati Fidelium. Sed circa hanc ultimam conditionem.

22 Quæritur I. An Confessio Sacramentalis ita debeat esse secreta, ut non valeat, si fiat publice; sive (ut alii loquuntur) an hæc conditio sit de essentia Confessionis? Resp. Quamvis Christus instituerit modum confitendi secreto, tamquam modum Confessionis regulariter & ordinarie servandum, valet tamen Confessio in casu necessitatis, aut alia de causa publice, seu aliis audientibus facta: & consequenter non est de essentia Confessionis, quod fiat penitus secreto. Ita communis Doctorum. Ratio est, quia ex institutione Christi Confessio secreta ita est præcepta, ut publica nec sit præcepta, nec prohibita; prout patet ex praxi, & communi sensu Doctorum de validitate Confessionis factæ per Interpretem. Hoc ipsum clare probant verba concilii Trid. *Sess.* 14. *cap.* 5. sic docentis: *Ceterum quoad modum confitendi secreto apud solum Sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, tum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publice confiteri possit: non est tamen hoc Divino præcepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publica essent Confessione aperienda.* Hæc Concilium.

23 Infertur proinde cum communi, quod quidem valida sit Confessio facta per Interpretem, tamen per se loquendo nullus teneatur confiteri per Interpretem: quia Christus non quidem prohibuit Confessionem publicam, eam tamen non præcepit. Intellige, *per se loquendo*: nam peccator existens in periculo mortis, qui de perfecta contritione dubius, vel non satis securus esset, per accidens obligaretur aliquid leve, & non infamatorium peccatum saltem juxta tutiorem sententiam confiteri per Interpretem, ut sic una dum attritione, & Sacramento Pœnitentiæ justificaretur, atque evitaret æternam damnationem. Id autem fieret, non quidem ex præcepto Divino Confessionis, sed ex præcepto Charitatis erga seipsum, qua quilibet tenetur procurare salutem animæ suæ Herincx *disp.* 3. *de Confessione qu.* 7. *n.* 91. Sannig *disp.* 10. *de Confess. qu.* 2. *n.* 6. & 7. allegans Scotum 4. *dist.* 17. *qu. un.* & alii.

24 Infertur ulterius, quod valida sit Confessio facta ab existentibus in naufragio, vel quando tempore pestis plures infirmi decumbunt in eadem camera, etiamsi ea fiat voce alta, ita ut ab aliis astantibus audiatur. In tali tamen casu, sicut & in priori sufficit confiteri solum leve quodpiam peccatum, per quod minus fama ejus apud circumstantes læditur, cum quandoque sufficiat integritas tantum formalis Confessionis. (c)

25 Quæritur II. Utrum Confessio debeat esse vocalis, adeo, ut pœnitens teneatur confiteri sua peccata oretenus, ac propriis verbis? Resp. I. Certum est, quod impotentia excuset a Confessione oretenus facienda. Patet hoc ex communi sensu Ecclesiæ: sic enim muti, qui scripto, nutibus, vel aliis signis peccata sua exprimunt modo, quo possunt, meliori, sacramentaliter solent, ac debent absolvi: & idem fit in moribundis, qui non valentes amplius loqui, signa doloris, ac petitæ Confessionis exhibent.

26 Resp. II. Extra casum impotentiæ adest gravis obligatio, peccata sua oretenus, seu propriis verbis confitendi. Patet hoc tum ex communi praxi, ac sensu fidelium, tum ex Concilio Florentino in Decreto unionis, ubi pro parte Sacramenti Pœnitentiæ assignat *Confessionem oris*, id est, Confessionem oretenus factam, nisi forsan impotentia excuset. Huc præter Extravag.

Inter cunctas. De Privilegiis, accedit illud D. Augustini *Lib. De vera & falsa Pœnitentia cap.* 10. ac refertur *c. Quem pœnitet.* 88. *De Pœnit. dist.* 1. *Præcepit Dominus mundandis, ut ostenderent ora Sacerdotibus, docens corporali præsentia confitenda peccata, non per nuntium, non per scriptum manifestanda.*

27 Infertur proinde, quod, quamvis multi Doctores, ut Suarez, Vasquez, Lugo, Layman, Bosco, aliique velint, non solum impotentiam, sed etiam nimiam verecundiam in exprimendis oretenus peccatis excusare a Confessione oretenus facienda, ac sufficere, si scriptis comprehensa tradatur legenda Confessario: quod præsertim sufficere ajunt, quando post peccata a Confessario lecta subjungit pœnitens voce sensibili, *De his omnibus peccatis accuso me &c.* Nihilominus opposita sententia, quam tenent Mastrius *in* 4. *disp.* 5. *n.* 475. Sannig *cit. disp.* 10. *qu.* 5. *n.* 3. Faber, aliique, est tutior ac ordinarie in praxi merito tenenda: cum eam non solum Concilium Florentinum verbis citatis, sed ipsa etiam communis praxis fidelium suadeat, & confirmet.

Additio.

* Dicitur notanter, sententiam illam, quæ requirit Confessionem vocalem, esse tenendam in praxi *Ordinarie*, nam in extraordinariis casibus, & difficultatibus potest etiam altera sententia practicari, e. g. si pœnitens sit ægrotus, & difficulter loquatur, vel si Confessarius sit surdaster, aut pœnitens, qui surdaster est, nimis alta voce proferat, aut legat suam Confessionem; poterit enim tunc porrigi Confessario Confessio scripta cum expressis supra cautelis. Videantur Layman, & Sporer hic. *

QUÆSTIO II.

Quomodo Confessio debeat esse integra?

SUMMARIUM.

28 *Integritas Confessionis duplex, materialis, & formalis, quæ? Confessio formaliter, & materialiter integra, quæ?*
29 *Regulariter Confessio debet esse integra, etiam materialiter.*
30 *Omnia peccata mortalia quoad numerum, speciem &c. sunt confitenda.*
31 *Quid de simplicibus, grossiori modo quondam confessis?*
32 *Quid, si pœnitens ob multitudinem peccatorum nesciat numerum certum?*
33 *Corollarium de meretrice.*
34 *Et passim concupiscente feminas obvias, aut concubinario, vel gravem vindictam cogitante.*
35 *Per accidens quandoque sufficit sola integritas formalis Confessionis.*
36 *Id generatim contingit ex tribus causis.*
37 *I. Ratione ignorantiæ, seu oblivionis.*
38 *II. Ratione impotentiæ. Quid de muto?*
* *Item quid de surdo?*
39 *Alia Corollaria.*
40 *Quid agendum tempore naufragii, aut belli instante conflictu?*
* *Resolvitur exinde notabilis casus.*
41 *Ob solum concursum pœnitentium non licet facere dimidiatam Confessionem.*
42 *III. Ratione gravis damni imminentis.*
43 *Corollaria.*
44 *Quomodo in dictis casibus remittantur peccata?*
45 *Peccata non confessa debent imposterum confiteri.*
46 *An debeant illico confiteri?*

(e) Supra Dist. 2. num. 36. & 37.

28 ADvertendum, quod integritas Confessionis sit duplex, materialis videlicet, & formalis. Tunc habetur *Integritas materialis Confessionis*, quando omnia peccata mortalia necdum legitime confessa quoad speciem, & numerum Clavibus Ecclesiæ subjiciuntur, nullo prorsus sive ex oblivione, sive ex alia causa omisso. *Formalis* est, quando ea peccata Clavibus subjiciuntur, quæ post diligens examen memoriæ occurrunt, & ad quæ aperienda hic & nunc pœnitens tenetur. Sive *Integritas tantum formalis* est, quando pœnitens facit talem Confessionem, qualem moraliter loquendo in talibus circumstantiis potest facere, non obstante, quod non omnia peccata mortalia exprimantur, inculpabiliter tamen. Unde illa Confessio dicitur formaliter saltem esse integra, in qua nihil omittitur cum culpa mortali: quod si vero non solum nihil omittatur cum culpa mortali, verum etiam omnia & singula peccata rite exprimantur, tunc Confessio non solum formaliter, sed etiam materialiter erit integra. Quando autem omittitur aliquod peccatum mortale scienter, & absque justa causa, adeoque culpabiliter, tunc Confessio illa nullatenus erit integra, sed sacrilega.

29 CONCL. I. Per se, ac regulariter loquendo Confessio semper debet esse integra, etiam materialiter. Ita omnes Theologi; & patet ex Concilio Trident. *cit. Sess.* 14. *cap.* 5. & *can.* 7. ibi: *Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure Divino, confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant &c. Anathema sit.* Additur autem, *per se, ac regulariter loquendo* propter dicenda *n.* 35. & *seqq.*

30 CONCL. II. Certum est, omnia peccata mortalia nondum legitime confessa tam quoad numerum, ac speciem, quam quoad circumstantias peccati speciem mutantes esse necessario confitenda, nisi gravis aliqua causa excuset. Patet hoc ex citatis verbis Concilii Tridentini, & communi Catholicorum. Unde non sufficit dicere: *Commisi furtum, Fornicatus sum, Neglexi Missam aliquoties &c.* sic enim non explicaretur numerus peccatorum, sed oportet determinare certum numerum, prout præmisso debito, ac diligenti examine præsens cogitatio dictat: e. g. *Neglexi Missam die Festo bis: Fornicatus sum tot vel tot vicibus*, vel, si non omnino sibi certo constet de numero, addat pœnitens, *circiter plus, minusve.*

31 Notant tamen hic non pauci Doctores, ut Fagundez, Layman, & alii, consultum non esse, simplici plebi scrupulos injicere, illius Confessiones invaliditatis damnando, eo quod ex ignorantia, & bona fide numerum suorum peccatorum olim non rite determinarint: nam bona fides, atque ignorantia tales simpliciores excusare solet.

32 CONCL. III. Si pœnitens ob nimiam peccatorum multitudinem ejusmodi certum numerum exprimere non possit, ad minimum dicat suam ad peccandum habitudinem: v. g. continuavi tale peccatum tanto tempore, illud committendo tot vel tot circiter vicibus, plus minusve, per mensem, hebdomadem, aut diem. Ita communis; & ratio est: quia sic jam sufficienter innotescit status pœnitentis, simulque enumerantur distincte peccata quoad numerum, quantum moraliter, ac humano modo hic & nunc fieri potest.

33 Ceterum, quia dantur quidam casus, in quibus multum difficile est explicare numerum peccatorum, ut in publica meretrice &c. notandum cum Lugone *disp.* 16. *sect.* 4. § 4. & aliis, in hujusmodi casu sufficere, dicere tempus quo quis in tali statu, & consuetudine peccandi perseveravit. Sic meretrix v. g. sufficienter se accusat dicendo, se per annum omnibus, tam conjugatis, quam solutis, tam Clericis, quam laicis, fuisse expositam. Quamvis quidam satis bene hoc limitent, dicentes, addi debere numerum actuum externorum in iis speciebus peccatorum, quæ non ita frequenter occurrunt; ut quoties cum Religiosis, consanguineis &c. peccaverit; hæc enim peccata possunt facilius numerari.

34 Et quod hic dictum est de meretrice, dicendum est de quocumque alio peccatore, in quo æqualis est difficultas explicandi certum numerum peccatorum.

Unde

Unde hoc inprimis habet locum in eo, qui passim turpiter concupiscit feminas sibi obvias; sufficit enim explicare hanc consuetudinem, ac tempus illius una cum speciebus principalioribus. Idem dicendum de eo, qui concubinam domi habuit, eaque ut propria uxore usus est; satisfacit enim, si statum & tempus explicet, addito tamen firmo proposito relinquendi, atque expellendi concubinam. Similiter ille, qui per aliquot dies, vel hebdomadas fovit cupiditatem gravis vindictæ, vel odium, aut amorem turpem, communiter satisfacit, si dicat, se illo tempore magna diei parte, vel quasi per totum diem talibus cogitationibus deliberate immoratum fuisse.

35 CONCL. IV. Quamvis per se, ac regulariter loquendo omnia & singula peccata mortalia tam quoad speciem ac numerum, quam quoad circumstantias speciem peccati mutantes sint Jure Divino explicanda in Confessione, ut dictum *n.* 29. & 30. ac proinde graviter peccet peccato Sacrilegii, indigne videlicet recipiendo Sacramentum Pœnitentiæ, qui scienter & absque justa causa omittit aliquod mortale confiteri: nihilominus per accidens, & in casu quodam extraordinario sufficit quandoque ad Confessionem sola integritas formalis. Ita certa, & communis. Ratio est: quia Præceptum Divinum de facienda materialiter integra peccatorum Confessione non obligat cum impotentia physica, vel morali, cum ad impossibile nemo obligetur. Hoc ipsum amplius patebit ex dicendis Conclusione sequenti: hinc fit

36 CONCL. V. Tres generatim sunt causæ excusantes ab integritate materiali Confessionis, videlicet ignorantia, seu oblivio, impotentia, & grave damnum imminens pœnitenti, aut tertio, utputa Confessario. Ita in re communis, & patet inductione.

37 Et quidem ratione ignorantiæ, seu oblivionis excusantur illi, qui præmisso sufficienti examine alicujus peccati mortalis non recordantur, aut illud penitus ignorant. Tenentur tamen tales omissa imposterum confiteri, dummodo eorum recordentur, juxta dicenda *num.* 44. & 45.

38 Ratione impotentiæ excusantur a materiali integritate Confessionis, qui laborant impotentia physica ad integre confitendum. Sic excusatur adeo balbutiens ut intelligi nequeat, & multo magis omnino mutus, utpote nullatenus loqui valens, qui proinde absolvi poterit, dummodo unum vel alterum peccatum per nutus explicaverit, vel, si neque hoc fieri potest, signum doloris de suis peccatis ediderit v. g. percutiendo pectus. Quod si tamen is scribere novit, expedit, ut peccata sua in scriptis Confessario exhibeat: ad quod tunc, si ceteroquin nullum subsit periculum manifestationis, eamdem etiam teneri, existimant Suarez, Vasquez, Dicastillo, ac Cardinalis de Lugo &c. quamvis non desint, qui cum Cajetano, Navarro, Ledesma, Soto, Valentia, Diana & aliis non improbabiliter oppositum defendant, absolute putantes, mutum non obligari confiteri scripto, eo quod scriptura ex sui natura sit quid permanens publicum, teste Scoto *in* 4. *dist.* 17. *prope finem*; nullus autem obligetur ad Confessionem publicam, sed tantum ad secretam. Ob quod ipsum fundamentum juxta Tannerum hic *disp.* 6. *quæst.* 7. *n.* 27. nullus tenetur scribere Confessionem memoriæ causa, ne forsan aliqua peccata quoad speciem, vel numerum memoria excidant, etsi ceteroquin id melius sit regulariter, & quando abest omne periculum, ne alii in notitiam veniant scriptorum: exinde tamen (inquiunt illi) necdum probatur stricta obligatio confitendi per scripturam.

Additio.

* Idem autem, quod de muto, ex eodem fundamento sentiendum est de vero surdo omnino nihil audiente, qui accedens Confessionale unum vel alterum peccatum mortale profert: adeo tamen confuse, ut post examen a Confessario institutum speciem, & numerum verbis, aut signis sufficienter exprimere nequeat. Dicitur notanter *de vero surdo, omnino nil audiente*: etenim si foret tantum surdaster, qui posset explicare distincte speciem, ac numerum gravium peccatorum, dummodo examen altiori voce instituatur, talis in publico concursu, & nisi sit periculum in mora &c. ablegandus foret vel ad aliud tempus, vel ad aliquem locum privatum ab aliis sequestratum, nisi in magno aliquo populi confluxu afferat mera venialia, aut mortalia absque interrogatione sufficienter proponat &c. ubi ob majorem fructum, ex participatione Sacramentorum acquirendum, absolvi posset, indicando eidem prævie pœnitentiam digitis, vel rosario, vel globulorum precatoriorum ostensione, uti recte notat Elbel hic *Conferentia V. Theolog. Sacram. num.* 141.

Quod si occurreret Pœnitens non solum vere surdus, sed simul mutus, talis deberet a Confessario in loco aliquo privato, ac nemine alio præsente, per certa signa, præsertim si scribere non sciret, aut forsan ob periculum, ne scriptura deperdatur, scribere recusaret, examinari, ut saltem in notitiam aliquorum peccatorum deveniatur; ubi Pater Elbel *loc. cit. n.* 133. utiliter pro praxi inquit, quod muti plerique soleant se accusare *de iracundia*, manum in modum pugni contrahendo, vultuque minaci concutiendo, *de gula* digitos ad os ponendo, *de ebrietate*, manu ac pollice elevato, quasi cyathum in idem os infundendo &c. Optimum erit, prævie a familiaribus hujus cum prudentia, & cautela expiscari, qualia talis surdus & mutus soleat edere signa, & quidnam per eadem intendat significare.

Nunc ulterius pergendo ad illos, qui excusantur a materiali integritate Confessionis, *

39 Ob eamdem impotentiam ignarus idiomatis poterit absolvi tempore præcepti, vel alterius necessitatis, etsi non integre percipiatur, si non potest haberi Confessarius linguæ suæ gnarus. An autem talis teneatur confiteri per Interpretem, si adsit, dictum est superius *n.* 23. Rursum si pœnitens inter confitendum in phrenesin incidat, vel periculum sit, ne illico moriatur, debet statim absolvi: & postea, si supervixerit, reliqua peccata audienda erunt, & absolutio denuo impertienda.

40 Hoc ipsum accidere solet tempore naufragii, aut belli, quando imminet conflictus, & Confessarius multorum integras Confessiones audire non possit. Quinimo in hujusmodi casibus, quando periculum imminens aliud non permittit, possunt omnes simul uno peccato explicato, quod minus infamat, confiteri, & a Confessario absolvi, dicendo, *Ego vos absolvo &c.* Imo secundum quosdam (inquit Busenbaum *dub.* 2. *De Confessione cap.* 2.) si aliter fieri non possit, sufficeret in tali casu dicere in genere, se esse peccatorem; aut etiam (subdit Ferdin. Hauckius *V. Absolutio num.* 22.) signo aliquo, aut genuflexione significare se peccasse: ut si Confessarius dicat, omnes, qui volunt confiteri, & absolvi, percutiant pectus, vel genu flectant; & tunc imminente tam gravi periculo possunt omnes absolvi a Confessario, dicente: *Ego vos absolvo &c.* Hurtado *De Sacram. Pœnit. disp.* 9. *diffic.* 10.

Additio.

* Ex dictis facile resolvitur casus ille, qui præcedente novissim bello contigit, ubi nimirum quidam milites in certo pago ex improviso ab hoste obruti, & multi ex his vulnerati in pago relicti, reliqui autem in captivitatem abducti fuere. Vocabatur ad vulneratos pro danda absolutione Parochus loci. Hic illico adveniens percipiebat quosdam ex vulneratis esse Catholicos, alios hæreticos: item aliquos periculose, & graviter, alios autem leviter sauciatos. Quid igitur consilii? Si multum temporis insumpsisset interrogationibus, quinam hæretici, quinam Catholici existant, quales periculose, quales leviter sauciati, manifestum fuisset periculum, ne interea temporis aliquot ex graviter vulneratis sine absolutione Sacramentali in longam infelicem æternitatem abiissent.

abiissent. Itaque ante omnia alia Parochus iste breviter hæreticos ad relinquendam sectam, & generaliter omnes succinctis, efficacibus tamen verbis ad dolorem, & propositum excitavit, subjungendo, ut, si possibile, hunc dolorem percussione pectoris, vel gemitu, aliove signo sensibili manifestent: exinde, antequam singulos in particulari pro exigentia necessitatis accesserat, generatim super vulneratos præsentes sequentem formulam absolutoriam protulit: *Ego ex vobis omnibus hos, qui capaces sunt, absolvo ab omnibus censuris, & peccatis vestris in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.* Quæritur, num factum bene, nec ne? Et Respondetur in his circumstantiis affirmative: periculum enim imminens mortis aliquot graviter sauciatorum non admisit longiorem inter eosdem disquisitionem, aut peccatorum Confessionem materialiter integram, atque insuper per particulas, *qui capaces sunt*, jam fuerunt exclusi incapaces, puta, illi hæretici, qui fortassis in sua hæresi persistentes renuerunt recipere a Catholico absolutionem Sacramentalem. Præterea etiam exinde prudentissime fecit præfatus Parochus, si, antequam absolutionem impertiit, ad eliciendum de peccatis ex parte sauciatorum dolorem talia succincte verba inseruit, quæ ad veram Contritionem movere solent: quia in tali emergentia contingere potuisset, quosdam præsentes sauciatos milites fuisse hæreticos pure materiales, aliquibus tamen aliis gravibus peccatis obstrictos, qui dein ante mortem per talia verba Parochi ad veram Contritionem eliciendam commoti adhuc vi ipsius Contritionis essent salvati, etsi ex ignorantia invincibili credentes, suam sectam esse veram Religionem, non habuissent intentionem recipiendi Sacramentum Absolutionis a Sacerdote Catholico.*

41 Ceterum extra similes casus magni periculi imminentis ob solum concursum pœnitentium non licet facere Confessionem dimidiatam: tenemur enim Jure Divino confiteri omnia peccata mortalia, quorum habemus conscientiam, extra casum impotentiæ physicæ, aut moralis; qualis in solo pœnitentium concursu non adest. Et hinc merito Innocentius XI. inter alias sequentem, ordine 59. Propositionem damnavit. *Licet Sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus Festivitatis, aut Indulgentiæ.*

42 Tandem ratione gravis damni imminentis potest excusari pœnitens ab integritate materiali Confessionis, quoties vel pœnitenti, vel ipsi Confessario ex Confessione omnium peccatorum rationabiliter timetur grave damnum spirituale, vel corporale: siquidem in tali casu censetur adesse impotentia moralis.

43 Sic fieret, quando pœnitens rationabiliter timet, peccatum suum revelandum; quod tamen in praxi vix, nec nisi gravibus de causis est præsumendum. Item quando femina ex jam expertis, vel aliis causis probabilibus metuit solicitationem ad peccatum, si confiteatur peccatum carnis, nec tamen habeat alium, cui confiteatur; nam tum delicto carnis prætermisso posset alia confiteri. Huc accedit casus, si pœnitens, vel ipsemet Confessarius timeat tempore v. g. pestis, vel alterius morbi valde infectivi, ne ex diutius protracta Confessione contrahat morbum contagiosum. Idem dicendum de similibus.

44 CONCL. VI. In supradictis, ac aliis hujusmodi casibus, in quibus nequit fieri Confessio materialiter integra, remittuntur quidem [si cetera requisita adsint] omnia peccata mortalia virtute Sacramenti Pœnitentiæ, sed diversimode: nam peccata explicite confessa remittuntur directe, adeo, ut non remaneat in pœnitente obligatio, illa denuo confitendi; alia vero peccata mortalia, quorum quis vel invincibiliter fuit oblitus, vel eadem non potuit ob aliam justam causam ex supra enumeratis confiteri, solum indirecte, & cum onere eadem imposterum confitendi, ac data opportunitate directe Clavibus Ecclesiæ subjiciendi. Ita communis. Ratio primæ partis est: quia unum peccatum mortale non remittitur sine alio: simulque gratia habitualis, seu sanctificans, quæ virtute Sacramenti Pœnitentiæ in tali casu confertur, est incompossibilis cum quocumque peccato mortali, ac proinde omne tale excludit.

45 Altera pars ex eo probatur: quia extra præceptum Divinum de confitendis omnibus peccatis mortalibus post Baptismum commissis, & consequenter peccata ea, quæ antea ob casum impotentiæ quis nequivit confiteri, debent postmodum data opportunitate in proxima Confessione exponi, & directe Clavibus Ecclesiæ subjici. Hinc merito Alexander VII. sequentem inter alias, ordine 11. Propositionem damnavit: *Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans vitæ periculum, aut ob aliam causam non tenemur in sequenti Confessione exprimere.*

46 CONCL. VII. Nihilominus, qui per oblivionem, aut aliam justam causam ex supra dictis, omisit aliquod peccatum confiteri, non tenetur statim, ac habuerit commoditatem, illud confiteri, sed potest differre Confessionem illius peccati, donec ex vi alterius obligationis iterum confiteri teneatur. Ita Bonacina *disp.* 5. *qu.* 5. *sect.* 2. *punct.* 4. *n.* 32. post Suarez, Navarrum, Filliucium, & plurimos alios Doctores. Ratio est: quia jam satisfecit præcepto Confessionis, cum re ipsa valide sit confessus. Excipitur tamen casus ille, quo quis Sacram Eucharistiam sumpturus recordatur peccati mortalis omissi: nam tunc, si absque periculo infamiæ possit denuo confiteri, tenetur præmittere Confessionem, ac peccatum illud directe Clavibus Ecclesiæ subjicere, ut jam alibi (e) dictum.

QUÆSTIO III.

De necessitate confitendi Circumstantias aggravantes, peccata dubia &c. præmittendi Examen Conscientiæ.

SUMMARIUM.

47 *Circumstantiæ speciem peccati mutantes, quæ?*
(f) Ut dictum Tract. 3. Dist. 2. quæst. 2. per totum.
Hæ sunt confitendæ.
48 *Circumstantiæ aggravantes, quæ?*
Aliæ sunt notabiliter aggravantes, aliæ non.
49 *Per se loquendo non tenemur confiteri circumstantias aggravantes, etiam notabiliter.*
50 *Solvitur instantia.*
Confessarius quomodo debeat judicare de gravitate culpæ?
51 *Quid Concilium Tridentinum circa hoc statuat?*
42 *Per accidens quandoque oportet confiteri circumstantias aggravantes.*
53 *Quid de consuetudine peccandi?*
54 *Peccata dubia sub dubio sunt confitenda.*
55 *Quod intelligendum de dubio proprie dicto, sive negativo.*
(g) Ut dictum Tr. 1. Dist. 3. n. 29.
56 *Solvitur instantia, & Addit. I.*
* *Et excipiuntur ab hac obligatione scrupulosi. Addit. II.*
57 *An possit, & debeat quis peccatum confiteri, quamvis Confessarius veniat in notitiam Complicis?*
58 *Quid de sententia negativa?*
(h) Ut dictum Tract. 9. Dist. 6. n. 7. & seqq.
59 *Aut si adiri possit alius Confessarius?*
60 *Examen conscientiæ Confessioni præmittendum?*
61 *Qualis diligentia in eo faciendo adhibenda?*
62 *Hæc diligentia non requiritur æqualis in omnibus.*
63 *Rustici non facile dimittendi pro faciendo meliori examine.*

47 QUæritur I. Utrum Circumstantiæ solum aggravantes, etsi notabiliter, sint necessario confitendæ? Pro cujus resolutione notandum, quod Circumstantiæ aliæ mutent speciem peccati; aliæ intra eamdem speciem dumtaxat aggravent. *Circumstantiæ speciem peccati mutantes* dicuntur illæ, quæ actus humanos transferunt in aliam speciem peccati ab ea, quam habent ex objecto

jecto suo: sic circumstantia personæ conjugatæ, vel habentis votum Castitatis transfert peccatum carnis a specie fornicationis ad speciem adulterii, vel sacrilegii, dum actui luxuriæ superaddit novam malitiam adulterii, vel sacrilegii. Idem contingit in illis casibus, quando peccatum ex genere suo veniale per accidens fit mortale, vel econtra. (f) Et tales Circumstantias speciem peccati mutantes, certum est, esse necessario confitendas; idque expresse fatetur, atque definit Concil. Trid. *Sess.* 14. *cap.* 5. & *can.* 7.

48 *Circumstantiæ aggravantes* appellantur eæ, quæ malitiam actus ex objecto desumptam intra eamdem speciem peccati dumtaxat aggravant, seu majorem reddunt, non autem superaddunt novam malitiam specie distinctam ab ea, quam actus habet ex objecto. Et ex his aliæ sunt notabiliter aggravantes, quæ videlicet multum aggravant malitiam actus intra eamdem speciem peccati, ut furtum mille florenorum simul ablatorum: aliæ non notabiliter aggravantes, ut furtum quinque, vel sex florenorum. Quæstio præsens præcipue procedit de circumstantiis notabiliter aggravantibus: nam omnes fatentur, circumstantias parum dumtaxat aggravantes non esse necessario confitendas. His prænotatis.

49 Resp. Etsi consultum sit, circumstantias solum aggravantes in Confessione explicare, nihilominus per se loquendo nulla est obligatio, eas etiam notabiliter aggravantes confitendi. Ita D. Thomas 4. *dist.* 16. *q.* 3. D. Bonaventura, Mastrius *disp.* 21. *Theolog. Mor. n* 175. & communior, atque probabilior Doctorum; licet non pauci oppositum teneant etiam Scotistæ, eo quod Doctor 4. *dist.* 17. § *De secundo*, libertatem suis reliquerit, hanc vel illam sententiam tuendi. Probatur autem data responsio: quia non est imponenda ejusmodi obligatio, nisi constet de tali præcepto; quinimo in dubiis melior est conditio possidentis, simulque *in obscuris minimum est sequendum*, juxta *Reg.* 30. *Juris in* 6. cum concordantiis. Deinde tale præceptum, talisque obligatio nullibi reperitur, quinimo Concilium Tridentinum satis clare oppositum indicat, dum *Sess* 14. *cap.* 5. & *can.* 7. ubi exacte tradit doctrinam de obligatione confitendi, solummodo meminit obligationis confitendi *omnia & singula peccata mortalia, & circumstantias, quæ speciem peccati mutant*; ergo neque a nobis asserenda est obligatio confitendi circumstantias speciem peccati dumtaxat aggravantes. Et hoc eo magis, quia idem Concilium *cit. cap.* 5. expresse subjungit, *nihil aliud in Ecclesia a pœnitentibus exigi*.

50 Dices: Juxta Concilium Trid. *cit. c.* 5. talis requiritur Confessio, ut Sacerdotes de gravitate peccatorum recte valeant judicare, & proportionatas pœnitentias injungere: atqui ad hoc necessario exigitur Confessio circumstantiarum notabiliter aggravantium; nam aliud judicium est de gravitate mille florenorum, quam decem, majorque pœnitentia pro illo furto injungenda, quam pro hoc; ergo. Resp. negando minorem cum sua probatione: nam sufficit, ut Confessarius judicet de gravitate culpæ secundum speciem suam moralem, sicque proportionatam pœnitentiam injungat; nec opus est, ut judicet de tantitate seu intensione culpæ intra eamdem speciem moris. Sive (ut alii loquuntur) sufficit ad Judicium Sacramentale, quod Judex sit informatus quoad omnia substantialia, inter quæ sunt circumstantiæ speciem mutantes, licet non quoad omnia accidentalia, qualia sunt circumstantiæ solum aggravantes. Nec urget, quod unicum furtum mille florenorum æquivaleat centum furtis decem florenorum. Resp. enim, id verum esse in genere entis, seu physico, non autem in genere moris; nam certum est, quod in priori casu unicum numero peccatum, in altero autem centum committantur.

51 Neque aliud vult Concilium Tridentinum *loc. cit.* nam sic ait: *Constat enim, Sacerdotes judicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, & non potius in specie, ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent.* Hæc Concilium, inde inferens, *a pœnitentibus omnia peccata mortalia, & præterea etiam eas circumstantias in Confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant.* Unde, quia altum silet Concilium Oecumenicum de circumstantiis dumtaxat aggravantibus, simulque noti juris sit, quod *exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis. arg. L. Quæsitum.* §. *Denique ff. De Fundo instructo*, cum concordantiis: sequitur, per se loquendo, nullam esse obligationem confitendi circumstantias dumtaxat aggravantes.

52 Additur *per se loquendo*. Nam per accidens contingere potest, quod quis obligetur confiteri circumstantias aggravantes: ut si certæ v. g. quantitati furti sit annexa reservatio, vel excommunicatio; nam de ea tunc debet constare Confessario, ne absque jurisdictione absolvat. Simile quid accidere potest propter annexam obligationem restituendi, cujus modum pœnitens petit sibi indicari a Confessario. Quod si hoc necesse non sit, poterit Confessarius absolute dicere pœnitenti: *Restitue, quod abstulisti.*

53 Insuper, quamvis non detur per se obligatio confitendi consuetudinem peccandi, nihilominus ea per accidens dari potest. Sic fit, quando Confessarius, ut rectum judicium formare valeat de dispositione pœnitentis, ac de proposito, & intelligere, an is non sit constitutus in occasione proxima peccandi, vel ipsa consuetudo non sit novum peccatum propter aliquam specialem rationem &c. interrogat pœnitentem circa hanc peccandi consuetudinem, prout explicat, & notat Joannes Cardenas *in Crisi Theologica cap.* 2. *ad Propositionem* 58. *Innocentii XI.* ubi Pontifex hanc, ordine 58. damnavit: *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.* Etsi enim consuetudo peccandi, post priora peccata rite confessa, sit circumstantia dumtaxat aggravans, & sic per se loquendo non necessario confitenda: tamen per accidens ob rationes prædictas tenetur pœnitens eam aperire Confessario interroganti.

54 Quæritur II. Utrum peccata dubia sint necessario confitenda? Resp. Probabilius est, & in praxi communiter tenendum, quod peccata dubia sint confitenda, sub dubio tamen. Ita Herincx *disp.* 3. *De Confess. qu.* 4. & communior Doctorum cum D. Thoma in 4. *D.* 21. *q* 2. *art.* 3. *ad* 3. & *Catechis. Rom. De Pœnit. cap.* 9. Quamvis non desint alii præsertim moderno tempore non improbabiliter oppositum tenentes. Ratio est: quia oportet peccata explicare, prout sunt in conscientia pœnitentis; ergo sicuti peccata certa sunt sub certitudine explicanda, ita peccata dubia sub dubio. Idipsum suadet communis praxis: & sensus Fidelium, per quem sufficienter manifestatur nobis voluntas Christi, obligantis ad Confessionem talium peccatorum.

55 Accedit alia ratio: quia præsens Quæstio, ejusque Resolutio procedit de dubio proprie dicto, adeo, ut quis pro neutra parte habeat judicium vere probabile, sed remaneat omnino suspensus, non determinando in alterutram partem, an peccaverit, nec ne; vel an tale peccatum fuerit confessus, nec ne: quod vocant *Dubium negativum* (g); nam passim fatentur Doctores secus esse dicendum de inani scrupulo, utpote ex frivolis dumtaxat rationibus ortum habente: item & de casu illo, quo quis probabiliter uni parti ob rationes graves determinate adhæret, utputa se non fecisse hoc peccatum, vel illud jam confessum esse, quamvis remaneat aliqua formido de opposito; quia tunc, conformiter principiis de Probabilismo, licebit sequi sententiam probabilem, imo etiam practice deponere dubium positivum; si quod subortum fuit: atqui stante dubio proprie dicto, seu negativo, si quis non confiteatur sub dubio peccatum, de quo dubitat, operatur cum conscientia practice dubia, atque exponit se periculo faciendi Confessionem sacrilegam, & non integram; ergo hoc ipso peccat.

56 Nec obstat illud commune dictum: *In dubio melior est conditio possidentis.* Resp. enim, in dato casu possessionem stare pro obligatione legis de facienda Confessione. Nam certum est, omnia peccata mortalia, quorum

 conscien-

conscientiam pœnitens habet, Jure Divino esse necessario confitenda: quod autem ab hac generali obligatione Legis Divinæ sit exceptum peccatum mortale dubium, de quo pariter habetur conscientia dubia circa commissionem ejusdem, necdum certo constat (imo communissima antiquorum Doctorum usque ad medietatem circiter præcedentis sæculi doctrina, praxis item, & consuetudo piorum Fidelium oppositum habet: simulque *Consuetudo est optima Legum interpres, cap. Cum dilectus. De Consuet.*) & consequenter possessio stat pro obligatione Legis Divinæ, ac proinde allata instantia urget in oppositum.

Additio I.

* Fateor tamen ingenue, respiciendo præcise ipsas rationes, & instituendo paritatem inter peccata positive & negative dubia, contraria sententia negans obligationem talem confitendi multum stringit: si enim valet regula possessoria applicari quoad peccata positive dubia, nec quoad eadem stat possessio pro obligatione Legis Divinæ, cur non idem posset dici de peccatis negative dubiis, præsertim cum quoad peccata negative dubia non habeatur gravis ratio astruendi, eadem fuisse commissa? Verumtamen præprimis in veneratione habenda est venerabilis Antiquitas: potuit enim Deus injungere obligationem confitendi peccata negative dubia ex una parte, & ex altera, utrum injunxerit, est dubium facti; injunxisse autem testatur communissime Antiquitas, cui major videtur tribuenda fides. Consulatur la Croix, qui accurate id examinat *Lib. 6. part. 2. n. 606. & seqq.* & tandem *n.* 110. sententiam, adstruentem obligationem confitendi, probabiliorem ait. *

Additio II.

* Interim tamen recte ex communi DD. subjungit la Croix *loco mox cit. n.* 611. sententiam istam, quæ adstruit obligationem confitendi peccata negative dubia, non afficere alias scrupulosos. Ratio est: quia illorum dubia ordinarie inanes sunt apprehensiones, adeoque possunt se semper secundum ordinarie contingentia resolvere, talia dubia nimirum hic & nunc occurrentia contemnendo tamquam inanes scrupulos: habent præterea sufficientissimum hujus resolutionis fundamentum ex eo, quia alias successive in gravissimas inducerentur molestias. Quinimo scrupulosi, si sciant quidem, se peccasse, dubitent vero, num hoc, vel illud peccatum fuerint confessi, non tenentur illud in alia Confessione repetere juxta Cajetanum, Navarrum, Henriquez, Medinam, Rodriguez &c. est enim incredibile (uti recte notat la Croix *loc. cit.*) quod peccata talibus non occurrissent antehac, quando erant recentius commissa. Quod si autem pro tunc occurrissent, tales scrupulosi certo illa fuissent confessi: unde prudenter supponere debent, vel pro tempore, quo commissa fuerunt, non fuisse eadem apprehensa ut mortalia, sicque nec mortaliter peccasse, vel saltem se jam fuisse actualiter confessos. Quod idem ex hac ipsa ratione la Croix *n.* 612. extendit ad alios timoratæ conscientiæ, qui non solent plene deliberate, & advertenter ordinarie Deum graviter offendere: similes enim, si dubitent, num hoc, vel illud peccatum commiserint, vel, si commisissent, utrum deliberate, vel indeliberate, sive an commissum confessi fuerint, vel non? non præcise dubitant negative, sed insuper habent positivam pro se gravem rationem, seu præsumptionem superius jam indicatam, quod vel non graviter peccaverint, vel saltem cognitum ut grave jam confessi fuerint, quamvis non amplius recordentur. Idque bene notandum in praxi tam pro scrupulosis, quam pro aliis timoratæ conscientiæ, quamvis ceteroquin non scrupulosis. *

57 Quæritur III. An, quando peccatum non potest rite explicari in Confessione sine manifestatione Complicis, possit, & debeat pœnitens tale peccatum confiteri, non obstante, quod Confessarius veniat in cognitionem Complicis? Resp. probabilius esse, quod possit, ac debeat; dummodo non possit alius Confessarius adiri, simulque Complici præter solam notitiam Confessarii nullum aliud damnum eveniat. Ita D. Bonaventura 4. *dist.* 21. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. Mastrius *disp.* 21. *Theolog. Mor. n.* 185. Sannig *dist.* 10. *De Confessione quæst.* 6. *n.* 11. Suarez, Layman, & communior aliorum. Ratio est: tum quia pœnitens utitur jure suo, & Complex, si quod dispendium famæ apud Confessarium incurrit, sibi ipsi imputet, eo quod libere fuerit socius talis criminis, quod sine ejus manifestatione coram Confessario explicari nequit. Nam, ut habet *Reg.* 86. *Juris in* 6. *Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare*, tum quia ex una parte Confessarius cognoscit peccatum Complicis sub Sigillo Confessionis dumtaxat, ac proinde non datur vera ratio infamiæ, parumque, vel nihil læditur fama Proximi, seu Complicis: ex altera vero parte urget præceptum Divinum integritatis Confessionis.

58 Fatendum tamen, quod oppositam etiam sententiam nonnulli Doctores sequantur; ut Diana *part.* 1. *Tract.* 7. *resol.*49. Navarrus *cap.*7. *Manual.n.*3. & alii ab ipsis citati: quia (inquiunt) præceptum non infamandi alterum fortius est præcepto integrandi Confessionem. Sed hæc ratio non convincit; nam in multis casibus ex justa causa licet peccatum Proximi manifestare (*b*) etiam in Foro externo; cui igitur id non licebit in Foro Sacramenti Pœnitentiæ, ac servandam integritatem Confessionis? Et hinc prior sententia merito censetur probabilior, estque communior.

59 Dicitur notanter n. 57. *dummodo non possit alius Confessarius adiri.* Nam, si id potest, tenetur, pœnitens alium Confessarium adire, ne sine causa prostituat bonam famam, atque existimationem Complicis apud Confessarium. Lugo *disp.* 16. *de Pœnit. n.* 391. *& seqq.* cum aliis. Et ob eamdem causam, si Confessarius animadvertat, pœnitentem paratum esse ad nominandum Complicem circa ea peccata, quæ sine Complicis agnitione intelligi possunt, debet ipsum modeste prohibere, quin etiam, si ad particularem personam descendat, increpare, ac multo minus ipsemet Confessarius curiose inquirat de persona Complicis, uti notat D. Bonaventura *cit. q.* 3. & alii passim.

60 Quæritur IV. Quænam diligentia adhibenda sit in examine conscientiæ faciendo? Resp. I. Certum est, quod pœnitens debeat prius se diligenter examinare, antequam Sacramentalem Confessionem peragat. Patet hoc ex sæpe citato Concilio Trident. *Sess.* 14. *can.* 7. ubi definit, *omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, esse confitenda.*

61 Resp. II. Talis diligentia in faciendo ante Confessionem examine conscientiæ adhibenda est, qualis communiter inter homines ejusdem status adhiberi solet in re seria, & quæ multum cordi est. Ita Scotus 4. *dist.* 17. *q. un* §. *De secundo* Marchantius *tom.* 1. *Tribunalis. Tract.* 4. *Tit.*6.*q.*4. Sannig *qu.* 5. *nu.* 11. & alii. Ratio est: quia, ut loquitur Concilium Trid. *loc. cit* sufficit *diligens præmeditatio*; ac proinde non requiritur strictissima, & exactissima discussio, sed sufficit diligentia moralis, sive humano modo facta, qualem scilicet viri, vel feminæ similis conditionis in arduis negotiis communiter adhibere solent.

62 Resp. III. Certum est, hanc diligentiam non requiri eamdem in omnibus. Ratio est clara: quia in hoc attendendus est status pœnitentis, ac tempus, quod a præterita Confessione effluxit; minus enim diligentiæ requiritur in homine DEUM timente, & qui frequenter v. g. singulis hebdomadibus confitetur, quam in alio, qui omnibus peccandi occasionibus exponitur, & ad plures menses, aut etiam integrum annum Confessionem distulit: unde moraliter hæc res est dijudicanda.

63 Resp. IV. Licet Rustici quandoque inveniantur negli-

negligenter examinati, ipsi tamen communiter non sunt dimittendi, ut se magis examinent, ac postea redeant ad Confessionem. Ita Lugo *disp.* 22. *de Pœnit. sect.* 2. *n.* 20. Vasquez, & alii. Ratio est: quia de iis præsumitur, licet millies se examinent, non fore magis aptos, quam si ab ipso Confessario breviter interrogentur, ac suaviter examinentur. Quando igitur Confessarius cognoscit talem defectum examinis in hominibus rudioribus, expedit, ut sua industria ipsos adjuvet: suisque interrogationibus eorum suppleat defectum.

QUÆSTIO IV.

An absolvendus sit Moribundus, qui amplius confiteri non potest?

SUMMARIUM.

64 *Qui plura confiteri nequit, absolvendus est unico peccato expresso.*
65 *Aut si coram Sacerdote det signa doloris, ac petitæ Confessiouis.*
66 *Imo &, si dedit talia signa absente Confessario.*
67 *Sufficit testis unicus de talibus signis.*
68 *Ordinatio Ritualis Romani circa absolutionem moribundi valde notanda.*
69 *Difficultas præcipua de pio Christiano, ac subito omnibus sensibus destituto.*
70 *Potest talis in articulo mortis absolvi sub conditione. Probatur hoc auctoritate Doctorum.*
71 *Eadem sententia probatur ratione.*
72 *Objectio communis contra dicta.*
(i) Ut dictum Dist. 6. n. 10. & 11.
73 *Ejusque solutio.*
74 *Declaratur sententia, asserens, quod in casu tantæ necessitatis vita Christiana &c. videatur sufficiens Confessio.*
75 *Solvitur instantia contra hanc sententiam allata.*
(k) Dist. 6. num. 60.
76 *Alia sententia, tunc ex signis exterioribus pie præsumens Confessionem sensibilem.*
* *Quid, si talis moribundus antea male vixerit? Addit. I.*
* *Vel si ignoretur, utrum sit Catholicus, vel Hæreticus? Addit. II.*
* *Aut, si quidem sit Catholicus, externa tamen det signa potius impœnitentiæ? Addit. III.*

64 CONCL. I. Certum est, quod possit, ac debeat absolvi infirmus, qui unum saltem peccatum confessus est, si præ infirmitate plura exprimere non valeat. Ratio est clara: quia talis jam facit confessionem formaliter integram, etsi non materialiter, ad hanc enim in tali casu impotentiæ non tenetur, ut patet ex dictis *n.* 36. 38. *& seqq.* Et ob eamdem rationem, atque juxta Rituale Romanum *n.* 68. allegandum, etiamsi pœnitens moribundus nullum peccatum in particulari confiteatur, sed solum dicat in genere, se peccasse, potest is absolvi, dummodo præ infirmitate nullum in particulari amplius explicare valeat.

65 CONCL. II. Certum insuper est, quod etiam ille moribundus absolvi possit, ac debeat, qui ob amissam præ infirmitate loquelam nullum amplius peccatum in specie, neque etiam in genere confiteri potest, exhibet tamen coram Sacerdote certa signa doloris, ac petitæ Confessionis. Ratio est; quia talis confitetur modo, quo potest, meliori. Accedit Rituale Romanum, de quo infra *n.* 68.

66 CONCL. III. Etiam ille, qui absente Confessario petivit Confessionem, ac ostendit signa pœnitentiæ, de quibus, qui viderunt, testimonium perhibent, potest, ac debet absolvi a Sacerdote superveniente: quamvis in præsentia Sacerdotis jam sit destitutus sensibus, & nullum amplius signum exhibeat. Ita rursum communis Doctorum propter rationes proxime allatas.

67 Porro notat Diana *part.* 3. *tract.* 3. *resolut.* 5. post Reginaldum *tom.* 1. *lib.* 8. *c.* 3. *n.* 8. & alios Doctores, quod in tali casu sufficiat unicus testis, qui testetur de petita per moribundum Confessione. Idque jure asseritur: nam & alioquin uni testi plene creditur, quando non agitur de alterius præjudicio; uti tradit Glossa *c. Nuper* ♈. *Nisi juratus. De Testibus*, arg. *c. Parvulos* & *c. Cum itaque. De Consec. dist.* 4. ubi per unum testem plene probatur, quod quis sit baptizatus.

68 CONCL. IV. Generaliter quoad praxin in hujusmodi casibus rite erit observanda ordinatio Ritualis Romani, auctoritate Pauli Papæ V. editi, quod agendo de Ritibus Sacramenti Pœnitentiæ ordinavit: *Si inter confitendum, vel etiam, antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægrum deficiat, nutibus, & signis conetur Sacerdos, quoad ejus fieri poterit, peccata pœnitentis cognoscere, quibus utcunque vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.* Hactenus Rituale Romanum. Ubi ly *Absolvendus est* intelligendum est de absolutione Sacramentali absolute impertienda, & non tantum sub conditione: nisi forte de aliquo prædictorum signorum certo non constet, sed dubium sit; tunc enim debet dari absolutio solum sub conditione. Et hæc quidem sunt certa, & communiter inter Doctores recepta.

69 Major difficultas est de illo moribundo, qui subito in phrenesin lethalem lapsus, vel apoplexia tactus est, aut alio casu improviso ita subitanee omnium sensuum usu destituitur, ut nullum omnino certum signum doloris, aut petitæ Confessionis dederit ante adventum Confessarii, neque in ejus præsentia ob vim morbi tale signum exhibeat, aut exhibere possit; interim tamen constat, eum prius christiane vixisse, Sacramenta frequentasse, ac probum fidelemque fuisse existimatum. Major, inquam, est difficultas, utrum talis in ejusmodi casu sit absolvendus, saltem sub conditione; *Si capax es absolutionis, ego te absolvo &c.* Pro cujus resolutione, salvo semper meliori, ac præsertim sanctæ Romanæ Ecclesiæ judicio, sit

70 CONCL. V. In ejusmodi casu is, qui prius christiane & pie vixit, etiam nullo dato tali expresso signo, quod ad exprimendum dolorem de peccatis communiter adhiberi solet (si tale ob vim morbi amplius dare nequeat) potest probabiliter tam practice, quam speculative absolvi sub conditione. Ita ex Ordine Franciscano Theologi satis communiter, ut Petrus Marchantius *Tom.* 1. *Tribunalis. tract.* 4. *tit.* 4. *q.* 3. *dub.* 7. Herincx *disp.* 3. *De Confess. n.* 77. qui in secunda Editione ad finem IV. Partis, post Indicem, in speciali Additione subjungit, quod, ut hoc observetur in praxi, injungatur omnibus Parochis in prima admissione ad Curam animarum a Consistorii Ecclesiastici Moguntini Assessoribus Theologis. Item Poncius *disp.* 46. *qu.* 4. *n.* 95. Joan. Bosco *De Pænit. disp.* 7. *sect.* 9. *Concl.* 6. *n.* 150. ubi a *n.* 131. fuse ostendit, ita etiam docuisse S. Augustinum *tom.* 6. *de adult. Conjug. Lib.* 1. *c. ult.* Bassæus ♈. *Absolutio. n.* 13. plures tum ex nostro Ordine, tum alios pro se allegantes. Eamdem sententiam tenet expresse Barbosa *in Collectaneis ad Concilium Trid. Sess.* 14. *cap.* 5. *De Sacramento Pœnit. n.* 2. citans pro hac sententia Vivaldum, Antonium de Litteratis, Homobonum de Bonis, Molfesium, Carolum de Baucio, Bartholom. de S. Fausto. Eamdem sententiam probabilem censet Diana *part.* 3. *tract.* 3. *resolut.* 8. atque præter plures supra jam relatos Auctores citat pro hac sententia Gregorium XV. in suo Memoriali Confessariorum, quod ediderat, quando adhuc erat Archi-Episcopus Bononiensis; atque etiam Sacerdotale Romanum *pag.* 624. dicens: *posse absolvi moribundum assuetum frequentare Confessionem, quamvis repentino casu oppressus Sacramentum non petierit.* Et hæ auctoritates ideo fusius adducuntur, ne videatur isthæc sententia destitui probabilitate sua extrinseca, ex tam multorum doctissimorum Virorum auctoritate desumpta: quæ cum tanta sit, rationibus mox afferendis probe stabilita, non mirum est quod ista sententia communius in praxi observetur.

71 Probatur nunc eadem sententia ratione. Quia inprimis probabiliter videtur adesse in dicto casu Confessio sufficiens,

sufficiens, qualis nempe hic & nunc fieri potest, prout patebit ex solutione objectionum. Deinde nihil mali fit in conferenda tali absolutione conditionata (eo enim ipso, quod apponatur conditio, *Si capax es, ego te absolvo &c.* jam præcavetur omni injuriæ Sacramenti, omneque periculum Sacrilegii evitatur) econtra vero spes subest, quod, si non semper, saltem aliquando possit talis absolutio conditionata prodesse moribundo, eidemque interius vere attrito, vi Sacramenti Pœnitentiæ cum perpetuo, atque in omnem æternitatem duraturo emolumento, gratiam sanctificantem conferre, vel augere; ergo nihil obstat, quo minus ejusmodi homo possit absolvi saltem sub conditione. Confirmatur. Sacramentum Baptismi in casu extremæ necessitatis potest, imo & debet conferri in materia dubia, vel etiam in parte dubia, utputa in digito, manu &c. si infans moriturus nondum plene natus est &c. ergo ob paritatem rationis idem dicendum videtur de absolutione Sacramentali sub conditione impertienda in casu memorato: cum sit dubium inter Theologos, an non possit impertiri, imo & pars affirmativa sit multum probabilis. Deinde dato etiam (numquam tamen concesso) quod pars affirmativa tantum sit sub dubio, sicque respective, & suo modo tantum tenuiter probabilis: cum tamen in Sacramento Baptismi in defectu alterius materiæ possit conditionate adhiberi materia, quæ tantum simili modo tenuiter esset probabilis, quod ad valorem sufficiat; cur non pariter in Sacramento Pœnitentiæ?

72 Objicies autem communem difficultatem contra positam sententiam. Sacramentum Pœnitentiæ necessario prærequirit Confessionem sensibilem, utpote quæ est pars ipsius, (i) ergo, ubi nulla est Confessio sensibilis, ibi nullum potest dari Sacramentum Pœnitentiæ, & per consequens neque absolutio Sacramentalis; atqui in dato casu nulla omnino adest Confessio sensibilis, neque per verba, neque per signa, aut nutus, uti supponitur, ergo. Confirmatur: quia Sacramentum Pœnitentiæ ex Christi institutione est judicium sensibile; ergo ad ipsum necessario requiritur accusatio sensibilis: atqui in casu posito nulla intervenit accusatio sensibilis: cum juxta hypothesin moribundus nec dare possit, neque antea dederit signum petitæ Confessionis, ergo. Hæc est instantia principalis oppositæ sententiæ.

73 Respondetur ad hanc difficultatem, atque utrumque argumentum, negando subsumptum, vel illud distinguendo: licet enim in casu posito, & juxta hypothesin non interveniat Confessio sensibilis certa, seu verbis expressis, aut aliis signis claris & indubitatis facta, interveniunt tamen talia signa sensibilia, quæ probabiliter confessio aliqua sensibilis, & pro casu istius extremæ necessitatis probabiliter sufficiens pro obtinenda absolutione: quamvis, quia ejusmodi signa non sunt omnino certa, sicque non adest clara Confessio, absolutio illa solum sub conditione danda sit, non autem absolute. Ceterum duplici præsertim modo conantur Auctores ostendere, in ejusmodi casu intervenire, saltem probabiliter aliquam Confessionem sensibilem.

* 74 Primus modus dicendi est non paucorum Auctorum hujus sententiæ, asserentium, quod vita christiana, atque catholica, hactenus probe & publice peracta, in hujusmodi casu, ac extrema necessitate talis Moribundi sit sufficiens sui accusatio (cum alia major fieri nequeat) adeoque ex hoc capite possit absolvi Moribundus. Hanc suam opinionem ita declarant: quia ille, qui petiit Confessionem, vel saltem dedit signa petitæ Confessionis, potest in mortis articulo absolvi, sed homo christiane & catholice vivens hoc ipso petiit, deditque signa Confessionis pro mortis articulo petitæ; ergo. Minorem probant tum, quia per decursum totius vitæ Christianæ sæpius, ac præsertim frequentando Sacramenta Ecclesiæ, vel faciendo consuetum examen conscientiæ, imo & devote orando *Pater Noster*, vel *Ave Maria*, per ly *dimitte nobis debita nostra*, vel *Ora pro nobis peccatoribus &c.* fatentur se peccatores, petuntque omnia pro felici hora mortis necessaria, aut opportuna: atqui inter hæc est etiam Confessio, & absolutio Sacramentalis in mortis articulo obtinenda; ergo.

75 Nec obstat, quod talia non semper explicite referant homines pro absolutione Sacramentali in mortis articulo recipienda. Resp. enim, ex parte recipientis Sacramentum sufficere etiam intentionem habitualem: atque insuper, quod dolor ad Sacramentum Pœnitentiæ requisitus possit aliquo tempore præcedere Confessionem, ipsamque absolutionem, jam superius (k) dictum esse. Quod si urgeas, ex hoc sequi, quod homo christiane vivens etiam alias v. g. in somno possit absolvi. Resp. negando sequelam: quia extra casum impotentiæ requiritur vera & integra Confessio; quamvis secus sit in casu impotentiæ, & quidem extremæ, de quali nunc sermo est.

76 Alter modus respondendi ad supra dictam difficultatem est Marchantii *loc. cit.* & aliorum multorum, qui, licet nolint absolute concedere, vitam christianam esse sufficientem sui accusationem ad obtinendam absolutionem Sacramentalem in tali casu impotentiæ, & mortis articulo, addunt tamen, eamdem esse sufficiens fundamentum ad prudenter præsumendum, quod hic & nunc adsit signum aliquod sensibile, quo Moribundus conetur petere Confessionem, & absolutionem Sacramentalem, eamque actu petat; utputa per suspiria, gemitus, aspirationes, oculorum ictus &c. Etsi enim talia ordinarie sint signa naturæ patientis, ac doloris corporalis, nihil tamen obstat, quo minus ea ab homine moribundo, singulariter a DEO illuminato, & interius contrito, atque confiteri cupiente, neque ob destitutionem usus omnium sensuum externorum valente aliud signum desideratæ Confessionis dare præter unum, aut alterum, ex supra dictis actibus, quandoque ordinentur ut signa ad petendam Confessionem, & absolutionem Sacramentalem. Cum igitur hoc fieri possit, & probabiliter quandoque fiat (prout sibimeptisi accidisse, citatus Marchantius testatur) poterit sub conditione talis homo moribundus absolvi, eo quod ob vitam antea pie & christiane peractam præsumi, ac sperari possit, etiam ipsam per talia signa hic & nunc petere confiteri, & Sacramentaliter absolvi: cum alio meliori modo amplius nequeat confiteri, aut suum internum desiderium confitendi explicare.

Additio I.

* Instabis. Ex fundamentis hujus sententiæ, & ex solutione objectionum sequeretur, quod præfatus moribundus in extremis constitutus conditionate valeat absolvi non solum, si pie, sed etiam, si male antea vixit, v. g. si antea alterum provocans, fuit confessus in duello &c. quoniam etiam mali Christiani ita fidem suam Christianam a potiori ordinare præsumuntur, ut in ultimis constituti velint pro remissione peccatorum Sacramentum Pœnitentiæ recipere; & forsan pariter isti edunt signa doloris, quæ tamen ob imbecillitatem moribundi non percipiuntur. Resp. Inprimis non tam facile præsumi posse, hic & nunc peti Confessionem cum supernaturali dolore, & NB. *firmo proposito* a moribundo malo, si sit valde perversus, & induratus, uti præsumitur apud Christianum bonum; præsertim, cum talibus valde perversis peccatoribus non soleat Deus ordinarie illas speciales, ac singulares gratias in fine vitæ suæ dare, quas largitur bonis. Deinde quoad malos, saltem non nimium antea induratos, & perversos, quoque absolutio conceditur conditionata ex hac ipsa ratione a Patre la Croix *Lib. 6. part. 2. n.* 1163. cum Pontio, Sporer, Gormaz, Stoz, Carden, Tamburin. & aliis. Quæ contra objici possent, solvuntur ibidem apud Schild, Gormaz, & Moyam. *

Additio II.

* Quær. I. An talis moribundus subito sensibus destitutus conditionate absolvi possit, si nesciatur, utrum sit Hæreticus,

Hæreticus, vel Catholicus? Resp. I. Si contingat in locis alias Catholicis, præsumi talem potius Catholicum, sicque poterit conditionate absolvi. Resp. II. Idem sentiendum de locis, ubi Catholici cum Hæreticis permixtim vivunt, si periculum sit in mora, & aliunde notitia haberi nequeat certa intra tale temporis spatium: nam stante tali dubio potius est resolvendum pro moribundo in majorem favorem animæ suæ. Resp. III. Si constet quidem, hunc moribundum esse Hæreticum, interim tamen talem, qui jam antecedenter scitur inclinasse in fidem Catholico Romanam, puto, etiam talem esse conditionate absolvendum, eo quod prudenter possit dubitari, utrum in hoc ultimo agone non desideret fidem Catholicam amplecti, & confiteri, præsertim si jam antea fuerit instructus in principiis nostræ fidei, & requisitis essentialibus ad Confessionem. *

Additio III.

* Quær. II. An talis moribundus absolvi possit conditionate, si quidem sit Catholicus, signa tamen externa varia impœnitentiæ exhibeat e. g. blasphemando, aut in faciem sacræ imaginis exspuendo, vel dicendo, se nolle confiteri &c. Resp. Si constet, talem antecedenter non fuisse hominem valde perversum, sed bonum Christianum etiam hic poterit conditionate absolvi, uti recte ex doctrina Gobat, ac Layman notat Ildephonsus Tausch in suo Moribundo *Disp.* 2. *quæst.* 3. *n.* 272. Ratio est; quia poterit prudenter dubitari, utrum talis, antea visus bonus Christianus, non similiter agat ex delirio, vel mania (prout non raro in febribus acutis valde intensis solet contingere) maxime, si brevi ante adventum hujus delirii optaverit Confessarium, qui eum absolvat, ac sic prævie elicuerit forsan dolorem de suis peccatis. Item si aliunde adsint signa obsessionis seu possessionis diaboli, sæpius tales imprecationes, & blasphemiæ sunt effectus ejusdem, absque eo quod ipsa persona consentiat, & ex deliberata malitia similia faciat. Scio præterea, quod aliquando talis moribundus, loquela destitutus, & eo tempore imaginem Crucifixi exspuens, postea autem, redeunte loquela, desuper interrogatus responderit, se nullatenus intendisse exspuere in imaginem Crucifixi, sed potius in obscœnam aliquam figuram inter se, & inter imaginem Christi interpositam, quam haud dubie dæmon vel ex aere formavit, vel immutando species ægroto præsentavit.

DISTINCTIO VIII.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

QUÆSTIO I.

Quis sit Minister Sacramenti Pœnitentiæ, & quomodo indigeat Jurisdictione, & Approbatione?

SUMMARIUM.

1 *Solus Sacerdos est Minister Sacramenti Pœnitentiæ.*
2 *Is debet habere legitimam Jurisdictionem.*
3 *Sacerdos in sua Ordinatione accipit potestatem Ordinis, non Jurisdictioni.*
4 *Accipit tunc potestatem in Corpus Christi verum, & mysticum &c.*
5 *Differentia inter potestatem consecrandi, & absolvendi.*
6 *Potestas absolvendi declaratur apto exemplo.*
7 *Hæc præsupponit potestatem consecrandi.*
7 *Jurisdictio, sive potestas jurisdictionis, quid?*
9 *Jurisdictio ordinaria,*
10 *Et delegata, quæ?*
11 *An quilibet Sacerdos possit absolvere a venialibus?*
12 *Cautela circa hoc. cum Addit,*
(*a*) De hoc vide Tract. 10. Dist. 3. n. 50. & 55.
13 *In mortis articulo absolvit quilibet Sacerdos.*
(*b*) Tract. 4. Dist. 4. n. 33.
* *Uti & in mortis periculo. Et quando id adesse censeatur?*
14 *Ad Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ requiritur legitima approbatio.*
* *Quæ distinguitur a Jurisdictione.*
15 *Regulares exempti, a quo accipiant jurisdictionem.*

1 CONCL. I. Solus Sacerdos est legitimus Sacramenti Pœnitentiæ Minister. Ita omnes Catholici; estque definitum in pluribus Conciliis, atque novissime in Trid. *Sess.* 14. *cap.* 6. & *can.* 10. Idque patet ex illo *Joan.* 20. ubi Christus solis Apostolis, jam antea in ultima Cœna in Sacerdotes ordinatis, postquam a mortuis resurrexerat, dixit: *Accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

2 CONCL. II. Quamvis solus Sacerdos sit legitimus Sacramenti Pœnitentiæ Minister, non tamen quicumque Sacerdos est talis, sed solum ille, qui præter potestatem Ordinis habet etiam potestatem Jurisdictionis, id est legitimam Jurisdictionem, vel ordinariam, vel saltem delegatam. Ita omnes Catholici, ac patet tum ex perpetua traditione, ac sensu Ecclesiæ, tum ex citato Concilio Trid. *cap.* 7. ubi ait: *Persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* Accedit ratio: quia absolutio est actus judicialis; ergo ex parte Sacerdotis requirit jurisdictionem in subditos: nam sententia a non suo Judice lata nulla est.

3 CONCL. III. Sacerdotibus in sua Ordinatione solum confertur potestas Ordinis, nondum vero potestas Jurisdictionis. Ita ex professo Herincx *disp.* 5. *de Pœnit. n.* 11. cum communi. Ratio est: quia, licet Sacerdos in sua Ordinatione accipiat potestatem remittendi peccata (quæ dicitur *potestas Ordinis*) nondum tamen acquirit aliquos subditos, neque Jurisdictionem ad ipsos Sacramentaliter absolvendos. Ceterum, ut hæc, simulque præcedens Conclusio melius intelligatur,

4 Notandum I. Quod Sacerdos in sua Ordinatione duplicem accipiat potestatem; unam in Corpus Christi verum, id est, potestatem consecrandi, & conficiendi verum Corpus & Sanguinem Christi in tremendo Missæ Sacrificio: alteram in Corpus Christi mysticum, id est, potestatem absolvendi Fideles pœnitentes, qui sunt de Corpore Christi mystico, quod est Ecclesia, cujus ipse caput est; juxta illud *Coloss.* 1. *Et ipse* (Christus) *caput est Corporis Ecclesiæ.* Et infra ỹ. 24. *Pro Corpore ejus* (Christi) *quod est Ecclesia.*

5 Notandum II. Quod inter hanc duplicem potestatem multiplex intercedat discrimen. Siquidem potestas consecrandi est proxima, & omnino inimpedibilis, quæ proinde a Sacerdote semel rite ordinato amplius auferri, aut per Ecclesiam impediri non potest: unde, licet Sacerdos sit suspensus, excommunicatus, imo etiam degradatus, si consecrare præsumat, valide, etsi illicite, consecrabit. Econtra vero potestas absolvendi, in Ordinatione Sacerdoti collata, est impedibilis, ac remota solum: remota quidem, eo quod insuper ad validam ejus executionem requiratur Jurisdictio legitima: impedibilis vero per subtractionem cujuslibet jurisdictionis, qua subtracta, vel saltem non collata per Prælatos Ecclesiæ, si Sacerdos attentaret absolvere, non solum illicite, sed & invalide absolveret.

6 Declarari solet istud per simile in Doctore Juris, qui, licet in sui creatione, qua Doctor Juris declaratur, accipiat potestatem, ut ubique locorum possit judicium exercere respectu sibi subditorum, non tamen mox a sui gradatione potest in quoslibet judicium exercere, sed postea primum, quando alicubi vel ex officio, vel ex delegatione Superioris quosdam acquirit subditos, respectu quorum deinceps judicium exercere valebit. Ita in simili (servata tamen proportione) de Sacerdote jam ordinato quoad potestatem exercendi judicium Sacra-

Sacramentale in Sacramento Pœnitentiæ, & absolvendi peccatores confitentes est discurrendum. Fagnanus *in cap. Omnis. n.* 84. *de Pœnit. & remiss.* sub aliis terminis tradit hanc doctrinam, dicendo, quod Presbyteris in sua Ordinatione detur potestas Clavium in habitu tantum, non autem in actu seu quantum ad usum: in institutione vero, seu collatione Beneficii curati tribuatur executio illius potestatis.

7 Est & alia differentia inter potestatem consecrandi, & potestatem absolvendi Sacerdotibus concessam; siquidem hæc posterior necessario præsupponit illam priorem. Unde Christus Dominus, qui Apostolis in ultima Cœna dedit potestatem consecrandi Corpus & Sanguinem suum, eisdem primum post suam gloriosam Resurrectionem contulit potestatem absolvendi, *Joan.* 20. dicens: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Hinc etiam per Episcopum in Ordinatione Sacerdotum conferri eisdem solet potestas consecrandi circa Offertorium Missæ, videlicet ante lectum Evangelium: potestas vero absolvendi primum peracta Communione. Hujus autem ratio non est, nisi voluntas, ac institutio Christi Domini, qui voluit, neminem posse conscientias nostras in Sacramento Pœnitentiæ judicare, qui non posset prius suum sacratissimum Corpus & Sanguinem conficere: ut eo libentius conscientias nostras tali subjiceremus, cui ipsemet Christus sese subjecit consecrandum, & manibus tractandum.

8 Notandum III. Quod *Jurisdictio*, quantum ad propositum, aliud non sit, quam auctoritas quædam superioritatis supra alios in Foro conscientiæ judicandos. Porro hujusmodi Jurisdictio (quæ & *Potestas Jurisdictionis* dicitur) duplex est, ordinaria scilicet, & delegata.

9 *Jurisdictio ordinaria* est, quæ alicui competit ex proprio officio, seu munere suo: id est, qua quis ex vi proprii officii [utpote cui annexa est cura animarum] habet subditos, quos in Foro conscientiæ judicare potest. Et talem habet Parochus in sua Parochia, Episcopus respectu Diœcesanorum, Abbas respectu suorum Monachorum, Generalis cujusdam Ordinis, & Papa respectu totius Orbis.

10 *Jurisdictio delegata* est, quæ habetur ex commissione alterius habentis ordinariam, id est, quam quis absque collatione alicujus Beneficii, curam animarum habentis, accipit ab habente jurisdictionem ordinariam. Et talem habent Religiosi Ordinum Mendicantium a Summo Pontifice in omnes Sæculares Christi Fideles totius Orbis, quamvis nullum habentes Beneficium curatum, sed tamen legitime approbati pro Confessionibus excipiendis respectu Sæcularium.

11 CONCL. IV. Sacerdotibus in sua Ordinatione confertur sufficiens Jurisdictio valide saltem absolvendi quemlibet a solis peccatis venialibus. Ita communior Theologorum. Ratio est: quia peccata venialia sunt materia libera Confessionis; ergo frustra reservarentur, & consequenter omnis Sacerdos poterit ab ipsis absolvere.

12 Notandum tamen, quod extra casum necessitatis non debeat defacto Sacerdos necdum expositus se immiscere audiendis Confessionibus venialium; idque ob plurima incommoda, quæ inde facile possent oriri. Et hinc non immerito Innocentius XI. in Decreto, circa Communionem quotidianam, edito 12. Februarii 1679. (*a*) injunxit Episcopis & Parochis *ut non permittant, ut venialium Confessio fiat simplici Sacerdoti, non approbato ab Episcopo aut Ordinario.*

Additio.

* Ex dicto Decreto eruitur, quod, si non invalide, saltem illicite ageret Sacerdos simplex, qui a peccatis venialibus (idem dic de mortalibus per præcedentem Confessionem jam semel rite expiatis) absolveret extra articulum, vel periculum mortis. Videatur la Croix *Lib. 6. part. 2. n.* 1489. *

13 CONCL. V. In mortis articulo potest quilibet Sacerdos, etiam alias necdum approbatus, imo & excommunicatus, degradatus, hæreticus, absolvere ab omnibus censuris, & peccatis. Ita expresse Concilium Trid. *Sess.* 14. *cap.* 7. ubi ait: *Verumtamen pie admodum, ne aliquis pereat, in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis, & censuris absolvere possint.* Ex quibus verbis tam amplis docet unanimis Doctorum, quod simplex etiam Sacerdos, quamvis sit degradatus, excommunicatus, irregularis, vel apostata, possit absolvere, si non adsit Confessarius approbatus, proprius Parochus, aut Episcopus. Num autem hoc præsente possit absolvere simplex Sacerdos, jam alibi (*b*) dictum fuit: prout etiam jam in alio loco insinuatum est (nimirum *Tract. de Censuris*) a quibus Censuris Regulares Jurisdictionem delegatam absolvendi habeant.

Additio.

* Quod proxime dictum est de potestate absolvendi in articulo mortis, Bosco, Lugo, Vasquez, Sanchez, Suarez, Silvester, Medina, & alii cum Glossa extendunt etiam ad periculum mortis, desumentes id ex Extravaganti *Inter cunctas. De Privilegiis.* ubi alias eam potestatem absolvendi non habentibus hæc datur, quando *mors confiteri volentium verosimiliter timetur*; verosimilis autem timor videtur idem sonare, ac probabile periculum. Notandum autem est, quod, etsi soleat subinde articulus, & periculum mortis ab AA. pro eodem accipi conformiter *Dist.* 9. *n.* 13. proprie tamen articulus mortis tunc adesse censeatur, quando mors moraliter certa proxime instat. Periculum vero mortis tunc dicitur esse, quando sub dubio, vel timore probabili exspectatur mors, uti in prælio, vel itinere periculoso, vel simili maritima navigatione: item tale periculum subire reputantur illi, qui inserviunt pestiferis aut mulieres partui vicinæ, alias in partu expertæ periculum vitæ. Felix Potestas *Tom.* 1. *n.* 3357. annumerat constitutis in periculo proximo mortis universim prima vice parituras. Ratio est: quia non præsumitur, similes omnes velle pia Mater Ecclesia exponere probabili periculo æternæ damnationis denegando Sacerdotibus præsentibus Jurisdictionem saltem in casu, quo alii habentes potestatem absolvendi desunt, aut nolunt, vel non possunt absque difficultate adesse, vel ad eosdem in gravi periculo mortis constituti non habent confidentiam, uti notat hic Elbel *part.* 2. *Conferent. XII. num.* 328. Quinimo loquendo de proprio Parocho talis moribundi P. Sporer *part.* 3. *Theolog. Sacram. cap.* 6. *n.* 725. concedit huic potestatem absolvendi a reservatis etiam neglecto alio privilegiato. *

14 CONCL. VI. Ut Minister Sacramenti Pœnitentiæ, sive Confessarius illud valide administret, extra articulum, vel periculum mortis etiam præter Jurisdictionem necessario requiritur legitima Approbatio ipsius. Ita communis. Hinc vitandæ sequentes duæ Propositiones, ab Alexandro VII. damnatæ, quarum una, ordine 16. sic habet: *Qui Beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.* Altera, ordine 13. taliter sonat: *Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.* Et merito utraque Propositio damnata fuit: nam seclusa approbatione Episcopi, neque simplex ille Sacerdos ab eodem recipit jurisdictionem delegatam absolvendi; ordinariam autem eo ipso non habet, quia caret Beneficio curato; Regulares vero eamdem approbationem non accipiunt a Summo Pontifice, sed ab Episcopo sicque ab eodem reprobati nec valide absolvunt. Ubi

Additio.

* Notandum singulariter, quod approbatio legitima, ad validam Sacramenti Pœnitentiæ administrationem præter ipsam jurisdictionem requisita, sit aliquid longe distinctum a jurisdictione. Ratio est: quia *approbatio*

est actus

est actus intellectus declarantis de capacitate, & sufficienti intelligentia Confessarii in ordine ad hoc munus obeundum, *jurisdictio* vero respicit voluntatem; est enim potestas in certas personas dijudicandas acquisita per voluntatem Superioris concedentis. Porro Confessarii sæculares, speciali privilegio non præditi, dependent ab Episcopo non solum quoad approbationem, verum etiam quoad Jurisdictionem, quæ ipsis vi curati Beneficii, vel aliis modis confertur, econtra vero Confessarii Regulares exempti solum ab eo dependent in approbatione. *

15 Etenim Regulares exempti Jurisdictionem absolvendi sæculares non accipiunt ab Episcopo approbante, sed supposita approbatione Episcopi loci, & accedente consensu proprii Superioris Regularis, ea statim intelligitur ipsis concessa a Sede Apostolica: prout desumitur ex *Clem. Dudum.* §. *Statuimus. De Sepulturis.* atque a S. Congregatione Concilii declaratum fuisse refert Fagnanus in *c. Omnis n.* 79. *De Pœnit. & remiss.* Accedit ratio quam affert Layman *Lib.* 5. *tract.* 6. *c.* 10. *n.* 19. quia Episcopus loci tam amplam Jurisdictionem audiendi Confessiones omnium Fidelium undecumque venientium, eosque a censuris etiam Papæ reservatis (extra casus Bullæ Cœnæ Domini) absolvendi dare non potest, sed eam Confessarii Ordinantium Mendicantium immediate recipiunt a Summo Pontifice, cum dependentia tamen a consensu sui Prælati, & approbatione Episcopi.

APPENDIX.

Continens varia adhuc quæsita de Approbatione.

SUMMARIUM.

* *An Episcopus possit reprobare Clericum, quem in examine pro Confessionali invenit idoneum? Addit. I.*
* *An possit is Regulares exemptos quoad approbationem ad certum genus Pœnitentium astringere? Addit. II.*
* *Vel approbatos semel, iterum reprobare? Addit. III.*
* *A quonam Episcopo Regulares Exempti debeant approbari? Addit. IV.*
* *A quali Clerici sæculares? Addit. V.*
* *Ubi etiam de praxi Germaniæ. Addit. VI.*
* *Ponuntur alia duo notabilia Quæsita. Addit. VII. & VIII.*
* *De Approbatione circa Moniales. Addit. IX.*

Additio I.

* Quæres I. An Episcopus Clericum, quem in examine consideratis omnibus considerandis vere idoneum invenerit, possit nihilominus citra peccatum reprobare? Resp. negative: peccaret enim talis Episcopus contra justitiam; quia intervenit quasi contractus, uti alias fit in concursu, quo dicitur: *Subjicio me examini ea conditione, ut approber, si dignus inveniar*: quæ conditio etiam censetur acceptari ab altero, supposito, quod ipsum examinet. Ita recte cum Card. de Lugo la Croix *Lib.* 6. *part.* 2. *n.* 1491. & ex Bosco *De Jubilæo. sect.* 5. P. Henno *tract. de Pœnit. disp.* 8. *quæst.* 6. *con.*4. Interea tamen etiam injuste reprobatus juxta jam dicta nequit audire in illa Diœcesi Confessiones, cum desit necessario requisitum, nempe Approbatio. *

Additio. II.

* Quæres II. An Episcopus Clericos Regulares exemptos possit tantum ad certum genus personarum, vel ad certum locum, aut tempus approbare? Respond. quoad hoc provideri in Constitutione *Superna.* edita per Clement. X. ubi §. 5. sic habetur: *Illi Religiosi, qui ad Confessiones audiendas idonei generaliter inventi fuerint, ab Episcopis generaliter quoque, & indistincte absque aliqua limitatione NB. temporis certorumque locorum, aut generis personarum in Diœcesi propria sunt admittendi: quoad ceteros vero, qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinquitur, ipsos limitata facultate, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere.* *

Additio III.

* Quæres III. An supposito, quod aliquando Regulares exempti fuerint approbati pro aliqua Diœcesi, illa approbatio denuo possit tolli ab illo Episcopo, qui eam dedit? *Resp.* talem approbationem semel factam nullatenus posse ab eodem licite tolli, seu revocari alio tempore, nisi vere coram DEO nova gravis causa revocandi, quæ ipsas concernat Confessiones, intervenerit. Ita la Croix *L.* 6. *part.* 2. *n.* 1545. & probatur ex Constitut. *Superna.* Clement. X. §. 6. ubi sic habetur: *Regulares ad Confessiones audiendas prævio examine simpliciter, & absque ulla temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo (NB. secus autem ab ejus Vicario, aut ab Antecessoribus Episcopis approbati) non possunt ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab eisdem Confessionibus audiendis suspendi seu licentiæ illis concessæ revocari nisi nova superveniente causa, quæ ipsas Confessiones concernat.* Videatur Henno *Tract. de Pœnit. disp.* 8. *q.* 7.

Additio IV.

* Quæres IV. A quonam Episcopo debeant Regulares exempti approbari, ut valide in aliqua Diœcesi sæculares pænitentes absolvere possint? Respond. Ordinarie loquendo debent tales Regulares esse approbati ab Episcopo illius Diœcesis in qua excipiunt Confessiones, ita quidem ut citra istam approbationem ibidem absolvere non possint pœnitentes ad se confluentes etiam ex illa Diœcesi, in qua jam fuerant antecedenter approbati. Ita clarissime patet ex dicta Constit. Clement. Papæ X. *Superna*, edita undecimo Calendas Julii 1670. ubi inter multa hæc verba habentur: *Ad hæc Regulares ab Episcopo ad Confessiones Sæcularium in sua Diœcesi audiendas approbati NB. non possunt in aliena Diœcesi eas absque illius Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi a quo ipsi Religiosi jam fuerunt approbati.* Ceteroquin Episcopus ille approbationem dare potest electus, & confirmatus, quamvis non consecratus, vel capitulum sede vacante. Pariter Abbates, & Præpositi, qui habent territorium nulli Episcopo subjectum. Videatur la Croix *l.* 6. *part.* 2. *n.* 1495. *ac seqq.* *

Additio. V.

* Quæres V. An pariformiter quoad approbationem sentiendum sit quoad Clericos Sæculares? Respondetur, eosdem pariter debere esse approbatos ab Ordinario illius Diœcesis, in qua Confessiones excipiunt. Ita cum Navarr. Barbosa, Cardin. de Lugo &c. Sabinus Bononien. in Luce Moral. *Tract.* 167. *n.* 34. Et probatur a fortiori: Confessarii enim sæculares magis dependent ab Episcopo, quam Regulares exempti; cum posteriores ab eo dependeant tantum in approbatione, priores autem etiam in Jurisdictione; ergo, si Regulares debent esse approbati ab Episcopo Loci, in quo confessiones excipiunt, multo magis Sæculares. Accedit, quod apud eumdem Sabinum, *loc. cit. n.* 37. ita fuisse decisum a Sac. Congregat. Concilii referant Fagnanus *in cap. Ne pro Dilatione. n.* 65 ac seqq. & Pignatellus *tom.* 7. *Consult.* 8. *n.* 46. quod idem P. Franciscus Van Ranst *Tract de Indulgent. q.* 12. *n.* 10. conatur eruere ex Bulla *Cum sicut.* Innocentii XII. edita die 19. Aprilis anno 1700. *

Additio. VI.

* Quæres VI. Quomodo ergo stante hac Doctrina salvetur in Germania praxis, vi cujus in confinibus duarum Diœcesium tam Parochi, quam Regulares tempore Indulgentiarum, seu magnæ alicujus festivitatis, aut peregrinationis confluunt in unum certum locum coadjuvando ibidem excipere Confessiones, quamvis in Diœcesi ejusdem loci, seu oppidi, ubi Confessiones excipiunt, numquam fuerint ab Ordinario approbati? Ratio dubitandi est; quia ex una parte juxta jam dicta requiritur

ritur ad absolvendum aliqua approbatio; & quidem Episcopi, in cujus Diœcesi excipiuntur Confessiones, ex altera vero propterea, quod quis sit approbatus in propria Diœcesi, non infertur, quasi foret approbatus in omni alia, sicque nec in ea, in qua sine ulteriori approbatione Confessiones excipit: nam sequens propositio est damnata, ab Alexand. VII. quæ sic sonabat: *Regulares Ord. Mendicant. semel approbati ab uno Episcopo ad audiendas Confessiones in sua Diœcesi habentur pro approbatis in aliis Diœcesibus, nec nova indigent approbatione.* Respondetur ex Illsung hic, & aliis, praxim istam justificari per tacitum consensum, & approbationem Episcopi illius Diœceseos, in qua talis Confessiones excipit: dum enim similia in Germania tempore magni concursus pœnitentium a Confessariis Regularibus, qui in alia Diœcesi fuerunt approbati, uti & a Parochis, & Beneficiatis curatis notorie practicantur, & Reverendissimi Ordinarii non contradicunt, etsi facile possint, merito tacitus exinde de præsenti consensus eorum infertur, qui æquivalet consensui expresso. Quod idem erit sentiendum de alia praxi, qua nimirum vicini Parochi ad invicem, vel Cooperator unius Parochiæ vicino Parocho confitentur. *

Additio VII.

* Quæres VII. An etiam post Decretum Clementis X. salvari possit illa praxis, qua Regulares exempti ab uno Conventu in alium mutati solent in locis, per quæ transeunt, præsertim in aliquo concursu pœnitentium, & quando fuerunt a Parochis requisiti, excipere ibidem Confessiones, quamvis in ea Diœcesi necdum fuerint approbati ab Ordinario? Antequam respondeam, suppono tamquam certum, quod nequeant tales excipere sæcularium Confessiones, in ipso loco, ad quem mutantur, & ubi domicilium figunt, nisi vel jam alio tempore pro illa Diœcesi fuerint approbati, vel de novo ab Ordinario memoratæ Diœcesis, sub qua ille locus situs est, approbationem obtineant: ita enim expresse decernit Clemens X. in superius allegata Constitutione. Quæstio igitur solum versatur circa loca, per quæ præcise tales Regulares transeunt, non ibidem permanendo. Hoc præscito, Respond. supposito, quod tales jam semel ab aliquo Ordinario alicujus Diœcesis fuerint approbati, posse sub itinere excipere Confessiones in loco, per quem transeunt, quamvis locus iste existat in ea Diœcesi, in qua numquam approbationem obtinuerunt, dummodo specialiter excipiatur oppidum, in quo ipsemet Episcopus moratur. Ita cum aliis contra Illsung Pater Reiffenstuel *Lib. 5. Decret. tit. 39. n. 259.* cum Platelio, Taberna, ac pluribus aliis apud Dianam *P. 3. T. 2. Resol. 123.* Et ratio desumitur tum ex privilegio per Eugenium IV. FF. Minoribus, ac per Gregor. XIII. Patribus Soc. Jesu concesso, quoad NB. transeuntes, seu itinerantes necdum claris terminis per Clement. X. revocato, tum efficacius ex tacito consensu ipsorum Ordinariorum, eo ferme modo, quo diximus in antecedenti Quæsito. Sane ex hoc ultimo fundamento posset talis Religiosus, transiens alienam Diœcesim, excipere Confessionem alicujus Domini Parochi, Cooperatoris, vel alterius Sacerdotis sæcularis hujus alienæ Diœcesis, prout fatetur Holzman *Tom. 2. Tract. 4. n. 743. v. Respondetur ad casum secundo.* Cur ergo non pariformiter aliorum Sæcularium maxime si ibidem foret magnus Pœnitentium confluxus? Item ex hac ipsa, uti credo, ratione Confessarii magnorum Principum; qui Principales suos per varias subinde comitantur Diœceses, eosdem, si confiteantur ibidem, absolvunt, quamvis in dictis Diœcesibus non fuerint expresse approbati, memorati Confessarii. Videatur Anacletus Reiffenstuel *loc. cit.* & Albertus Reiffenstuel in sua Practica *part. 1. c. 3. num. 95.* *

Additio. VIII.

* Quæres VIII. An Regulares exempti semel in aliqua Diœcesi approbati possint excipere Confessiones in locis ejusdem Diœcesis, in quibus non habent Monasteria, ubi Parochi positive contradicunt? Respond. affirmative. Ita la Croix *lib. 6. p. 2. n. 1523.* & deducitur ex Constitut. *Superna.* Clement. X. sæpe jam allegata. Ratio est; quia quoad approbationem non dependent a Parocho, sed ab Episcopo, a quo, si sunt semel approbati, illimitate jurisdictionem in Christi fideles accipiunt ab ipsomet Summo Pontifice. Nec dicas: Parochi nequeunt audire Confessiones in altera Parochia ejusdem Diœcesis contradicente positive altero Parocho: ergo nec Regulares. Respond. enim neg. conseq. & paritatem; nam Parochi non acquirunt jurisdictionem in alienos subditos, puta, in altera Parochia existentes, nisi per expressum, vel saltem per tacitum de præsenti consensum alterius Parochi; Regulares autem Mendicantes obtinent a Papa in omnes Sæculares, habita semel approbatione Episcopi Diœcesani. Interea tamen præfati Regulares non debent publice in ipsa Ecclesia alterius Parochiæ excipere Confessiones, si positive Parochus nolit, ut sic evitentur tricæ, & lites, uti notant la Croix *Lib. 6. p. 2. n. 1576.* & Henno *Tract. De Pœnit. disp. 9. quæst. 5. Conclus. 3.* *

Additio IX.

* Quæres IX. An Regulares, vel etiam Sæculares Sacerdotes sub terminis generalibus approbati ab Ordinario pro excipiendis Confessionibus censeantur exinde etiam esse approbati pro Monialibus, saltem subjectis tali Ordinario? Resp. negative: etenim juxta Bullam *Superna*, Clementis X. quoad hasce requiritur mentio specialis. Ex quo non pauci Doctores apud la Croix *L. 6. part. 2. n. 1467.* inferunt, nequidem tempore Jubilæi posse Monialem absque legitima speciali licentia sibi assumere Confessarium quemcumque pro beneplacito suo: nam, etsi ibidem soleat dari facultas eligendi pro Confessione excipienda quemcumque Presbyterum tam sæcularem, quam cujusvis Instituti, ac Ordinis Regularem, qui ab omnibus censuris, & quibusvis peccatis quantumvis enormibus, atque reservatis absolvere queat, attamen expresse additur, ut is sit unus *NB. ex approbatis a Locorum Ordinariis*: atqui non censetur a Locorum Ordinariis approbatus pro Monialibus, nisi qui specialiter pro ipsis est deputatus, ergo neque tempore Jubilæi poterit a Moniali eligi in confessarium alius, nisi talis, qui vel antea, vel saltem tempore Jubilæi specialiter pro Monialibus fuit deputatus. Ita pariter sentit Mathæucius *V. Officialis quoad Confessarios Monial. n. 11.*

QUÆSTIO II.

De probitate, Scientia, & Prudentia Confessarii: ubi etiam de modo prudenter corrigendi errores a se commissos.

SUMMARIUM.

16 *Ratio Ordinis.*
17 *In Confessario requiritur probitas, scientia, & prudentia.*
18 *Confessarius debet esse Judex, Medicus, & Doctor.*
19 *Probitas, quæ in ipso requiratur?*
(c) De hoc Tract. 14. Dist. 1. n. 43. 44. & 47.
20 *Quomodo peccet administrans hoc Sacramentum in mortali?*
21 *Scientia in Confessario, qualis requiratur?*
22 *Scientia eminens, & scientia mediocris, quæ? cum Additione.*
23 *Quid, si Sacerdos sit dubius de sua sufficientia?*
24 *Generatim, qua Scientia debeat pollere Confessarius? cum Additione.*
25 *An is teneatur judicare de gravitate peccatorum in individuo?*
(e) Ut dictum Tract. 3. Dist. 2. q. 2. per totum.
26 *Quid, si is erret in judicando? Doctrina practica.*

(f) Ut

(f) Ut amplius n. 34. & seqq. dicetur.

* *Extenditur hæc Doctrina per duo Corollaria Addit. I. & II.*

27 *Prudentia Confessario necessaria.*

28 *Ea generatim debet exerceri circa propriam Confessarii personam,*

29 *Circa personas astantes,*

30 *Et circa pœnitentes, quomodo?*

16 POstquam de iis dictum est, quæ requiruntur ad Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ, ut valide illud administret, merito præsens Quæstio una cum sequentibus tractat de his, quæ requiruntur ad dignam, legitimam, licitam, & meritoriam dicti Sacramenti administrationem ex parte Ministri. Hinc sit

17 CONCL. Unica. Ut Confessarius rite, ac licite meritorieque suo munere fungatur, ex parte ipsius requiruntur tria, videlicet Probitas vitæ, Scientia conveniens, & Prudentia. Ita communis. Ratio est; tum quia is sine probitate vitæ, sive existens in peccato mortali, & absque prævia contritione absolvens peccaret mortaliter administrando Sacramentum Pœnitentiæ: tum quia, ut dicitur *c. Omnis utriusque sexus. De Pœnit. & remiss.* Confessarius debet se habere *more periti Medici, ut superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati:* ad hoc autem opus est scientia, & prudentia, ut patet: ergo.

18 Hæc generalia requisita ex parte Confessarii paucis complectuntur Doctores, dum ajunt, quod Confessarius debeat esse & Judex, & Medicus, & Doctor. *Judex* quidem, discutiendo pœnitentem, atque de ejusdem peccatis judicando, ac pro ipsis salutarem pœnitentiam, & satisfactionem imponendo, simulque vel impertiendo absolutionem, vel (si merita causæ id exposcant) hanc negando. *Medicus*, qui juxta *cit. c. Omnis utriusque sexus*, noverit superinfundere vinum & oleum vulneribus sauciati. Et *Doctor*, ob debitam scientiam, prudentiamque ex parte ipsius requisitam; prout amplius in progressu dicetur. Nunc singula in Conclusione enumerata prosequendo per ordinem,

19 Quæritur I. Quænam probitas requiratur ex parte Confessarii? Resp. I. Ad hoc, ut Sacerdos licite, & absque peccato mortali administret Sacramentum Pœnitentiæ, requiritur, ut non sit sibi conscius peccati mortalis. Quod si eum remordeat conscientia peccati gravioris, tenetur prius per receptionem Sacramenti Pœnitentiæ, vel saltem præmissa contritione perfecta (c) sese restituere in statum gratiæ: alioquin peccaret novo peccato mortali Sacrilegii. Valebit tamen absolutio data a Sacerdote in statu peccati mortalis existente, si cetera requisita adsint; ac proinde valide quidem, sed non licite Sacramentum administrabit.

20 Quæritur II. Quot peccata numero distincta committat Sacerdos, qui plurimum Confessiones pro eadem vice, successive tamen, in statu peccati mortalis excipit? Resp. de hoc jam esse dictum superius *Tract.* 14. *Dist.* 1. *n.* 49. & 53. ibi videatur.

21 Quæritur III. Quæ, & quanta requiratur scientia in Confessario? Resp. I. In Confessario requiritur scientia competens, id est, saltem mediocris. Ita communis. Ratio est: quia, cum in hoc Sacramento Confessarius exerceat officium Judicis & Medici, scire debet, quid sit sui muneris, ne & se & suos pœnitentes periculo exponat errandi in materia gravi, & salutem animarum concernente. Siquidem, ut inquit Salvator *Matth.* 15. *Cæcus, si cæcum ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.*

22 Additur notanter, *scientia competens, id est, saltem mediocris*; duæ enim sunt species scientiæ. Prima dicitur *Scientia eminens*, qua quis optime sit versatus in Jure Canonico, in Theologia Morali, atque Casuistarum lectione, & qua sciat ratiocinari, casusque difficiles Conscientiæ resolvere. Hæc scientia, quamvis sit utilissima, omnique studio prosequenda, nihilominus absolute necessaria non est: alioquin pauci reperirentur Confessarii. Secunda vocatur *Scientia mediocris*, quæ tamen commode determinari nequit, sed debet dijudicari ex ratione diversitatis tum locorum, tum personarum: major enim requiritur scientia pro Confessionibus in Urbe aliqua inter Magnates & Mercatores excipiendis, quam in pagis inter simplicem populum.

Additio.

* Interim tamen Pater la Croix *lib. 6. part. 2. num.* 1787. notanter ponit hæc formalia: *Scientia summa non requiritur, imo per accidens sæpe est minus utilis, quam mediocris conjuncta cum naturali judicio & praxi, qui enim ita subtiliter volunt omnia revocare ad apices Theologicos, sæpe se ipsos, & alios implicant scrupulis, aliisque difficultatibus &c.* *

23 Resp. II. Si Sacerdos sit dubius de sua sufficientia, debet se conformare judicio Episcopi approbantis, vel sui Prælati, aut alicujus docti Theologi, &, si per ipsos capax, & sufficiens repertus fuerit, suum dubium in illorum judicium rejicere, & secure Confessiones excipere. Ita D. Thomas 2. 2. *q.* 104. *art* 5. Suarez, Toletus, & alii. Intellige, dummodo is successive per lectionem librorum competentium magis conetur in hujusmodi scientia ad Confessarium requisita proficere, & in casibus obscurioribus, ac difficilioribus non erubescat doctiores consulere: quod præsertim a principio erit observandum, quando quis incipit Confessiones excipere.

24 Resp. III. Interim certum est, quod Confessarius debeat esse præditus tanta scientia, ut sciat, quænam communiter sint peccata ex genere suo mortalia, & quænam venialia; quænam regulæ communes sint pro distinctione numerica peccatorum, quænam circumstantiæ speciem peccati mutantes, & quæ non: tenetur enim inter hæc, veluti inter lepram & lepram, ceu spiritualis Medicus, posse discernere. Insuper tenetur scire Regulas communes, quibus quis excusari possit a præcepto, vel a peccato mortali: nec non ea, quæ requiruntur ad legitimam Sacramentorum administrationem, ac in specie ad Sacramentum Pœnitentiæ, & hujusmodi, de quibus idcirco passim Theologi Morales tractare consueverunt.

Additio.

* Pater Benjamin Elbel *in Theolog. Sacrament. part.* 2. *Conferent. XV. n.* 394. considerat Confessarium tripliciter, uti nos antecedenter *n.* 18. nimirum tamquam Judicem, Medicum, & Doctorem. Ut *Judex* debet non quidem necessario memoriter, sed habitualiter, uti ait Elbel *loc. cit. n.* 397. scire peccatorum species, ac circumstantias speciem mutantes: item onera ex peccatis contra justitiam resultantia; nimirum an, & quid sit restituendum in bonis fortunæ, famæ & vitæ? item quæ communiter sint causæ a restitutione excusantes? Item casus reservatos saltem illos, & censuras saltem eas, a quibus nequit absolvere: nec non ea delicta, ob quæ saltem a potiori incurritur irregularitas: item principaliter nosse debet ea, quæ respiciunt partes Pœnitentiæ essentiales vel integrales, quales sunt dolor cum proposito, Confessio, absolutio, ac satisfactio. Ut *Medicus* nosse debet modos ordinarios, quibus peccator iterum resurgere potest, uti & remedia contra peccata, & contra tentationes in futurum, singulariter quoad consuetudinarios, & in occasione proxima constitutos. Ut *Doctor* scire debet, qualiter ignorantes in necessariis principiis Fidei possit instruere: item noscere obligationes, quæ communiter oriuntur ex statu clericali, vel matrimoniali, maxime circa impedimenta matrimonii, ut dubitantibus competentem dare valeat resolutionem. *

25 Resp. IV. Cum Suarez *part.* 3. *tom.* 4. *disp.* 28. *sect.* 2. *n.* 2. Lugone, Marchantio, aliisque. Quamvis teneatur Confessarius scire, quidnam ex natura sua sit peccatum mortale, & quidnam veniale, ut dictum: non tamen requiritur, quod de omnibus, quæ audit a pœnitente, judicet, an sint hic & nunc peccata mortalia, vel venialia: quis enim hoc etiam ex viris doctissimis absque

absque manifesto periculo errandi facere poterit? Idque tum ob diversitatem opinionum inter Doctores tum quia casus ipsi in individuo valde alterantur quod majus, ac minus ex materia, indeliberatione, passione, multisque aliis circumstantiis, ratione quarum quandoque peccatum ex genere mortale fit veniale, ac econtra. (*e*) Sufficit itaque, ut Confessarius attente audiat confitentem, & qualitatem, gravitatemque malitiæ prudenter expendat, licet ad gravitatem peccati mortalis certo illam determinare non possit.

26 Notandum tamen, si Confessarius determinatum ferat judicium, & quandoque peccatum mortale reputet veniale, aut econtra, non idcirco Confessionem, & absolutionem pœnitentis reddi invalidam: nam, ut recte quidam loquuntur, *Sacerdos non debet judicare pœnitentem scientia Divina, sed auctoritate Divina absolvere.* Unde, si Confessarius audiat peccatum, quod discernere nequit, utrum hic & nunc sit mortale, vel veniale, illud tale, quale est, absolvat, suspendens judicium pro natura ipsius; quandoquidem in genere bene sciat, an sit mortale, vel veniale: etenim, quidquid agat, non semper poterit concepta dubia (doctioribus præsertim ob particulares circumstantias frequentius occurrentia) super peccatis, & eorum gravitate deponere; neque oportet per exactissimas interrogationes hoc Sacramentum pœnitentibus nimis grave, & onerosum reddere. (*f*)

Additio I.

* Ast ponamus, quod Sacerdos in confessionali commiserit aliquem errorem ex oblivione, aut distractione, vel ex sua inscitia, seu ignorantia, quem postea cognoscit, debebitne error hic denuo ab ipso corrigi, & quomodo, ac quando? Antequam respondeam, suppono, talem errorem posse contingere vel circa substantialia Sacramenti pænitentiæ, sine quibus nullo modo valor Sacramenti habetur, v. g. si administretur absque intentione Ministri, si detur absolutio absenti, aut omittendo in formula absolutoria aliqua verba essentialia, sive si conferatur pœnitenti non habenti dolorem ex motivo supernaturali, aut efficax propositum &c. Vel error iste potest præcise versari circa integritatem materialem, puta, si a Confessario ex inscitia intermittatur interrogatio circa species, & numerum peccatorum, e. g. an pœnitens, qui accusat se contra sextum præceptum peccasse, commiserit hoc peccatum cum soluta, vel ligata, & quoties? Item error iste in confessionali ex inscitia a Confessario factus potest tendere in præjudicium tertii, ut in puncto restitutionis in bonis famæ, vel fortunæ, vel potest contingere citra damnum alterius. H. S. *

Additio II.

* Respondeo I. Si error iste contingit circa valorem Sacramenti Pœnitentiæ, tunc illa inscitia vel fuit ignorantia vincibilis, ac graviter peccaminosa, vel invincibilis. Si prius, tenetur hunc errorem corrigere, & pœnitentem monere etiam cum gravi suo incommodo, petita tamen prius (saltem de sententia securiori) a pœnitente licentia loquendi cum ipso de re sibi ad salutem necessaria. Ratio est: quia graviter ex sua propria culpa damnificavit pœnitentem: ergo debet sibimetipsi imputare grave onus, quod in corrigendo errore subire cogitur. Quando vero inscitia ista fuisset ignorantia invincibilis (puta, si error contigisset ex naturali oblivione) tunc vel pœnitens est in eo statu, ut sit periculum, ne Sacramentum Pœnitentiæ post talem absolutonem invalidam umquam amplius recipiat, puta, quia periculose pro tempore talis invalidæ absolutionis erat decumbens; vel non est tale periculum: in priori casu adhuc tenetur Confessarius subire onus corrigendi suum errorem etiam cum gravi incommodo, si alius modus lenior corrigendi non supersit. Ratio est: quia pœnitens versatur in periculo gravioris adhuc damni, nimirum in periculo æternæ damnationis, si ita cum suis peccatis gravibus a parte rei necdum absolutus decederet. Quod si tale periculum moriendi abesset, non teneretur Confessarius cum tali gravi suo incommodo, & prostitutione hunc suum errorem corrigere; quoniam moraliter certum est, talem pœnitentem adhuc sæpius accessurum ad confitendum, ubi a suis prioribus illis peccatis saltem indirecte absolveretur. Ita cum Tamburino, & Card. de Lugo, P. Sporer *part.* 3. *Theolog. Sacrament. cap.* 6. *sect.* 4. *n.* 803. ac teste ipso communis.

Resp. II. Si stante valore Sacramenti Confessarius quoad alia (secluso tamen omni damno tertii) erravit ex inscitia inculpabili, vel naturali oblivione, non tenetur cum gravi suo incommodo corrigere hunc suum errorem. Ita cum Card. de Lugo, Aversa, & Filliucio, Claudius la Croix *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 1779. ac Tamburinus hic, qui etiam *c.* 8. *n.* 3. subjungit, tale grave incommodum corrigendi communiter præsumi adesse. Ratio responsionis est; quia ex una parte talis nihilominus indirecte ab his peccatis fuit absolutus, ex altera autem nulli fit præjudicium ac præterea nec intervenit aliqua culpa.

Resp. III. Si error iste contigit ex inscitia Confessarii in materia justitiæ cum damno tertii, tunc vel Confessarius iste erravit negative tantum, utpote non monendo, non imponendo restitutionem debitam, seu non docendo nullitatem, seu injustitiam alicujus contractus &c. vel dictus Confessarius erravit etiam positive. v. g. dicendo positive ad pœnitentem, quod sit excusatus a restitutione; cum tamen foret obligatus, aut vice versa adstringendo pœnitentem ad faciendam aliquam restitutionem, a qua tamen foret excusatus: sive asserendo, quod hic contractus usurarius e. g. sit justus, qui tamen a parte rei est invalidus &c. Si in materia justitiæ error iste ex inscitia culpabili, vel etiam ex respectu humano proveniens fuit negativus, tenetur eum Confessarius juxta non paucos ex justitia, juxta plures vero teste la Croix *loc. cit. n.* 1718. saltem ex charitate corrigere etiam cum suo incommodo, non levi. Ratio est: Quia fuit causa negativa damni ex propria malitia. Dixi notanter: *Si error fuit ex inscitia culpabili*; etenim, si Similia contigissent ex ignorantia invincibili, aut oblivione naturali, sicque sine gravi culpa, non obligaretur ad corrigendum errorem cum gravi incommodo, & erubescentia. Quando autem error iste in materia justitiæ ex inscitia culpabili Confessarii, vel ex respectu humano proveniens fuit positivus, tunc certo talis Confessarius etiam cum suo non exiguo incommodo tenetur corrigere hunc errorem ex justitia, ita quidem, ut in defectum alterius obligetur ad resarcitionem damni, si habeat media. Ratio est: quia fuit causa mala positive influens in hoc damnum, sicque conformiter dictis de restitutione obligatur ex titulo injustæ damnificationis. Quod si damnum hoc contigisset ex inscitia inculpabili, neque obligaretur ex justitia ad resarcitionem damni: non quidem titulo *rei acceptæ*, cum nil ad eumdem pervenerit: nec titulo *injustæ acceptionis*, seu damnificationis, quoniam nullam commisit gravem culpam. Interea tamen videtur lex Christiana dictare, ut Confessarius iste impetrata prius a pœnitente licentia loquatur desuper cum pœnitente, etiam cum aliquali incommodo, licet non tanto, ac si mala fide errasset. Nec tenetur propterea famam propriam, aut Religionis suæ tamquam bonum altioris Ordinis gravi periculo prostitutionis, & infamiæ exponere, modo non mentiatur iniquitas sibi, dicendo grave periculum, ubi revera non est. Sporer *loc. cit. num.* 805.

27 Quæritur IV. Circa quæ generatim Prudentia Confessarii debeat esse solicita? Resp. I. Licet Prudentiæ virtus ad omnes Sacerdotum functiones rite obeundas summe necessaria sit, merito tamen præ omnibus aliis ea requiritur ad Confessiones audiendas, ut Confessarius & quatenus Medicus est, probe noverit super infundere, oleum & vinum vulneribus sauciati, & quatenus Doctor est, caute errantes viam veritatis edoceat.

28 Resp.

28 Resp. II. Generatim prudentia Confessarii est exercenda partim circa propriam personam, partim circa pœnitentes, & partim circa alias personas. Et quidem circa propriam personam vigilare oportet Prudentiam Confessarii tum in procuranda, atque conservanda puritate conscientiæ, tum in devota invocatione gratiæ Spiritus Sancti, ad hoc divinum ministerium rite peragendum, tum in ardenti zelo sive desiderio procurandi salutem animarum, Deique gloriam adaugendi, & ampliandi. Accedit assecuratio corporalis, ne videlicet quantum fieri poterit, Confessarius incurrat periculum corporis, seu contrahendæ infirmitatis præsertim excipiendo Confessiones laborantium morbis contagiosis. Huc revocantur nonnulla alia, quæ Confessario quoad propriam personam, etiam in exterioribus gestibus rite ordinandam, necessaria, & prudenter attendenda erunt.

29 Deinde quoad alias personas astantes plura observanda suggerit Prudentia. Primum est uniformitas in modo procedendi. Alterum, ne nimis clare loquendo faciat nonnumquam circumstantes audire peccata confitentis contra eorum voluntatem, aut ne gestibus, vel ob gravissima peccata a pœnitente proposita altis gemitibus, & suspiriis (de quibus infra *Dist. 9. Addit. post. 29. n.*) aliisve signis faciat astantes devenire in notitiam cujuspiam peccati gravioris confessi. Et hoc tum ratione sigilli Confessionis, ne illud quoquo modo, etiam indirecte, violetur: tum ratione scandali, & ne circumstantes merito absterreantur. & (quod pronissimum est) aversionem concipiant a tali Confessario. Alia similia suggeret ipsamet Prudentia.

30 Potissimum autem circa pœnitentes ipsos Prudentia Confessarii exercenda est, eos partim caute examinando, si opus fuerit, partim charitative instruendo, dubiaque ipsorum solide resolvendo, & dando opportuna consilia, partim eos discrete corrigendo, atque salubria subministrando media, quibus ad veram detestationem peccatorum inducantur, atque ab ulteriore lapsu præserventur. Præsertim autem magna opus est prudentia circa eos, qui videntur esse constituti in occasione proxima peccandi, nec non & circa recidivos. Hinc sit

QUÆSTIO III.

De interrogationibus a Confessario faciendis.

SUMMARIUM.

31 *Confessarius, an teneatur quandoque interrogare pœnitentem?*
32 *Cautela circa interrogationes.*
* *Quandonam debeat Confessarius interrogare?*
33 *Quid observandum circa rudiores?*
(g) Dist. 7. n. 63.
* *Quid circa illos, qui confessi sunt sacrilege?*
34 *Quid observandum in faciendis interrogationibus?*
35 *Hic potest errari per defectum & excessum. Doctrina notabilis.*
36 *Regulæ generales circa examen, & interrogationes faciendas.*
37 *Præsertim in materia luxuriæ.*
38 *Praxis circa hujusmodi interrogationes. Cum Addition.*
39 *Interrogationes, an sint instituendæ post Confessionem?*
40 *Vel potius sub Confessione?*
41 *Quid agendum, si pœnitens taceat peccatum, quod Confessarius scit eum commisisse?*
42 *Quid, si pœnitens illud neget?*
43 *Limitatur data responsio.*
* *Quid faciendum, si pœnitens proponat peccatum antea occultatum? Addit. I.*
* *Quid examinandum in Confessionibus generalibus? Addit. II.*

31 Quæritur I. An Confessarius teneatur quandoque interrogare pœnitentem? Resp. Etsi per se, ac primario munus pœnitentis sit sese debite examinare atque integre accusare, Judicis autem audire: nihilominus in supplementum ignorantiæ, seu defectus ipsius pœnitentis, etiam Judicis, sive Confessarii est interrogare, eumque examinare in hoc Foro Sacramentali. Ita Herincx *disp. 5. de Pœnit. n. 55.* cum communi, Idque patet tum ex *c. Omnis utriusque sexus. De Pœnit. & remiss.* ibi: *Sacerdos autem sit discretus & cautus &c. diligenter inquirens & peccatoris circumstantias, & peccati*, tum ex Rituali Romano, ibi: *Si pœnitens numerum, & species, & circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum Sacerdos prudenter interroget.* Accedit ratio: quia Confessarius tenetur, quantum moraliter potest, procurare integram peccatorum Confessionem, atque evitationem peccati Sacrilegii, & curare, ne indisposito administret hoc Sacramentum.

32 Additur, *in supplementum ignorantiæ, seu defectus pœnitentis.* Nam Confessarius non obligatur ulterius interrogare pœnitentem, quem ex modo procedendi advertit virum doctum, & bene conscientiam examinasse, suaque peccata quoad numerum, ac speciem rite proposuisse, si nesciat, eum aliquid per oblivionem omisisse. Herincx *loc. cit.* Lugo *disp. 22. de pœnit. n. 17.* & alii. Imo etiam, quando facienda est interrogatio, prorsus abstinendum est a curiosis, & non substantialibus, hoc est iis, quæ non concernunt numerum, speciem, ac circumstantias speciem mutantes peccatorum: quamvis, ut hæc facilius intelligantur, expediat, circa pœnitentem ceteroquin ignotum præmittere interrogationem de tempore ultimæ Confessionis, & si occurrat peccatum carnis) an sit solutus, vel ligatus Matrimonio &c.

Additio.

* Quod si indages ulterius. Quandonam ergo debeat Confessarius interrogare? *Resp.* totum id desumi ex triplici classe pœnitentium a practicis assignata, ubi ab iisdem in prima Classe ponuntur suo modo doctiores e. g. Clerici, Religiosi, vel etiam studiosi altiorum facultatum præsertim Theologiæ moralis. In secunda Classe numerantur minus quidem docti, competenter tamen circa Divina educati, nimirum cives, famuli, vel liberi adulti, educati in Civitatibus, item studiosi inferiorum facultatum. In tertia Classe collocantur rudiores, agrestes, regulariter minus in divinis exculti. Quoad personas *primæ classis* ordinarie intermittenda est interrogatio, nisi ex circumstantiis manifeste appareat in contrarium necessitas interrogandi, prout aliquoties Confessarius experietur talem necessitatem circa expressionem speciei, vel numeri peccatorum quoad eos pœnitentes, qui equidem in aliis altioribus facultatibus deprædicantur docti, minus tamen sunt in Theologia morali versati. Quoad personas *secundæ Classis* solum tunc instituendæ sunt interrogationes, quando probabiliter, consideratis circumstantiis aliis timetur defectus examinis, & ignorantia culpabilis. Quoad *tertiam Classem* ordinarie requiritur interrogatio Confessarii in supplementum pœnitentis, nisi ex brevitate ultimæ Confessionis, vel ex constitutione conscientiæ teneræ alias jam notæ, vel ex ipsomet modo proponendi Confessionem, contrarium inferatur: audies enim juvenis Confessarie subinde præter opinionem tuam personas rusticellas apparenter simplices, quæ tamen melius in Divinis, & ad Sacramentum Pœnitentiæ spectantibus instructæ sunt, quam aliæ Nobiles. Videatur Albertus Reiffenstuel in Instit. super practicam Confessionalis *part. 1. cap. 6.* §. 2. *

33 Porro, quantum ad rudiores attinet, plerumque non expedit, ipsos, etiamsi minus parati accedere videantur, dimittere sine absolutione, ut se magis examinent: quia aut deterriti vix amplius ad talem Confessarium venient, aut ratione suæ incapacitatis non raro redibunt æque indispositi. Quare tales communiter permittendi sunt, peccata sua modo, quo possunt, etiam rudiori proponere; & tunc suaviter examinentur, atque juventur a Confessario, uti jam superius (g) dictum fuit.

Additio.

* Pariter dimittendi non sunt absque ulterioribus interrogationibus miti animo propositis illi pœnitentes nimium verecundi, qui sub ipso actuali Confessione, vel ex speciali instinctu Spiritus sancti illuminati, vel efficaci admonitione sagacis, & discrete zelosi Confessarii commoti detegunt grave quodpiam peccatum ab aliquot jam annis ex erubescentia absconditum, quod forsan neque defacto aperuissent, nisi Deus in cujus manu sunt corda hominum, ex improviso sic mirabiliter disposuisset, licet enim apud tales, præsertim si exinde jam pluribus annis Confessiones sacrilegas fecerunt, sicque plura gravia peccata etiam in præcedentibus Confessionibus jam detecta denuo Clavibus hujus Sacramenti subjicere debent, licet (inquam) apud tales videatur subesse periculum quoad materialem integritatem Confessionis, videlicet ne aliquot peccata oblivione hic, & nunc inculpabili quoad speciem, & numerum intermittantur, praxis tamen ista continuandæ Confessionis, ac absolutionis ordinariæ justificatur ob aliud majus periculum alias, si absolutionem Confessarius differret, imminens; nimirum, ne pœnitentes isti, si hic, & nunc pro ulteriori examine sine absolutione dimittantur, alia vice omnino emaneant denuo naturali verecundia victi, atque exinde sacrilegas continuantes Confessiones: prout solide cum Gobat & Sporer docet ex multa experientia Albertus Reiffenstuel in suis Instit. Moral. *loc. cit. n.* 331. *& seqq.* Interea tamen similes, finitis modo morali inferius post *n.* 43. explicando interrogatoriis, & peracta Confessione ante absolutionem suaviter moneat Confessarius, ut, si adhuc alio tempore aliqua peccata gravia intra tempus primæ sacrilegæ Confessionis perpetrata, hic autem, & nunc ex inculpata oblivione intermissa deinceps memoriæ occurrerent, ea ipsa, quæ interim vi modernæ Confessionis sinceræ indirecte sunt remissa, de novo, quando alias Confessionem deponere cogitant, Clavibus Ecclesiæ subjiciant; alia vero de præsenti corde contrito legitime confessa non teneantur de novo repetere. *

34 Quæritur II. Quomodo se gerere debeat Confessarius in faciendis interrogationibus? Resp. I. Confessarius non tenetur examinare pœnitentem exquisita industria, & exactissimo examine, sed suavi & humano modo, ac statui similium personarum proportionato. Ita Lugo *disp.* 16. *de Pœnit. sect.* 14. *n.* 589. *& seqq.* Gobat *tract.* 7. *Theolog. Experim. n.* 331. *& seqq.* & alii passim. Ratio est: quia ipsemet pœnitens, qui tamen primario ad hoc obligatur, non tenetur nisi moralem diligentiam statui suo, aliisque concurrentibus circumstantiis accommodatam in examine conscientiæ faciendo præmittere; ergo multo minus tenetur Confessarius ad exquisitissimas interrogationes, utpote qui tenetur facere interrogationes dumtaxat in supplementum. Deinde in hoc vel maxime attendendum est ad conditionem humanam, & ne ex hoc capite Confessio seu Sacramentum Pœnitentiæ reddatur nimis grave, ac odiosum, neque detur ansa Hæreticis vocandi illud *Conscientiæ carnificinam.* Et ad hoc maxime requiritur prudentia Confessarii, ne vel nimium pœnitentem torqueat aliis, & aliis minutissimis interrogationibus, vel aliunde quid plus, aut minus fiat.

35 Additur notanter, *ne quid plus, vel minus fiat.* Dupliciter siquidem circa hoc errari potest, scilicet per excessum, vel defectum. Per defectum errant rudes quidam & ignari Confessarii, nihil interrogando, vel solum crassissima quædam, aut universalia. Per excessum econtra errant nonnulli nimium interrogando, ac strictissime examinando, imo interdum ex quadam curiositate impertinentia investigando, ut scrupulosi, & curiosi. Atque in hoc etiam majus periculum habent Confessarii doctiores; quia his occurrunt plures semper & plures interrogationes, quibus melius species, & numerus peccatorum cognosceretur, & explicaretur. Verum hic notanda doctrina Lugonis *loc. cit. n.* 590. *Non est bona regula illa, si dicas: talis vel interrogatio facit aperire distincte numerum, & speciem peccati; ergo illa etiam interrogatio addenda erit &c. Quia non est attendendum solum ad exactam, & integram Confessionem peccatorum, sed & maxime attendendum est ad contritionem humanam, & ne ex eo capite Sacramentum ipsum reddatur grave, &c.* ut proxime dictum.

36 Resp. II. Circa examen pœnitentis, faciendasque modo humano interrogationes nequit dari una eademque regula pro omnibus: cum pendeat plurimum ex capacitate, & dispositione speciali pœnitentis, aliisque circumstantiis. Siquidem pauciores, & crassiores interrogationes debent fieri homini inculto, & barbaro quales sunt Indi occidentales, quam Europeo: levius, qui ægrotat, & difficile potest ad subtilia attendere propter capitis debilitatem, quam homo sanus: denique (quod notandum etiam est) levius, & minus exacte interrogandus est circa singula, qui plura habet peccata quam qui pauciora. Ita Lugo *cit. disp.* 16. *n.* 494. & ratio patet ex dictis.

37 Insuper circa hoc advertit communis Theologorum in materia præsertim Luxuriæ cautissime esse procedendum, & non multiplicandas interrogationes: tum ne forte ex ejusmodi interrogationibus pœnitens male discat, quæ bene ignorabat: tum ut pudori consulatur, atque occurratur periculo tam ex parte pœnitentis, quam Confessarii, ne se illecebra insinuet. Unde, ut recte notat Coninch *disp.* 7. *de Sacrament. dub.* 7. *n.* 56. cum aliis, præstat aliquando Sacerdotem minus perfecte peccatum intelligere, quam vel pœnitenti, vel sibi aliquod scandalum creare, aut esse nimium.

38 In praxi igitur utatur Confessarius terminis honestis, præcipue erga feminas, & minoris ætatis personas, ordiendo semper suas interrogationes a cogitationibus cum consensu. Quod si pœnitens vere castus respondeat, se illis non consensisse, non est opus, ut Confessarius suo examine ulterius ad Luxuriæ actus progrediatur: nam quando pœnitens est immunis a consensu in cogitationes obscœnas, multo magis erit liber ab ipsis actibus pravis; nisi forsan præ ruditate ingenii malitiam cogitationum obscœnarum non apprehendat. Si vero pœnitens sese pravis cogitationibus consensisse confiteatur, quærat Confessarius ex ipso, num eas actu complere voluerit: si respondeat, quod sic, petat deinde, num talia obscœna desideria habuerit erga personas solutas, vel ligatas; atque an actu ipso cum eisdem compleverit, nec ne? sicque procedat quasi per gradus de cogitationibus ad desideria, de istis ad oscula, de osculis ad tactus impudicos, & ab his adipsosmet actus, inter limites honestatis & modestiæ.

Additio.

* Accomode ad similia interrogatoria loquitur P. Segneri Instruct. Conf. cap. 2. uti sequitur: *Cupio magnopere te parcum, gravemque esse circa materiam luxuriæ: ne tibi accidat, quod pictori, qui, cum Helenam exquisita diligentia depingeret ejusdem cupidine exardescere cœpit, & accendi. Utere proin verborum modestia, & quamvis subinde circumstantia maneret tecta, quæ alioquin ad integritatem materialem spectaret, nihil interest: aliud enim majus bonum prævalet. Adeo fœtet palus ista, ut consultum non sit vel a pœnitente, vel a Confessario, ubi opus non est, moveri.* *

39 Quæritur III. Utrum circa illos, qui ipsi sua peccata exponunt, necessariæ interrogationes speciei, numeri, & circumstantiarum speciem mutantium sint immediate subjungendæ expositioni cujuslibet peccati, vel differendæ usque ad finitam totam Confessionem? Resp.. circa hoc variare Doctores, idque in praxi relinquendum esse prudentiæ Confessarii. Interdum enim, præcipue in Confessionibus brevioribus, & quæ memoriter sine scriptura peraguntur, expediet differre interrogationes usque ad finem, ut censet Layman: idque ne pœnitentes per hujusmodi crebras interpositas interrogationes facile in sua Confessione confundantur,

pertui ben

perturbentur, vel omnino a subsequentium Confessione absterreantur, aut tædio afficiantur. Et hoc locum præcipue habere potest, si Confessarius confidat suæ memoriæ, se omnia quæsita facile usque ad finem retenturum, in quem finem is uno, vel altero digito, ita tamen, ut circumstantes non advertant, contracto, signum faciendæ postmodum interrogationis sibi facere poterit.

40 Nihilominus communiter, & ordinarie, potissimum in Confessionibus e scripto factis, vel longioribus, ubi Confessarius merito sibi metuere debet, ne forsan plurium obliviscatur, & deinde vel cum scrupulo omissis interrogationibus absolvat, vel certe pœnitentem magna cum molestia sua cogat repetere longam Confessionem, satius esse censet Lugo *disp.* 22. *sect.* 2. *n.* 15. & alii, si Confessarius suaviter eum successive adjuvare studeat, & ejusmodi necessarias interrogationes quoad numerum, speciem, nec non circumstantias speciem mutantes immediate singulis peccatis substituat. Et hoc eo magis: quia frequenter ipsemet pœnitens post longum intervallum non statim sigillatim de peccatis illis, quæ antea sive memoriter, sive e scriptis confessus fuerat, sese reflectere potest, vel saltem de novo confunditur, eadem cum rubore repetendo, ut distinctius exponantur.

41 Quæritur IV. Quid agendum, si pœnitens taceat, vel etiam neget peccatum, quod Confessarius aliunde novit eum commisisse? Resp. I. Si pœnitens dumtaxat taceat peccatum, illud non confitendo, debet Confessarius dictum peccatum aliunde resciens inquirere veritatem, etiam (si id absque alio incommodo fieri possit) insinuando suam de hoc notitiam. Herincx *disp.* 5. *de Pœnit. quæst.* 4. *n.* 56. Quod si vero id resciat ex Confessione alterius v. g. complicis, oportet interrogare adeo caute, ut pœnitens de alterius Confessione nihil possit conjicere (alioquin enim frangeretur Sigillum) utputa quærendo in communi, an nihil amplius habeat, quod conscientiam gravet; vel adhibendo consuetas ceteroquin interrogationes, & abstrahendo a notitia prioris Confessionis.

42 Resp. II. Quando pœnitens negat, ejusmodi peccatum commisisse, regulariter is erit absolvendus. Herincx. *loc. cit.* Tannerus *tom.* 4. *disp.* 6. *quæst.* 7. *n.* 99. Gobat *tract.* 7. *Theolog. Exper. n.* 245. Diana *part.* 5. *tr.* 11. *resol.* 21. Toletus, & alii. Ratio est, quia in Foro Sacramentali pœnitens stat pro se, & contra se; ac proinde ei credendum est tam contra se, quam pro se. Accedit, quod, si Confessarius solum noverit peccatum ex Confessione alterius, non sit major ratio, cur alteri potius fides adhibeatur, quam isti. Quinimo, si tunc posteriori confitenti negaretur absolutio, hoc ipso frangeretur indirecte Sigillum Confessionis prioris, utendo ejus notitia in præjudicium, ruborem, & confusionem complicis. Accidere insuper potest, quod alter pœnitens hoc peccatum jam fuerit confessus, aut saltem habeat justam causam illud impræsentiarum tacendi v.g. ob damnum suum, vel alterius.

43 Additur, *regulariter.* Nam, si Confessarius evidenter sciat, pœnitentem commisisse tale peccatum (puta non solum ex relatione complicis, sed quia interfuit ipsemet, dum tale crimen fuit perpetratum) illudque nunc absque ulla sufficienti causa scienter, deliberate, ac vere malitiose negare, non potest eum absolvere; prout notant citati Auctores, ac Lugo *disp.* 22. *de Pœnit. n.* 21. & 22. & alii. Siquidem nefas est, ministrare Sacramentum ei, quem evidenter scio esse indignum, illudque non nisi sacrilege petere.

Additio I.

* Quæritur V, Quid circa interrogationes observandum Confessario, si pœnitens proponat aliquod peccatum in prioribus Confessionibus occultatum, prout aliquoties solet contingere præsertim in peregrinationibus ad famosas, & miraculosas imagines, in Jubilæis, vel aliis Indulgentiis extraordinariis? Resp. ex Sporer *part.* 3. *Theolog. Sacrament. cap.* 3. *sect.* 3. *n.* 505. & *seqq.* tali Confessario esse suadendum, ut *Imprimis* audito illo peccato, quod in prioribus Confessionibus occultabatur, ante omnia interroget, an tunc, quando pœnitens id commisit, sciverit esse peccatum grave? Quod si responderit (prout apud aliquot plebejos non raro contingit) se pro eo tempore non intellexisse, res est salva, neque ulla Confessio erit sacrilega, & consequenter ab ulteriori Confessione circa peccata præterita super sedendum, nisi forsan dictus pœnitens post Confessionem primum resciens actum illum esse peccatum, putaverit ex conscientia erronea, se fuisse obligatum ad Confessionem ejusdem, & tamen ex erubescentia omiserit; tunc enim interrogationes prosequendæ forent, ut infra in fine hujus Quæsiti. *Secundo*, quod si pœnitens ille fateatur, se ipso tempore commissionis jam scivisse, hoc esse grave peccatum, ac nihilominus illud non fuisse confessum, interrogetur ulterius, cur ergo illud non fuerit confessus? an ex inculpabili oblivione, vel scienter forsan ex naturali verecundia reticuerit? nam in primo casu denuo eximitur a repetitione præcedentium Confessionum, in posteriori vero Confessarius *Tertio* instet, an etiam positive sciverit, tale peccatum non remitti, si subticeat, aut se per occultationem de novo mortaliter peccare? quando pœnitens respondet, quod non, prout subinde apud minus doctos contingere potest: dicendo e.g. *Advertat Deus, si scivissem, tam grave peccatum esse illud silentium, certe non reticuissem &c. Credidi bona fide, me habuisse justam causam celandi, meaque peccata omnia nihilominus a Deo remitti, modo vere de illis doleam, & id quod subticui apud alium in Confessionali manifestem:* fidem suo pœnitenti adhibeat Confessarius, nec compellat repetere priores Confessiones, utpote jam validas. *Quarto*, quod si autem dictus pœnitens reponat, se omnia ista supra enarrata jam scivisse, nihilominus peccatum illud ex maledicta verecundia in Confessione intermisisse, tunc omnino erit modo suavi, & pro hic, & nunc moraliter possibili urgenda repetitio priorum Confessionum. Quare Confessarius exhibendo signa compassionis talem miserum peccatorem, ne desperet, excitet ad concipiendam firmam fiduciam erga clementissimum Deum: deinde interroget I. A quot annis hoc peccatum sic reticuerit? II. Quoties circiter intra hoc tempus confessus fuerit, & communicarit? III. An in singulis Confessionibus, vel quoties, dum peregit Confessionem, talis gravis peccati recordatus fuerit, & nihilominus scienter reticuerit? IV. Demum admoneat eumdem, ut, quantum moraliter in præsenti occurrit, singula peccata gravia illarum Confessionum, in quibus scienter hoc delictum occultavit, repetat, cum omnes illæ Confessiones fuerint sacrilegæ: offerendo se, quod in examine per interrogatoria pœnitentem juvare velit. Vide dicta in *Addit. post n.* 33. *

Additio II.

* Quæritur VI. Qualia interrogatoria practice sint facienda a Confessario, si pœnitens accedens Confessionale proponat, quod velit deponere Confessionem generalem? ℟. Ut status præsens pœnitentis melius percipiatur, magisque congrua pœnitentia injungatur, & alii confluentes (puta tempore Jubilæi) minori temporis spatio retardentur, ante omnia I. Confessarius interroget, quando ultimo pœnitens sit confessus, curetque ex rationibus proxime allegatis, ut peccata ab ultima Confessione perpetrata præprimis exponantur. II. Præmissa illa Confessione particulari circa Confessionem generalem quærat, an in præcedentibus Confessionibus nulla gravia peccata cognita ut talia fuerint scienter abscondita? Quod si pœnitens reponat, fuisse quidem aliqua intermissa, non tamen voluntarie, sed ex oblivione, indaget Confessarius. III. Quænam illa sint? nam circa speciem, & numerum peccatorum jam in aliis Confessionibus detectorum poterit Confessarius esse minus solicitus quoad interrogationes faciendas, cum illa peccata non amplius sint materia necessaria, utpote

 jam

jam semel directe remissa. IV. Quando vero peccata hæc fuissent scienter intermissa ex verecundia, vel culpabili, & affectata ignorantia, haud dubie oporteret Confessarium magis esse solicitum circa species, & numerum omnium peccatorum gravium a tempore primæ sacrilegæ, ac invalidæ Confessionis usque huc perpetratorum, ubi proportionaliter, & cum grano salis applicata dicta in fine prioris Quæsiti. *

APPENDIX. I.

Quid agendum Confessario, si pœnitentes proponant in Confessionali, se esse maleficiatos, vel etiam obsessos, aut se tenere diabolum, vitro, sive annulo inclusum, vel se subscripsisse dæmoni? ubi quoque resolvuntur varia, si conquerantur Pœnitentes de pecoribus maleficio infectis, vel de spectris suas domos infestantibus.

SUMMARIUM.

* *Ex quotuplici causa mirabiles effectus tales provenire possint? Addit. I.*
* *Quæ sint signa, quod proveniant ex maleficio? Addit. II.*
* *Unde colligatur, quod similia proveniant ex possessione diabolica? Addit. III.*
* *Quid cum talibus possessis, seu obsessis agendum Confessario? Addit. IV. V. ac VI.*
* *Qualia remedia sint præscribenda a Confessario post liberationem a dæmonio? Addit. VII.*
* *Quid faciendum Confessario, si pœnitens proponat, se tenere penes se diabolum vitro, vel annulo inclusum? Addit. VIII.*
* *Qualiter a Confessario tractandus Pœnitens, qui fatetur se ad certum tempus, brevi finiendum, subscripsisse dæmoni? Addit. IX.*
* *Quid agendum Confessario, si vocatur ad ægrotum maleficiatum? Addit. X.*
* *Quid, si talis infirmus ejiciat ranas, acus &c. Addit. XI.*
* *Quomodo practice succurrendum per Confessarium, si pecora sint maleficio infecta? Addit. XII.*
* *Item si domus sint infestatæ spectris? Addit. XIII.*
* *Et quando dubitatur, num spiritus infestans sit bonus, vel malus? Addit. XIV.*

Additio I.

* ERrant hic aliqui Confessarii per defectum, alii per excessum. Priores passim rejiciunt omnes sine ulteriori examine, quasi nimirum Exorcistarum ad expellendos dæmones, & destruenda maleficia ordinatum frustra recepissent. Posteriores autem sunt nimium creduli talibus hominibus, hincque frequentissime decipiuntur, ac prostituuntur.

Quare præprimis advertendum, similes actus, vel morbos posse provenire vel ex simulata malitia, vel ex pura imaginatione, seu etiam ex morbo naturali, præsertim apud Hypochondriacos excessum habentes in atra bile, sive apud mulieres defectum menstruorum patientes, teste Candido Brognoli *tom. 2. dist. 4. q. 4. §. 2. n.* 547. vel demum mirabiles istæ actiones exercentur ex vera obsessione diabolica, ac fatales, & a medicis ex causis naturalibus impenetrabiles tales morbi contrahuntur ex vero maleficio, quod ultimum circa morbos per magos, vel sagas ex invidia, concurrente simul ope dæmonis, concitatos solet fieri respective frequentius, quam ipsa actualis obsessio, seu possessio, qualem rarius contingere credebat S. Philippus Nerius, de quo refert Auctor vitæ ejusdem Sancti, quod similia a potiori ad naturalia principia, puta ad naturales ex atra bile provenientes morbos, ad uteri & matricis effectus, aut certe ad cerebri decrementum retulerit. Videatur etiam desuper præter Paulum Zachiam celeberrimum Medicum Franciscus Arias *Lib. 1. de Imitat. Christ. Tract. 3. cap.* 40. H. N.

Additio II.

* Quæres I. Quænam sint signa, quod quis sit vere infectus aliquo maleficio. Resp. Etsi sæpius præsertim apud mulieres credantur intervenisse maleficia, ubi tamen omnia acciderunt naturaliter, nihilominus a DD. tamquam saltem probabilia, & ad applicandas ex Ritualibus contra maleficiatos Benedictiones sufficientia adducuntur signa sequentia, & quidem circa infirmos I. Si quis ægrotus magis horreat cibos appositos, in occulto benedictos, quam alios. II. Si is ad præsentiam SS. Eucharistiæ, vel Reliquiarum insolito percellatur horrore, præsertim si simul easdem aspicere nequeat. III. Cum infirmus vehementissima ardet siti, vel fame lupina vexatur, cibum tamen & potum, si afferatur, abhorret: præsertim si post varias ex ordinatione Medicorum applicatas medicinas, nullus sentiatur effectus in isto vel aliis Medico incognitis morbis. IV. Si ex ore ejusdem exeant quasi infernales fætores sulphuris, picis, fuliginis, carbonum &c. V. Si ex ventre ægroti insoliti procedant clamores per modum ranarum &c. VI. Si is vomitu ejiciat acus, cultros, clavos, vitra, aliaque similia. Caveatur tamen, ne apud tales simulatio intercedat, & simul attendatur, utrum non aliqua causa naturalis lateat præsertim circa nauseam cibi, aut potus præsentis, & circa fœtorem ex ore prodeuntem.

Circa infantes signa intervenientis maleficii sunt. I. Cum per aliquos dies nihil omnino comedunt, nec lac sugunt sine alia præcedente causa. II. Quando sæpius contremiscunt, insomnes ducunt totas noctes flentes continuo absque eo, quod per expertos aliqua hujus sciatur causa naturalis. III. Quando oculos habent pavidos, ac simul specialiter Sacerdotes aspicere nolunt. IV. Quando numquam possunt lacte satiari, licet continuo sugentes, præsertim si exinde macilentiores evadant, quamvis ceteroquin nutrix sana existat. V. Quando absque alia cognita causa naturali de repente expallescunt, amissa faciei, & totius corporis constitutione. VI. Quando circa renes nigri fiunt, vel in pectore intumescunt, &c. hoc enim contigere solet propter decursum sanguinis, quem sagæ ex eorum corpusculis sugunt; quales haud dubie faciliorem habent accessum, si infantes ante cubitum non asperguntur aqua benedicta, nec signo S. Crucis, aut sacris muniuntur Reliquiis; quinimo sæpe variis imprecationibus loco benedictionum a parentibus afficiuntur.

Circa Conjugatos probabiliter inferri poterit intervenisse maleficium. I. Si maritus uxorem absentem vehementissime diligit, quam tamen præsentem summo prosequitur odio. II. Cum nec vir uxori, nec uxor viro appropinquare potest, quia videtur corpus aliquod præsens esse intermedium. III. Quando natura alias satis robusta & cupida ex improviso ordinarie, absque eo, quod hujus sciatur aliqua causa naturalis, debilitatur, dum ipsamet tentatur copula. IV. Si uxor alias capax pro eo autem tempore, quo copula tentatur, subito ita constringitur, ut penetrari nequeat. *

Additio. III.

* Quæres II. Quænam sint signa, quod quis a diabolo vere sit obsessus, vel possessus. Resp. signa ab Auctoribus præsertim a Candido Brognoli in suo speciali tractatu desuper edito, & superius allegato equidem enumerari varia: securiora tamen ac certiora sunt sequentia I. Si quis cognitus antea tamquam rudis disputet subtiliter de arduis & sublimioribus quæstionibus Philosophicis, aut Theologicis, hoc a Deo vel dæmone obsidente aut possidente provenit. II. Si vero, & non simulato delirio, aut phrenesi affectus (præsertim si etiam a Medicis cognoscatur vera phrenesis) illico cesset, ac rite, & ordinate iterum discurrat, postquam Exorcista in Nomine Jesu præcepit dæmoni, ut desinat nocere. III. Quando rudis antea cognitus tamquam talis intelligit perfecte, quæ Confessarius latine etiam vocabulis a vulgaribus diversis profert: vel cum is loquitur linguis peregrinis,

quas

quas antea numquam audivit, vel didicit, ubi tamen non illico fidendum, si tantum pauca similia verba proferat prout facere solent nonnulli simulati obsessi. IV. Quando quis ceteroquin debilis, & infirmus ita fortis evadit, ut ab aliquot viris detineri nequeat. V. Quando vere occulta annuntiat aut remota adducit intra brevissimum temporis spatium, id a DEO provenit, vel a diabolo: ubi tamen notandum, quod etiam sagaciores melancholici soleant subinde ex conjecturis occulta annuntiare, aut futura conjecturaliter prædicere. VI. Dum in aliqua parte corporis est realis, & non tantummodo simulatus dolor, vel etiam tumor, qui ad signum crucis, & ad præceptum dæmoni factum *in Nomine JESU*, ut recedat, illico disparet, & jubente Confessario iterum de novo advenit. VII. Ubi alicui ex improviso lumen oculorum, vel auditus aufertur, & subito iterum restituitur, quod frequens est, quando similes personæ spiritualia legunt, aut audiunt, vel imagines Sanctorum aspiciunt: item ubi loquela inopinato amittitur, eaque ad præceptum Confessarii illico recuperatur. Hic tamen denuo sit cautus Confessarius, ne per aliquorum simulationem, vel nimiam aliorum phantasticam apprehensionem decipiatur; hinc multum juvat antea noscere tales homines, eorumque phlegma. VIII. Cum quis scitur non tantum per unum, alterumve, sed per plures dies nihil comedisse, vel bibisse, & tamen fortis existit, ac pinguis. Attendat tamen etiam hic Confessarius, ne talis occulte surripiat cibos &c. IX. Si homo inopinato sine ulla præcedente causa velit sibi mortem inferre, ita ut se saxis collidat, in ignem mittat &c. nec tamen sequatur aliquod malum. X. Si semetipsum cum læsione Corporis percutiat pugnis, aliove instrumento, atque mox iterum sine alio remedio sanitati restituatur. Si imaginativæ potentiæ inhonestissima quæque circa Christum, ejusque sanctissimam Matrem, aliosque Beatos repræsentantur, eodemque tempore vel in phantasia quasi plumbum aut ferrum candens residere, vel dolor hinc inde per corpus instar formicarum discurrere videatur, atque ad signum crucis illico aufugiat, seu recedat. XII. Cum quis contra suam voluntatem radicato odio habet Sacramenta, Reliquias Sanctorum &c. Item cum quis repugnante propria voluntate gaudet malefacere, & nequit Clericos, & Religiosos aspicere &c. Cavendum tamen, ne pariter hic simulata malitia interveniat, aut tentatio & suggestio diabolica illico pro signo obsessionis reputetur. *

Additio IV.

* Quæres III. Quid ergo prudenter agendum Confessario, si qui accedant quasi obsessi a dæmone? Antequam respondeam, Notandum I. potestatem exorcizandi, quam Confessarius jam vi ordinis Exorcistatus accepit, exerceri posse dupliciter, nempe solemniter, & non solemniter. *Prius* contingit cum certo apparatu coram hominibus in loco publico e. g. in Ecclesia cum certis cæremoniis in quolibet Rituali Diœcesano reperiendis. *Posterius* fit privatim absque ulteriori aliqua solemnitate per simplicem invocationem sanctissimi Nominis JESU, qualis invocatio tamquam formula efficacissima ab ipsis Apostolis in Expulsione dæmonum adhibita legitur in Scriptura. Notandum II. Quadruplicia esse potissimum præcepta, quibus a Confessario similes personæ adjuvari possunt: nimirum communia, probativa, lenitiva & expulsiva. *Communia dicuntur*, quibus dæmon ad aliquid agendum, vel amittendum constringitur, non quidem ex fine probandi, vel leniendi, sed ex alio motivo e. g. dæmon impedit energumenum a loquela in confessionali; tunc, si Confessarius, ut pœnitens sua peccata proponere valeat, præcipiat dæmoni in Nomine Jesu, ut cesset ab hoc impedimento erit præceptum *commune*. Econtra, si Confessarius diabolo aliquid præcipiat, ut exinde in notitiam deveniat, num quis vere, vel ficte sit obsessus, tale præceptum dicitur *probativum*.

Quod si post probationem injungat dæmoni, ut iterum cesset a vexatione, illud præceptum vocatur *lenitivum*. e. g. adducitur ad Confessarium quidam communiter reputatus energumenus; hic breviter in fide, & fiducia erga DEUM instructus præcepto probativo a sedente Confessario per talem formulam probatur: *Ego N. ut minister Christi, & Ecclesiæ in Nomine Jesu Christi præcipio tibi dæmon, si aliquis existas in corpore istius creaturæ, ut statim des mihi signum evidens præsentiæ torquendo, moderate tamen, hanc creaturam* (hic specificet modum torquendi) *in manu sinistra*, vel *in hoc digito*, sive *prosternendo eamdem in terram modeste tamen &c.* Dato tali signo, si Confessarius addat: *In Nomine Jesu Christi præcipio tibi dæmon, imo omnibus, si plures estis, ut illico hanc Creaturam vexare cessetis*: habetur præceptum *lenitivum*. Demum *præceptum expulsivum* appellatur, quo utitur Sacerdos ad dæmonem absolute expellendum, atque plura similia in Ritualibus passim sunt reperienda. H. N. *

Additio V.

* Respond. Ut Confessarius cum tali adducto, qui dicitur obsessus, seu possessus prudenter & circumspecte agat, observet sequentia. I. Si tempus, & circumstantiæ permittunt, bene expiscetur ejus vitam, & mores per parentes, & alias personas fide dignas. II. Accurate consideret ejusdem modum agendi, inclinationes, phlegma, passiones &c. & num effectus isti non potius causis naturalibus sint adscribendi. III. Attendat, utrum ex specificatis signis non deprehendat quodpiam, vel saltem aliud efficax obsessionis, aut possessionis. Ubi tamen reprobo praxin aliquorum, qui veram, vel fictam obsessionem ex eo tamquam signo desumere volunt: nimirum imponunt capiti res profanas sub prætextu; quasi sacræ forent, atque si persona obsessa ad talium applicationem nullum sentiat dolorem, & subrideat, vere obsessam credunt; si vero clamet, quasi torqueretur, imaginarie obsessam, imo tamquam malevolam rejiciunt; quasi vero astutissimus dæmon bene recognoscens rem superimpositam esse profanam, nihilominus torquere posset obsessum, ut inexpertem decipiat Exorcistam, a quo ipse dæmon exinde in sua possessione relinquitur, nec ulterius ab eo per Exorcismos torquetur. IV. Quod si signum aliquod obsessionis adesset, sed necdum omnino certum, superaddat præceptum probativum, & lenitivum: prius tamen tam in se, quam prætenso obsesso excitet firmam fidem, & fiduciam in DEUM adjutorem tamquam conditiones necessarias prævias. Quando huic præcepto etiam repetito nullus correspondet effectus, merito Confessario ista res poterit esse suspecta, vel enim in se, aut in exorcizando non adsunt firma fides, & radicata fiducia in DEUM tamquam conditiones præviæ, vel nullus habitat in prætenso obsesso diabolus; alias enim Sacerdoti ad hæc præcepto obedientiam præstaret.

Habito autem signo valde efficaci procedat ad expulsionem, prius præter fidem & fiduciam in DEUM, quantum possibile, saltem de consilio, etiam præparando suam, & exorcizandi animam ad Divinam gratiam per devotam Confessionem Sacramentalem. Porro, dum mediante Exorcismo procedit ad expulsionem diaboli, non quærat ex eodem aliqua etiam de se bona, ad possessum tamen liberandum nihil facientia; Item non multum discurrat cum diabolo nec illius dicta spontanea, quæ sæpius effutire solet, multum attendat, sed potius contemnat, nec ulterius similia loqui sinat, atque præcise secundum principia fidei, & Ecclesiæ conformiter authenticis, & approbatis Ritualibus procedat. Neque ullatenus progrediatur ad exorcizandum solemniter sine licentia Ordinarii, aut, si est Regularis exemptus, & intra locum exemptum exorcismos publice adhibere cogitat, absque legitima facultate superioris: foret enim alias magnum periculum, ne effectu optato non secuto apud præsentes præter semetipsum etiam Sacramentum Exorcistatus exponeretur ludibrio, vel saltem minori æstimationi. *

Addit.

Additio VI.

* Ast pones casum, quo non petis solemniter, ac publice, sed tantum privatim emergente ex improviso aliquo casu adhibere præceptum expulsivum e. g. si talis prætensus obsessus tibi subito v. g. in Confessionali, vel alibi occurrat, quid tunc agendum? In hoc casu coneris præcedenter saltem aliquo modo probabile acquirere signum obsessionis, aut possessionis, quo habito excites pœnitentem ad firmam fidem, & fiduciam in Deum de subsecutura expulsione, ac demum privatim conditionatam subjungas subsequentem formulam: *In Nomine Domini nostri JESU Christi præcipio tibi dæmon, vel vobis dæmonibus, si aliqui hic estis, ut illico ab hac creatura DEI fugiatis, nec revertamini imposterum.* Ita enim (si fraus non lateat, & debitæ adsint dispositiones) sæpius brevi negotio plures liberabis, poteritque id non raro fieri, dum tamquam sacer Judex pro tribunali sedes, immediate formæ absolutionis annectendo: *Eadem auctoritate in Nomine JESU Christi præcipio tibi dæmon &c.* uti supra. Si tempus vacat, poteris etiam antecedenter tales tentare præcepto probativo & lenitivo. Quod ultimum videtur omnino necessarium, si e. g. persona Confessionale accedens conqueratur, se loqui non posse, diabolo os suum obstruente. Ceterum extra similes casus, & ubi nullum est periculum in mora; etiam in Exorcismo non solemni, sed privato suadet Sabinus Bononiensis in sua Luce Morali *part.* 2. *tract.* 50. *n.* 63. *& seqq.* ut petatur licentia superioris: etsi enim non jure communi, bene tamen particulari multarum Dioecesium Episcopi prudenter, imo & Superiores Regularium) interdicere consueverunt, ne quis sine eorum licentia audeat obsessos a dæmone exorcizare ad evitanda scandala. Ita ille. *

Additio VII.

* Quæres IV. Qualia remedia prudenter in praxi a Confessario sint præscribenda illi pœnitenti, quem a dæmone per Exorcismos liberavit? Ante responsionem nota, quod dæmon similes personas semel liberatas denuo soleat aggredi diversissimis modis, præsertim si huic antea per ipsa vitia ad ingressum via parata fuit, de quo vide Brognoli in *suo Manual. p.* 3. *c.* 4. *art.* 6. *q.* 1. H. N.

Resp. I. Talem esse instruendum, ut continuet in firmissima fide, & fiducia erga Deum, ita quidem, ut etsi subinde forsan strepitus externos audiat, vel aliqualiter in ipso corpore vexari videatur, numquam facile credat, se denuo possessum,; sed illico ipsemet vera confidentia dæmoni præcipiat, dicens: *In Nomine JESU Christi tibi præcipio dæmon, ut illico recedas, & me ab omni vexatione liberrimum relinquas.* II. Ad exemplum D. Bernardi (prout de ipso testatur vita ejusdem *l.* 2. *c.* 4. apud Surium *tom.* 4.) collo antea obsessi juvat appendere exorcismum a Confessario calamo, & atramento benedicto scriptum sequentis tenoris, *In Nomine Domini nostri JESU Christi præcipio tibi dæmon, ne hanc creaturam DEI ingrediaris imposterum.* III. Consultum est, ut & alias res benedictas talis liberatus secum ferat, uti principaliter æstimantur Ceræ Papales vulgo *Agnus DEI.* IV. Ut talis vitam conetur ducere piam, præsertim nullum deliberatum admittendo peccatum grave, maxime in illa materia, propter quam Deus ex justo suo judicio forsan diabolo antea ingressum permisit, exinde enim sæpissime fit regressus juxta Revelationes S. Brigittæ. V. Ut frequentissime invocet Sanctissimum Nomen JESU tamquam specialem armaturam contra nequitias dæmonum. *

Additio VIII.

* Quæres V. Quid agendum Confessario, si pœnitens accedens ad ejus Confessionale dicat inter alia, se tenere diabolum vitro, vel annulo inclusum, a quo liberari nequit, quamvis jam sæpius vas illud in ignem, vel aquam projecerit; cum semper redeat, & propterea eumdem adhuc durius tractet. Resp. ante omnia esse attendendum, utrum non lateat fraus, & malitia talis confitentis, Confessarium suum tantummodo irrisui & ludibrio exponere volentis, prout aliquando contigisse ipsemet memini. Supposita autem dictorum veritate Resp. II. Talem dæmonem eodem modo esse tractandum, ac si inclusus esset corpori per obsessionem, ob eamdem paritatis rationem. Ita recte Ubaldus Stoiber *part* 2. *Armamentarii q.* 8. *n.* 186. qui ibidem subjungit, quod debeat *præprimis* dictus Confessarius similem pœnitentem excitare, ut præter dolorosam Confessionem, & devotam Communionem eliciat ferventem detestationem atque execrationem omnis pacti diabolici. *Secundo* absque ullo timore jubeat sibi dæmonem inclusum extradi cum firma fide, & fiducia, eum non amplius reversurum, dummodo pœnitens ipsemet non per nova gravia peccata & pusillanimitatem de novo ad se trahat, & quasi invitet. *Tertio* admoneat ipsum, ne terreatur minis diaboli, sæpius sub variis terrificis figuris, & formis apparentis, quem per præceptum, in Nomine JESU factum, illico repellere nitatur. *Quarto* post discessum pœnitentis, & invocationem SS. Trinitatis Confessarius opportuno tempore sedens cum Stola quasi pro tribunali vitrum illud, seu annulum, quo dæmon inclusus servatur, coram se ponat, formans sequens præceptum expulsivum.

Ego N. Minister Christi, & Ecclesiæ tibi maledicte dæmon præprimis in virtute SS. Trinitatis, & in Nomine Domini nostri JESU Christi præcipio, ne in tuo discessu vel minimum mihi, aut aliis nocumentum ullum inferre præsumas, neque excites strepitum, vel post te fœtorem relinquas. Eadem auctoritate, & potestate in Nomine Domini nostri JESU Christi tibi præcipio, ut totaliter recedas, & fugias, nec imposterum ullam amplius habeas potestatem revertendi ad creaturam illam, nec eam ullo modo molestandi & vexandi. Fuge ergo, & recede spiritus immunde, & apostatice, sic enim impero tibi in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

Addit Pater Stoiber *loc. cit. n.* 188. sequentia formalia: *Poterit Exorcista sedens, ad ultimum præceptum, dum dicit: fuge ergo, & recede &c. in opprobrium dæmonis vasculum illud (supposito nempe, quod tali sit inclusus) confringere, & pedibus conculcare, atque fragmenta,* si sint combustibilia, *igne benedicto comburere.* *

Additio IX

* Quæres VI. Quid agendum Confessario cum illis personis, quæ confitentur, se subscripsisse diabolo, eique sua addixisse servitia ad certum tempus, quod proxime exspirat? Resp. I. Præprimis cautissime esse procedendum cum similibus personis, cum aliquoties tantum fingant, se in tam miserando statu existere, ut exinde Confessarium ad commiserationem flectant, & aliquid acquirant. Deinde subin tales personæ sunt sagæ, solummodo intendentes Confessarium perturbare, ac illudere, vel etiam gravissimas tentationes carnis in eodem excitare, & Sacramento Pœnitentiæ abuti, uti merito suspicari licet, si simul gravissima peccata luxuriæ sine omni verecundia modo turpissimo (cujus tam fœda explicatio non foret necessaria ad integritatem Sacramenti) proponunt, ita ut quoties Confessarius satagit, dictis personis præscribere pro liberatione remedia, vel disponere ad verum dolorem, vel ad recipiendam devote absolutionem, hæc ordinarie interloquantur, graviora semper, ac fœdiora peccata addendo absque signo alicujus veri doloris, ac propositi. Apud tales Confessarius ordinarie oleum & operam perdet, seque ipsum periculo gravissimarum tentationum exponet, uti recte advertit Elbel *De pœnitent. part.* 2. *Conferent.* 16. *n.*422. Resp. II. Quod si Confessarius similia deceptionis, & falsitatis signa non deprehendat, omnem adhibeat laborem, ut talem hominem desolatum a laqueis diaboli eripiat; hincque *Primo* talem disponat ad veram dolorosam Confessionem omnium gravium peccatorum cum firmissimo proposito.

Secundo

Secundo ad pacti detestationem ac cassationem cum certa fiducia, illud per merita JESU Christi annullari, quamvis diabolus datam ei syngrapham non amplius restituat, uti jam annotatum fuit *Tract.* 5. *dist.* 3. *n.* 53. *& seqq.* *Tertio* adhortetur pœnitentem ad renovandam professionem fidei. *Quarto* muniat eumdem sacris, veris, & authenticis Reliquiis. *Quinto* excitet ipsum ad frequentem Orationem, & contra desperabundas cogitationes ad firmam fiduciam in merita & Passionem Domini nostri JESU Christi; item ut frequenter utatur signo Crucis, & aqua benedicta. *Sexto* admoneat eum, ut fortiter resistat tentationibus, ac suggestionibus diabolicis; item si forsan relaberetur in gravia peccata, ut illico eliciat veram contritionem, &, quam primum possibile, iterum confiteatur. *Ultimo* demum, quando imminet tempus determinatum subscriptionis, specialiter huic assistat, suadendo prævia adhuc ante determinatam in pacto horam Sacramentalem Confessionem. Quod si ob illa impedimenta tunc præsens esse nequiret, suadeat ei, ut alium pium atque prudentem Sacerdotem assumat, cui in Confessionali poterit aperire, quomodo sibi fuerit ita suasum a præcedente Confessario.

Insuper posito, quod pœnitens fuerit ita simul saga, ac velit serio converti, quidnam in his circumstantiis ulterius sit observandum, ostendetur *Append. III. Addit. VII.* *

Additio X.

* Quæres VII. Quid agendum Confessario, si vocatur ad ægrotum existimantem, morbum suum provenire ex maleficio? Resp. talem Confessarium debere *Primis* in se ipso, & in ægroto excitare firmam fidem, ac fiduciam in Deum, ac in SS. Nomen JESU. *Secundo* atendat, num adsint aliqua ex signis maleficii superius declarata, vel alia similia? *Tertio* supposito, quod signa forent dubia, superaddat cum signo † Crucis præceptum lenitivum superius explicatum in illa parte corporis, in qua ægrotus sentit dolorem: nam, si verum sit maleficium, ac ceteroquin ægrotus æque, ac Confessarius in firma fide, ac fiducia in Deum dispositus existat, dolor ad tempus illico evanescet, vel ad aliam corporis partem transferetur; alias non suberit maleficium. Quod si ægrotus nullum actualem sentiret dolorem, Confessarius stante dubio de maleficio eliciat signum præcepto probativo, &, si ad id sentiatur ab ægroto dolor, eumdem illico iterum reprimat præcepto lenitivo. *Quarto*, habito signo latentis maleficii disponat ulterius ægrotum (si tamen is capax sit; alias vero e. g. si ægrotus adhuc fuerit infans, parentes ejusdem) ad continuandam firmam fidem, ac fiduciam in Deum, ac simul proposita imagine Crucifixi ad eliciendam Contritionem de peccatis vel etiam ad faciendam Confessionem. *Quinto* tandem, ac *ultimo* procedat ad præceptum expulsivum sequenti modo: *Præcipio tibi dæmon in nomine Domini Nostri JESU Christi, ut cum omnibus tuis maleficiis illico recedas, & fugias in Nomine Patris † & Filii † & Spiritus sancti † Amen.*

Notandum hic est Confessario ex Ubaldo Stoiber in *suo Armamentario Ecclesiastico part.* 2. *c.* 3. *q.* 1. quod maleficium aliud dicatur naturale, aliud præternaturale, & aliud mixtum. *Naturale* dicitur, quod per applicationem alicujus noxiæ naturalis est procuratum: non enim dubitandum est, dari res quasdam, ac venena, quæ ex naturali quadam virtute homines inficiunt, variasque in corpore humano pravas causant operationes naturales. *Præternaturale maleficium* est, quod dæmon is ope ita procuratur, ut simul dæmon sit præsens homini maleficio infecto, & corpus ejusdem sive immediate per se ipsum, sive per commotionem humorum mire torqueat, & vexet. *Mixtum* dicitur maleficium, quod participat ex utroque. Et quidem circa maleficium præternaturale, & mixtum, quatenus de præternaturali participat, potissimum applicandi sunt Exorcismi. Naturale vero, si eodem ægrotus per malevolos fuisset infectus, potius per medicinas a Medicis tolli deberet, si adhuc tolli possit: interea tamen etiam pro tunc proderunt Benedictiones Sacerdotis; dum enim Medici morbo, qui ex maleficio diabolico ortum habuit, depellendo sunt intenti, dæmon ex inveterato in genus humanum odio, urgentibus etiam malevolis hominibus, nova semper machinatur maleficia, recentia in corpus ingerit venena, quinimo & medicinas corrumpere nititur, ut nullam contra præsentem morbum habeant efficaciam. His autem malis in futurum impediendis non Medicus, sed Sacerdos occurrere debet benedicendo emplastra, medicinas, aliave remedia a Medico contra morbum applicanda &c. Ita recte Armamentarium Ecclesiasticum *loc. cit.* Remedia vero præservativa in futurum contra maleficia videri poterunt *Tract.* 5. *dist.* 2. *n.* 46. *ac seqq.* *

Additio XI.

* Quæres VIII. Quid agendum Confessario, si infirmus maleficiatus ejiciat ranas, acus, aliasque res solidas etiam majoris quantitatis? Resp. In tollendo maleficio ingestionis similium rerum est eodem modo procedendum, uti prius, ac præcipiendum diabolo in Nomine JESU, ut in ejectione harum rerum non destruat organa naturalia, sed cum omnibus suis fœcibus, & immunditiis sine ullo nocumento creaturæ recedat. Ita Candidus Brognoli, aliique in *Armamentario Ecclesiastico. part.* 2. *cap.* 4. *quæst.* 5 vel etiam, si cupis longiores Exorcismos, pariter in Ritualibus invenies circa maleficiatos. Facta ejectione res illæ igne prius benedicto comburantur, & talis ægrotus in vera erga Deum fiducia, quod diabolus nullam deinceps in eum sit habiturus potestatem, corroboretur. Quod si curiosior scire cuperes, quomodo similes res, præsertim per maleficia, potuerint ingeri ægrotis? Ad hoc dubium solvendum allegatum Armamentarium Ecclesiasticum ex Delrio; & Candido Brognoli quatuor modos suggerit. *Primus* est per dilatationem, & iterum constrictionem pororum corporis humani. *Alter* per divisionem, & comminutionem rerum solidarum: potest enim dæmon res solidas in minutissimas particulas dividere, & sic ingestas iterum combinare, ac in pristinam formam redigere. *Tertius* modus ingerendi res duras fieri potest per vulnus cito a diabolo apertum, ac iterum obductum, per quod materia solida introducitur. *Quartus* per oris, & orificii dilatationem: si enim, teste experientia, per has ipsas partes possunt ejici res similes, per easdem etiam poterunt ingeri. His quatuor modis accedit, quod sæpe tales res præsertim majoris quantitatis non tam a parte rei ex intestinis ejiciantur, sed potius per illusionem sensuum, quos diabolus facile potest decipere, apparenter videantur exinde provenire. *

Additio XII.

* Quæres IX. Quid agendum Confessario, si conquerantur homines in Confessionali non tam se ipsos, quam animalia sua esse maleficiata? Supponitur hic ex Abulensi *q.* 126. *in c.* 8. *Matthæi*, magos, sagas, ac similis farinæ malevolos, si hominibus ex Dei ordinatione nocere nequeunt, iram suam, ac invidiam in res eorum, præsertim in animalia convertere, nunc emulgendo vaccas, ut amplius non reddant lac, nisi sanguinolentum, modo illud lac ita corrumpendo, ut nequeat ullo conatu in butyrum transire, nunc vero introducendo in animalia pestem, aliosve morbos, ut omnino moriantur. Quomodo ergo hisce desolatis practice succurrendum per Confessarium, ex quo petunt consilium? Resp. I. Generaliter loquendo quoad omnia ista puncta esse præmonendos patresfamilias, ut firmam fidem, ac fiduciam in Deum collocent, & quoniam hæc mala Deus sæpius in pœnam peccatorum permittit, eadem corde contrito, vel etiam juncta Confessione defleant, atque meliorem vitam inchoent. Ita ex principiis generalibus supra jam allegatis. Resp. II. Si vaccæ non reddant lac, nisi

nisi sanguinolentum, ipsas sacerdos benedicat, ac in Nomine JESU dæmoni præcipiat, ne imposterum potestatem habere præsumat hisce quomodolibet nocumentum inferendi, vel per se, vel per malevolos homines emulgendi. Insuper benedicat ex Rituali ipsum stabulum, ac illud rebus benedictis præmuniat. Resp. III. Si lac nequeat coagulari in butyrum, illud benedicat, & aqua benedicta cum signo Crucis aspergat dicendo: *præcipio tibi dæmon in Nomine Domini nostri JESU Christi, ne ullatenus præsumas lac corrumpere, nec butyrizationem impedire, sed totaliter ab eo recedas, & fugias.* Insuper benedicat vas, cui lac ad conficiendum exinde butyrum infunditur, idque præmuniat rebus benedictis, adjungendo utilem aliquam Benedictionem, & Exorcismum ex Armamentario Ecclesiastico *part. 2. c. 4. q. 5.* Resp. IV. Si animalia ex maleficio fiant ægrota, exhortetur Paterfamilias cum suis concreditis, ut genuflexi ante imaginem Crucifixi plena fide, ac fiducia, & corde contrito a Deo liberationem petant; ipse vero interea ex eodem Armamentario *loc. cit.* certam Benedictionem, ac postea Exorcismum subjungat, præcipiendo dæmonibus in Nomine JESU, ut illico, & totaliter ab his animalibus destructo totaliter omni maleficio recedant, nec umquam amplius hisce deinceps nocere præsumant. Deinde benedicat etiam ex Rituali aquam, cibos animalium, & ipsum stabulum, ac rebus benedictis præmuniat, præsertim schedulis, in quibus scriptum contineatur præceptum, ut dæmon in virtute SS. Nominis JESU non amplius nocere præsumat. Quinimo teste Auctore citati Armamentarii consultum erit, ut ipsimet Patresfamilias, & custodes pecorum subinde forment in Nomine JESU simile præceptum. Adhibere autem contra maleficia varia incognita, & nec a Ritualibus, nec a gravibus Auctoribus approbata Amuleta, in quibus reperiuntur ignoti characteres, verba peregrina, & diversi circuli, ac res vanæ vel sub certo dumtaxat sine gravi causa numero quædam exhibentur, omnino dissuadetur; cum frequentissime meras contineant superstitiones, ac pacta saltem implicita diabolica, quamvis jactentur a circumforaneis, ac aliis similium compositoribus ex revelationibus minus authenticis, & historiis apocryphis nescio quantæ virtutis Divinæ &c. Testantur antiquissimi scriptores Eustachius & Clemens Alexandrinus apud Gelasium Hieber *part. 3. Hist. Eccles. serm. 5.* similia amuleta, in quibus habentur litteræ diversæ etiam doctioribus incognitæ, vel signa aut verba, nullum ad rem facientia sensum, pridem apud Gentiles & Judæos in usu, atque etiam temporibus Divi Pauli jam reperta fuisse in Corona, & pedibus Dianæ Ephesinæ, quæ ab Ephesinis descripta, appensa, aliisque pro magno honorario superstitiose distributa fuere. Ejusdem farinæ reputari debent signa Salomonica, vel Cingulum Salomonicum diversis characteribus ab impio Agrippa insignitum &c. Non rejicio omnia amuleta; rarius tamen iisdem fidendum judico, nisi per Theologos sint bene examinata, aut a Ritualibus authentice approbata. *

Additio XIII.

* Quæres X. Quid observandum sit Confessario, si vocetur, ut spectra diabolica, vel magica expellat a domibus, quas infestant? Resp. Ex Delrio, Candido Brognoli, aliisque practicis. I. Talis Sacerdos debet ante omnia reflectendo ad omnes circumstantias loci, temporis, personarum &c. accurate examinare, num adsint vera spectra, vel num potius sit mera apprehensio, vanusque timor causatus e. g. ex strepitu felium, aliorumve animalium, prout frequenter evenit apud pavidas mulieres, præsertim si aliunde jam sunt intimidatæ, puta ex morte mariti, vel prolium &c. Item debet attendere, ne lateat palliata fraus, & malitia hominum maxime servitialium, hac occasione alios malos suos fines facilius exequi intendentium, prout non raro contigit. II. Quod si per suum examen, & ex prævio factis præcautionibus deprehenderit, similes effectus hic, & nunc verisimilius provenire a spectris, quam ab aliis causis naturalibus, exinde prudenter inferet, hæc ipsa spectra potius esse mala, quam bona, nam spectra bona (qualia sunt animæ in purgatorio) non solent juxta allegatos summe practicos, aliosque Auctores ordinarie tantos tumultus, & strepitus excitare, ut homines exinde perturbent, & domo expellant, sed potius humiliter se produnt junctis suspiriis, gemitibus, ac voce tristi, & lacrymabili absque signo impatientiæ. Quare III. Ante omnia patremfamilias, & congregatos domesticos brevibus, sed efficacibus verbis ad firmam fidem, ac fiduciam in Deum, nec non ad contritionem de suis peccatis eliciendam adhortetur, & nisi forte ex aliis signis specialibus, & extraordinariis (puta quia spectrum honorat SS. Nomen JESU, illudque devote pronuntiat &c.) deprehenderit, adesse potius animam in piacularibus flammis detentam, & suffragia flagitantem, pronuntiet ad habitatores, talia spectra esse vel dæmones, vel maleficos a dæmonibus adjutos. Nec dicatur, posse hæc spectra mala nec dæmones, nec magos, sed animas damnatas esse, nam contra est, quod ipsæmet animæ damnatæ vix umquam compareant, prout teste *Armamentario Ecclesiastico part. 2. c. 6. q. 1.* communiter tenent Doctores. Quinimo, quamvis foret subinde anima damnata, iisdem spiritualibus armis, ac spectra diabolica, depelleretur, si ad eamdem Exorcismus dirigatur, prout notat præter alios Thyræus *De dæmoniacis. part. 3. c. 85.* IV. Superpelliceo, & stola (si haberi possint) indutus, accepta Cruce, candelis benedictis accensis, & aqua benedicta cum habitatoribus illis, qui firma fide, & fiducia muniti sunt, processionaliter accedat ad portam domus, ibique Litanias omnium Sanctorum, inchoet, quas circumeundo continuet, & in loco principaliter infestato (sive hæc infestatio proveniat: immediate, vel mediantibus magis a dæmone) coram exposita Crucifixi imagine finiat, ac de novo comites suos ad firmam fidem, & fiduciam in Deum, & SS. Nomen JESU excitet. V. His peractis tamquam Judex a Deo destinatus sedens voce gravi, & sonora præceptum probativum contra dæmonem pronuntiet e. g. dicendo: *In virtute SS. Trinitatis, & in Nomine Domini Nostri JESU Christi præcipio vobis dæmones, ut, si habeatis aliquam potestatem in hanc domum, detis mihi, absque tamen aliqua læsione cujuscumque, signum evidens præsentiæ vestræ causando aliquem tumultum, vel rumorem, quem prius me absente causare consueveratis.* Quod si nec tumultus, nec aliud præsentiæ signum percipiatur, recte inferri poterit, vel nullum ibidem umquam spectrum diabolicum, seu magicum extitisse. vel jam aufugisse; quare pro majori securitate etiam pro deinceps quibuscumque malis spectris in Nomine JESU interdicat omnem diabolicum, ac maleficum ingressum, ac remedia præservativa passim in libris Exorcisticis reperienda præscribat, & habitatores in firma fide, fiducia & exemplari vita Christiana corroboret. Quando vero talis tumultus præceptum probativum subsequeretur, addat illico præceptum lenitivum e. g. *Præcipio vobis dæmones in Nomine Domini Nostri JESU Christi, ut illico iterum ab omni tumultu, & rumore cessetis.* VI. Demum, & ultimo, ceteris omnibus genuflexis, & firma fide, ac fiducia in Deum omnipotentem orantibus, ipse sedens quasi pro tribunali ex Armamentario Ecclesiastico, vel aliquo Rituali depromens pergat ad præceptum expulsivum, injungendo in Nomine JESU absolutum discessum maleficum, & diabolicum absque aliquo reditu ullo umquam tempore. Hoc finito formet adhuc præceptum probativum superius jam adductum tentando per illud, an dæmones, seu malefici jam sint expulsi, nec ne? Quod si post hoc præceptum probativum de novo audiretur tumultus, se, & habitatores ad majorem fidem, ac fiduciam excitet repetendo Exorcismos ad expulsionem ordinatos. Si autem nihil amplius percipitur, signum est expulsionis, quare Deo cum habitantibus humillimas agat gratias, & remedia præservativa in futurum præscribat, de quibus omnibus utiliter consulatur Armamentarium *loc. cit.*

Addit.

Additio XIV.

* Quæres XI. Quid faciendum, si attentis omnibus circumstantiis adhuc dubitetur, num spectrum infestans domum sit spiritus bonus, vel malus? Resp. ex *Armamentario spirituali. part. 2. cap. ult. qu. 7.* præmissis orationibus, Sacrificio Missæ, cereis sacris accensis, aqua benedicta adhibita, utiliter in tali casu practicatur modus a P. Joanne Godi Ord. Prædicat. observatus, prout habetur *in prima Decade Quæstionum peregrinarum, q. 2. c. 4.* Is enim vocatus in similem domum post crepusculum vespertinum cum sociis Officium Defunctorum recitavit. Postea strepitu exurgente adjuravit spectrum in Nomine SS. Trinitatis, & in virtute SS. Nominis Jesu, ut non recedat de loco, priusquam ad ea, quæ interrogaverit, veraciter respondeat. Exinde quæsivit I. An esset spiritus bonus, vel malus? Posset etiam pro majori securitate, si dicat, se esse spiritum bonum, peti, ut secum SS. Nomen Jesu honoret, & devote pronuntiet. II. Hoc facto institit ulterius, quis esset? Et postquam devenit in cognitionem spiritus boni. III. Quid velit? quibus cognitis illam animam dimisit, & pro illa, quæ petebat, facienda curavit. Quando autem Sacerdos ea responsione, vel aliis signis cognosceret spiritum malum, peragat ea, quæ dicta fuere antecedenter de spectris malis, dummodo etiam accurate attendat, ne subrepat fraus humana, apparitio fictitia &c. *

APPENDIX II.

Quomodo a Confessario prudenter tractandi sint illi, qui in Confessionali proponunt, se habere Extases, Apparitiones, ac Revelationes Divinas?

SUMMARIUM.

* *Quantis deceptionum periculis sint subjectæ similes personæ? Addit. I.*
* *Quidnam in genere circa has personas sit observandum? Addit. II.*
* *Quidnam in specie circa Extases? Addit. III.*
* *Et quidem circa Visiones? Addit. IV.*
* *Item circa Revelationes? Addit. V.*
* *Item circa apparitiones animarum e Purgatorio? Add. VI.*
* *De causis, & motivis, propter quæ Revelationes, & Visiones S. Theresiæ fuerunt recognitæ tamquam authenticæ. Addit. VII.*

Additio I.

* INveniet tales personas Confessarius, & quidem, si quoque per externa signa æstimat easdem, ac dictis facile fidem adhibet, etiam plures præsertim feminas nonnullas, quæ esse vel saltem apparere volunt devotulæ. Non equidem negari potest; subinde dari a parte rei sanctas personas hisce specialibus gratiis apparitionum; ac revelationum &c. a Deo ornatas, uti patet de sanctis Theresia, Brigitta, Catharina Senensi, & altera Bononiensi &c. Interea tamen his temporibus, ubi fides alias jam abunde per signa, & miracula ubique est dilatata, rarior avis in terris. Vincentius Negro *in Tuba Sonora. Sono 13.* ait, Confessarium non falli, si in simili casu ex mille feminis vix uni credat. Quare, si etiam mirabilia quædam ante a se non visa Confessarius ab his personis exerceri videat, non illico inferat supernaturalia & propterea revelationes ab hisce sparsas esse divinas; etenim teste nostro Josepho Ximenez postea Episcopo Placentino *Prologo galeato* §. 14. *n.* 113. *tot, tantæque deplorandæ mulierum deceptiones* (intellige activæ, vel passivæ) *in hac materia hucusque detectæ fuerant, ut nulla judicii suspensio, nulla etiam exactissima in investigando industria nimia videri debeat.* Quare ante aliquam resolutionem prius probet spiritus, num ex Deo sint, vel num potius ab astuta simulatione, aut ipsa natura, & forti apprehensione, vel demum a diabolo originem trahant? Et qualia mira efficiunt ope dæmonis maleficiati? item magi & sagæ, quatenus Confessarios incautos decipiant, & exinde tandem efficiant, ut apud vulgum veris quoque apparitionibus, & revelationibus nulla deinceps fides habeatur, Itaque *.

Additio. II.

* Quæres. I. Quidnam in genere circa similes personas Confessarius debeat observare? Resp. I. Talis Confessarius debet sese informare non solum in Theologia Morali, & Speculativa, sed præcipue etiam in Mystica, quam haurire poterit e. g. Libris S. Theresiæ, ex doctissimo Tractatu Cardinalis Bona specialiter ad hunc finem de discretione spirituum edito, & ex Prologo Galeato Ven. Virginis Mariæ de Agreda &c. II. Præditus esse debet non solum scientia, sed vel maxime circumspecta prudentia, ac pariter indagare in emergentia casus, quinam effectus ab ipsa natura possint procedere, & quinam non? ubi specialiter deservient *Quæstiones Medico Legales* Pauli Zacchiæ versatissimi Medici Romani, & Practica Theologo-Canonica ad causas Beatificationum Augustini Matthæucii. III. Debet esset profunde humilis, alias quamvis doctissimus sæpius impinget; Deus enim humilibus dat gratiam discernendi spiritus, ac superbis resistit. IV. Non sit facilis ad credendum. V. Teste Gersone non facile applaudat tali personæ, nec laudet præsentem, aut miretur quasi sanctam; quinimo subinde probandi causa eamdem moderate increpet, tentando, num forte non lateat occulta superbia, qualis apud homines elatos, præsertim si non advertant, se probari, brevi manifestabitur, dum ægre ferent increpationes, aut minus æstimatas, ac laudatas suas revelationes: Profecto Dominicus Banez insignis Theologus spiritum S. Theresiæ exinde cognovit. *Ego* (inquit in initio operum S. Theresiæ) *per multos annos ejus Confessiones excepi, eamque sæpius examinavi, semper me erga illam valde asperum & rigidum præbens: quo magis autem illam humiliabam, & despiciebam, eo magis ipsa ad meum Consilium animabatur, ita se existimans tutius incedere. In nulla autem Persona majorem animi sinceritatem, simplicitatem & humilitatem observavi.* Ita ille *.

Additio III.

* Quær. II. Quidnam Confessarius observare debeat circa similes personas, si in extasin rapi videantur? Ante responsionem notetur ex Theologia Mystica, familiare esse personis sanctis, quæ gratia revelationum præditæ sunt, ut antecedenter rapiantur in extasin, sub qua Deus influit, ac ipsis per visiones, & revelationes sua Secreta communicat. Quoniam vero etiam ipsa extasis æque, ac jactata visio, seu revelatio potest provenire vel a nequitiosa simulatione, vel a natura, aut dæmone, hinc Confessarius circa tales personas observet sequentia. I. Nequiter simultatam extasim deprehendi posse partim ex vita & moribus talis personæ, partim teste Paulo Zacchia per applicationem sternutamentorum, per fortes revulsiones, per dolorosas ligaturas; percurcubitulas cum multo igne appositas, vel per inustiones, & cauteria &c. ubi brevi ex vi doloris tales personæ ad se redibunt, seu potius exinde indicabunt, se nunquam fuisse in extasin raptas. Ast loquendo de extasi vera;

Observet II. Extasin in genere describi, quod sit *alienatio potentiæ imaginativæ ab aliis rebus cum fixa detentione in certa alicujus objecti consideratione.* Hæc dividitur in naturalem, dæmoniacam, & supernaturalem; uti recte Mathæucius in sua Practica Theologo Canonica *Tit. 3. cap. 3. art. 1. n. 2.* advertit cum aliis, prout nimirum ejusdem auctor est natura; dæmon, vel ipse Deus. Oritur autem extasis naturalis teste Matthæucio *loc. cit.*

loc. cit. ex valde intensa, & immoderata consideratione objecti, sive nimium dilecti, aut satis terrifici; ubi in cerebrum confluunt omnes, vel saltem potiores spiritus animales alias sensibus externis, & potentiæ loco motivæ destinati, quibus non amplius ministrant vires sufficientes, hincque provenit, ut sensus externi, & potentia loco-motiva pro eo tempore non amplius operentur, usque dum spiritus animales denuo redeant.

Observet Confessarius III. Ex Paulo Zacchia hic, quod extasis naturalis in fixa detentione potentiæ imaginativæ possit versari circa cœlestia, Angelos & Sanctos antea forsan per meditationem intensam phantasiæ repræsentatos: & quo vehementior est imaginatio, eo magis, ac plus sensus in ac externi destituuntur suis spiritibus animalibus. Item juxta quantitatem, & qualitatem spirituum etiam longius, vel brevius durat extasis: sic teste Paulo Zacchia *Lib.4.tit.1.qu.6.n.7.& 8.* quando cerebrum fuerit debile, & spiritus multi, crassi, ac melancholici, quos cerebrum debile tam cito rejicere nequit, per longissimum tempus potest durare extasis naturalis, quæ etiam degenerat subinde in apoplexiam, vel in catalepsin. Ubi

Observet Confessarius IV. Quod catalepsis sit ille morbus, qui ferme omnem sensum, motum, & animalem virtutem, præsertim si fortis est, destruit, maxime quoad rationalem animæ partem. *Caros* est somnus Profundus sine febri, vel subsequens ad febrem. *Coma vigil* est propensio ad somnum, ubi tali morbo laborantes, etsi facile dormiant, de facili tamen etiam iterum excitantur. *Coma somnolentum* est somnus profundus differens a *Caros*, quia Caros a frigido, Coma vero magis ab humido dependet. *Suffocatio uteri* est morbus fœminis familiaris per consensum cerebri cum utero proveniens, qui si magnus sit, mulieres tamquam mortuæ, alias tamquam semimortuæ apparent, loqui non possunt, sed tamen audiunt, quin etiam transacto paroxysmo audita referunt. Hi omnes paroxysmi in multis sunt consimiles cum extasi naturali, ac propterea hic descripti.

Observet Confessarius V. Quod extasis diabolica tunc contingat, cum vel diabolus immediate, vel hujus ope magi mentes hominum a sensibus externis alienant figendo potentiam imaginativam ad certum objectum a diabolo præsentatum, in quo casu dæmon vel externos sensus modo insensibili ligat, vel impedit, ne in easdem defluant spiritus animales ad officia sensuum necessarii. Tales credit Matthæucius *loc. cit.* fuisse duas extases, quas refert S. Augustinus *Lib. 14. de Civitate Dei. cap. 24. & lib. de Cura pro Mort. agenda. cap. 12.* Econtra vero extasis supernaturalis a S. Bonaventura *lib de septem gradibus contemplationis.* ex D. Dyonisio sic describitur, quod sit quædam *voluptuosa elevatio devota animæ supra se deserto exteriori homine ad supernaturalem divini amoris fontem.*

Observet Confessarius VI. Signa discernendi extasin supernaturalem a naturali, & diabolica, esse quidem difficillima, interea tamen tam a Paulo Zacchia *lib.4.QQ. Medico Legalium. Tit. 1.Q.6.* quam a Matthæucio in sua Practica *Tit. 3. cap. 3. art. 1. n. 12.* aliqua assignantur, ex quibus efficaciora desumo: nimirum in extasi naturali, si non omnia saltem aliqua ex sequentibus concurrunt, nempe capitis discrasia seu intemperies, constitutio melancholica, sanguinis, ac spirituum non naturalis constitutio. Exinde corpus ea finita patitur lassitudinem, ac torporem, quamdam intellectus obfuscationem, rerum præteritarum oblivionem, colorem conversum ad pallorem vel livorem, seu fuscedinem: insuper talis homo vexatur tristitia absque sufficienti causa, molestatur pandiculatione, & oscitatione frequenti, & incurrit periculum apoplexiæ, vel paralysis, aut catalepsis &c. Econtra vero similia, præsertim, quæ animum concernunt, abesse solent saltem a potiori ab extasi supernaturali; unde

Observet Confessarius VII. Conjecturari posse, probabiliter his absentibus præsertim, quæ animum afficiunt esse extasin supernaturalem, maxime si extaticus ille præditus heroicis virtutibus post extasin non glorietur, sed magis humilietur, & doleat quod ab aliis videatur, a quibus extasin, quantum est in sua potestate, celare curat: alias enim extasis etiam a diabolo provenire potest, vel immediate, vel etiam mediante natura, qua uteretur tamquam instrumento.

Observet VIII. Confessarius ex eodem Matthæucio, & Zacchia, si extases valde frequentes sint, prudentem præsumptionem esse extasis potius naturalis, quam supernaturalis, nisi aliunde efficacissime constet de effectu supernaturalitatis; Deus enim non solet ordinarie in tantum multiplicare miracula: interea tamen, si talis homo noscatur alias virtutibus heroicis bene probatis exornatus, & sub extasi elevetur a terra in altum, aut facto præcepto obedientiæ etiam sub terminis extatico ignotis, aut in summo silentio, vel tantum mentaliter proposito (prout contigit talis probatio apud Ven. Virginem Mariam de Agreda) illico ad se redeat, crederem talem extasin suppositis supponendis esse potius supernaturalem, quam naturalem aut diabolicam.*

Additio IV.

* Quær. III. Quidnam Confessario attendendum, si similes personæ in Confessionali proponant varias apparitiones, seu visiones? Resp. Talem Confessarium debere attendere ad sequentia. I. Quod teste D. Bonaventura *Opusculo de profectu Religioso. L.2.c.75.* alia sit visio corporalis, alia imaginatoria, & alia intellectualis. *Corporalis* immediate procedit a sensu externo v.g. visu, vel auditu percipiente objecta sensibilia externa vera, vel apparentia sibi proposita. *Imaginaria* ea est, quæ a potentia imaginativa, seu a sensu interno primo procedit, quin in eo ipso momento operatio aliqua in sensu externo præcesserit. *Intellectualis* illa est, quæ primo ab intellectu formatur per species intelligibiles, quin originem suam habeant ab iis, quæ vel sensus externi prius perceperint, vel phantasia, seu potentia imaginativa præcedenter cognoverit. Attendat Confessarius II. Quod ex parte causæ efficientis alia dicatur visio n aturalis, alia dæmoniaca, & alia supernaturalis. *Ultima* a Deo efficitur sive immediate, sive ministerio Angelorum. *Dæmoniaca* procedit a potestate dæmonis deludentis variis modis sensus in & externos, vel per alterationem humorum, & spirituum animalium, vel per subtractionem realium rerum, & appositionem aliarum, quas sive ex aere composuit, sive aliunde concepit. *Naturalis* visio a naturali principio procedit, pro qua

Attendat Confessarius III. Hanc ipsam naturalem visionem posse esse vel corporalem, vel imaginatoriam. *Corporalis* contingit sive propter vehementem imaginationem circa aliquod objectum, adeo, ut humores corporis præter ordinem commoti irregularem spirituum animalium copiam tum phantasiæ, tum sensui externo deferant, propter quod quis censet e. g. concentus Angelorum audire, aut oculis corporeis videre figuras Sanctorum sibi apparentium: sive talis visio corporea naturalis evenire etiam potest propter impedimentum in cerebro, quod confundit ordinem in sensu etiam externo, adeo, ut imagines phantasticas observet, ac si essent vera corpora, prout frequenter fit apud graviter infirmos; apud sanos vero testibus D. Bonaventura *loc. cit.* & Gersone *tract. de probat. Spirituum.* prænuntiat periculum insaniæ. *Visio naturalis imaginaria* suboritur, sive pariter ex spirituum animalium commotione, sive ex immoderato voluntatis affectu, vi cujus quis vehementer applicat potentiam imaginativam efformantem sibi varias species sensibiles, seu phantasticas circa id, quod concupiscit &c. Ita quoad omnia doctissime Matthæucius *in sua practica. tract. 3. cap. 3. art. 2.* Attendat Confessarius IV. Quod valde frequenter visiones, seu apparitiones corporales & imaginariæ, quæ creduntur provenire a Deo, & Sanctis, possint esse pure naturales præsertim apud fortiter apprehensivos, & apud feminas maxime certi

certis temporibus, quæ præter matricem abundant passionibus admodum acribus; hincque non raro, quod a passione natum, a veritate profectum putant: suntque præterea feminæ naturæ magis humidæ & viscosæ, humidum autem facile commovetur, variasque figuras recipit, & viscosum difficilius, ac serius a motu cessat. In emergentia difficilioris casus legatur desuper Delrio præsertim *lib.* 4. *disquisit. mag. sect.* 2 & 3. atque apud eumdem bene notentur verba Gersonis sequentis tenoris: *Hoc præcipue considerandum, qualiter cum suis Confessionibus, & instructionibus, mulierculæ tales conversentur. Si collocutionibus intendunt continuis sub obtentu nunc crebræ Confessionis, nunc longæ narrationis visionum suarum, nunc alterius cujuslibet confabulationis: expertis credite, nominatim Augustino, & Bonaventuræ, vix est altera pestis vel efficacior ad nocendum, vel insanabilior.* Ita ille vir non solum doctissimus, sed & summe practicus. Attendat Confessarius V. Quod equidem, si talis persona alias noscatur non multum dedita phantasiis &c. ac præterea sit probatæ virtutis maxime quoad cæcam obedientiam, & profundam humilitatem, possit Confessarius prudenter inferre, visionem esse supernaturalem, eo quidem magis, si fuerit visio pure intellectualis, aut si visioni etiam sensitivæ fuerit conjuncta talis revelatio, quæ vix potuit esse alia, quam Divina. Econtra vero visio, seu apparitio prudenter infertur deceptoria, si conjuncta revelatio fuerit falsa, seu si res revelata sit parum utilis, excitativa discordiarum &c. Item deceptoria, & diabolica erit, si in visione apparens fugiat signum Crucis, ac Sacramentalia, si nolit pronunciare sacra Nomina JESU, & MARIÆ, nec ipsis reverentiam facere, si appareat forma non humana, seu bene formata, aut si primo quidem lætitiam afferat, postea tamen horrorem, turbationem, vel magnam desolationem, aut etiam tentationes ad impura: vel si abeat cum magno fœtore, ac strepitu. Notentur ultimate verba formalia D. Bernardi *Serm. de Utilit. verb. Dom.* dicentis: *Se transfigurat malignus spiritus aliquando in Angelum lucis, ut virtutis simulatione plus noceat, sed & tunc quoque, si diligenter advertimus, numquam nisi amaritudinis, & discordiæ semina spargit: suadet enim nonnullis singularia jejunia quædam: unde ceteri scandalizentur, non quia diligit jejunium, sed quia scandalo delectatur.* Item verba S. Richardi in *Cantica. cap.* 7. *Dæmones interdum mala sub specie boni occultant, & ad quædam bona incitant, ut ad malum perducant; falsa etiam devotione decipiunt, quia per quasdam orationes, & meditationes dulcem affectum, & lacrymas in anima producunt, ut vel mentem in errorem, & elationem, vel corpus in debilitatem perducant.* *

Additio V.

* Quæres IV. Quidnam Confessario observandum, si pœnitens proponat in Confessionali varias revelationes sibi factas? Resp. I. Ut bene inter revelationem Divinam, imaginariam, & diabolicam distinguat, ante omnia Confessarium suæ memoriæ debere profunde infigere doctrinam S. Bernardi *de perfect. Relig. lib.* 2. *cap.* 26. ubi sic ait: *in omnibus revelationum & visionum generibus magna cautela habenda est, ne falsa pro veris, noxia pro salutaribus, exigua pro eximiis, & incerta pro certis recipiantur.* sic utique, si extatica aliqua visio deprehenditur naturalis, aut diabolica, revelatio sub eadem facta non credetur Divina.

Resp. II. Confessarius doctus, & versatus potest revelationem Divinam ab imaginaria, vel diabolica discernere per quatuor genera causarum. I. *Ex parte causæ materialis* perpendat, an materia revelata nil contineat contra fidem, contra communem SS. PP. aut contra bonos mores &c. *Ex parte causæ formalis* attendat Confessarius ad modum, quo Auctor illas revelationes proposuit e.g. si ad aliquam personam profundæ humilitatis & promptissimæ obedientiæ eadem fit de repente absque prævia intentione circa illud objectum, neque est in potestate animæ ipsam non attendere. Item, si brevissima temporis morula multa sublimia, sacratissima, & ad purum Divinum amorem excitantia docet, nec non ad heroica fortificat, signum est, revelarionem provenire a Deo, quando aliunde nihil obstat. *Ex parte causæ efficientis*, seu ex parte illius, qui proponit aliquam revelationem, observet, & probet Confessarius, etiam altero ipsam probationem non advertente, num sit valde virtuosus, præsertim fundatus in contemptu sui, & abnegatione propriæ voluntatis. Item num non nimium inclinet in melancholiam; nam teste Paulo Zacchia *Lib.* 4. *tit.* 1. *a n.* 14. temperamentum melancholicum plurimum ad similia propendet, etiam prophetando futura: cum enim melancholici sint fortiter apprehensivi, & sæpe docti, ex uno aliud conjecturantes, solent subinde credi Prophetiæ, cum tamen fuerint solummodo conjecturæ, quibus per accidens veritas erat conjuncta. *Ex parte causæ finalis* respiciat Confessarius, utrum similes respiciat Confessarius, utrum similes revelationes tendant ad majorem Dei gloriam, nec non ad notabilem utilitatem spiritualem propriam, aut proximi, & non potius introducant (quamvis ad speciem boni) aliquem teporem, scrupulos, anxietates, desperationes, vel quampiam partialitatem, atque exinde in communitate varias murmurationes, discordias &c. *

Additio VI.

* Quæres V. Quid agendum Confessario, si talis Pœnitens dicat, sibi apparere varias e purgatorio animas liberationem instanter flagitantes? Ante resolutionem nota I. Equidem similia evenire posse etiam apud homines ceteroquin communes, & non extaticos; ordinarie tamen proponi ab illis, qui habere prætendunt extases, ac revelationes &c. Ubi nota II. æque hic ac in aliis apparitionibus Additione IV. adductis (quorsum me remitto) innumeras quasi fraudes vel ex malitiosa hypocrisi, vel ex deceptione diaboli, vel ex natura male constituta posse sæpius contingere: maxime, si illæ visiones sint materiales, seu objecta illa sensibus ex vel internis percipi credantur; ubi bene advertenda sunt P. Josephi Lopez *Tract.* 4. *Lucernæ Mysticæ. cap.* 12. *n.* 112. & 114. verba formalia sequentis tenoris: *Ejusmodi apparitiones possunt esse effectus vehementis imaginationis; quia sunt nonnulli ita melancholici, & imaginativi, qui omnia, quæ imaginantur, videre putant: & provenit ex abundantia humorum ascendentium ad principium sensitivum, quorum complicatione cerebrum debilitatur, & confunditur; & qui abundant humore melancholico, & atrabilario, umbras, & tenebras videre credunt, & sua imaginatione se ipsos interrogant, & respondent, putantes, ab illis conceptis umbris, vel spectris responderi &c. Alii ita habent cerebrum humoribus biliosis, & ignitis consitum, quod omnia quasi involuta flammis conspiciant, &, si fortasse tunc de aliquo speciali defuncto recordentur: procul dubio putant, illum inter flammarum incendia videre, cum quo imaginarie colloquuntur &c. quod quidem frequentius provenit ab imaginatione, aut cerebri læsione, quod vitium passim incurrunt feminæ, cum quibus in his, & omnibus supernaturalibus magna cautio adhibenda est.* Ita ille. H. N.

Resp. I. Si spectra appareant sub specie bufonum, vel aliorum similium animalium, merito haberi possunt pro deceptione diabolica, vel imaginaria, cum non soleant saltem regulariter amici Dei, & animæ jam habentes jus ad æternam beatitudinem sub tali turpi forma sese conspiciendas exhibere. *Resp.* II. Si sub apparitione post pavorem, & tremorem sequatur delectatio sensibilis, vel insaporosa inquietudo, ac perturbatio, signum est mali spiritus juxta S. Bonaventuram *Lib.* 2. *de Profess. Religios. cap.* 75. & Lopez *loc. cit. cap.* 11. *num.* 95. & 102. licet ceteroquin ab eodem Auctore neutiquam negetur in visionibus materialibus etiam animas justorum in principio posse hominibus incutere timorem, cordis palpitationem, & tremorem, hi tamen

tamen affectus iterum mitescunt, atque sensim in animo introducitur virtus, & fortitudo. Resp. III. Si animæ apparentes petant, suadeant, doceant aliqua impossibilia, multum difficilia, vel adversus decentiam status eorum, quibus apparent, aut contra SS. PP. vel bonos mores: item si proponant detractoria, seu absque urgenti necessitate propalent aliorum delicta, hæc iterum juxta Thyræum, Blosium, & Delrio apud Lopez *loc. cit. n.* 103. signa sunt mali spiritus. Resp. IV. Si animæ petant restitutionem a suis hæredibus faciendam, cautissime procedendum, & prius aliunde occulta informatio petenda erit, utrum in vita hæc obligatio contracta fuerit; nam (utor verbis Lopez *loc. cit. cap.* 12. *n.* 109.) plerumque sunt imaginationes, & capitis debilitates, quibus per propalationem infamantur defuncti, & fere semper ex facili evulgatione inquietudines, aliaque incommoda oriuntur. *

Additio VII.

* Quær. VI. Quænam fuerint motiva, vi quorum a sapientibus erant habitæ pro supernaturalibus revelationes, & visiones S. Theresiæ? Resp. Ex Alberto Reiffenstuel in *sua Practica. part.* 2. *cap.* 1. §. 6. *n.* 198. Motiva fuisse sequentia. I. Semper timebat diabolicas illusiones, & propterea nunquam similia extraordinaria dona desideravit, prout idem fecit B. Coleta. II. Semper a spiritu sibi apparente, ac revelante mandatum accepit, ut ea quæ audiebat, communicaret cum viris doctis, prout etiam fecit. III. Non uni solum, sed & pluribus Directoribus sibi designatis exactissime obediebat, & post tales gratias magis in charitate, & humilitate proficiebat. IV. Libentius cum illis agebat, qui minus creduli erant, eosque amabat, a quibus persecutiones patiebatur. V. Mens illius summa tranquillitate semper gaudebat, ac ferventi desiderio perfectionis, & ardentissimo zelo animarum flagrabat. VI. Omnis defectus ejus, etsi minimus, a spiritu intus gubernante reprehendebatur. VII. Cum illa conversantes ad virtutem excitabantur. VIII. Similia dona ut plurimum post Orationem, vel S. Communionem contingebant. IX. Continuum habuit desiderium pro Deo patiendi, juncta etiam mortificatione. X. Solitudinem amabat, horrens conversationem hominum. XI. In prosperis, & adversis eamdem animi tranquillitatem servabat. XII. Nihil in ejus revelationibus alienum a fide, aut perfectione fuit deprehensum. *

APPENDIX III.

Quid observandum sit Confessario, si excipit Confessiones Captivorum, præsertim Reorum pœnæ capitalis.

SUMMARIUM

* *Quotuplicis generis sint captivi? Addit. I.*
* *Quid agendum Confessario cum incarceratis ob delicta necdum capitalia? Addit. II.*
* *Quidnam cum Reo ob delictum capitale incarcerato, necdum tamen actualiter ad mortem condemnato? Addit. III.*
* *Quid, si Reus jam fuerit ad mortem condemnatus? Addit. IV. & V.*
* *Quidnam specialiter observandum Confessario, si talis condemnatus fuerit Infidelis, Turca, Judæus, Hæreticus, aut alias usque ad ultimum vitæ induratus Peccato? Addit. VI.*
* *Quidnam Confessario singulariter faciendum, si personæ condemnatæ, ad quas vocatur, fuerint Magi, vel Sagæ? ubi præcipue si quosdam infantes in nomine diaboli baptizaverint, aut fateantur, se SS. Eucharistiam variis corporis partibus inseruisse. Addit. VII.*

Additio. I.

Captivi sunt diversi generis: alii enim carcerantur ob capitalia delicta cum nulla, aut certa exigua spe liberationis; ad quos Confessario ad excipiendas Confessiones, & cum absentia aliorum difficulter conceditur accessus ante actualem condemnationem, nisi forte periculose decumbant ægroti, aliæve graves circumstantiæ aliter suadeant. Alii autem detinentur ob crimina respective leviora, suo tempore iterum dimittendi, quos certis temporibus visitare, eorumque Confessiones excipere facilius admittitur, nisi fuerint petulantes, apud quos morbus tantummodo simulatus, ad eludendum præcise processus ordinem, a Judice merito, ac prudenter timetur subinde. Ambo autem Captivorum genera ob carceris squalores, victus tenuitatem, ingruentes varias tentationes, & ob imminentia hinc inde gravia labendi pericula summopere spirituali indigent auxilio, & consolatione. Hinc divisim de utroque genere præsertim pro instructione juvenum Confessariorum tractabitur. *

Additio II.

* Quæres. I. Quid observandum sit Confessario, si visitat, & Confessiones excipit Captivorum, necdum pœnæ capitalis Reorum? Resp. *Imprimis* antequam carceres ingrediatur, ex custode, vel alio fideli rerum gnaro interroget, si fieri potest, ob qualia delicta fuerit carceri mancipatus: & quomodo ibi se gerat. II. Ingressus carcerem amicabiliter talem Captivum salutet, ac indicet, quod præcise venerit ad conferendum, quantum fieri potest, spirituale solatium. III. Post comparatam prudenter benevolentiam ulterius quærere poterit, quomodo valeat? quamdiu in carcere detineatur? an carcer sibi non videatur admodum molestus, aut tempus nimis longum? Item quomodo tempus terat in carcere? Ex quibus quæstiunculis a Captivi responsis facile Confessarius captabit occasionem prosequendi ulterius suum discursum spiritualem. Unde IV. Si Reus se innocentem dicat, & injuste incarceratum, condoleat quidem, simul tamen proponat exemplar innocentiæ Christum Dominum; item Dei providentiam cuncta sapientissime in bonum animæ nostræ, & ad augenda merita ordinantem: item quod innocentia quidem prematur, sed non opprimatur exemplo Josephi in antiquo Testamento: item quod Deus non raro similia permittat ob alia nostra peccata apud homines quidem occulta, Deo autem optime cognita, exemplo sancti Ephrem de ovium deprædatione falso delati, in carcerem conjecti, ab angelo vero, cum graviter propterea lamentaretur, post quadraginta dies admoniti de alio occulto delicto paucis abhinc mensibus commisso, nimirum de occisione vaccæ, ad pauperculum hominem pertinentis. V. Quod si equidem talis Reum se fateatur, querelas vero moveat contra squalorem carceris, aliasque ærumnas, reducatur ad pœnitentiam Christi & Sanctorum, longe majores miserias, & quidem innocenter summa patientia tolerantium. Item, quod hæ miseriæ sibi multo faciliores sint futuræ, & quidem cum ingenti meritorum cumulo, si hasce (quas alias a se amovere nequit) sufferat cum plena in Divinam voluntatem resignatione, fortitudine, & patientia. VI. Disponat his aliisque modis talem Captivum ad Confessionem, quam patienter audiat agendo Samaritanum, & præter vinum affundendo simul oleum misericordiæ. VIII. Ne tempus captivitatis carcerato nimis longum, & consequenter tædiosum appareat, suadeat, vel ipsemet ei faciat aliquem temporis divisionem proportionatam capacitati subjecti. *Triplicis autem generis occupationes* (inquit Lohner *De Conversatione Apostolica part.* 2. *cap.* 5. *reperio, quæ ejusmodi Captivis præscribi possunt, eas videlicet ipsas, quas olim Angelus sancto Antonio, eremi fastidium concipienti, ostenderat, dum interdum*

mani

manibus laborare, interdum legere, & interdum cibum capere conspectus fuit. Optandum sane foret*, ut Magistratus, vel Judex libros spirituales ad hunc finem deservientes, præsertim de ærumnis Christi, de Passione Dominica, de fortitudine, & patienti tolerantia miseriarum, ac tribulationum &c. pro carceribus ad consolationem & utilitatem Captivorum compararet. *

Additio III.

* Quær. II. Quid agendum Confessario, si admittitur ad Captivos ob crimina capitalia incarceratos, necdum tamen actualiter condemnatos ad mortem? Resp. I. Debet quidem, uti in præcedenti Quæsito, sibi pariter conciliare amorem & confidentiam, atque ad virtutes heroicas fortitudinis, patientiæ, ac resignationis in Divinam voluntatem, nec non ad preces, & pro modulo capacitatis Captivi ad meditationem passionis Dominicæ excitare. II. Non tamen debet, ordinarie loquendo, in se suscipere supplicii remittendi, seu relaxandi patrocinium, nisi fiat ipso Judice consentiente, e. g. si Judex jam sciat, Reo gratiam faciendam, vel saltem pœnam mitigandam fore: nam alias (ubi bene cum aliis notat Lohner hic) non posset tam commode disponere Reum ad seriam pœnitentiam; cum talis semper conciperet spem obtinendæ per ejus intercessionem remissionis pœnæ, quam, si non acquireret, facile ejus animus posset alienari a Confessario, ac si causam suam non ferventer, & serio tractasset. Posito autem, quod Reus pro interpositione patrocinii vehementer instet, poterit tandem in genere promittere, se nihil intermissurum ad hunc finem conducens, se tamen timere, vel multum dubitare de optato effectu, eo quod non sint præsentes, qui habent jus aggratiandi, vel si adsint, plerumque se remittant ad processum Judicis inferioris, alias obligati procedere secundum allegata, & probata. III. Reum ad perfectam quidem de suis peccatis eliciendam contritionem instruat, & incitet, ordinarie tamen Confessionem talis Rei non audiat, quando crimen necdum judicialiter fuit confessus; quia (uti in terminis notat P. Ildephonsus Tausch in *suo Moribundo disp. 2. quæst. 5. n.* 347.) periculum foret, ne sub spe Confessarium in sui partes trahendi, & facilius exinde evadendi etiam in Confessione Sacramentali crimen subticeret. Dixi autem notanter: *ordinarie non audiat Confessionem:* nam in casu extraordinario e. g. alicujus periculosæ infirmitatis, vel ubi alias e. g. apud magos & striges tam breve tempus post indicatam mortis sententiam non videtur sufficere, haud dubie (impetrata prius a Judice Reum visitandi licentia) aliter foret sentiendum. IV. Si in simili casu Reus e. g. periculose infirmus, in confessione Sacramentali proponeret, se crimen commissum, & omnino plene probatum, coram Judice nihilominus negasse, in dicto casu equidem peccasset; non deberet tamen a Confessario adstringi, ut ultro, & non amplius denuo interrogatus dictum suum revocet, dummodo habeat propositum fatendi, quando iterum judicialiter fuerit desuper constitutus; cum non teneatur respondere, nisi toties quoties fuerit judicialiter interrogatus. Videatur cum Card. de Lugo, & Sanchez, Ildephonsus Tausch *loc. cit. n.* 337. V. Si talis Reus in Sacramentali Confessione equidem crimen, ob quod fuit incarceratus, in foro Sacramentali confiteatur, nolit tamen idem judicialiter pro foro externo fateri, eo quod illud ibidem nequeat plene, sed tantum semiplene probari, tali nequiret Confessarius absolutionem denegare: etenim, licet sententia D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 1. & plurium Doctorum, volentium, talem Reum etiam in foro conscientiæ obligari, Judici interroganti fateri veritatem, si adsint prævie saltem semiplenæ probationes, Reo a Judice sufficienter indicatæ; licet (inquam) dicta sententia Doctorum sit forsan probabilior, nihilominus tamen etiam contraria Patris Cardenas, & Pichler *Lib.* 2. *Decr. tit.* 18 *n.* 19. aliorumque suo non caret fundamento; cum videatur Lex humana civilis fragilitati humanæ satis dura, Reum non solum in foro externo, sub lege pœnali cum subjectione ad torturam, verum etiam in foro conscientiæ ante omnem Judicis sententiam obligari ad veritatem absque omni æquivocatione fatendam contra se ipsum, sicque Judici ad sui occisionem per propriam Confessionem arma præbere; ubi alias non potuisset convinci, sicque nec ad mortem condemnari, si utendo æquivocatione non pure mentali fassus non fuisset. Cum igitur hæc sententia contraria defacto sua non careat probabilitate in & extrinseca, Reoque sit valde favorabilis, Confessarius se Reo conformare debet, si eandem amplectatur. Ceterum Confessarius sponte sua nullatenus reum instruat in dicta sententia, nec positive ad negandum in similibus circumstantiis incitet cum non levi exacerbatione Officialium justitiæ, & non sine timore damni Boni publici; quia similes graves malefactores adhuc relinquuntur in vivis, quos forsan tamquam membra putrida melius fuisset a reliquo corpore ob periculum recidivitatis abscindere. Videatur P. Ildephonsus Tausch *loc. cit. n.* 359. *& seqq.*. *

Additio IV.

* Quær. III. Quid faciendum Confessario, si vocatur ad Reum mortis post publicatam jam mortis sententiam? Resp. *imprimis* quæcumque ex præcedentibus dictis in præsenti prudenter sunt accommoda, etiam hic applicet. II. Postquam advertit Reum ab horrore, antea ex mortis denuntiatione concepto sese sensim recolligere, ante omnia ipsum disponat, ad sententiam istam æquo animo suscipiendam, se totum Domino Deo offerendo in unione illius oblationis, qua innocentissimus Agnus Christus Dominus in patibulo Crucis se suo cœlesti Patri, & sancti Martyres crudelissimam mortem, amore Dei patienter & fortiter sustentam, obtulerunt. III. Sincere, & candide cum Reo procedat, nullas immiscendo falsitates, vel etiam æquivocationes, nec lactet inani spe regratiandi, nec varia promittat, ne Reus spei regratiationis innixus minus ad mortem se præparet; vel si in aliis re ipsa nihil eveniat, Reus ansam habeat conquerendi, se in alio sensu dicta Confessarii intellexisse, sicque ab eo fuisse deceptum, aut aliquo modo politico inductum, quod posset esse causa diffidentiæ, & gravis perturbationis in fine vitæ suæ. IV. Nec ante, nec post suppliciu m contra Judices, aut custodes carcerum apud Reum, vel apud alios, ad quos hoc non spectat, querelas moveat, vel querelantibus aliis aures præbeat, sed si vere necessarium esse invenerit, charitative moneat ibidem, ubi spes correctionis, & emendationis prudenter affulget. Debet enim Confessarius cum prudentia stare pro Auctoritate Judicis, semper pro se præsumptionem habentis, quod procedat secundum allegata & probata, etsi id plebs, vel etiam Confessarius, qui forsan numquam Juri rerum criminalium studuit, id non intelligant: subinde imprudentem similis Confessarii procedendi modum luere debet innocens alias integra aliqua Religio, seu sacra Communitas, ex qua deinceps Judex exacerbatus difficulter ob timorem ulteriorum confusionum aliquem ad Reos in carcere disponendos admittit; quamvis alias condemnato ad mortem, si tamquam constitutus in extrema lucta virum ceteroquin prudentem, determinatum, vel equidem indeterminatum, determinata tamen aliqua Religione ex speciali quadam confidentia petat pro ultimo animæ suæ solatio, nullatenus denegari debeat, uti recte advertit Tausch. *loc. cit. n.* 375. & 376. V. Singulariter attendat Confessarius, ut Reum ad dolorosam Confessionem, & devotam Communionem disponat. De Communione vide dicta *Tract.* 10. *dist.* 3. *Add. post n.* 46. quoad Confessionem vero sciendum, quod talem Reum tamquam in periculo, quinimo respective jam in articulo mortis constitutum absolvere possit ab omnibus peccatis, &

& censuris etiam in Bulla Cœnæ, vel alias Papæ reservatis, uti desumitur ex Concil. Trid. *Sess.* 14. *de Pœnit. cap.* 7. hanc potestatem in articulo, vel periculo mortis pro foro conscientiæ illimitate concedente, *ne pereat anima*, uti subjungit dictum Concilium, atque sic tenent præter alios Bosco & Rodriguez, videturque meo judicio in his terris patere ex ipsa praxi, scientibus, & non contradicentibus Episcopis exercita, vi cujus Confessarii NB. alias jam pro Confessionali approbati, & huc vocati ad disponendos ad mortem condemnatos magos, vel sagas, ab idololatria, hæresi, aliisque gravissimis etiam reservatis peccatis pro foro conscientiæ absolvunt, quin prævie singularem a Pontifice licentiam requirant, aut tales miseros, aliunde jam ob præsentem violentam mortem angustiatos, & ad talem Confessarium pro nunc confidentiam habentes, primum ad alios speciali privilegio præditos pro absolutione remittant. Atque sub his nonnihil limitatis, & ad Confessarios, alias jam approbatos restrictis terminis puto posse secure procedi. Videatur Sabinus Bononiensis adhuc benignior *parte* 2. *Lucis Moralis. tract.* 67. *n.* 13. *& seqq.* VI. Si ex Confessione Sacramentali deprehenderit, quod Reus sive ex malitia ac odio, sive vi tormentorum aliquem innocentem denuntiaverit tamquam complicem, inducat ad revocationem, uti provide notat Rituale Frisingense apud me *part.* 4. *art.* 3. §. 2. Ratio est: quia, qui innocentem damnificavit in bonis famæ præsertim cum periculo vitæ, tenetur tamquam nocens reparare hoc damnum, aut præcavere, ne inferatur, etiam cum periculo damni æqualis exinde incurrendi. Et certe, si Reus dicta sua contra innocentem non revocans, eadem quasi sua morte confirmaret, multum exinde firmaretur Judex de veritate horum contra alios judicialiter prolatorum. VIII. Si ex Confessione intellexerit, quod Reus e. g. fur alios in bonis fortunæ graviter damnificaverit, vel notabilia abstulerit, invigilet, ut hæc bona, si adhuc extent, juxta regulas *in tract. de Jure & Justitia*, traditas, suis restituantur Dominis, vel in horum defectu ex bonis propriis damnum recompensetur. Duo autem in simili casu possunt Confessarium consolari, ut Reum, jam quasi cum morte luctantem desuper non multum conturbet. *Primo*, quod plerumque tales Rei sint simul homines pauperes, & ad restituendum impotentes. *Secundo*, quod juxta P. Pichler *Lib. V. Decret. tit.* 7. *n.* 22. & Engel *eodem. n.* 39. multorum locorum consuetudo habeat, ut, si e.g. homicida, vel fur ultimo afficiatur supplicio, ab hæredibus occisi nulla petatur restitutio, & damnum vitæ reputetur pro compensatione. VIII. Si Confessarius ex Confessione colligat, latere in corde Rei adhuc odium erga Judicem, vel contra delatorem, aut testes, id omni possibili modo ex animo evellere satagat, denuo Christum, & Sanctos quamvis innocentes, nihilominus pro persecutoribus orantes ob oculos ponens, ac singularem Dei bonitatem recommendans, quæ ei spatium pœnitendi tali modo concessit, quale plurimi non habuerunt, misera, & improvisa morte obeuntes, & in æternum pereuntes. IX. Quando Confessarius ex dictis in Confessione non improbabiliter deduceret, Reum a parte rei esse innocentem, & tantum præsumptionibus, & falsis testibus convictum, atque acerbitate tormentorum quasi compulsum ad Confessionem, ordinarie rem Domino Deo commendare, nec post latam jam sententiam Judicem desuper convenire debet; partim, quia communiter id fieret sine effectu, cum Judex procedat secundum allegata & probata, atque juxta judicialem Confessionem Rei in & extra Bancum Juris (uti loquuntur Criminalistæ) factam; partim, quia, si Rei semel sciant, Confessarium assumere pro his apud Judicem patrocinium, occasionem sument, sua crimina, quamvis a parte rei commissa, in Confessionali, reticendi, ut sic facilius credantur innocentes, sicque Confessarium magis ad intercessionem, & defensionem apud Judices commoveant. Vide la Croix *Lib.* 4. *n.* 1531. & Lohner *part.* 2. *Conversat. Apost. cap.* 5. §. 5. Post completam cum annexis Confessionem injungat salutarem, levem tamen pœnitentiam, quam reus statim cum ipso Confessario (uti suadetur) persolvat; addendo tamen, & cum ipsomet Reo simul in supplementum Sacramentalis satisfactionis offerendo residuos squalores carceris, angores ante supplicium; imo & ipsam mortem. *

Additio V.

* Quær. IV, Quænam ulteriora observare debeat Confessarius pro dispositione ad mortem in carcerem vocatus? Resp. me non meliora, & ad hunc finem magis accommoda legisse in compendio, quam apud Patrem Tobiam Lohner *part.* 2. *Conversat. Apost.* ex quo Auctore propterea extractum facere præ aliis utile duxi, Itaque I. Reo per Sacramentalem Confessionem mundato, & per SS. Eucharistiam confortato, Confessarius invigilet, ut præter eum, & (si quem habet) socium non admittantur alii sine valde gravi ratione. Hi vero de nulla alia re sermonem instituant, quam de spiritualibus, præsertim huc spectantibus. II. Ipsimet colloquium non protrahant in uno continuo ultra duas horas, ut Reus habeat tempus aliqualiter respirandi. Proderit autem interpolatis vicibus nunc discursum instituere asceticum, nunc immiscere historiolas, hic & nunc accommodas, nunc recitare rosarium, aliasve preces devotas, nunc pro modulo capacitatis ipsius Rei proponere mysteria Passionis Dominicæ, præsertim (si aliunde saltem aliqualem habeat notitiam) de via Crucis: nunc amicabiliter hortari, ut aliquo modo pauset, respiret &c. Materias varias huc servientes subministrabit Fons consolatorius Patris Georgii Vogler *lib.* 5. 6. & præsertim 7. & alii. III Moneat Reum, ut ultima nocte, persolutis prius cum ipso precibus nocturnis, dormiat, ne vires postero die, quo fit executio, nimium debilitentur. Consultum autem erit, si simul adsit alius vigilans, qui, si fuerit necesse, eum evigilantem, & contristatum confortet, & consoletur. IV. Illucescente die ultimo Confessarius cum Reo recitet preces matutinas: formet cum ipso bonam intentionem: imploret assistentiam suorum SS. Patronorum, præsertim eorum, qui sunt speciales pro felici morte, seu quorum nomen gerit, vel quorum memoria hoc ipso die celebratur ab Ecclesia. V. Persuadeat Reo, ut adhuc semel confiteatur, lucretur eas, quas potest, indulgentias, nec exeundo ad locum supplicii oculis hinc inde vagetur, eosdem potius in imaginem Crucifixi figendo. Neque deterreatur a conspectu carnificis; qui eum saltem in his terris post publicatam sententiam solet ligare, simulque veniam rogare. VI. Dum is actu e carcere educitur, præprimis attendat, ut durante publicatione delicti, & sententiæ preciunculis, & adhortationibus continuo distrahat, ne legenti sententiam auscultet: insuper caveat Confessarius, ne per eumdem mors magis acceleretur; sicque juxta nonnullorum saltem Doctorum opinionem se in periculum conjiciat incurrendæ irregularitatis. Unde nec Reum præeat, nec, si subinde sistat, urgeat, ut vadat citius, sed id relinquat ministris justitiæ, juxta doctrinam la Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 1847. VII. Sub actuali itinere versus locum supplicii assistat Reo mediantibus sacris precibus præsertim oratione Dominica & salutatione Angelica, aliisque passim. notanter *in Fonte Consolatorio* Patris Georgii Vogler *loc. cit.* inveniendis; ubi pro commoditate simul juxta capacitatem Rei immisceantur actus variarum virtutum, præsertim Fidei, Spei, Charitatis, Oblationis, Resignationis &c. VIII. Si ad actualem locum supplicii fuerit perventum, Reo in memoriam revocetur, quo animo Christus montem Calvariæ conscenderit: item exemplum S. Andreæ Apostoli in loco supplicii, dum Crucem tamquam instrumentum passionis suæ conspexit, exclamantis: *Salve Crux pretiosa &c. accipe me ab hominibus, & redde me Magistro meo &c.* Quærat insuper, an nihil restet, quod eum anxium redderet in conscientia, & utrum adhuc confiteri velit? IX. Si Reus, e. g. fur fuerit condemnatus ad patibulum, &

jam

jam existens in scala adhuc vellet confiteri; Judex autem ex suis rationibus difficulter concederet descensum, moneat eumdem de eliciendo dolore, & sic absolvat, uti notat la Croix *loc. cit.* X. Si pro pœna fuerit decreta abscissio capitis, & carnifex accinctus ad feriendum fuerit, caveat Confessarius, ne, dum Reum adhuc confortat spiritualiter e.g. per orationem Dominicam, vel actus virtutum Theologicarum, immisceat sanctissima Nomina JESUS, & MARIA, ne Reus per capitis inclinationem mutet priorem situm, & exinde infeliciter feriatur. XI. Post mortem Rei admoneat circumstantes, ut una cum ipso animam defuncti in precibus velint habere recommendatam. XII. Finitis brevibus precibus, brevem quoque sed efficacem ad spectatores habeat exhortationem; cum pro tunc magis, quam alias, ob horrorem conspecti supplicii videantur ad commotionem dispositi. +

Additio VI.

* Quær. V. Quidnam specialiter sit observandum Confessario, si condemnatus ad mortem fuerit Infidelis, Turca, vel Hæreticus, aut Judæus, vel induratus, & impœnitens Catholicus? Resp. *Imprimis* seligat Confessarius ex jam dictis ea, quæ sibi etiam in præsenti videntur deservire, implorata singulariter Divina gratia pro se, & pro Reo. II. Studeat invigilare apud Judicem, ut ante actualem mortis sententiam in tali casu admittatur in carcerem; similia enim, usque dum ad amplectendam fidem persuadetur, & in eadem instruatur, longiori videntur indigere tempore. III. Instructus selectioribus & claris fidei nostræ principiis præcipue studeat captare Rei benevolentiam, & successive eumdem ducere ad agnitionem veræ Fidei nostræ. IV. Si Reus pronum se exhibeat ad amplectendam fidem, instruat eum ad fructuose recipiendum baptismum; actualem vero collationem, quando promulgatio sententiæ non longe distat, differri curet usque ad ultimos dies, ut animo eo mundior compareat in conspectu Domini, deletis exinde omnibus peccatis antecedentibus, etiam quoad pœnam. Poterit deinde post aliquale tempus (saltem post aliquot horas) recipere Eucharistiam, &, si habeat peccata, post baptismum commissa, præcedenter sacramentum Pœnitentiæ. V. Juxta monitum Patris Gobat baptismus detur, observatis simul cæremoniis in Rituali præscriptis: Patrinos autem adhibere non putant aliqui cum P. Ildephonso Tausch. *loc. cit. n.* 393. esse necessarium. VI. Quod si vero Reus sit ita pertinax, ut videatur, non obstantibus omnibus in contrarium remonstrationibus in errore suo persistere, necdum foret relinquendus, quinimo in Religionibus Catholicis, in quibus non coercetur Confessarius, usque ad locum supplicii comitandus, &, si in loco saltem supplicii ederet signa Conversionis, ipsemet Judex Christianus a Confessario foret persuadendus, ut executionem sententiæ ad aliquale tempus suspenderet, usque dum condemnatus iste saltem in necessariis necessitate medii adhuc instrui & baptismum recipere posset.

Resp. II. Si ad mortem damnatus fuerit Hæreticus, Confessarius cum grano salis applicet dicta priora, simulque indaget, qualem profiteatur sectam, ut se efficacius præparare possit ad eam confutandam. Attendat insuper, utrum dictus Reus non sit ex numero eorum, qui invalide administrant Baptismum, Prædicante, seu Pastore ex Cathedra proferente formam, & alio inferius affundente aquam; etenim in tali casu deberet rebaptizari. Insuper instruat eum in articulis nostræ fidei saltem principalioribus, præsertim quoad requisita ad Sacramentalem Confessionem, & receptionem Sacræ Synaxis. Curet insuper, ut emittat Professionem Fidei ante ipsam Confessionem. Quod si Hæreticus talis fuerit pertinax in sua secta, curet Confessarius, non quærens vanam gloriam, sed solius Dei, & salutem animarum, ut vocentur alii viri docti, ac zelosi, quos forsan elegit Deus ad convertendam talem animam. Quando autem similes haberi nequeunt, vel etiam hos pertinax Reus repudiet, necdum animum ex integro adjiciat, sed miserum peccatorem usque ad locum supplicii comitetur, & quando in omnibus aliis videt, oleum, & operam perdi, saltem finaliter persuadeat, ut conetur perfectam elicere contritionem, simulque cupiat mori in illa, quacumque demum Religione, quæ coram Deo tamquam vera agnoscitur: nam in simili casu, si forsan Hæreticus foret coram oculis Divinis præcise materialis, adhuc posset salvari; cum ea hæresis ipsi non imputaretur a Deo ad culpam formalem, & alia gravia, quæ forsan habet peccata, vi perfectæ contritionis delerentur, uti ex la Croix bene advertit Tausch. *loc. cit. n.* 398.

Resp. III. Circa Reos Catholicos quidem, sed impœnitentes cum prudentia seligantur ea, quæ diximus de pertinacibus Infidelibus, & Hæreticis. *

Additio VII.

* Quær. VI. Quid faciendum Confessario, si condemnati ad mortem fuerint Magi, vel Sagæ? Ad hoc difficile, & valde delicatum Quæsitum Resp. I. Si Confessarius in vel extra Confessionem advertat, latere aliquod maleficium taciturnitatis (quod, uti & maleficium insensibilitatis in applicatione tormentorum, apud tales personas rarum non est) ad id tollendum, & assistentem dæmonem, qui loqui eas personas non sinit, repellendum utatur Exorcismo; ubi formulam videre poteris apud Ubaldum Stoiber *part. 2. Armamentarii, cap. 4. n. 99. & seqq.* II. Si experiatur, quod Magus, vel Saga, non nisi inepta proferat, imo subinde in subsannationes, irrisiones, & cachinnos erumpat, signum erit, quod similia ab assistente, vel possidente diabolo fiant, qui hominis phantasiam perturbat, & organa corporis humani ad talia commovet. Quare, si hæc contingant etiam contra voluntatem similium personarum, eas excitet ad nrmam fidem erga Deum, & ut contra talia protestationem faciant, qualem practice reperies apud Tausch *loc. cit. n.* 407. Quando vero Venefica, vel magus (utpote necdum serio ad conversionem dispositi) permoveri nequeunt ad faciendam hanc protestationem, puta a diaboli minis deterriti, poterit eamdem Confessarius nomine proprio, & ex plenitudine suæ spiritualis in dæmones potestatis facere. III. Singularissime in præsenti, implorata continuo Divina gratia, non vincatur tædio, nec ulli parcat labori, ut tales personas tandem ad seriam, & dolorosam Confessionem cum firmo proposito promoveat, proponendo durissimum jugum & tyrannidem diaboli, deceptiones, & phantasticas illusiones, peccatorum fœditatem, & æternam damnationem certo futuram, nisi convertantur. IV. Quod si tandem ad seriam Confessionem promovisse videatur, examen instituat præsertim circa puncta, quæ alias similibus sunt quasi familiaria. E. g. quomodo, & a quo tempore in hunc statum devenerint? quoties intra hoc tempus sacrilege fuerint confessi, & communicati? an sacras Hostias non male & sacrilege tractaverint, vel ad alia superstitiosa adhibuerint? an non alios seduxerint, & in hac pessima arte instruxerint? an aliis nullum grave damnum in bonis vitæ, famæ, vel fortunæ intulerint? Quod si sic: quoties quoad singula contigerit? an abjurando Deum, vel negando articulos fidei ipsummet diabolum non adoraverint, & quoties? an non cum diabolo, & cum aliis (ejusdem vel diversi sexus, conjugatis vel solutis &c.) vitia carnis exercuerint, & quoties ubique? res sacras non profanaverint, seu inhonoraverint, vel ad actus suos superstitiosos abusi fuerint? an se diabolo proprio cruore subscripserint, vel dando chirographum devoverint, alium pariter ab eodem recipiendo? Quoties horrendas blasphemias in

protesta-
tionem?

in Deum; & Sanctos protulerint &c. V. Finita Confessione repetat cum ipsis seriam detestationem suorum gravissimorum peccatorum cum efficaci dolore, & proposito; uti etiam renuntiationem diabolo & asseclis ejusdem, ac renovationem Professionis Fidei, si non jam antea fuerit deposita: addat, omnia jam pacta diabolica per talem renuntiationem, & Confessionem dolorosam solvi, & subscriptionem diabolo datam penitus cassari; etsi diabolus syngrafam sibi datam non amplius restitueret. Quod si vero etiam tales personæ haberent chirographum a diabolo, extradatur Confessario, qui eum dilaceret, & domi in igne prius a se benedicto comburat. VI. Si intra Confessionem fateantur dictæ personæ maleficæ, quod infantes quosdam in nomine diaboli, vel alias invalide baptizaverint, obliget easdem Confessarius, ut sibi id extra Sacramentum Pœnitentiæ manifestent, quatenus talibus necdum baptizatis, & revera in maxima necessitate spirituali constitutis, per collationem Baptismi succurri adhuc possit; uti in hoc puncto Ildephonsus Tausch. *loc. cit. n.* 413. & *seqq.* valde utilem ponit doctrinam, si talis Saga fuerit obstetrix, plures invalide baptizans &c. VII. Quod si similes personæ maleficæ dicant Confessario, se sacras Hostias diversis corporis partibus, præsertim minus honestis inseruisse, exinde is non multum turbetur, sed ibidem ordinarie relinquendo absque aliqua incisione rem totam Deo commendet; quin ordinarie potest prudenter præsumi, si non simul lateat aliqua fraus, & falsitas, saltem species panis injtam humido loco jam fuisse corruptas de quo fusius Tausch *loc. ci. n.* 412. VIII. Has personas rite dispositas sacramentaliter ab omnibus censuris, & peccatis absolvat, reflectendo se desuper ad dicta præcedentia, simulque contra regressum diaboli, haud dubie tales fortissime de novo infestaturi, spiritualibus remediis muniat, puta Amuletis, Sanctorum Reliquiis, devota pronuntiatione sanctissimi Nominis Jesu, benedictione carceris, & vestium, aqua lustrali una cum signo crucis sæpius accipienda, aliquo Exorcismo succincto, calamo & atramento prius benedictis conscripto, & exemplo S. Bernardi talium collo appenso, aut pariter januæ carceris, vel fenestris affixo; ubi posset formari Exorcismus taliter: *Ego N. ut Minister Christi, & Ecclesiæ, in Nomine Domini nostri Jesu Christi præcipio vobis dæmonibus, ne imposterum, sive per vosmetipsos, sive per alias maleficas personas introductas huic creaturæ Dei N. quoquo modo nocere, aut molesti esse præsumatis.* Huic scripturæ posset etiam adpingi SS. Nomen Jesu in figura alias consueta. Plura de Sagis in casu extraordinario videri possunt apud Layman *Lib.* 3. *Theolog. Moral. Tract.* 6. *cap.* 5. §. *unic.* præsertim *a.n.* 23. & apud Delrio *Lib.* 6. *Disquisit. Magic. sect.* 3. §. *Quoad interrogatoria.* Vide etiam hic. *Tr.* 5. *dist.* 3. *n.* 52. & *seqq.* *

QUÆSTIO IV.

Quid agendum Confessario circa constitutos in occasione proxima peccandi, Recidivos, & laborantes quadam ignorantia?

SUMMARIUM

44 *Quid agendum circa constitutos in occasione proxima peccandi.*
45 *Occasio peccandi proxima, & remota, quæ? cum Additione.*
(*b*) Concordant dicto Tract. 3. Dist. 2. n. 24.
46 *Quid, si occasio proxima relinqui nequeat?*
47 *Propositiones circa occasionem pcoximam peccandi damnatæ. Ratio damnationis earum.*
* *Deducuntur ex ipsis duo notabilia. Addit. I. & II.*
48 *Quid agendum circa recidivos? Solus relapsus non est certum signum falsæ Pœnitentiæ.*
49 *Quid, si recidivus minuat numerum peccatorum?*
50 *Et quid, si eum augeat &c.*
51 *Quando pœnitenti recidivo sit neganda ad tempus absolutio?*
* *Qualia remedia præscribenda.*
52 *Quid agendum, si pœnitens habeat ignorantiam circa peccatum?*
53 *Præsertim vincibilem?*
54 *Aut est spes profectus?*
55 *Vel pœnitens petat resolutionem dubii?*
* *De quo ultimo etiam in Additione.*
56 *Generalia circa scientiam & prudentiam Confessarii.*

44 QUæritur I. Quomodo debeat se gerere Confessarius circa constitutos in occasione proxima peccandi? Resp. I. Oportet Confessarium cavere, ne aliquem in proxima occasione peccandi mortaliter constitutum absolvat, nisi se illam, quamprimum absque valde gravi damno poterit, relicturum proponat. Ita communis. Ratio est: quia talis, si nolit cum possit, relinquere occasionem proximam, non censetur esse contritus, nec habere firmum propositum sese emendandi; cum affectus ad proximam occasionem peccandi sit virtualiter ipsa volitio peccati: nam, ut habetur *Ecclesiastici cap.* 2. *Qui amat pepiculum, in illo peribit.*

45 Dicitur notanter, *in occasione proxima peccandi mortaliter.* Siquidem ejusmodi occasio alia est remota, alia proxima. *Proximam occasionem peccandi* appellant, quæ vel est absoluta, nempe talis ex suo genere, ut frequenter homines similis conditionis ad peccatum mortale inducat, vel respectiva, ubi nimirum saltem experientia constat, eam in hoc homine talem effectum habere. *Lugo disp.* 13. *de Pœnit. n.* 149. Alii per occasionem proximam peccandi intelligunt eas solum circumstantias loci, temporis, personarum &c. in quibus, si sis constitutus, certum est moraliter te esse peccaturum novo peccato mortali, sive quibus numquam, vel fere numquam uteris sine novo peccato: ut si decies in tali occasione constitutus, succubuisti septies, vel octies; secus, si solum bis, vel ter acquievisses peccato. Gobat *tract.* 7. *Theol. Exper. n.* 525. citans alios; atque hæc occasio proxima, etsi in peccatis carnis sit frequentior, potest tamen quoque in aliis materiis contingere. (*b*) *Occasio remota* dicitur ea, quæ talis non est: & hanc fugere non tenemur, alias enim omnes deberemus secedere in eremum, aut de mundo exire ad fugiendas innumeras occasiones remotas peccandi, quod nemo dixerit.

Additio.

* Ceteroquin etsi occasio remota conformiter dictis censeatur ea, in qua quis non frequenter, sed raro cadit; id tamen ita intelligendum est, ut ille lapsus non tantum raro intra unius anni spatium, sed etiam taliter respiciendo tempus, & circumstantias, quibus occasio adest, contingat. e. g. Cajus accedit singulis annis bis tantum ad nundinas Monacenses, ibi tamen semper cum Domina hospitii, ubi divertit peccat, idque jam aliquot annis: talis occasio, etsi intra unius anni spatium peccatum raro contingat, non amplius censetur *remota*, sed proxima, relative nimirum ad locum, & circumstantias; cum Cajus, quando in illis circumstantiis ponitur, ferme semper soleat peccare. Videatur Matthæucius in cautela Confessarii hic. Hoc bene prænotato, *

46 Resp. II. Quia vero sunt aliquæ occasiones proximæ, quæ difficillime relinquuntur, & non nisi cum scandalo, vel infamia, aut alio notabili detrimento: v. g. si frater sua propria sorore in domo paterna abutatur sine medio separationis faciendæ &c. tunc magna opus est prudentia Confessarii. Siquidem ejusmodi occasiones, quæ vel declinari non possunt, vel dum declinantur, gravia genaerent incommoda, non ilico tenetur (sicut nec moraliter potest) pœnitens relinquere; cum talis potius permaneat in ejusmodi occasione ex quadam necessitate at-

que

impotentia, quam ex affectu ad peccatum. Itaque Confessarius adigat pœnitentem, ut promittat, se proxima commoditate oblata illam occasionem deserturum: deinde protestetur, se Divina cooperante gratia omnes vires adhibiturum, ne relabatur, atque in hunc finem Sacramenta frequentaturum, Beatissimæ Virgini Mariæ se fore devotum &c. Et si quidem sit peccatum luxuriæ, pœnitens promittat Confessario, se specialiter evitaturum colloquia, familiaritates, loca privata, munuscula, aliasque peccati illecebras, quodammodo faciendo sic ex occasione proxima remotam. Quod si igitur in præstatione, & executione horum appareat aliqua vel parva emendatio, talis pœnitens absolvatur, si vero teste experientia, per longum tempus probata, oppositum appareat, is rejiciatur, veluti non contritus ratione evidentis periculi, in quo versatur: simulque efficaciter eidem intimetur illud Christi Domini, *Matth.* 18. *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te: bonum tibi est debilem vel claudum in vitam ingredi, quam duas manus, aut duos pedes habentem mitti in gehennam ignis.*

N. 47 Huc addendæ, & vitandæ sunt nonnullæ Propositiones, a Sede Apostolica merito condemnatæ: & quidem Alexander VII. hanc inter alias, ordine 41. damnavit: *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo regalo, dum deficiente illa, nimis ægre vitam ageret, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.* Hæc est damnata Propositio. Accedunt aliæ ab Innocentio XI. novissime condemnatæ, quarum prior, ordine 61. sic sonat: *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimo directe & ex proposito, quærit, aut ei se ingerit.* Altera, ordine 62. sic habet: *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.* Et tertia, ordine 63. *Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali, nostro, vel proximi.* Omnes hæ Propositiones sunt damnatæ, & merito. Siquidem ad hoc, ut quis non teneatur deserere occasionem extrinsecam proximam peccandi mortaliter, nulla causa est sufficiens, nisi sola impotentia physica, vel moralis, deserendi illam occasionem proximam: nam quoties circa valde grave damnum potest quis eam derelinquere, tenetur; quia quilibet, si potest, tenetur, vitare proximum periculum summi mali, quale est peccatum mortale, utpote gravissima offensa infiniti Boni; alias in similibus circumstantiis non censeretur mortaliter excludere sufficienter affectum ad ipsum peccatum. Accedunt allegata verba Æternæ Veritatis *Matthæi* 18.

Additio. I.

* Ex allegatis Propositionibus damnatis infertur, quod non liceat retinere occasionem proximam ex motivo, *quia captatur exinde oblectamentum,* vel *quia habetur spes acquirendi de novo certum lucrum;* vel *evitetur aliqua difficultas alias subeunda in inquirenda altera famula,* vel *ob prætensam aliquam aliam causam etiam honestam, seu utilem,* nisi simul per dimissionem ejusdem occasionis incurratur gravissimum, aut saltem valde grave damnum in bonis corporis, aut animi, seu famæ, vel in bonis fortunæ. Ita Dominicus Viva *in Proposit* 41. *Alexandri VII. n.* 11. Sabin Bon. *tract.* 30. *n.* 23. & Felix Potestas *tom.* 1. *part.*4. *c.* 5. *n.* 3651. Ratio est quia similes, qui ex dimissione hujus occasionis nedum incurrunt valde grave damnum in suis bonis, non censentur habere efficax propositum excludendi peccatum, si prævidentes proximum periculum non dimittant illam occasionem, ad quam tamen dimittendam haberent potentiam physicam, & moralem. Nec dicat talis pœnitens, quod habeat firmum propositum sese emendandi, remedia spiritualia recipiendi, & sic a suis præcedentibus peccatis desistendi, licet adhuc in illa occasione persistat, faciendo tamen ex occasione proxima remotam: nam contra est, quod, etsi similis excusatio sæpe locum habeat conformiter dictis *n.* 46. apud illos, qui ex necessitate in materiali, & extrinseca occasione perseverant, ita, ut eamdem ex impotentia physica, vel saltem morali proxime explicata deserere pro hic, & nunc nequeant, interim tamen alia remedia spiritualia præservativa in futurum recipere parati existant: etsi (inquam) apud hos excusatio ista, & quidem juxta non paucos AA. etiam quoad necessitatem moralem approbetur, apud alios tamen ordinarie non facile admitti debet, præsertim si pœnitens jam antea eamdem emendationem huic, vel alteri Confessario promiserit, nec tamen promissum servaverit, prout in praxi tales, si conformiter tuæ obligationi indages Confessarie, plures fortassis invenies peccatores quoad materiam lubricam. Scio equidem, quod P. la Croix *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 1831. docet, constitutum in occasione proxima posse absolvi *pro illa vice, pro qua nova, & certa est spes ex prudentibus motivis, quod illam esset proxime relicturus, aut NB. quod talem occasionem per aliqua media sibi suggesta redditurus esset ex proxima remotam, adeoque facturus, ut hoc, quod hactenus ipsi fuisset formale periculum, postea esset materiale tantum.* Ast dictus Auctor sese remittens *ad lib.* 5. *n.* 259. conformiter doctrinæ S. Caroli Borromæi *part.* 3. *Instruct. Pastor. cap.* 16. subjungit, *tali asserenti non esse facile credendum, & postea, si per experientiam adverteretur, quod permaneat periculum proximum relabendi, omnino absolvi non posse, nisi actu antecedenter removisset talem occasionem*; puta dimittendo concubinam, si ea in sua domo existeret, vel si in aliena, efficaciter promittendo, quod illam societatem, ubi a potiori peccaverat opere, vel saltem tactibus, aut desideriis, deserere velit; nam ex una parte apud eumdem objectum præsens specialiter multum allicit, ex altera inclinatio, & passio ad idem objectum valde vehemens ex jam expertis ob præsentiam particularis hujus objecti denuo probabilissime exibit in actum peccaminosum: quoniam talis ordinarie non potest tam prudenter, uti alius in necessitate constitutus, per suas orationes, & alia opera valde extraordinaria sperare illa, quibus summopere indigeret, auxilia Divina; cum iis dignum se non reddat amando periculum, ad quod tamen amovendum haberet potentiam non solum physicam, verum etiam moralem. Et quomodo talis prudenter præsumitur habere efficacem aversionem a peccato, ultro & absque gravi necessitate permanens in tanto periculo peccati? Videantur Joan. Kugler *in Crisi Theolog. super Proposit. damnat. ab Innocentio XI. Propos.* LXI. *ac seqq.* Matthæucius in Cautela Confessarii *Edit. Veneta* 1724 *in Propositionem* 41. *ab Alexandro VII. & Propositionem* 61. *ab Innocent.* XI. *reprobatas.* Item Dominicus Viva ibidem.

Additio II.

* Ex dictis hisce potest facile colligere juvenis Confessarius, quid I. sentiendum sit de illis nobilibus personis, quæ frequentant certas societates, ubi tamen non solum subinde, sed ordinarie ob certas personas impure amatas, ac simul præsentes animam maculant peccato luxuriæ, si non opere, saltem verbis, & morosis delectationibus, nolentes autem hanc occasionem sane proximam intermittere, ne videantur aliquo modo inurbanæ, vel melancholicæ &c. Item II. quid statuendum sit de illis puellis rusticellis, quæ, ut amasios suos in amore (uti ajunt) conservent, vel suo tempore fortassis ad matrimonium facilius pertrahant, tam diurno, quam nocturno tempore alliciunt, præsertim diebus festivis ad se invitant, ad choreas, & cauponas comitantur, a quibus jam totaliter, vel saltem semiebriis denuo nocte intempesta inter impura a potiori colloquia, oscula, & desideria domum reducuntur. Item III, quid decernendum de illis adhuc innuptis rusticis, qui, ne ipsi deficiant in exhibendis suæ amasiæ signis amoris reciproci, nocturno tempore accedunt sine arbitris fenestras cameræ, in qua solet amasia alias dormire, ubi plerumque, & ferme semper,

ſemper, etſi occludatur camera, ſicque eamdem ingredi nequeant, nihilominus extra ad ipſam feneſtrellam intercedunt deſideria, & colloquia inhoneſta, tactus laſcivi &c. IV. Quid reſolvendum de illo, qui recreationis, vel ſocietatis, aut etiam lucri gratia eſt deditus luſui chartifoliorum, ſeu alearum; ubi tamen ordinarie, vel ſaltem valde frequenter inter ludendum blaſphemat. Hæ enim perſonæ omnes ſimilia exercentes non habent ſufficiens motivum perſiſtendi in hac occaſione proxima, hincque regulariter tenentur efficaciter promittere, quod velint abſolute dimittere haſce ſocietates, compotationes & acceſſus; nam alias, ſi permittantur in ea occaſione permanere, abſque fructu tranſmigrabunt ab uno ad aliud Confeſſionale, nec etiam adhibitis, & forſan tepide perſolutis remediis præſcriptis, ſe emendabunt, quamvis fugam peccatorum, & vitæ emendationem centies ſpondeant, teſte ipſamet experientia, nam, licet adſit gratia ſufficiens, deeſt tamen ipſis regulariter ſpecialis, quæ etiam rebellem compelleret voluntatem, quam equidem magis ſperare poſſunt, qui ex neceſſitate conjiciuntur in proximam occaſionem, utique exinde majori miſericordia digni; etenim (ut inquit S. Baſilius *in Conſtitut. Monaſt.*) qui urgente aliqua cauſa & neceſſitate ſe periculo objicit, vel permittit ſe eſſe in illo, cum tamen alias nollet, non tam dicitur amare periculum, quam invitus illud ſubire, & ideo providebit Deus, ne illo pereat, qualem miſericordem providentiam, & providentem miſericordiam ſuperius allegati vel ideo non promerentur, quia ab objecto vehementer, ac ſpecialiter propter hoſce actus frequentatos jam habituatos alliciente ad peccandum nolunt ſe abſentare, quamvis haberent potentiam phyſicam, & moralem abſentandi ſe, ſicque periculum evadendi. *

48 Quæritur II. Quid agendum circa Relapſos, ſeu Recidivos, & Conſuetudinarios, qui ſemper in eadem recidunt peccata? Reſp. I. Neceſſe eſt, quod Confeſſarius magnam circa iſtos adhibeat diſcretionem. Siquidem ejuſmodi relapſus non eſt generaliter certum ſignum falſæ pœnitentiæ, ſed potius fragilitatis humanæ: plurimi enim, etiam probitate conſpicui, relapſi ſunt, & contra bona propoſita firmiter concepta, quin quandoque juramento, aut voto firmata, denuo peccarunt. Unde & *Matth.* 18. Petro interroganti: *Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? usque ſepties? Dixit JESUS: Non dico tibi, uſque ſepties, ſed ſeptuagies ſepties:* hoc eſt, toties, quoties ſerio doluerit, veniamque rogarit. * Sæpe putabit Confeſſarius (inquit la Croix *l. 6. p. 2. n.* 1792.) ſe cum recidivis fruſtra laborare, ſed utiliter laborat, ſi vel ſemel unum peccatum impediat Unde *

49 Reſp. II. Si hujuſmodi Recidivus poſt ultimam ſuam Confeſſionem ſe vel paululum emendavit, nec tot peccata, ut ordinarie ſolitus fuerat, commiſit, & aliquem conatum ad emendandum adhibuit, debet is abſolvi, ac moneri, ut in propoſito perſeveret.

50 Quod ſi vero augeat numerum peccatorum, aut ſaltem ita longo tempore ſua peccata continuet, aliquoties quidem ſe vincendo, denuo iterum relabendo, ac numerum augendo, tunc ſolicite duo extrema erunt Confeſſario vitanda. I. Ne per nimiam ſeveritatem pœnitenti potius ſit occaſio ruinæ ſpiritualis, ac deſperationis, quam ſalutis. II. Ne econtra per nimiam clementiam potius foveat peccata, quam minuat. Unde magna opus erit prudentia, ac diſcretione, qua Confeſſarius ambo iſta extrema devitando, hinc per graviora exhortationum motiva deterreat pœnitentem a relapſu, ac peccatis, illinc vero dulciora Divinæ gratiæ, Paſſionis Dominicæ, & invocationis Sanctorum lenimenta proponendo, erigat in fiduciam, & ſpem Chriſtianam atque iteratam peccatorum deteſtationem, & firmius emendationis propoſitum; ſicque cum Evangelico Samaritano, noverit opportune vulneribus ſauciati oleum, ac vinum infundere. Neque mox de talibus ſpes omnis erit abjicienda, nam, ut inquit Thomas Kempenſis *Lib.* 1. *De Imitat. Chriſti c.* 16. *Quia, ſi fortiter proponens ſæpe deficit, quid ille, qui raro, aut minus fixe aliquid proponit?*

51 Si vero omnia hujuſmodi remedia ſint fruſtra hactenus longo jam tempore adhibita, & nullum appareat verum ſignum doloris, aut propoſitum emendandæ vitæ, eo quod pœnitens ſæpius præſcripta remedia negligat, aut tepide perſolvat, ſemper cum eodem numero, vel etiam majori ad Confeſſionale redeat, ac nullum ſerium conatum adhibeat, quo tentationibus, ac occaſionibus peccandi reſiſtat, ſed fræna ſuis cupiditatibus relaxet: tali poſt crebras admonitiones, & minas affectuoſas adhibitas, tandem ita dictante prudentia erit abſolutio ad tempus deneganda, ne confeſſarius pœnitentem in ſuis peccatis videatur fovere. Quinimo oppoſita nonnullorum ſententia ab Innocentio XI. damnata eſt, dum is ſequentem inter alias Propoſitionem, ordine 60. comdemnavit: *Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra Legem DEI, Naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla apareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio; dummodo ore proferat, ſe dolere, & proponere emendationem.* Hæc, inquam, Propoſitio, utpote damnata, impoſterum cavenda erit: quamvis omnem lapidem prius oporteat movere, quam pœnitenti relapſo abſolutionem negare, præſertim ſi hic & nunc clariora det ſigna doloris, ac propoſiti emendationis.

Additio.

* Quod ſi vis ſcire remedia, quæ conſuetudinariis a prudentibus Confeſſariis præſcribi ſolent, Reſp. I. Remedia generalia, pro qualibet conſuetudine mala exſtirpanda eſſe ſequentia. 1. Humiliter, ac frequenter cum plena in Deum fiducia petere auxilium ejuſdem. 2. Frequenter confiteri, & quidem ordinarie uni Confeſſario determinato, ejuſque conſilia diligenter exequi. 3. Devote communicare; nam juxta Concil. Florent. devota, ac frequens Sacratiſſimæ Euchariſtiæ ſumptio eſt habituum malorum debilitatio 4. Attente ſæpius quidpiam legere de gravitate peccati mortalis, ac pœna peccati, vel de quatuor noviſſimis &c. 5. Confugere per preces ad B. Virginem tamquam univerſale refugium peccatorum. 6. Declinare occaſiones, perſonas, ſeu objecta inductiva ad illud peccatum, cujus habet conſuetudinem. 7. Subinde poterit adhiberi remedium, quod apud inveteratum quempiam peccatorem uſus fuerat B. Bernardus; ſuadendo eidem, ut triduo abſtineat a familiari ſibi vitio in honorem SS. Trinitatis, quod cum feciſſet, conſuluit, ut altero triduo in honorem Chriſti pro ſe crucifixi: quo iterum obſervato, perſuaſit aliud triduum in honorem B. Virginis MARIÆ &c. uſque dum omnis difficultas evanuit, & per contrarios actus ſucceſſive totus habitus vitioſus ſublatus fuit.

Reſp. II. Loquendo in ſpecie de mala conſuetudine *quoad peccatum mollitiei* conducunt ſequentia. 1. Frequens Confeſſio apud eumdem Confeſſarium, qui tamen ægre non debet ferre, ſi talis pœnitens una, altera vice alium accedat, ne alias detur anſa ſacrilegæ Confeſſionis propter erubeſcentiam pœnitentis. 2. Frequens communio juxta SS. PP. ſpeciale antidotum contra libidinem. 3. Quotidiana devotio erga immaculatam Conceptionem B. V. MARIÆ per unum, alterumve Ave Maria, vel devote recitando: *Per ſanctam, & Immaculatam Conceptionem tuam puriſſima Virgo MARIA emunda cor, & carnem meam in Nomine † Patris, & † Filii, & † Spiritus ſancti, Amen.* 4. Fuga otii, nam (uti ſonat commune proverbium) *otia ſi tollas, periere cupidinis arcus.* 5. Memoria Dei præſentis tamquam futuri quondam ſeveriſſimi Judicis, præſertim tempore vehementioris tentationis. 6. Repræſentatio viva Chriſti crucifixi per tale peccatum de novo crucifigendi, ubi efficacius proderit talis repræſentatio, ſi eadem fiat ſtatim ab initio occurrentis impuræ cogitationis, ne alias ſcintilla parva neglecta magnum excitet in tali habituato incendium,

&

& carnis rebellionem 7. Quotidie implorata fiducialiter Divina Assistentia firmum propositum præsertim de mane, ac de nocte tale vitium non amplius committendi. 8. Sæpe non nocebit, si præter motiva supernaturalia etiam adducatur, quantum talis habitus malus obsit sanitati, ex quo debilitas memoriæ, vertigo capitis, phtysis, & apoplexia non raro in ipso Juventutis flore causantur. Et quorsum veniet anima, si talis per subitaneam mortem in longam æternitatem avocetur? momentaneum sane, quod delectat, æternum, quod cruciat. Ceteroquin si & ista juvent, homini adhuc libero inculcetur illud Apostoli: *melius est nubere, quam uri.* *

52 Quæritur II. Quid agendum, si Confessarius advertat, pœnitentem habere ignorantiam circa aliquod peccatum? Resp. I. Quando Confessarius advertit, pœnitentem esse in bona fide cum ignorantia invincibili circa aliquod peccatum commissum, vel committendum, prævidetque, pœnitentem, quamvis instruatur, non idcirco a peccato recessurum esse, ac proinde probabiliter credit, suam admonitionem non profuturam, non tenetur pœnitentem admonere. Siquidem ejusmodi monitio foret actus vanus, atque inutilis, imo & nocivus, quia, dum Confessarius pœnitentem ab errore bona fide habito retrahere conaretur, & quidem absque spe fructus, juxta casum positum, ipsum in æternæ damnationis abyssum demergeret.

53 Resp. II. Quoties ignorantia est vincibilis, & culpabilis lethaliter, non potest Confessarius dissimulare, quamvis admonitio non sit profutura. Ita communis. Ratio est: quia, cum ea ignorantia non excuset, pœnitens affectus est peccato mortali: quare, si Confessarius dissimularet, conferret Sacramentum indigno. Ceterum, quia ignorantia, quæ in uno est vincibilis, in alio potest esse invinciblis, hinc rursum opus est magna prudentia Confessarii, eumque oportet hoc perpendere ex qualitate personæ, & aliis circumstantiis. Videantur pariter dicta de ignorantia vincibili, & invincibili. *Tr.* 1. *dist.* 1. *q.* 5.

54 Resp. III. Quando etiam ignorantia est invincibilis, adest tamen spes profectus, debet Confessarius pœnitentem admonere. Ita Sanchez *lib.* 2. *De Matrim. disp.* 38. cum aliis. Ratio est: quia quilibet aprobatus Confessarius tenetur lege Charitatis docere proximum errantem.

55 Resp. IV. Quod si pœnitens aliquod patiatur dubium, illiusque resolutionem petat, tenetur Confessarius illi veritatem aperire, licet non ignoret, pœnitentem suis dictis, monitis non obtemperaturum. Ita Sanchez *loc. cit. n.* 14. cum aliis. Ratio est: quia pœnitens, eo ipso, quod dubitet, jam habet in conscientia remorsum peccati sui, ita ut amplius in bona fide non sit: unde taciturnitas Confessarii foret illius erroris approbatio.

Additio.

* Addit tamen la Croix *lib.* 6. *p. n.* 1759. sequentem limitationem ex Stoz, Tamburino, & Dicastillo, nimirum *nisi veritas, ejusque cognitio esset gravius obfutura*; tunc enim allegati AA. existimant, Confessarium etiam apud talem dubitantem posse dissimulare, quasi non audivisset propositionem sui dubii, aut oblitus esset respondere, vel etiam posse dicere, non jam opus esse, ut illud sciat: in talibus enim circumstantiis (ajunt isti) positive veritatem dicere, esset gladium ipsi in manus dare, quo se, vel alium sauciaret gravius, quam facturus esset, si ignoraret. Sed quidquid sit de hac sententia, cum ex una parte per talem responsionem pœnitens a Confessario, a quo tamquam Doctore petiit categoricam resolutionem, non liberetur a suo dubio; ex altera vero, si dictus pœnitens abutendo hac veridica resolutione, occasione ejusdem velit se ipsum ex mera malitia magis sauciare, id proveniat ex propria culpa, hinc ordinarie positive dubitandi, ac categoricam resolutionem petenti candide, atque sinceré aperirem veritatem, nisi in malo gravissimo exinde subsecuturo speciales circumstantiæ suaderent dissimulationem. *

56 Ceterum, quomodo circa præmissa, alia plurima oporteat vigilare scientiam & prudentiam Confessarii, paucis hisce pagellis pro dignitate nequit comprehendi, eo quod negotium hoc sit valde arduum. Tota Theologia Moralis ad istud Sacerdotis Officium rite ordinandum incumbit, innumeri Libri & Tractatus Theologici hactenus editi, & imposterum edendi in hoc ipsum allaborant; ut autem actu ipso omnia legitime perficiantur, post sedula Litterarum studia, nec non & debitam Librorum Theologicorum lectionem, gratia Spiritus Sancti humilibus precibus erit imploranda.

QUÆSTIO V.

Quidnam observandum Confessario quoad denuntiationem solicitantium pœnitentes in sacro Tribunali ad inhonesta?

SUMMARIUM

57 *Immane Sacrilegium est solicitare pœnitentes in Confessione.*
58 *Solicitare hic est incitare ad turpia.*
59 *Istud exemplificatur.*
60 *Solicitare plures habet acceptationes.*
61 *Solicitare censetur Confessarius tradens in Confessione turpem chartam postea legendam.*
62 *Sive solicitet ad peccandum secum, sive cum alio.*
63 *Pœnitens solicitatus tenetur denunciare Confessarium solicitantem.*
Et alius Confessarius debet hoc ipsum monere.
64 *Et sub qua obligatione?*
65 *Ipse tamen Confessarius solicitans non tenetur solicitatâ præcipere, ut se denunciet.*
66 *Solvitur instantia.*
67 *Constitutiones de obligatione denunciandi Confessarium solicitantem non ubique sunt receptæ.*
58 *Solicitatus denuncians non cogitur propriam turpitudinem detegere.*
69 *Confessarius a femina solicitatus hanc denunciare non tenetur.*
70 *Confessarius pœnitentem solicitans, quibus pœnis subjaceat?*
71 *Neque is punitur, donec de crimine constet.*
72 *Solicitatio an sufficienter probetur per testes singulares?*

57 Cum nefandum scelus, immaneque sacrilegium committatur, si quis Sacerdotum, ad sacras Confessiones excipiendas deputatus, non solum probitatem vitæ ex parte Ministri Jure Divino requisitam non habeat, sed insuper Sacrosancto Pœnitentiæ Sacramento abutatur, & malitia diabolica solicitando pœnitentes ad turpia pro medicina venenum, & pro pane aspidem eis porrigat, in summam animarum perniciem: plurium Romanorum Pontificum Pastoralis solicitudo salubria pestifero huic malo remedia providere studuit; prout liquet ex Constitutione 31. Pii IV. *Cum sicut nuper* & Constitutione 34. Gregorii XV. *Universi Dominici* (quarum prior *Tomo* 2. posterior autem *Tom.* 3. *Bull. Rom.* refertur) statuendo, ut hujusmodi delinquentes a personis in Confessionali solicitatis denuncientur Inquisitoribus, seu locorum Ordinariis, atque per hos procedatur contra eosdem tamquam de hæresi suspectos, debitas pro delicti enormitate pœnas infligendo, prout amplius ex dicendis patebit.

58 CONCL. I. *Solicitare*, quantum ad propositum, idem est, ac provocare, seu allicere verbis, aut alia ratione incitare ad turpia, & inhonesta, hoc est, ad res carnales, & venereas. Ita Bonacina *Tom. Tractationum variarum disp.* 6. *de Obligatione denunciandi &c. punct.* 3. *num.* 2. post Sanctarellum *in tr. de Heresi qu.* 44. *n.* 7.

& alios; idque patet ex contextu dictarum Constitutionum Pontificalium, quæ de Confessario solicitante loquuntur.

59 Unde sequitur, Confessarium, qui pœnitentem in Confessionali osculatur, aut cum venerea delectatione contrectat, seu verbis, ictu oculorum, vel alio exteriori signo ad libidinem provocat, esse denunciandum, ac subjici pœnis dictarum Constitutionum: quia censetur solicitare ad inhonesta. Secus dicendum, si is solum interius carnaliter delectetur, vel etiam deliberate polluatur, fœmina tamen non advertente, etiamsi hoc ipsi extra Confessionale aperiat. Bonacina *loc cit. n.* 3.

60 Additur tamen in Conclusione *quantum ad propositum.* Nam verbum *Solicitare* plures alias habet significationes: aliquando enim accipitur pro verbo *pluries instare*, & requirere; aliquando pro *inquietare* vel *molestare*, uti videre est apud Calepinum V. *Solicito.* Verum in proposito solum accipitur pro *solicitare pudicitiam* pœnitentis, eamque conari labefactare: adeo, ut in præcitatis Bullis Pontificiis sermo dumtaxat sit de Confessariis solicitantibus pœnitentes ad inhonesta, quorum nomine per antonomasiam intelliguntur peccata. Castro Palao *p.* 1. *tr.* 4. *disp.* 9. *n.* 4. Bonacina *loc. cit. n.* 13. & alii.

61 CONCL. II. Solicitare ad inhonesta, quoad propositum etiam censetur ille Confessarius, qui pœnitenti tribuit in Confessione chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat: nam traditio illa sceleratæ chartæ jam est incepta solicitatio, & quidem in injuriam Sacramenti, sacrilege facta eo tempore, quo pœnitens monendus erat de seria vitæ emendatione. Unde contrariam quorumdam opinionem reprobavit Alexander VII. die 24. Sept. 1665. inter alias damnando sequentem, ordine 6. Propositionem: *Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur solicitasse in Confessione, ac proinde non est denuntiandus.* Hactenus propositio damnata.

62 Insuper nomine *Solicitationis* impresentiarum intelligitur, sive Confessarius inpie tentet provocare pœnitentem ad peccandum secum, sive ad peccandum cum tertia persona, & sive solicitet feminam, sive masculum, sive istud contingat sub actu Confessionis, etiam simulatæ, sive antea vel post immediate; imo & si fiat extra occasionem Confessionis in Confessionali. Patet hoc totum ex citata Bulla Gregorii XV. *Universi Dominici* §. 3. & 4. ubi Constitutionem Pii IV. *Cum sicut nuper.* olim pro Regnis Hispaniarum emanatam, ac loquentem dumtaxat de Confessariis mulieres pœnitentes solicitantibus, imprimis *motu proprio, & ex certa scientia*, extendit ad quasvis Christiani Orbis partes, postea statuit, & declarat, *quod omnes & singuli Sacerdotes, qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda, in actu Sacramentalis Confessionis sive antea immediate, seu occasione, vel prætextu Confessionis hujusmodi, etiam ipsa Confessione non secuta, sive extra occasionem Confessionis in Confessionario, aut in loco quocumque, ubi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem Confessiones audire, solicitare, vel provocare tentaverit, aut cum eis illicitos & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint, in Officio S. Inquisitionis severissime ut infra, puniantur.* Hæc Pontifex.

63 CONCL. III. Certum est, quod pœnitens solicitatus habeat gravem obligationem denuntiandi Confessarium solicitantem in Confessionali ad actus inhonestos; adeo, ut etiam alius Confessarius habens desuper notitiam, teneatur præcipere pœnitentibus ad denunciandum ejusmodi Confessarios solicitantes. Ita communis. Idque præter quasdam Litteras Clementis VIII. quarum meminit Bonacina *cit. punt.* 3. *n.* 3. patet ex relata Constitutione 34. Gregorii XV. ubi gravis ejusmodi obligatio manifeste supponitur, dum Pontifex §. 7. expresse, & sub pœnis per locorum Ordinarios, & Inquisitores pro modo culpæ infligendis *mandat omnibus Confessariis, ut suos pœnitentes, quos noverint, fuisse ab aliis, ut supra solicitatos, moneant de obligatione denunciandi solicitantes, seu, ut præfertur, tractantes, Inquisitoribus, seu locorum Ordinariis.*

64 Et quidem hujusmodi præceptum denuntiandi Confessarium solicitantem obligat sub mortali: est enim datum in materia gravi, seu respiciente salutem animarum, ac majorem Sacramenti Pœnitentiæ reverentiam. Quinimo pluribus in locis extant Edicta Episcoporum, & Inquisitorum, præcipientia dictam denunciationem Confessarii solicitantis sub pœna excommunicationis: excommunicatio autem supponit peccatum mortale. Porro pœnitens non denuncians peccaret contra virtutem Religionis, utpote ex cujus motivo, seu ob majorem Sacramenti reverentiam Pontifex dictam denuntiationem præcipit. Bonacina *loc. cit. num.* 10. & 12. allegans plures alios.

65 Ceterum notanter dicitur in relata Bulla Gregorii XV. *Quos fuisse ab aliis solicitatos.* Nam ipsemet Confessarius, qui in personam pœnitentem impudice solicitavit, non tenetur huic præcipere, ut seipsum Inquisitori, vel Ordinario denunciet. Repugnat enim Juri Naturæ, ut quis voluntarie procuret propriam suam ruinam prout accideret, si Confessarius, qui solicitavit præciperet pœnitenti, ut seipsum denunciando diffamet, ac proinde gravem, & naturæ repugnantem obligationem noluit Sancta Mater Ecclesia Confessariis injungere, sed solum præcipit, ut pœnitentes moneant de obligatione denunciandi solicitantes, si quos *noverint, fuisse ab aliis solicitatos*, prout loquitur Gregorius XV. ubi supra. Ita Jo. Maria Sbogar *in Theologia Radicali T.* 149. *c.* 2. *num.* 19. post Bordonum *tom.* 1. *c.* 23. *n.* 57. & alios.

66 Neque hinc sequitur Propositio illa, quam Alexander VII. die 24. Septembris 1665. ordine 7. reprobavit, quæ asserebat: *Modus evadendi obligationem denunciandæ solicitationis est, si solicitatus confiteatur cum solicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi.* Etsi enim solicitans, cui solicitatus rite confitetur, non teneatur hunc monere de obligatione denunciandi semet ipsum, ut dictum: non tamen potest eum liberare ab obligatione denunciandi, quam aliunde, seu ex præcepto Ecclesiæ, per memoratas Constitutiones Pontificias promulgato, contraxit.

67 Utrum autem Constitutiones illæ de obligatione denunciandi ubique terrarum sint receptæ, est quid facti, & in facto consistens. Et quidem, quod in partibus Infidelium, ubi non servatur Decretum S. Officii, absolvantur recusantes denuntiare solicitantes in Confessione, refert Jacobus Pignatellus *tomo* 1. *Consult.* 255. *n.*14. *vers. In partibus.* Id ipsum de Germania sentire videtur Georgius Gobat *t.* 7. *Theologiæ Experimentalis num.* 575. & 576. de quo alii.

68 Dices. Nemo cogitur propriam turpitudinem detegere, ac Judici denunciare *can. Quis aliquando.* §. *His auctoritatibus. De Pœnit dist.* 1. ergo nec pœnitens est cogendus ad denunciandum Confessarium solicitantem, saltem quando eidem consensum præbendo peccavit. Resp. neg. conseq. quia pœnitens solummodo tenetur denunciare Confessarium, qui ipsum solicitavit in Confessionali: non autem tenetur dicere, se Confessario solicitanti consensum præbuisse. Sed nec Inquisitores, aut Ordinarii locorum possunt denunciantem interrogare, an Confessario solicitanti in opus consenserit; & si improvide interrogarent, non teneretur denuncians respondere, cum non interrogaretur legitime: sicque is numquam cogitur propriam turpitudinem in judicio detegere. Bonacina *Tract. var. disp.* 6. *punct.* 5. *numero* 10.

69 CONCL. IV. Non tamen econtra Confessarius, si a femina in Confessionali solicitetur ad inhonesta, tenetur istam denunciare. Ita Bonacina *l. cit. n.* 10. allegans alios. Ratio est: quia supra memoratæ Constitutiones Pontificiæ emanarunt dumtaxat ad comprimendam quorumdam pro Sacro Tribunali sedentium

execrabilem malitiam, occasione salutiferi Sacramenti Pœnitentiæ astu diabolico pervertentium animas Fidelium: solum enim loquuntur de Confessariis solicitantibus personas in Confessionali, nullam autem mentionem faciunt de feminis solicitantibus Confessarios.

70 CONCL. V. Confessarius solicitans pœnitentem in Confessione seu Confessionali, ut supra, gravibus pœnis subjiciendus est pro qualitate criminis. Patet hoc ex citata Constitutione 34. Gregorii XV. §. 4. ubi omnes hæreticæ pravitatis Inquisitores, & locorum Ordinarii in universis Orbis Christiani partibus, pro suis Territoriis, etiam privative quoad alios, Judices delegantur, ut super his *diligenter inquirant, & procedant: & quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumstantiis, suspensionis ab executione Ordinis, privationis beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcumque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis activæ & passivæ, si Regulares fuerint; exilii, damnationis ad triremes, & carceres etiam in perpetuum absque ulla spe gratiæ, aliasque pœnas decernant, eos quoque, si pro delicti enormitate graviores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione, Curiæ sæculari puniendos tradant.* Hæc ibi.

71 Solum nota, quod Inquisitor, seu Ordinarius loci Sacerdotem de tam nefando crimine delatum non possit illico punire, donec de delicto legitime constet: alioquin manifestum subesset periculum ad malevolarum, & quandoque ab aliis subornatarum feminarum ementitam delationem puniendi innocentes Confessarios. Unde nec Evangelium, nec ulla Divina humanaque Lex unius testimonio etiam idoneo quempiam condemnat. *can. Admonere* 33. *q.* 2.

72 Quæres. An crimen solicitationis ad actus inhonestos in Confessionali sufficienter probetur per testes singulares, utputa, per plures feminas, quæ sigillatim affirment, se a Confessario seorsim fuisse solicitatas? Resp. negative, nisi etiam concurrant alia indicia, seu præsumptiones. Ita Pignatellus *cit. tom.* 1. *Consul.* 104. *n.* 2. *& seqq.* & alii. Ratio desumitur ex citata Bulla Gregorii XV. ubi quidem §. 5. ne ob defectum probationum delictum tam enorme, & Ecclesiæ Dei tam perniciosum maneat impunitum, admittuntur testes singulares, istud tamen non absolute conceditur, sed solum concurrentibus aliis præsumptionibus & indiciis, arbitrio Judicis dijudicandis, ibi: *Cum difficilis sit probationis, testibus etiam singularibus, concurrentibus præsumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis, delictum probatum esse judicandi &c.* Alioquin vero, quod testes singulares regulariter non probent, patet ex *can. Nihilominus* 3. *qu.* 9. & *c. Cum dilectus* 32. *De Electione* cum similibus.

APPENDIX.

Quidnam attendendum Confessario circa alios diversos Hominum Status?

SUMMARIUM.

* *Quidnam observandum in Confessione puerorum, rusticorum, vel aliorum simplicium? Addit. I.*

* *Quidnam, si Confitentes sint semifatui, surdi, & muti? Addit. II.*

* *Quidnam observare debeat Confessarius circa Pœnitentes ægrotos, necdum periculose decumbentes? Add. III.*

* *Quomodo a Confessario tractandi periculose infirmi? Addit IV.*

* *Qualiter, si jam quasi agonizent? Add. V.*

* *Quid specialiter agendum Confessario, si æger ad quem vocatur, sit in occasione proxima constitutus? Addit. VI.*

* *Præsertim, si talis inveniatur jam omnibus sensibus destitutus? Ibidem.*

* *Vel alias sit inauratus peccator &c. Addit. VII.*

Additio I.

* QUær. I. Quid observandum Confessario quoad pueros, rusticos, vel alios rudes Confessionem deponentes? Resp. I. Quidnam Confessarius circa pueros confiteri volentes observare debeat, partim videre poteris apud la Croix *l.* 6. *p.* 2. *n.* 1794. *& seqq.* partim jam dictum fuit *Tr.* 4. *dist.* 2. *Addit. post n.* 24. partim *Tr.* 10. *dist.* 3. *qu.* 2. *n.* 21. *& seqq.* quorsum lectorem remitto, ubi etiam *qu.* 4. *num.* 42. *& seqq.* inveniet, quo tempore tales pueri etiam ad Communionem admitti debeant. Resp. II. Rustici ordinarie pauca, & plerumque satis confuse sua proponunt peccata, hincque tales examinandi sunt a Confessario, uti notatur superius *dist.* 7. *nu.* 63. Examen autem a Confessario institui poterit de sequentibus: an diebus vetitis laborem servilem non exercuerint, & quanto tempore? an diebus Dominicis & festivis Missam audiverint? quod si non: quoties, & ex qua causa intermiserint? an diebus Dominicis, ac festivis se non inebriaverint usque ad privationem rationis, & quidem id advertentes? an, & quoties alteri grave malum fuerint ex animo imprecati? an non fuerint de aliis male locuti in materia gravi, & quoties? an alios in materia gravi, puta, quoad Decimas, vel agrorum limites non defraudaverint; item quoties? an non blasphemaverint deliberate, & quomodo, ac quoties? ubi nota, quod sæpius rustici imprecationes, juramenta, & blasphemias ad invicem confundant; de quo *Tr.* 5. *dist* 3. *Addit. post n.* 64. an non sint usi superstitiosis signis, seu vanis observationibus? an non peccaverint carnaliter, & utrum cum solutis, vel ligatis, ac quoties? ubi advertit la Croix *l.* 6. *p.* 2. *n.* 1807. apud similes plerumque inchoandum esse ab operibus, descendendo postea ad tactus impudicos & similia oscula, & demum ad sola impura desideria: puta, an non peccaverint osculis, aut tactibus impudicis absque alio opere carnali? an non sæpius solis impuris deliberatis desideriis absque alio actu externo? duo tamen hic notet Confessarius, *imprimis*, quod non necessario cuncta ista interrogatoria apud singulas rusticanas personas fieri debeant, sed pro varietate circumstantiarum, præsertim in magno concursu aliqua, præsertim quæ verosimilius hic, & nunc non videntur commissa, intermitti possint: sic apud rusticos uxoratos, quos alias ex aliis circumstantiis deprehendit homines Deum timentes, poterit intermitti interrogatorium de luxuria &c. *Secundo*, ut apud juvenes personas rusticanas, præsertim alterius sexus quoad examen contra sextum præceptum caute procedat, ne per imprudentia interrogatoria aut doceat malum, aut ad id alliciat.

Resp. III. Si Pœnitentes Confessario videantur tantæ ruditatis, ac simplicitatis, ut vix aliquod peccatum ex ipsis extorqueri possit; tentet ipsos, an in fide sint instructi, ut sciant saltem necessaria necessitate medii, & essentialia ad validam Confessionem, præsertim quoad supernaturalem dolorem cum proposito requisita, in quorum defectu eosdem, si tempus patitur, instruat saltem breviter, & succincte; vel sine absolutione dimittat; addita admonitione, ut iterum alia vice redeant, prius autem se melius instrui curent. Primum consilium magis placet ordinarie apud homines alias bonæ voluntatis, ex naturali tamen complexione ita hebetes, respectu quorum etiam suadet la Croix *l.* 6. *p.* 2. *n.* 1809. ut Confessarius talibus præeat formando cum ipsis actus fidei (maxime quoad necessario credenda necessitate medii) item actus spei, charitatis, doloris & propositi, quantum capere possunt, ac postea sic dispositos absolvendo saltem conditionate, atque ad sacram Communionem (si tamen saltem ruditer noscant, quidnam ibi contineatur) admittendo cum admonitione, ut communiter in similibus magis instrui. *

Additio II.

* Quær. II. Quidnam observare debeat Confessarius quoad fatuos, semifatuos, mutos, & surdos confiteri volentes? Resp. I. Plene fatuis, & quidem ex toto, atque jam ab aliquo tempore, & quidem absque lucidis intervallis, Sacramentum Pœnitentiæ seu absolutio conferenda non est, eo ipso, quia non sunt rationis capaces, sicque nec eliciendi dolorem, seu deponendi dolorosam Confessionem cum firmo proposito. Dixi notanter 1. *Plene fatuis*: nam quidnam de semifatuis sentiendum, adaperiet sequens responsio. Dixi 2. *Ex toto*: nam si tantum in unâ certa materia essent fatui; in aliis vero, luti reliqui rationis capaces, possent haud dubie eorum Confessiones audiri, & absolvi. Dixi 3. *atque jam ab aliquo tempore*: nam si dementia primum ante breve tempus (v. g. ex intenso febris acutæ calore) contigisset, & prævie talis confiteri petiisset, indubie absolvendus foret saltem conditionate, si sit periculum in mora: cum ex una parte prudenter dubitari posset, utrum talis non jam ante privationem rationis elicuerit dolorem cum firmo proposito: ex altera vero hic dolor tamquam aliquod necessario requisitum ad essentiam Sacramenti Pœnitentiæ foret adhuc sufficienter connexus moraliter cum absolutione Sacramentali. Dixi 4. *& quidem absque lucidis intervallis*: etenim si ista intervenirent, his durantibus omnino absolvi posset, idque, præsente periculo in mora, verum est, dummodo sub lucido intervallo confiteri petierit, quamvis ante absolutionem denuo in amentiam inciderit. Resp. II. Semifatuis, cum sint capaces peccati saltem venialis (utpote habentes usum rationis saltem imperfectum) dari potest absolutio, saltem sub conditione, ubi dubium est de ipsa semiplena rationis capacitate, idque juxta Gobat apud la Croix *l. 6 p.2. n.* 1871. fieri potest etiam singulis mensibus. Resp. III. Surdi & muti absolvi possunt, dummodo desiderium suum confitendi & dolorem de peccatis per signa exprimere queant; uti jam dictum *Tr.* 10. *dist.* 3. *n.*44. *& Tr.* 14. *dist.* 7. *n.* 38. *cum Additione*, quorsum Lectorem remitto. *

Additio III.

* Quær. III. Quidnam observandum Confessario circa ægrotos, necdum periculose decumbentes, si vocatur ad eorum Confessionem excipiendam? Ante responsiones, Nota, hoc Quæsitum proponi de ægrotis in communi; nam de nonnullis in particulari, puta de pestiferis, ac de condemnatis ad pœnam capitalem, sicque illis infirmis, qui morti sunt proximi, æquiparatis alibi actum jam fuit hoc Tractatu XIV. nimirum de prioribus *dist.* 2, *post.n.*71. & de posterioribus *dist.*8. *Appendice III. ante Quæstionem quartam.* ex quibus utrinque dictis etiam multa applicari possunt ad præsens Quæsitum, ad quod

Resp. I. Talis Confessarius, antequam vocetur ad infirmos confiteri volentes, debet jam præcedenter, dum tempus vacat, se ex utilioribus Libellis, de hac materia tractantibus, informare de modo agendi cum hisce. Mihi ad hunc finem in multis placet Herbarium contra mortem Hieronymi Fordenbach, & in plurimis Conversatio Apostolica Tobiæ Lohner de ægrotorum, & moribundorum visitatione *c. 6.* quem librum specialiter junioribus Confessariis recommendatum cuperem pro aliqua præparatione, quæ, si necessaria est ad publicas formandas conciones, certe adhuc magis in præsenti, ubi agitur de immediata dispositione ad abitum in æternitatem felicem vel infelicem. Resp. II. Si Confessarius vocatur ad excipiendam Confessionem ægroti, necdum adeo periculose decumbentis, *præprimis* faciat bonam intentionem, & imploret divinam assistentiam, sub via e.g. recitando orationem: *Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere &c.* 2. Antequam ingrediatur cubile, vel adhuc prius, quantum prudenter possibile, capiat (si aliunde non rescivit) informationem de dignitate, officio, genio, & moribus ægroti, de statu morbi, quomodo in eodem se conformet voluntati Divinæ &c. 3. Intrans cubile infirmi juxta monitum, & instructionem Seraphici P.S. Francisci *c.*4. *Reg.* dicat *Pax huic domui*: aspergat infirmum aqua lustrali, subjungens Versiculum ex Psalmo Miserere; *Asperges me hyssopo, & mundabor; lavabis me, & super nivem dealbabor.* 4. Pro dignitate personæ ac status conditione ægrotum humaniter salutet, nec non, quomodo valeat, percontetur, & quando ad suam interrogationem respondet, benigne (ostendendo etiam in facie aliqua signa commiserationis) auscultet, nec facile dicta infirmi interrumpat, quamvis etiam aliqualiter discursum protrahat, enarrando circumstantias morbi, vel diuturnitatem ejusdem, intensos magnos dolores, defectum mediorum, & consequentem exinde miseriam &c. prout plerumque ægroti sic solent practicare, præsertim si acquirant confidentiam ad Confessarium. 5. Patienter, perceptis infirmi querelis, condoleat: *Magnum enim calamitoso remedium est miseratio ex animo collata*, inquit S. Gregorius Nazianzenus. Addat, se propterea venisse, ut si non corporale, saltem spirituale levamen subministret. Quinimo si sciret NB. *securum* aliquod etiam corporale remedium, mentem suam desuper adaperiat: quod tamen præcipue locum habet apud pauperes in defectu Medicorum, & Chirurgorum, debetque cum magna cautela, & prudentia fieri, ne variæ oriantur immutationes, & prostitutiones, vel etiam pericula incurrendæ irregularitatis. Si æger suspicaretur, latere aliquod maleficium, det ad ejus instantiam benedictionem facile in similibus libellis inveniendam: ad actualem vero Exorcismum non progrediatur, nisi prævia habeat probabilia signa maleficii. 6. Si per decursum discursus advertat fortitudinem ægroti in perferendis doloribus, patientiam, resignationem in Divinam voluntatem &c. collaudet, & confortet: secus ad has, aliasque virtutes incitet, addens ex S. Paulo 2. *Corinth. c.* 12. quod *virtus in infirmitate* perficiatur. *O quam multi scelerati sani sunt, qui innocenter ægrotarent*! exclamat S. Aug. *Tr.* 7. *in Joan.* posito autem, quod ægrotus suas in contra proponat difficultates, eas cum prudentia, suavitate & modestia solvere conetur, quod ei difficile non accidet, si se ipsum ad studium asceticum æque, ac morale prius applicaverit. Poterit quoque in hoc puncto instructionem practicam desumere ex Lohner *c. 6. Convers. Apost.* §. 5. & 6. *membro* 3. 7. Quod si morbus, etsi necdum periculosus, fuerit tamen diuturnus, atque exinde ægro tædiosus, suadeat prudentem temporis divisionem, vel eamdem ipsemet cum eo conficiat, ubi formulare apud Lohner *l.cit.c.*6.§.7. videre poterit: neque in hac divisione obliviscatur pii exercitii viæ Crucis, cujus devotæ meditationi, etsi fortassis in cubiculo talis ægroti non sint concessæ indulgentiæ, maxima tamen annectuntur merita eo ipso, quia Mysteria Passionis Dominicæ continet. 8. Non erit vituperandum, si apud tales ægrotos, apud quos necdum adest periculum mortis, suo discursui subinde immisceat aliqua disparata, supposito, quod eadem viderit infirmo esse accepta; non quidem ex fine vano, sed altiori, ut nimirum successive ægrotum ad spiritualia deducat, vel tempus aliquo modo abbreviet, atque exinde tædium, atque impatientiam impediat, vel removeat. Proderit quoque salutares orationes pro ægroto in ejus præsentia (excitata prius apud eumdem firma in Deum fide, ac fiducia) persolvere, uti tales invenies in libello infirmorum Patris Fordenbach statim ad initium, apud me *fol.*7. & *fol.*25. 9. Tandem ægrotum persuasive inducat ad deponendam Confessionem, nisi ipsemet citius, & ante priora præambula eamdem jam desiderare videretur, vel nisi alias, durante tali morbo necdum periculoso, frequenter confiteretur. 10. Assecuret eumdem de persolutione precum, etiam in sua absentia, & de speciali memoria in sacrosanctis Missis pro impetranda sanitate, ac data denuo cum aqua lustrali benedictione, valedicat, atque discedat. *

Addi-

Additio IV.

* Quær. IV. Quid agendum Confessario cum periculose ægris? Resp. Si Confessarius accedat ægrotum periculose decumbentem, & quasi jam morti proximum, præter quatuor observationes primas in præcedenti Quæsito adductas attendat insuper *imprimis*. Utrum hic morbus sit contagiosus, nec ne? Quod si sic unum vel alterum præservativum (de quibus antea tractando de peste) secum accipiat, nec se longis exhortationibus, ac discursibus detineat, sed potius infirmum breviter, efficaciter tamen, & præcisis aliis extravagantibus, excitet ad dolorosam Confessionem, sub qua non nimis propinque faciem ad os ægri applicet, sed potius assistat ad latus illius, ne malignum attrahat halitum: item prudenter invigilet, ne infirmus talis sub Confessione lectum aperiat cum periculo inficiendi venenato vapore ipsum Confessarium. Posito autem, quod morbus ille non sit contagiosus, nihilominus

Secundo. Talem adeo periculose decumbentem post amicam salutationem absque ulterioribus ambagibus disponat ad Confessionem, sacram Communionem per modum Viatici, & extremam Unctionem pro qualitate status morbi. Quod si ipsemet infirmus ex hoc fine vocaverit Confessarium, nullum facessit ei negotium; bene vero, si æger necdum resciat ex Medicis, nimium meticulosis, statum morbi esse adeo periculosum: vel resciens quidem, nihilominus (nescio ex quo vano fine) Sacramenta ista de die in diem differat; ubi Confessario magna opus est prudentia & præcautione in indicando. Quare

Tertio, singulariter pro se, & suo cliente implorata divina gratia, & tracto infirmo, quantum tempus patitur, ad sui amorem, æstimationem, & confidentiam, condolenter, & compassive absque ullo respectu humano (discrete tamen) adaperiat ipsi, videri multis, imo etiam ipsis Medicis (si tamen hi pariter sic sentiant) subesse periculum vitæ; quare tutiora amplectatur, & pro quiete animæ suæ, atque ædificatione populi Confessionem deponat, & alia sacrosancta Ecclesiæ Sacramenta recipiat; eo magis, tum quia Domino in hoc puncto fidendum non est, utpote qui sæpius in Evangelio dicit, quod tamquam fur venturus sit: tum quia talis procrastinatio Deum ad iram concitat, prout habetur *Ecclesiastici cap.* 5. *v.* 8. & 9. his formalibus: *non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te*: tum quia hæc Sacramenta non solum spiritualem, verum etiam corporalem (si animæ proficuum fuerit) salutem promovent, uti variis exemplis, & ex ipso textu Sacræ Scripturæ probari posset, dum Sanctus Jacobus in sua Epistola *c.* 5. in favorem Sacramenti extremæ Unctionis verba sequentia notabilia protulit: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini & NB. oratio fidei salvabit infirmum & NB. alleviabit eum Dominus, &, si in peccatis sit, remittentur ei.* Plura ad hunc finem conducentia videri poterunt apud Lohner *loc. cit. c.* 6. §. 10. *Membro* 1. 2. & 3.

Quarto. Sub ipsa Confessione magnam charitatem, ac suavitatem ostendat Confessarius, attendens ne periculose infirmum suis resolutionibus in perplexitatem, perturbationem, vel etiam desperationem inducat, simulque hoc tempore imbecillitatis tantæ pro satisfactione Sacramentali levem personalem pœnitentiam injungat, admonendo, ut quoque in hunc finem suos dolores, imo & ipsam mortem, si Deo sic placuerit, offerat: nec obliviscatur Confessarius doctrinæ in hac Theologia morali traditæ de potestate absolvendi constitutos in articulo, vel periculo mortis a censuris, atque peccatis &c. Adhortetur insuper ægrotum hunc, ut, si alicui Confraternitati fuerit inscriptus, sibi Absolutionem Generalem (si tamen ipsemet Confessarius id facere nequeat) dari procuret, & varias successive indulgentias, e. g. certis rosariis, numismatibus, vel etiam imagini Crucifixi affixas, lucrari studeat. Ceterum, si quæ difficultates aliæ quoad Confessionem, Communionem, vel extremam Unctionem ocurrerent, sese ex hac Theologia Morali suis locis poterit informare.

Quinto. Actus virtutum Theologicarum fidei, spei, & charitatis, nec non contritionis, ac resignationis in Divinam voluntatem cum eodem eliciat, atque ut hos, atque devota suspiria ad Christum, B. V. Mariam, sanctum Josephum morientium Patronum, aliosque Sanctos in ejus absentia emittat, charitative moneat.

Sexto. Circa testamenta, & legata equidem non facile se immisceat, ne videatur potius bona temporalia, quam animam ægroti quærere; interim tamen, si desuper consulatur, & variæ circumstantiæ indeclinabiliter sic suadeant, poterit dare aliquam informationem ex Tractatu de testamentis, addendo, ne obliviscatur animæ suæ.

Septimo. Indaget ex infirmo, qualia, si forsan eum Deus ad æternitatem avocaret, suspiria, ad finem vitæ proponenda, forent sibi magis accepta? & sic consolatum cum benedictione, & aquæ lustralis aspersione relinquat, seque ad spiritualia obsequia etiam in futurum offerat. *

Additio V.

* Quær. V. Quid faciendum Confessario, si æger, ad quem vocatur, in extremis quasi, ac in agone est constitutus? Resp. *præprimis* post factam cum aqua benedicta aspersionem illico confessionem ejusdem, si capax adhuc existit, excipiat: alias vero quæret ex circumstantibus, utrum æger non petierit ipsemet Confessarium, aut, utrum saltem non, eo præsente, per tunsionem pectoris, aliudve signum ostendat dolorem, ac confitendi desiderium, quo supposito, suggerat ei, ut, si ore nequeat, saltem corde contrito pronuntiet sanctissima Nomina JESUS, ac MARIA, eumque absolvat &c. quod etiam in defectu horum signorum conditionate præstabit conformiter doctrinæ superius traditæ *dist.* 7. *qu.* 4.

Secundo. Quando sacri Viatici capax amplius haud judicatur, aut illud ante paucos dies primum recepit; invigilet, ut saltem quasi agonizanti administretur Sacramentum extremæ Unctionis, si durante hoc morbo necdum id administratum fuit.

Tertio. Attendat, ut penes agonizantem adsit aqua benedicta, qua sæpius contra infestationes dæmonis eum aspergat dicendo: *Ecce Crucem Domini, fugite partes adversæ &c.* item effigies Crucifixi, & candela accensa. Soliciti Operarii, quoniam hæc ultima duo vident sæpius deficere præsertim apud pauperes, ipsimet secum portant, & quidem imaginem Crucifixi singularibus Reliquiis, & candelam specialibus benedictionibus præditam.

Quarto. Instillet suaviter auribus ægroti iterato sacratissima Nomina JESU & MARIA pro lucrandis indulgentiis; item actus virtutum Theologicarum atque contritionis; item successive Mysteria Passionis Dominicæ, commendationem animæ in sacratissima quinque Vulnera JESU Christi: implorationem Auxilii Beatissimæ Virginis MARIÆ ter immaculatæ, S. Michaelis Archangeli, SS. Angelorum Custodum, S. Josephi morientium Patroni, uti similiter S. Barbaræ, nec non suorum Patronorum, vel etiam Sanctorum illorum, qui hoc ipso die celebrantur &c. de quibus plura videre potes in libellis infirmorum specialiter in hunc finem editis.

Quinto. Ut suaviter sua dicta illabantur auribus ægroti, non longas in uno continuo faciat periodos; aliquoties pausam interponat, ut æger respirare valeat: non nimium clamet; cum sensus auditus, pro tunc valde acutus, ordinarie non parum exinde gravetur. Credit autem la Croix hic, magis expedire, ut Confessarius agonizanti assistens inclamet potius supra caput ad cranium ægri, quam in aures; quia vox ad cranium per nervos sensorios delata melius (uti inquit) experientia teste percipitur.

Sexto. Postquam tandem agonizans inter manus Confessarii exspiravit, illico in genua procidens recitet pro anima defuncti Psalmum *De profundis*, ac cum præsentibus unum alterumve *Pater & Ave*: soletur domesticos, si magnum ex hac morte mœrorem concipiant, & sub inde pro exigentia circumstantiarum occasionem sumat, præsentibus, dum corda eorum adhuc sunt emollita, brevibus & efficacibus verbis in memoriam revocandi brevitatem vitæ, vanitatem mundi, & felicitatem bene morientium, sicque data prius adhuc Defuncto & præsentibus cum aqua lustrali benedictione discedat. *

Additio VI.

* Quær. VI. Quomodo a Confessario specialiter tractandi sint illi infirmi, qui sunt in aliqua occasione proxima constituti? Præmissis illis, quæ antea Quæstione IV. de constitutis in occasione proxima generice diximus, ulterius, antequam speciali huic Quæsito, satisfaciam, videndum, utrum tale delictum adhuc sit occultum, vel jam publicum: puta, si ægrotus foret notorius concubinarius, vel infirma publica meretrix &c. Porro publicum seu notorium potest aliquid esse tripliciter. I. Notorietate facti; quando nimirum in aliqua communitate ita patens est, ut nulla tergiversatione celari queat: e. g. si ægrotus ex sua amasia jam aliquot proles haberet agnitas ut suas. II. Notorietate juris; quando nimirum jam fuit talis e. g. concubinarius per sententiam Judicis pronuntiatus tamquam reus, nec per appellationem purgatus. III. Notorietate famæ; quando nimirum publica jam circumfertur fama de hoc delinquente: debet autem hæc fama ortum trahere ex testimoniis vel indiciis quasi moraliter certis, non autem ex meris infundatis suspicionibus, vel inani rumore vulgi. H. N. Resp. I. Si crimen adhuc est quidem occultum. morbus vero, etsi gravis, attamen necdum proxime ad mortem disponens, in eo casu, quando simul non adest impotentia physica, vel saltem moralis occasionem proximam abscindendi, eo fortius ante absolutionem urgeat ad eam dimittendam, quo majus est periculum, ne forsan status morbi subito (uti sæpe contingit) degeneret in fatalem, & ex improviso ægrotum avocet in æternitatem, utinam, non infelicem. Ita sub his terminis communis, & ratio jam patet ex dictis præcedenti Quæstione IV. Resp. II. Si apud talem hic & nunc adsit alia (& non solum ex amore proprio excogitata) impotentia, physica, vel saltem moralis dimittendi hanc materialem peccandi occasionem (e. g. verum periculum prostitutionis, seu gravis diffamationis) isque simul in hoc suo morbo per specialia signa ostendat se paratum, faciendi ex proxima occasionem remotam (puta non amplius admittendi complicem ad familiare, aut solitarium alloquium &c.) poterit hunc absolvere Confessarius, præsertim si addat, quod eamdem, cessante impedimento, iterum reconvalescens velit dimittere. Ita denuo patet ex dictis, & ratio ulterior est; quia in talibus circumstantiis, & durante morbo satis doloroso non videtur, ordinarie loquendo, adesse occasio proxima in præsenti, forsan tamen iterum reditura, si reconvalesceret. Resp. III. Si status morbi indies fieret periculosior ex una parte, ex altera vero Confessarius experiatur, quod apud ægrotum, non obstante priori suo promisso, continuentur delicta (e. g. carnis cum concubina, si non opere, saltem impuris osculis, & desideriis) talem Confessarius disponat omni possibili modo, ut vel hanc concubinam, si aliud non obstet, ducat, cum ea matrimonium contrahendo, vel, si id esse nequeat, tunc illam occasionem abscindat etiam cum periculo subsecuturæ diffamationis: nam sicut bona animæ, ac æternæ salutis tamquam altioris ordinis præponderant bonis famæ, utpote inferioris ordinis, ita etiam ab ægroto simili magis attendi debet, ut evitetur periculum deperdendæ salutis, quam periculum deperdendæ famæ. Resp. IV. Si Confessarius, dum vocatur ad similem occasionarium, ipsum reperiat jam loquela, & sensibus destitutum, vel saltem alias jam in extremis constitutum, ita, ut periculum in mora foret, ne mors præveniret, si ante absolutionem multum disputaret cum eo de occasione dimittenda, paucis ipsum exhortetur ad serium dolorem cum firmo proposito, & conformiter signis pœnitentiæ seriæ datis, certis, vel dubiis, etiam absolute, vel conditionate absolvat, &, si sacrum Viaticum recipere amplius nequeat, saltem extrema Unctione muniri curet; nam in simili casu saltem sub dubio præsumere potest, quod æger, tamquam jam in via ad æternitatem constitutus, voluerit deponere talem Confessionem, quæ habeat omnia necessario requisita ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, & ad causandum effectum gratiæ remissivæ peccatorum, inter quæ requisita numeratur quoque verus dolor cum firmo proposito. Dixi notanter: *saltem sub dubio præsumere potest*: res enim in similibus circumstantiis, ubi cuncta quasi superficialiter agi debent ob periculum in mora, non caret periculo de efficacia doloris &c. cum juxta TT. *Pœnitenttia sera sit raro vera.* Resp. V. Resolutio præcedens locum quoque habet in occasionario publico jam in extremis constituto, si sit periculum in mora: præcipue, si antea petierit Confessarium, vel alia signa doloris de suis peccatis dederit saltem dubia. Patet ex ratione proxime assignata: alias autem extra summum periculum in mora nullatenus ei concedatur ob tam frequentes infelices, & tragicos exitus dilatio sublationis occasionis proximæ, etiam materialiter talis, & quamvis in gravi mortis periculo (etsi necdum in extremo) adpromittat ex proxima facere occasionem remotam: foret enim hæc retentio publicum scandalum &c. *Nec potest* talis prætendere exinde periculum prostitutionis, & diffamationis apud alios: nam *contra* est, quod hæc dimissio, nullatenus, dum peccatum jam est publicum, cedat in dispendium famæ; imo potius in emolumentum honoris, dum homines prudentes, & boni Christiani (impii aliqui curandi non sunt) qui alias ob publicum scandalum jam norunt statum ægroti, nullatenus vituperant, sed exemplificantur, ac summopere laudant tam heroicam & seriam conversionem per ejectionem e. g: pellicis, seu concubinæ. *

Additio VII.

* Quær. VII. Quidnam observari debeat a Confessario quoad illos infirmos, quos ex modo confitendi advertit nimis pudibundos, cum periculo subticendi ex verecundia aliquod delictum grave, vel nimium vindicativos, & nolentes ignoscere suis inimicis, vel desperabundos, sive quoad emendationem vitæ, sic vel quoad remissionem suorum peccatorum?

Resp. I. Quoad personas pudibundas, si advertat tales, præsertim alterius sexus, deterreri præ verecundia a Confessione ingenua, & integra gravium peccatorum, excitet easdem mansuetis verbis ad confidentiam in se ponendam: adpromittat vi Sigilli Sacramentalis strictissimum silentium, nec directe, nec indirecte frangendum: addat, quod utique consultius sit, se coram uniquo, ad servandum silentium obligatissimo, in hac vita manifestare absque gravi increpatione, & cum certa spe veniæ, quam in altera coram toto mundo palam confundi cum certa æterna damnatione: proponat ei pariter pro diversitate temporis, & circumstantiarum carnificinam oonscientiæ, jam in hac vita multo plus torquentis, quam mortificaret sui victoria per candidam omnium gravium peccatorum detectionem, qualem subsequeretur tranquillitas, & quies animæ.

Resp. II. Quoad infirmos vindicativos, nec etiam in hoc morbi statu volentes dimittere, recte procedet Confessarius, si hisce proponat Exemplum Christi, atque Sanctorum, e. g. Sancti Gualberti consanguineo cuidam, capitali alias inimico (utpote qui nefarie unicum fratrem suum occiderat) ob sanctæ Crucis

severen-

reverentiam ex corde ignoscentis, & exinde ad magnum sanctitatis gradum pervenientis: item revocet ei in mentem, quidnam oret quasi quotidie, recitando Orationem Dominicam, dum ait: *Dimitte nobis debita nostra*, NB. *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, ex quo consequitur, quod si ipse non dimittit, nec sibi dimitti petat peccata sua: proponat ad hunc finem parabolam Evangelicam de servo illo, cui Dominus magnam summam debitam benigne condonavit, postea vero, cum ille minorem conservo suo remittere immisericorditer renuit, in carcerem teterrimum conjici imperavit: repræsentet oculis suis teterrimum illum carcerem infernalem, in quo, nisi ignoscat, diaboli tamquam crudelissimi tortores jam exspectant eumdem, cum tali modo nec absolvi, nec peccata dimitti queant. Quod si hæc, & similia animum ægroti necdum emolliant, ad genua ipsius provolutus, & exhibita Crucifixi imagine adjuret ipsum per sanguinolentas Christi plagas, ut, si non amore adversarii sui, saltem amore Redemptoris nostri, qui jamjam moriturus pro inimicis suis oravit, remittat inimico, nec animam suam propriam, pretioso sanguine JESU Christi redemptam tam manifesto, & proximo periculo æternæ damnationis exponat.

Resp. III. Si infirmi fuerint nimium pusillanimes cum periculo desperationis; tunc vel hæc pusillanimitas oritur circa propositum quoad emendationem vitæ in futurum, vel circa remissionem peccatorum ob eorum nimiam multitudinem, ac gravitatem de præterito? Si *prius*: doceat tales Confessarius, quod firmitas propositi possit stare cum credulitate relapsus: item quod ad valorem Sacramenti sufficiat, quod propositum sit efficax affective, quamvis non semper fuerit tale effective, de quo videatur præsens Auctor *Tr.* 14. *dist.* 6. *nu.* 52. & *seqq.* Instruat insuper eosdem, ut quamvis recte habeant diffidentiam in suas vires proprias, majorem tamen ponant confidentiam in Dei assistentiam: major enim est potentia Divini Medici, quam magnitudo talis morbi: si ægrotus fiat iterum recidivus, iterum adest Divinus Medicus, qui *venit salvum facere, quod perierat. Matth. c.* 18. *nec vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat. Ezech. c.* 18. Quod si autem pusillanimitas ista ortum haberet ex multitudine, & nimia gravitate peccatorum, proponat Confessarius patrem Evangelicum, qui filium prodigum redeuntem in suam amanter recepit gratiam, etsi cuncta sua luxuriose consummaverit. Hanc ipsam misericordiam Christus clementissimus Pater ostendit erga Magdalenam, Latronem, & plures alios. Idem Deus falli, & fallere nescius adpromisit indistinctim omnibus peccatoribus *Ezech. c.* 23. dum ait: *quacunque hora ingemuerit peccator, NB. omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Judas desperans juxta SS. PP. plus peccavit, quam ut traditor Magistri sui. *

DISTINCTIO IX.

De Casibus reservatis, & Sigillo Confessionis.

QUÆSTIO I.

Quid sit Reservatio Casuum, & a quo fieri possit?

SUMMARIUM.

1 *Casus reservatus, quid?*
2 *Per actum reservationis directe afficitur persona Confessarii &c.*
Corollarium.
3 *Datur in Ecclesia potestas reservandi casus.*
* *Quibusnam competat potestas reservandi peccata?*
4 *Quæ peccata reservari soleant?*
Quid de casu dubio?
5 *Papa ordinarie non reservat peccatum, nisi ob annexam excommunicationem.*
6 *Unde hac sublata quilibet Confessarius absolvit a peccato.*
7 *Item, si Censura non fuit contracta.*
8 *Casus reservati Summo Pontifici, qui?*
(a) Videatur Tr. 13. dist. 2. n. 55. & seqq.
9 *Episcopi possunt reservare Casus pro suis Diœcesibus.*
10 *In quibus libris similes casus reperiantur?*
* *An Episcopi loci censeantur reservare Casus etiam quoad peregrinos ad suam Diœcesim venientes? Addit. I.*
* *Præsertim si talia peccata non sint reservata in Diœcesi, ex qua dicti peregrini veniunt? Addit. II.*
* *An Diœcesanus incurrat reservationem, si peccatum illud committat in Diœcesi aliena, in qua id non est reservatum? Addit. III.*
* *An Diœcesanus incurrat Episcopalem reservationem, si etiam invincibiliter ignoret tali peccato esse annexam aliquam reservationem? Addit. IV.*
* *Ocurritur objectioni, & exinde infertur notabile Corollarium. Addit. V.*
11 *Cautela quoad Regulares.*

1 CONCL. I. *Reservatio Casuum* aliud non est, quam negatio Jurisdictionis absolvendi circa aliquod peccatum. Ita in re communis. Hinc *Casus reservatus* bene definitur, quod sit peccatum mortale externum, ad cujus absolutionem inferioribus Sacerdotibus jurisdictio non est concessa.

2 Dicitur, *Jurisdictio non est concessa Sacerdotibus.* Siquidem per actum reservationis principaliter, ac directe tantum afficitur persona Confessarii, ejus jurisdictionem arctando, & indirecte solum persona ipsius pœnitentis, eo quod a tali Confessario ob defectum jurisdictionis a casu reservato absolvi non possit: prout inter alios notat Fagnanus *c. Omnis. n.* 78. & *seqq. de Pœnit. & remiss.* ubi ad longum probat, quod per actum reservationis directæ casuum non afficiatur, nisi persona Sacerdotis Confessiones audientis, licet indirecte obstet pœnitentibus. Unde infert, quod Regulares exempti intra Diœcesin Episcopi approbantis possint absolvere pœnitentem alterius Diœcesis a casibus in Diœcesi pœnitentis reservatis, si hi non sint reservati in Diœcesi, in qua Confessiones audiunt: cum Regulares habeant jurisdictionem a Papa, & Episcopus alterius Diœcesis nequeat, etiam quoad suos subditos, limitare jurisdictionem Sacerdotis sibi non subditi.

3 CONCL. II. Certum est, dari in Ecclesia Dei potestatem reservandi casus aliquos, sive causas criminum graviorum, a quibus inferiores Confessarii absque speciali licentia, & facultate extra mortis articulum absolvere non possunt. Patet hoc præter & continuam praxin, & sensum Ecclesiæ ex Concilio Trid. *Sess.* 14. *can.* 11. & *c.* 7. ubi proinde monet in hæc verba: *extra quem articulum mortis Sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores, & legitimos Judices pro beneficio absolutionis accedant.*

Additio.

* Possunt autem omnes, & soli illi reservare peccata, qui gaudent Jurisdictione ordinaria. Ratio est; quia omnes isti (intellige, nisi quoad certa peccata ab altiori potestate cohibeantur) possunt, & quidem soli aliis pro Confessionali approbatis suam jurisdictionem delegare: ergo etiam possunt eamdem delegare cum certa restrictione, & exceptione aliquorum casuum, uti docte advertit Elbel hic *p.* 2. *Conferent.* 13. *n.* 331. Ex quo ab eodem Auctore recte deducitur, potestatem reservandi quædam peccata residere 1. in Summo Pontifice, qui pro tota Ecclesia, 2. in Episcopo, qui pro sua Diœcesi, & 3. in Superiore Regulari, qui omnes pro suis subditis suam jurisdictionem delegatam ad certos casus restringere possunt, sicque quædam peccata excipere, ac sibi reservare. *Nec dicas.* Parochi tamquam Pastores in suas oves, & Guardiani tamquam Superiores locales in suos subditos habent jurisdictionem ordinariam

& tamen non possunt certos casus reservare; ergo ex jurisdictione ordinaria non sequitur potestas reservandi peccata. Respondetur enim, tales habere quidem potestatem ordinariam in subditos, non tamen in omnia illorum peccata; cum quoad nonnulla eorum jurisdictio ab altiori potestate limitetur, ubi quoad istam limitationem circa Regulares respiciendæ sunt cujuslibet sacri Ordinis Constitutiones propriæ. *

4 CONCL. III. Sola peccata mortalia, eaque non nisi certa, externa, ac in suo genere, seu (uti alii ajunt) in sua malitia specifica opere consummata reservari solent. Ita Lugo *disp. 20. de Pœnit. sect.* 2. Layman *l.* 5. *tr.* 6. *c.* 12. *n.* 3. Herincx *disp.* 6. *de Pœnit.* 6. *& seqq.* cum aliis passim. Dicitur, *reservari solent*: nam, quamvis peccata mortalia etiam mere interna possent reservari, tamen in usu non est, neque expedit, ut eadem reserventur. Deinde, quoties morale dubium est de reservatione casus, jam is non censetur reservatus, sive sit dubium juris, sive facti: siquidem reservatio est valde odiosa, stricte interpretanda, adeoque intelligi debet de casibus certis & indubitatis. Herincx *loc. cit. n.* 7. Suarez, & communis.

5 CONCL. IV. Papa ordinarie nullum peccatum mortale sibi reservat, nisi propter annexam censuram excommunicationis sibi itidem reservatæ. Ita Herincx *cit. n.* 6. Navarrus, Toletus, Henriquez, Layman, aliique communiter: dummodo excipiatur unus, vel alter casus, in quo oppositum habetur specialiter expressum; prout Sixtum V. in Bulla contra male promotos, quæ incipit: *Sanctum & salutare* (ac habetur *tom.* 2. *Bullarii Romani Constitut.* 91. *dicti Pontif.*) reservasse sibi peccatum istud absque alia excommunicatione annexa, notat ibidem Lugo *n.* 25. Et hinc in Conclusione additur ly *ordinarie.*

6 Infertur proinde, quod, si Papa, aut ejus Pœnitentiarius aliquem absolvat a sola censura excommunicationis Summo Pontifici reservatæ, possit postmodum quilibet inferior Confessarius in foro conscientiæ absolvere hominem illum a peccato ipso, cui talis excommunicatio adjuncta fuit. Idem dicendum, si quis tempore Jubilæi, vel alias Confessario habenti specialem facultatem absolvendi a casibus Summo Pontifici reservatis fuisset confessus, ab eoque absolutus ab omni vinculo excommunicationis, omissa tamen per oblivionem confessione casus reservati Papæ: nam talis poterit postmodum per quemlibet Confessarium ab eodem casu absolvi, eo quod jam fuerit antea absolutus ab excommunicatione Papæ reservata; sublata autem excommunicatione non amplius manet reservatio casus Papalis.

7 Infertur ulterius. Si quis commisit peccatum Summo Pontifici reservatum, sed ob ignorantiam, aut aliam causam a censura papali excusatus fuit, talem etiam ab inferiori Confessario absolvi posse, siquidem sublata, vel non contracta censura excommunicationis etiam ablata censetur reservatio. Pirhing *Tit. De Hæreticis n.* 37. Bassæus v. *Casus reservatus n.* 2. Layman. *n.* 2. & alii.

8 CONCL. V. Casus reservati Summo Pontifici continentur partim in Bulla Cœnæ Domini, sic dicta, quod eamdem Summus Pontifex singulis annis in die Cœnæ Domini solemniter promulgari faciat; (*a*) partim in jure Canonico, & diversis Bullis Pontificiis, de quibus, uti & de potestate absolvendi ab iis vide *Tr.* 13. *dist.* 2. *n.* 57. *& seqq.*

9 CONCL. VI. Etiam Episcopi pro suis Diœcesibus possunt sibi reservare certos casus, a quibus Confessarii absolvere nequeunt absque licentia, & facultate ipsorum speciali. Patet hoc tum ex perpetua praxi, sensuq; Ecclesiæ; tum ex Concil. Trid. *Sess.* 14. *c.* 7. *& can.* 11. sic definiente: *Si quis dixerit; Episcopo non habere jus reservandi sibi Casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo Casuum reservationem non prohibere, quo minus Sacerdos a reservatis vere absolvat: anathema sit.*

10 Ceterum Casus Episcopis reservati continentur in propriis singularum Diœcesium Ritualibus (NB. quod Diœceses Salisburgensem, Passaviensem, Augustanam, Frisingensem, & Constantiensem sigillatim eosdem recenset Elbel hic *Conferent.* 13. *n.* 336. *ac seqq.*) & variantur juxta exigentiam & Diversitatem Diœcesium, quamvis isthæc reservatio non afficiat personam Confessarii extra ejusmodi Diœcesin, in qua reservatur, existentis, si Casus iste pariter in ipsa Diœcesi Confessarii reservatus non sit, ut dictum *n.* 2.

Additio. I.

* Dixi notanter: *Si Casus iste pariter in ipsa Diœcesi Confessarii reservatus non sit.* Nam, quando reservatio aliqua non solum in Diœcesi pœnitentis, verum etiam in Diœcesi ipsius Confessarii facta fuisset, respectu talis casus nequiret Confessarius, alias hac facultate absolvendi non prædictus, pœnitentem ab eo absolvere, cum in Bulla *Superna. Clementis X.* §. 7. concedatur licentia absolvendi a reservatis confluentes ex alia Diœcesi pro tunc tantum, quando peccata non sunt reservata in illa Diœcesi, ubi idem Confessor est approbatus. Formalia textus sic sonant: *Potest autem Regularis Confessor in ea Diœcesi, in qua approbatus est, confluentes ex alia Diœcesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem Confessor est approbatus, absolvere.* Et hoc quidem in casu quo peccatum in utraque, nimirum tam in Diœcesi pœnitentis, quam Confessarii reservatur, quod nimirum pro tunc Confessarius, alias facultate ab his absolvendi non præditus, nequeat a reservatis, ex quacumque Diœcesi pœnitentes existant, absolvere in sua Diœcesi directe extra necessitatem, omnino certum est. *

Additio II.

* Ast formemus alium casum, nimirum quod peccatum a pœnitente alienæ Diœcesis commissum ibidem equidem reservatum non sit, bene tamen in Diœcesi, in qua Confessarius dicti pœnitentis Confessionem excipit, poteritne ex tunc Confessarius, alias facultate absolvendi a reservatis non præditus, nihilominus extra articulum, vel periculum mortis directe absolvere pœnitentem alienæ Diœcesis? Motivum dubitandi, nec negativam tenendi eruitur ex dictis; quia nimirum Clemens X. sicuti concedit Absolutionem Confessario simili, quando peccatum in aliena quidem pœnitentis, non tamen in sua Diœcesi propria reservatum est, sic videtur econtra vice versa negare hanc potestatem absolvendi, quando peccatum illud equidem non in aliena pœnitentis, bene tamen in sua propria reservatum fuit. Et ita quidem ob paritatem rationis in utrolibet casu, cum pluribus aliis sentit noster Henno hic *disp.* 8. *qu.* 8. *art.* 4. *Concl.* 4. Econtra vero la Croix *l.* 6. *part.* 2. *nu.* 1631. allegatum Clement. X. textum intelligit solummodo in supposito, quo peccatum illud tam in Diœcesi aliena pœnitentis, quam in propria Confessarii ejusdem Confessionem audientis reservatur. Quod si vero peccatum reservatum non sit in Diœcesi pœnitentis, sed tantum in Diœcesi Confessarii, in hoc casu nihil, ait, expresse declarasse Clementem X. Plerique tamen (prout dictus auctor subjungit) cum Suarez, Lugone, Marchant., & Aversa putant, etiam tunc Confessarium non posse hic absolvere; quia Episcopus hujus Diœcesis directe sustulit Confessario jurisdictionem absolute respectu talis peccati reservati; quamvis ceteroquin Fagundez, & Stoz adhuc judicent, memoratum Confessarium in dicto casu posse viatorem, seu peregrinum absolvere; tum quia reservatio fit ab Episcopo NB. non nisi in bonum propriæ Diœcesis, & consequenter non nisi circa peccata suorum Diœcesanorum; tum etiam, quia Confessarius talem peregrinum, qui in Diœcesi Confessarii figere non intendit domicilium, vel quasi domicilium, absolvit per jurisdictionem, vel ab ipso Summo Pontifice (si Confessarius fuerit Regularis Ordinis Mendicantium) vel ab Episcopo viatoris (si extiterit Confessarius non Privilegiatus) ex recepta consuetudine delegatam: adeoque, cum nec

nec Papa, nec Episcopus viatoris hanc jurisdictionem Confessario alterius Diœcesis respectu hujusmodi peregrini concessam limitet, quoad simile peccatum poterit pariter ab eodem absolvere. Interea tamen saltem in his partibus memoratæ opinioni Patris Stos, & Fagundez videtur obstare præter verba allegata Clementis X. etiam ipsamet praxis, qua videmus, quod Confessarii, alias in sua Diœcesi propria non præditi facultate absolvendi a reservatis, solummodo attendant ad peccata reservata in hac propria sua Diœcesi, qualia in Confessionali ordinarie non absolvunt absque eo, quod præcedenter interrogent, ex qua Diœcesi sit pœnitens, an ex hac ipsa, vel aliena, & num in aliena Diœcesi hoc peccatum pariter sit reservatum, nec ne? *

Additio III.

* Quæres I. An Diœcesanus, qui extra suam Diœcesin existens perpetrat tale peccatum, quod in sua Diœcesi est reservatum, exinde incurrat reservationem, ita, ut rediens in suam Diœcesin nequeat ordinarie, nisi ab habente potestatem in casus reservatos, directe absolvi, etsi peccatum illud reservatum non sit eo in loco, in quo dictus pœnitens id commisit? Supponit hoc Quæsitum ex jam dictis, quod si pœnitens confiteretur illud peccatum in ipsa aliena Diœcesi, in qua commisit, & ubi inter casus reservatos non numeratur, quod (inquam) respectu Confessarii talis alienæ Diœcesis memoratum peccatum non censeatur reservatum; quoniam dicto Confessario ab Episcopo alterius distinctæ Diœcesis jurisdictio sua non limitatur, aut adimitur. Quæstio ergo solummodo remanet in casu, quo dictus pœnitens differt Confessionem talis peccati usque dum redeat in suam propriam Diœcesin. H. S.

Resp. Talem pœnitentem in ordine ad Confessarios suæ propriæ Diœcesis incurrere casum reservatum. Ita cum multis Dicastillo *de Pœnitentia* D. 11. *n.* 244. & *seq.* & la Croix *l. 6. p.* 2. *n.* 1632. Ratio colligitur ex jam dictis, quia nimirum, exceptis solummodo specialiter designatis ab Episcopo, de reliquo omnibus Confessariis illius Diœcesis, in qua nunc confitens habet domicilium, absolute adimitur potestas absolvendi quoad certa peccata, quæ propterea reservata vocantur, idque maxime verum est in ordine ad ipsos Diœcesanos. *

Additio IV.

* Quæres II. An Diœcesanus incurrat reservationem quoad casus Episcopales, si etiam invincibiliter ignoret, tali peccato esse annexam aliquam reservationem Episcopalem? Videtur, quod non; quia etiam a pari reservatio Papalis juxta jam dicta non incurritur, si invincibiliter ignoretur. Et ita quidem sentiunt Josephus a S. Januario, Navarus, Graffiis, & Quintanadvenas apud Sporer *p.* 3. *Theolog. Sacram. c.* 6. *sect.* 2. *n.* 735. quam sententiam allegatus Auctor existimat, secure practicari posse, quando apud Confessarium, non præditum facultate absolvendi a reservatis, simile peccatum reservatum in Confessionali a pœnitente, qui ignorat invincibiliter annexam reservationem, bona fide proponitur. Quod ipsum citatus Auctor in tali emergentia solebat consulere Parochis, & vicariis de reservatis casibus Episcopalibus solitis. Ego autem, nisi viderem, pœnitentem difficulter posse disponi, ut alteri habenti potestatem directe absolvendi a reservatis adhuc semel illud peccatum manifestet, vix auderem cum la Croix *loc. cit. n.* 1696 suadere praxin hujus sententiæ. Hinc Resp. reservatio casus Episcopalis incurritur, quamvis invincibiliter ignoretur annexa. Ita teste la Croix. *loc. cit. n.* 1608. communissima, quod clarum esse, & in praxi notum, ait Aversa hic *qu.* 17. *sect.* 1. Ratio est: quia reservatio principaliter afficit, non pœnitentem, sed ipsum Confessarium; cujus jurisdictionem limitat quoad certa peccata; ergo impertinens videtur esse in ordine ad reservationem, num pœnitens ipse eamdem resciat, vel ignoret. Quoad casus reservatos Papales, quod isti non incurrantur cum ignorantia invincibili, ratio jam est superius insinuata; quia nimirum ordinarie reservari non solet a Papa aliquod peccatum, nisi cum dependentia ad censuram simul annexam: censura autem juxta jam dicta neutiquam incurritur, si invincibiliter ignoretur annexa. Econtra vero Episcopi certa peccata absolute reservant absque dependentia ad aliquam censuram. *

Additio V.

* Dices. Si dubitetur, num peccato sit annexa reservatio, eamdem non incurritur juxta jam dicta *n.* 4. sive sit dubium juris, sive dubium facti: ergo multo magis nec reservatio incurretur, si omnino ignoratur invincibiliter, quod eadem sit annexa. Resp. disting. anteced. si dubitetur de reservatione &c. eadem non incurritur, si dubium illud maneat usque ad absolutionem, ita nimirum, ut tam pœnitens, quam Confessarius ex rationibus e. g. pro & contra militantibus vere dubitent, num tale peccatum sit casus reservatus, transeat, si saltem Confessarius adhuc ante absolutionem certo resciat, tale peccatum esse reservatum, nego ant. & similiter disting. conseq. non incurritur reservatio; si ante absolutionem ignoratur etiam ex parte Confessarii, quod peccatum tale sit inter casus reservatos, transeat; si ab eodem certo sciatur, esse reservatum, nego conseq. Quinimo non desunt AA. apud la Croix *loc. cit. n.* 1693. qui existimant, in peccato dubio (idem dic de ignorato) adhuc incurri reservationem, si primum post absolutionem resciatur, tale peccatum numerari inter reservata, & sic illud ipsum peccatum fuisse tantum per absolutionem, uti alia peccata oblita, indirecte remissum, consequenter fore obligationem, habita certa cognitione reservationis etiam post absolutionem, illud denuo subjiciendi clavibus apud eum, qui habet potestatem absolvendi a reservatis. Contra hos tamen AA. si cognitio reservationis primum post absolutionem accedat, præter Sporer *loc. cit. n.* 734. contrarii sunt Portel, Sa, Hurtado, Dicastillo probabilissime judicantes, supposito, quod dubium permaneat tam ex parte pœnitentis, quam Confessarii usque ad absolutionem, exinde vi absolutionis Sacramentalis absolute, & directe illud peccatum tolli, eo ferme modo, quo absolute, etiam per non habentem alias potestatem in reservata, tollitur in articulo, seu periculo mortis, ita nimirum, ut nulla deinceps sit obligatio tale peccatum de novo subjiciendi clavibus Ecclesiæ apud habentem privilegium speciale absolvendi a reservatis, cum reservans non censeatur voluisse sub reservatione comprehendere peccatum tali modo dubiosum. *

11 De cetero quoad potestatem absolvendi Sæculares, imposterum Regularibus cavendæ erunt duæ Propositiones, ab Alexandro VII. damnatæ, quarum prior, ordine 4. sic sonat; *Prælati Regulares possunt in Foro Conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.* Posterior autem, ordine 12. est ista: *Mendicantes possunt absolvere a Casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.*

QUÆSTIO II.

De absolutione a Casibus reservatis in & extra articulum mortis.

SUMMARIUM

12 *In mortis articulo absolvere potest quilibet Sacerdos.*
13 *Articulus mortis, & periculum mortis, quid?*
14 *Sacerdos excommunicatus in mortis articulo absolvens non fit irregularis.*

15 *Absolutus a Casu reservato in mortis articulo non tenetur postea se sistere Superiori.*
16 *Nisi fuerit annexa excommunicatio.*
17 *Extra articulum mortis nequit Confessarius absolvere a Casu reservato.*
18 *Quid, si urgeat necessitas?*
19 *Et Casui reservato sit annexa excommunicatio?*
(*b*) Ut dictum Tract. 2. Dist. 2. n. 28.
20 *An tunc opus sit confiteri peccata reservata?*
* *Quid practice sit observandum Confessario, si quis ad eum accedat cum casu reservato, respectu cujus non habet potestatem directe absolvendi?*

12 CONCL. I. In mortis articulo quilibet Sacerdos potest absolvere ab omnibus Casibus reservatis. Patet hoc ex dictis *Dist. præc. n.* 13. & Concilio Trid. ibidem relato.

13 Porro per *Articulum mortis* non dumtaxat intelligendus est quasi ultimus vitæ spiritus, sed etiam quodvis probabile mortis periculum, sive id accidat ex infirmitate, sive ex decreto Judicis quempiam morti adjudicantis, sive ex aliis causis, utputa ex imminente belli conflictu, partu periculoso mulieris, aut navigatione periculosa seu valde longa, in qua Sacerdotis copia futura non est. Licet enim in rigore differentia sit inter articulum, & periculum mortis (nam *Articulus mortis* proprie dicitur, quando ex ægritudine prudenter præsumitur mors secutura, *Periculum mortis* vero, cum datur occasio, in qua frequenter homines pereunt, ut in conflictu bellico, in periculosa navigatione, & hujusmodi) in præsenti tamen materia, utpote favorabili, idem est Articulus mortis, & probabile periculum ejus: nam morale periculum in malis ita existimari, & vitari debet, sicut eventus ipse, juxta illud *Ecclesiastici* 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Barbosa *part* 2. *De offic. & potest. Episc. allegat.* 25. *n.* 81. Diana, Layman, & alii passim.

14 Advertendum etiam, quod Sacerdos excommunicatus in præfato mortis articulo quempiam absolvens per hoc non incurrat Irregularitatem, uti post alios notat Barbosa *in Collectaneis ad Concilium Trid. Sess.* 14. *cap.* 7. *n.* 15. Nec obstat, quod ceteroquin violans censuram Ecclesiasticam fiat irregularis. Resp. enim, in hoc casu excusare necessitatem, sive articulum mortis Proximo impendentis: eo præsertim, quod Concilium Trid *cit. cap.* 7. ad hoc cuivis Sacerdoti expressam facultatem præbeat, ibi: *Atque ideo in articulo mortis omnes Sacerdotes quoslibet Pœnitentes a quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt.*

15 CONCL. II. Qui propter mortis articulum a Casibus reservatis per inferiorem Confessarium fuit absolutus, non tenetur amplius cessante periculo Superiori se sistere, nisi fuerit annexa censura excommunicationis Superiori reservata. Ita Barbosa *cit. allegat* 25. *n.* 80. & Doctores communiter, Ratio est: quia in mortis articulo habent omnes Sacerdotes potestatem, per se & directe absolvendi ab omnibus peccatis, ut patet ex Concilio Trid. *loc. cit.*

16 Additur notanter, *nisi fuerit annexa censura excommunicationis.* Quia absolutus in mortis articulo ab excommunicatione, cessante tali periculo tenetur se sistere Superiori non quidem, ut iterum absolvatur, sed ut mandatum ejus accipiat, & condigne, in quantum læserat, satisfaciat: alioquin enim reincideret in eamdem specie excommunicationem, & quidem ipso jure, propter novam inobedientiam, atque contemptum sese debite præsentandi de novo commissum: prout expresse statutum habetur *cap. Eos qui. De Sent. excommunicat. in* 6. estque communis Doctorum.

17 CONCL. III. Extra casum articuli mortis, si Confessarius non præditus legitima facultate absolvendi animadvertat, quod pœnitens inter alia confiteatur peccatum reservatum, ordinarie loquendo non debet ipsum absolvere, sed ad Superiorem mittere; nisi ipsemet Confessarius possit, ac velit ab eodem facultatem absolvendi petere, tacito tamen nomine pœnitentis. Ita Doctores communiter, concordat Concilium Trid. *cit. Sess.* 14 *cap.* 7. cujus verba *n.* 3. referuntur.

18 Dicitur, *ordinarie loquendo.* Nam, si urgeat aliqua necessitas; v. g. si pœnitens, longe distet ab Episcopo, vel alio habente potestatem absolvendi a reservatis, & tamen nunc debeat celebrare, vel communicare, tunc Confessarius potest absolvere pœnitentem; difficile enim est, gravem talem peccatorem adstringere, ut absque ulla Confessione cum sola contritione, de cujus valore alias minus securus est, multisque anxietatibus subjectus, accedat ad Sacrificium Missæ, vel S. Communionem; consequenter ad tollendam hanc difficultatem Confessarius dictus potest absolvere, ita tamen, ut absolutio directe cadat super non reservata, tametsi solum venialia indirecte vero super reservata, cum onere, ut pœnitens postea Superiori, aut alteri habenti facultatem absolvendi se præsentet, ab eoque, prævia Confessione, a reservatis quoque directe absolvatur. Intellige, nisi malit ipsemet Confessarius a Superiore licentiam absolvendi impetrare, persona non nominata, ut supra dictum.

19 Adde cum Layman *cit. tract.* 6. *c.* 12. *n.* 10. Suarez, Henriquez, & aliis, idem dicendum esse, tametsi censura excommunicationis v. g. ob occultam Clerici percussionem reservationi annexa sit: adhuc enim in casu necessitatis poterit is indirecte absolvi ab inferiori Confessario. Ratio est: quia excommunicatio solo Jure Ecclesiastico arcet a receptione Sacramentorum, & consequenter cessat ejus obligatio in casu magnæ necessitatis. Quinimo, cum excommunicatus ad vitandam infamiam possit præmissa contritione SS. Eucharistiam suscipere (*b*) cur non pariter urgente simili necessitate Sacramentum Pœnitentiæ.

20 Ceterum in præmisso casu multi Doctores volunt, per se loquendo sufficere confiteri sola peccata non reservata inferiori Confessario: quam sententiam Herincx *disp.* 3. *De Confes. q.* 5. *n.* 61. valde probabilem asserit, eo, quod nemo per se loquendo obligetur ad idem peccatum bis confitendum. Oppositam tamen sententiam plurimi tenent Doctores, estque saluberrimum consilium, & per accidens quandoque necessarium, etiam peccata reservata inferiori Confessario exponere, ut sic pœnitens in rebus necessariis melius instrui, aut, si indignus fuerit, a Sacramento Pœnitentiæ repelli possit; prout bene notat Herincx ibidem.

Additio

* Quæres. Quid ergo practice observandum sit Confessario non habenti potestatem absolvendi a reservatis, si pœnitens confiteatur peccatum reservatum? Resp. Ante omnia, præsertim, si in aliqua Confessione generali pœnitens simile peccatum proponat, talis Confessarius observet. I. An non alias tempore alicujus Jubilæi cuicumque demum Confessario approbato, vel extra illud saltem Confessario, speciali facultate directe absolvendi a reservatis prædito, peccatum illud pœnitens fuerit confessus: tunc enim posset haud dubie etiam directe absolvere ab eodem. Quinimo plurimi Auctores cum Herincx, Lugo, Sporer, Covarruvia, Lessio, Ledesma apud la Croix *loc. cit. num.* 1695. putant a peccato reservato absolvere posse directe Confessarium, alias non habentem facultatem absolvendi a reservatis, si pœnitens antea confessus fuerit alicui facultate absolvendi a reservatis prædito, ubi tamen peccatum reservatum eo tempore jam commissum in specie, vel quoad numerum invincibiliter omisit: voluit enim prior Confessarius saltem implicite, & virtualiter facere, quod potuit: sed potuit prior Confessarius ex sua potestate tollere reservationem: ergo censetur implicite saltem voluisse, prout D. D. eodem modo discurrunt, si quis tempore Jubilæi invincibiliter omisisset confiteri aliquem casum Papalem, vel Episcopalem.

Ast ponamus, peccatum reservatum fuisse a pœnitente commissum primum ab ultima Confessione; in eo casu Confes-

Confessarius alias facultate directe absolvendi a reservatis carens observet II. Num omnes conditiones ad reservationem requisitæ adsint : puta, num fuerit deliberate commissum, num certo constet, esse annexam reservationem &c. quod si sic, observet III. In quo statu existat pœnitens, num in periculo mortis, vel saltem in aliqua necessitate e. g. confitendi ob periculum alias infamiæ : stante periculo mortis poterit absolvere directe, quoad alias vero necessitates præsentes indirecte cum onere se sistendi postea adhuc Confessario specialiter habenti facultatem absolvendi a reservatis. Quod si nec ulla adsit necessitas, persuadeat pœnitenti, ut accedat Confessarium alium facultate absolvendi a reservatis prædditum, nisi forsan Confessarius in tali existat Diœcesi, in qua temporibus certis conceditur Confessariis, quoad alia peccata extra casus reservatos alias approbatis, absolute potestas absolvendi a casibus quoque reservatis, atque in tali die pœnitens deponat Confessionem, inque eadem similem proponat casum reservatum; nam tunc is posset etiam absolute, & directe ab eo absolvi. Conceditur autem similis facultas in Diœcesibus Salisburgensi, & Passaviensi plerumque in principalioribus Festis Domini, & Beatissimæ Virginis MARIÆ teste Patre Elbel hic *Conferentia XIV. n.* 390. *

QUÆSTIO III.

De Sigillo Confessionis.

SUMMARIUM

21 *Sigillum Confessionis, quid?*
22 *Quanta sit ejus obligatio?*
* *Etsi pœnitenti absolutio ob ejus indispositionem negetur,*
23 *Confessarius tenetur celare peccatum auditum jure naturali, Divino,*
24 *Et Ecclesiastico.*
25 *Sub Sigillo Confessionis, quæ omnia cadant?*
26 *Corollarium.*
27 *Sigillum Confessionis potest violari directe, & indirecte.*
28 *Exempla violationis indirectæ.*
29 *Alia hujus exempla.*
* *Admonitio ad Confessarios.*
30 *Cautela notabilis.*
31 *Quando Confessarius possit uti notitia Confessionis?*
32 *Cautela.*
33 *An quis possit uti notitia Confessionis ad declinandas insidias?*
* *In quibusnam casibus aliis? Addit. I. & II.*
34 *De licentia confitentis, an liceat revelare Confessionem?*
35 *Sententia aliorum.*
* *Quam tamen restringunt ad licentiam expressam.*
36 *Præter Confessarium, qui alii teneantur ad Sigillum?*
37 *Quid, si quis alterius Confessionem scriptam reperit?*
* *An Confessarius loqui possit post datam absolutionem de auditis sub hac vel alia Confessione?*

21 CONCL. I. Per *Sigillum Confessionis* aliud non intelligitur, quam obligatio illa, qua in secreto teneri debent peccata ex Sacramentali Confessione cognita. Et hæc obligatio dicitur *Sigillum*, sumpta metaphora a sigillo materiali, quo solent obsignari res illæ, quas volumus omnino esse occultas, & secretas.

22 CONCL. II. Certum est, talem obligationem nihil revelandi de peccatis in Confessione auditis, defacto extare : quæ quidem obligatio tanta est, tamque graviter Sigillum Confessionis obligat, ut communiter Theologi asserant, non licere Confessario ex quacumque causa, etiam gravissima, utputa ob periculum vitæ suæ, imo nec ob periculum totius reipublicæ, peccatum in Confessione auditum revelando ipsum pœnitentem manifestare. Ratio hujus strictissimæ obligationis est: quia alioquin fieret injuria Sacramento Pœnitentiæ, simulque Confessio in bonum supremi ordinis, nimirum in salutem spiritualem animæ instituta redderetur odiosa, & merito retraherentur ab ea Fideles, si scirent, in aliquo casu posse peccata confessa revelari in eorum præjudicium.

Additio.

* Nec refert, quod talem peccatorem Confessarius ob indispositionem, puta, ob defectum doloris, aut propositi, vel quia eam, quam facile potuit, occasionem proximam noluit relinquere, non absolverit; adhuc enim dictus Confessarius obligatur ad strictissimum silentium Sacramentale, neque potest huic schedam Confessionis publice petenti denegare, quia in similibus circumstantiis negare, esset indirecte dicere, quod non sit rite confessus, ut recte la Croix *L. 6. p.* 2. 1944. dummodo ceteroquin pœnitens enarraverit animo eadem confitendi: secus dicendum, si certo constiterit, quod nullum habuerit animum confitendi, sed tantum proposuerit, ut ob alios malos fines simulet apud alios Confessionem, puta, ad illudendum Confessario, ad eumdem præcise solicitandum, & seducendum &c. Ita cum aliis Layman, & Lugo apud la Croix *Lib. 6. part.* 2 *num.* 1942. *

23 CONCL. III. Peccatum in confessione detectum tenetur Confessarius celare tum Jure Naturali, ac Divino positivo, tum etiam Ecclesiastico. Ita Scotus 4. *dist.* 21. *q.* 2. & Theologi communiter. Ratio prioris partis est: quia alioquin hinc Lex naturæ de servanda fidelitate, & secreto Proximi celando violaretur, illinc autem Præceptum Christi positivum. Nam Christus, dum instituit Sacramentum Pœnitentiæ, præcepitque Confessionem, simul Confessariis arctissimam hanc Sigilli obligationem imposuit: ut patet tum ex perpetua traditione, ac sensu Ecclesiæ, tum ex eo, quia alioquin præceptum Confessionis non esset accommodatum conditioni humanæ, ac spirituali Fidelium utilitati.

24 Ultima pars, quod etiam Jure Ecclesiastico Sigillum Confessionis sit præceptum, patet inter alia ex *cap. Omnis utriusque sexus. De Pœnit. & remiss.* ubi pœna Depositionis a Sacerdotali Officio, ac perpetuæ pœnitentiæ in arcto Monasterio peragendæ constituitur iis, qui Sigillum Confessionis violaverint.

25 CONCL. IV. Sub Sigillo Confessionis non tantum cadunt peccata confitentis, sed etiam peccata complicis, item circumstantiæ peccatorum, quæ ad eorum Confessionem aliquo modo pertinent, & ex quarum revelatione potest confitenti evenire infamia, vel aliud incommodum: utputa, si quis confessus sit, se illegitime natum Sacros Ordines recepisse, infamibus parentibus ortum, nobilitatem generis jactasse &c. tales, inquam, peccatorum circumstantiæ v. g. defectus natalium, aut generis obscuritas a Confessario manifestari non possunt fine Sigilli violatione. Ratio est; quia per horum, ac aliorum similium revelationem confitenti fieret præjudicium, & sic Confessio redderetur odiosa.

26 Similiter, atque ob eamdem rationem violatur Sigillum Confessionis, si Confessarius generatim dicat, Titium sibi confessum esse peccatum mortale, vel habuisse casum reservatum, aut censuram excommunicationis. Item, si dicat, se illum non absolvisse, quia non recte dispositus erat. Insuper Confessarius violat Sigillum, si peccatum aliquod veniale in specie revelet, secus foret, si solum in genere; cum certum sit, pœnitentem ad minus peccatum veniale confiteri debuisse, nam alioquin Confessio non subsisteret. Unde, si quis dicat, Titium confessum sibi esse peccatum veniale, Sigillum non violatur : bene tamen, si dicat, Titius confessus est mendacium. Monet quoque Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 14. *num.* 6. cum aliis, cavendum esse Confessario, ne aliquo loquendi modo sinistram de confitente opinionem apud alios generet; v. g. si dicat; *Titius minutissimis suis peccatis sæpe mihi molestus est*, significare enim videtur, illum scrupulosum esse, & sic indirecte Sigillum Confessionis violavit. Quod ultimum ut melius intelligatur, sic

27 CONCL. V. Sigillum Confessionis duplici modo violari potest, directe scilicet, ac indirecte. *Directe* tunc *violatur*, quando Confessarius expresse & aperte peccatum confessum, aut aliquid aliud sub Sigillo cadens manifestat. *Indirecte violatur Sigillum Confessionis*, quando, licet Confessarius nihil aperte revelet, ita tamen verbis vel signis se gerit, ut alter possit in notitiam peccati confessi devenire, & colligere, hunc pœnitentem habuisse peccatum mortale, vel certum veniale &c. Ita Doctores communiter.

28 Ista Conclusio, ac præsertim secunda pars ipsius amplius declaratur exemplis. Sic quippe Parochus publice cuipiam negans Sacramentum v. g. Eucharistiæ, propter solam notitiam e Confessione acceptam, indirecte frangit Sigillum. Uti etiam, si taliter Confitenti in loco publico tempore Paschali schedam alias dari solitam ob pœnitentis indispositionem ex ipsa Confessione cognitam negaret. Item, si ob peccata occulta imponeret notabilem pœnitentiam *publicam*, ex cujus persolutione facile alii deducere possent, pœnitentem fuisse gravem peccatorem. Similiter Confessarius, si absolute dicat, se non absolvisse Petrum, nulla alia addita rationabili causa, frangit Sigillum indirecte, eo quod absolutio nulli negetur, nisi supposita indispositione pœnitentis, aut ob casum reservatum. Unde, si interrogetur Confessarius, an hunc vel illum absolverit, non debet absolute negare, neque affirmare, se absolvisse, si non absolvit; sed optimum erit dicere se functum fuisse munere suo. Pariter frangit Sigillum, si pœnitentiam gravem impositam manifestat.

29 Insuper Sacerdos, qui aversionem aliquam a peccatore ex notitia accepta in Confessione concipit, ac severiorem vultum ea de causa illi ostendit, aut minus grate ei colloquitur &c. frangit Sigillum indirecte: quia sic facto exprobrat pœnitenti peccata confessa, & si hoc liceret, redderetur Confessio multum odiosa, præsertim inter eos, qui simul debent cohabitare. Marchantius, Lugo, Bonacina, & alii. Similiter illicitum est, extra Confessionem revocare pœnitenti in memoriam sua peccata confessa, etiam ipsum consolandi gratia: quia ipse hac ratione confunderetur, sicque Confessio, si hoc passim liceret, odiosa redderetur.

Additio.

* Viderint hic illi Confessarii, qui non studentes implantandis virtutibus, pleni suis passionibus se ipsos regere nequeunt, an non indirecte conformiter doctrinæ sancti Caroli Borromæi *c.* 12. *Instruct. Pastoral.* frangant Sigillum, qui, dum vocantur in Confessionale ad quempiam, quem ex aliis Confessionibus jam resciunt magnum peccatorem, ante accessum per notabilem ob admissas voluntarie passiones immutationem faciei, sive sub ipsa Confessione per deliberatam actionem manuum, vel per profundos gemitus, per elevationem vocis, per proruptionem violentam ex Confessionali, per impatientia clamorosa verba dant aliis intelligere, qualis sit status pœnitentis, & quidnam timeatur. Attendant sibi etiam alii Confessarii, qui, dum deprædicantur suæ spirituales filiæ a Confessionibus, quas exinde virtuosas sciunt, miris eas juvant extollere laudibus: econtra vero, dum pariter laudantur aliæ, quas ex Confessione occultis vitiis deditas noscunt, silent, oculos in terram demissos tenent, vel alia signa suæ internæ cognitionis præbent. Item caveant sibi nonnulli garruli Confessarii, de aliqua civitate alias non ampla & bonæ famæ dicentes, e. g. quod plurimum ibi invalescant vitia, seu multum grassentur adulteria &c. nam, si ex Confessionali habeant, & non aliunde, apud alios, qui talia de hac civitate non credebant, eamdem infamant, & Sigillum sic frangunt, ac odiosum reddunt Sacramentum Pœnitentiæ. Invigilent pariter illi Superiores, ne frangant indirecte Sigillum, utendo ad gubernium illa notitia, quam hauserunt præcise ex Confessionali cum magno periculo, ne ex isto modo agendi deveniatur in notitiam pœnitentis, qui peccatum illud confessus fuit.

30 Hinc non immerito Clemens VIII. in Decreto de Casibus reservatis die 26. Maji 1593. edito (& verbatim refertur a Bassæo *Verf. Casus reservatus n.* 40.) universis Regularibus sic mandavit: *Tam Superiores pro tempore existentes, quam Confessarii, qui postea ad Superioratus gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in Confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem utantur &c.* Quod Decretum, etsi specialiter de Regularibus, utpote perpetuo simul cohabitantibus loquatur, quia tamen quoad hoc punctum consonat Juri naturali, ac Divino, etiam ad alios extendendum erit, ne Sacramentalis Confessio quoquo modo reddatur odiosa.

31 CONCL. VI. Nihilominus licite utitur Confessarius notitia Confessionis ad actiones non afferentes ullum prorsus incommodum pœnitenti, vel complici. Ita in re communis: sic enim nec censetur directe, aut indirecte revelari peccatum in Confessione detectum, nec ipsa Confessio redditur ullatenus odiosa, & onerosa. Et utique propter notitiam ex sola Confessione haustam potest Confessarius dare eleemosynam tali, quem ex ipsa Confessione novit, vere, & non tantum simulate esse pauperem; vel orare DEUM pro salute sui pœnitentis, ob consuetudinem occultorum peccatorum de æterna salute periclitantis: potest etiam DEUM orare, ut se per gratiam suam a similibus peccatis misericorditer præservet; potestque se magis præcavere ab illis peccatorum incitamentis, & illiciis, quibus videt pœnitentem suum a diabolo seductum fuisse, ac postea graviter cecidisse, & hujusmodi. Rursum Concionator, vel scriptor rerum ad mores spectantium potest ejusmodi notitia uti ad parandas tanto aptius Conciones, Commendationes, dummodo hoc ita fiat, ut nec ullo modo deveniatur in notitiam confitentis peccata, nec ulli exinde incommodum sequatur, neque scandalum pusillorum sequi valeat.

32 Et hoc ultimum notanter additur: quia coram simplicioribus hominibus cavendum est Confessariis, ac præsertim Concionatoribus, ne dicant, sese hoc vel illud e confessionali scire; nam per hujusmodi dicta facile simpliciores scandalizantur. Unde infert Gobat *tract.* 7. *Theol. Experim. n.* 878. cum Diana *part.* 3. *tr.* 4. *resolut.* 76. quod communiter peccent graviter Concionatores, præsertim si sint Parochi; quando dicunt expresse, se hæc vel illa peccata percepisse in Confessione: quia communiter homines, præsertim plebeii, scandalizantur similibus verbis.

33 Ex dictis patet resolutio illius Quæstionis, utrum Sacerdos, si ex notitia Confessionis sciat, sibi in via, vel in nemore parari insidias, aut præberi venenum in poculo, possit hoc periculum declinare? Resp. enim, hoc licite fieri, dummodo id occasione aliunde accepta absque ullo detrimento, aut manifestatione confitentium fieri possit; ut notat Scotus 4. *dist.* 21. *q.* 2. §. *Ad argumenta*, & Sanchez *l.* 3. *de matrim. disp.* 16. citans plurimos alios, & ratio est: quia in tali casu proprie loquendo non fit directa, aut indirecta revelatio aliis de peccato ex una parte, ex altera vero neque exinde hoc Sacramentum Pœnitentiæ redditur odiosum: cum nulli inferatur damnum, seu gravamen ex una parte (nam tollere præcise ipsum actuale peccatum, absque adjuncto simul aliquo alio incommodo, utique non est inferre gravamen Pœnitenti) ex altera autem parte non sit ullum periculum (uti supponitur) deveniendi in notitiam Pœnitentis. Secus dicendum, si id fieri nequeat sine præjudicio, manifestatione, aut suspicione Rei confessi: nam sic redderetur Confessio odiosa.

Additio I.

* Quare circa dictam doctrinam, qualiter Confessarius ad extra uti possit notitia præcise ex Confessionali hausta, in compendio semper duo ex P. Sporer *part.* 3.

Theolog. Sacram. c. 7. *q.* 4. præsertim §. 3. præ oculis habenda sunt. *Primo*, num non adsit grave periculum, ne alii extranei exinde vi ipsius usus talis notitiæ deveniant in cognitionem personæ, quæ illud peccatum confessa fuit? nam, si id foret, nullo umquam casu juxta jam dicta Conclus. II. liceret usus talis notitiæ, quoniam si per illum usum ejusdem notitiæ manifestaretur saltem indirecte peccator confessus. *Secundo*, posito autem, quod vi ipsius usus notitiæ equidem alii non ducerentur in cognitionem peccatoris pœnitentis; bene tamen pœnitens adverteret, quod Confessarius utatur notitia ex sua confessione hausta, eo casu distinguendum est, num talis usus notitiæ cedat in verum incommodum pœnitentis, vel non? Si posterius, poterit uti notitia hac: e. g. si Confessarius ex suo pœnitente in confessionali cognovit, quod is per certa verbi vexatoria fuerit sæpe ad internam gravem iram commotus, poterit deinceps Confessarius in discursu familiari similes vexationes intermittere &c.

Quod si autem usus dictæ notitiæ vergat simul in aliquod incommodum pœnitentis, eam Confessarius adhibere nequit, etsi exinde nullo modo apud alios deveniatur in notitiam peccati. Et hinc non potest Confessarius, vel Magister Notiviorum, qui alias in votando votum affirmativum dedisset, illud prædicto negare ideo, quia præcise ex Confessionali noscit ipsum indignum. Nec refert, quod nullus exinde extraneus, quin nec ipse pœnitens advertat, fuisse negatum votum ab isto Confessario. Nam contra est, quod usus talis scientiæ non solum propterea sit interdictus, ne extranei deveniant in notitiam confessi, ejusque peccati, verum etiam, ne Sacramentum ullo modo reddatur odiosum pœnitentibus; prout tamen fieret, si scientia confessionis in gravamen pœnitentis uti liceret. Hinc merito innocentius XI. in Congregatione Generali Universalis Inquisitionis die 18. Novemb. 1682. expresse inhibuit, scientia confessionis uti cum gravamine aliquo pœnitentis, quamvis absit omnis Sigilli revelatio, & quamvis NB. multo majus gravamen ejusdem pœnitentis ex non usu hujus scientiæ sequeretur. Videantur allegantes hoc Decretum in terminis Sabinus Bononiens. in *Luce Morali tract.* 70. *nu.* 50. & la Croix *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 1977. prout etiam teste Henno *tract. de Pœnit. disp.* 10. *q.* 6. *concl.* 1. Episcopi Belgici id ipsum repetierunt. En quam strictum velint Summi Pontifices Sigillum Confessionis. *

Additio II.

* Ex adducta doctrina infertur I. Quod satis probabiliter Superior, qui ex Confessione scit, subditum suum tempore nocturno per aliquod occultum ostiolum exire ad peccandum, possit curare illud claudi, dummodo huic subdito aliud incommodum præter sublationem occasionis peccandi exinde non eveniat ex una parte, & ex altera absit omne periculum deveniendi in notitiam peccantis subditi: secus dicendum, si subdito ex usu talis scientiæ aliud simul reale incommodum eveniret; quamvis minus quam id, quod nasceretur ex non usu dictæ scientiæ. Infertur II. Non posse Parochum suo œconomo, tenenti alias clavem generalem, illam auferre, si præcise ex Confessione sciat, quod ea abutatur, exeundo sæpius de nocte ad suam amasiam &c. nam præterquam quod foret periculum deveniendi exinde in notitiam hujus peccati, insuper alias foret œconomo valde incommodum carere hac clave, qua etiam uti solebat pro administratione sui officii. Infertur III. Non posse dictum Parochum dimittere famulum suum ex eo, quia ex Confessione ejusdem devenit in notitiam, illum plura domino suo abstulisse; hæc enim dimissio foret reale gravamen famulo (uti supponitur) quod ei non evenisset, si hoc peccatum non detexisset; bene vero, his non obstantibus, poterit ille Parochus intra ipsum Tribunal salutaribus monitis urgere præsentem famulum, & priorem œconomum, ut ille ablata restituat, & iste clavem generalem sponte consignet, præsertim noctu ad evitandum sic peccandi occasionem; uti recte notat Elbel hic *Conferent.* 20. *num.* 514. Ceterum, si dicti postea id non præstent, nihil ulterius facere, nec propterea famulo tempore solvendi salarii quidquam detrahere potest. *

34 CONCL. VII. Utrum de licentia pœnitentis possit Confessarius revelare Confessionem Sacramentalem, disputant Theologi. Negant plerique ex antiquioribus, ac præsertim Scotus *cit. disp.* 21. *q.* 2. Alensis, aliique. Ratio est, quia, licet pœnitens possit cedere juri suo, non tamen potest cedere juri Sacramenti: atqui Sigillum est introductum jure naturali, atque ex primaria Christi institutione in favorem Sacramenti, & secundario solum in favorem pœnitentis; ergo.

35 Oppositum docent multi alii cum D. Thoma *in Supplem. part.* 3. *q.* 11. *art.* 4. tum quia, si pœnitens det licentiam loquendi de peccatis in confessione auditis, videtur cessare ratio secreti naturalis, atque reverentia Sacramenti: tum quia *cap. Significasti. De Adulteriis*, legitur, quod de licentia mulieris Sacerdos cui hæc confessa fuit, dixerit, eam sibi confessam esse adulterium, nec tamen in hoc casu vel mininum Sacerdos reprehenditur a Papa. Verum Barbosa *ad cit. c. Significasti n.* 2. *post.* Navarrum *in c. Sacerdos de Pœnit. dist.* 6. *n.* 126. & quidnam alii censent, illud Capitulum loqui non de Confessione Sacramentali, sed extra Sacramentum Sacerdoti tam per adulterum, quam adulteram acta. Et hinc præsens Quæstio ulteriori Disputationi Theologicæ relinquitur.

Additio.

* Hoc tamen notanter superaditur, quod etiam illa sententia, quæ admittit intra ipsam confessionem, vel etiam jam terminato judicio Sacramentali dari posse a pœnitente licentiam loquendi extra, circa quædam in confessionali proposita, superaddat, prædictam licentiam confitentis debere esse expressam, ac liberrimam, nec sufficere interpretativam, vel metu etiam reverentiali extortam: nam, si sufficeret interpretativa, quoties foret periculum abutendi hac interpretatione? &, si demeretur plena libertas, quanta v. g. si manifestatio fieret ex metu præcise; quanta, inquam aperiretur janua confessionibus sacrilegis? Videantur Sporer *c.* 7. *Theolog. Sacram. n.* 819. Sabinus Bononiens. *tract.* 70. *nu.* 30. ac notanter Albertus Reiffenstuel in sua Practica *part.* 1. *c.* 6. *n.* 508. *ac seq.* & Henno *loc. cit. q.* 5. *con.* 3. *

36 CONCL. VIII. Præter Confessarium, ad quem Sigillum confessionis principaliter spectat; obligantur quoque ad tacendum aliæ personæ, ad quas Sacramentalis Confessio immediate vel mediate pervenit: utputa, astantes, quidpiam audientes, interpres, per quem facta est Confessio; item ille, cui pœnitens bona fide confitetur, existimans eum esse Sacerdotem, cum non sit; item Superiores pro licentia absolvendi a Casibus per pœnitentes requisiti: similiter Viri docti a Confessario super peccatis & statu pœnitentis consulti, si per accidens devenirent in notitiam illius peccatoris. Ita Doctores communiter. Ratio est: quia hujusmodi revelatio foret contra reverentiam Sacramenti, ipsamque Confessionem redderet odiosam.

37. Addunt nonnulli: eum quoque teneri Sigillo Confessionis, qui Confessionem alterius memoriæ causa scriptam reperit. Sed alii rectius negant, hunc Sigillo Sacramentali obligari. Rationem dant, quod talis scriptura non sit Confessio Sacramentalis, sed tantum remote ac per accidens ordinetur ad Sacramentum Confessionis. Interim tamen ille, qui talem scriptam confessionem reperit, arctissimo secreto naturali obligatur, adeo ut peccet mortaliter, si gravia, seu diffamantia peccata consulto legat, aut lecta alis evulget: quamvis secus sit, si ex curiositate sola levia peccata legat, vel lecta aliis reveles. Layman *loc. cit. n.* 19. & alii.

Additio

* Quæres. An Confessarius post datam absolutionem, vel in alia Confessione possit, non petita prius a pœnitente licentia, loqui cum pœnitente de auditis in Confessione citra fractionem Sigilli? Resp. I. Potest Confessarius etiam absque petitione specialis licentiæ circa fractionem Sigilli loqui in hac Confessione cum pœnitente de auditis a se in alia Confessione. Ita cum Aversa, Granado &c. Henno *tr. de Pœnit. disp.* 10. *q.* 4. *Conc.* & la Croix *lib.* 6. *p. n.* 1981. Ratio est, quia loquitur sic in eodem foro Sacramentali: idque vel maxime procedit, quando Confessarius prudenter judicat, hoc requiri ad cognoscendum statum præsentem Pœnitentis: unde taliter contingit cum consuetudinariis, cum quibus loquitur Confessarius, si viderit, quod semper antiqua in specie, & numero afferant peccata. Resp. II. Completa semel valida absolutione, & non amplius durante priori judicio, non licet extra ipsum Sacramentum Pœnitentiæ citra periculum fractionis Sigilli etiam cum ipso pœnitente loqui de actitatis in Confessione; nisi petatur prius a confitente licentia. Ita communis. Ratio est; quia, si sic de per se liceret absque petita prius loquendi licentia, foret id valde incommodum confitenti: non licet autem extra Sacramentum Pœnitentiæ juxta jam dicta uti notitia Confessionis, si id pœnitenti incommodum existat. Videatur la Croix *loc. cit. n.* 1776. Ast ponamus, quod Confessario, uti sæpe fit, illico post completam absolutionem incidat hoc, vel illud de specie, vel de numero &c. adhuc fuisse interrogandum, vel pœnitentem fuisse admonendum de dimittenda occasione proxima, debebitne etiam pro tunc petere illico post absolutionem a pœnitente licentiam loquendi? Suppono hic ante resolutionem, Confessarium sub absolutione non debere se multum reflectere ad præcedentia, sed potius attendere, quomodo devote proferat formam absolutoriam, ne alias, si similibus incidentiis sæpius superfluis, scrupulosis, & a malo spiritu suggestis aures præbeat, multùm distractus, ac perturbatus evadat, dubitando non raro, an substantialia ipsius formulæ protulerit. Omnia tempus habent: sub Confessione, vel ea finita erat tempus interrogandi, sub prolatione autem absolutionis est tempus attendendi ad formam, ne error ibidem committatur. Hoc supposito respondet ex Tannero, Aversa, Card. de Lugo, Dicastillo, & aliis ad hoc incidens dubium contra Fagundez, P. la Croix *loc. cit. n.* 1980 uti sequitur: *Potest statim absolutionem (supple Confessarius) de auditis in Confessione cum pœnitente loqui non petita venia loquendi; quia, cum in continenti, id est, pœnitente, & Confessario adhuc existente in Confessionali fiat, censeatur ipsum judicium adhuc durare saltem intra ipsum judicium, ita & nunc.* Idem sentit Henno *loc. cit.* *

DISTINCTIO X.

De Satisfactione, ut tertia Parte Sacramenti Pœnitentiæ.

QUÆSTIO I.

De Satisfactione Sacramentali, ejusque acceptatione, & impletione,

SUMMARIUM.

1 *Satisfactio dupliciter sumitur.*
2 *Dimissa culpa non semper remittitur tota pœna peccatis debita.*
3 *Satisfactio, ut est pars Sacramenti Pœnitentiæ; quid?*
4 *Confessarius tenetur pœnitenti aliquam Satisfactionem injungere,*
5 *Regulariter loquendo, & an hæc sit pars essentialis?*
6 *Satisfactio Sacramentalis habet effectum remittendi partem pœnæ ex opere operato.*
7 *Ea in peccato mortali peracta sufficit ad integritatem Sacramenti.*
8 *An tunc habeat effectum ex opere operato sibi correspondentem?*
9 *Solvitur instantia.*
10 *An possit, pœnitens respuere pœnitentiam sibi impositam?*
11 *Quid, si Confessarius nolit eam moderari?*
12 *Quid de levi pœnitentia?*
* *Quid, si post Absolutionem afferatur novum peccatum?*
13 *Pœnitens tenetur implere pœnitentiam sibi injunctam.*
14 *Quid, si pœnitentia sit solum levis?*
* *Solvitur objectio.*
15 *Tenetur pœnitens per se ipsum implere pœnitentiam.*
16 *An hæc possit ipsi commutari a Confessario? cum Additione.*
17 *Et an tunc necesse sit repetere priora peccata?*
* *Quid sentiendum, si prioris Pœnitentiæ fuerit oblitus &c.*

1 ADvertendum, quod Satisfactio dupliciter accipiatur. I. Generaliter, quo modo importat actionem, qua quis facit, quantum debet: sic debitor solvens creditori dicitur illi satisfacere. II. Specialiter, proprie, ac stricte: quo modo ipsa est actio afflictiva corporis vel animæ, per quam DEO voluntarie satisfacimus pro pœnis temporalibus, quæ remanent ex peccatis virtute Pœnitentiæ a DEO quoad culpam jam remissis.

2 Certum siquidem est, quod quidem in justificatione peccatoris aliquando remittatur peccatum tam quoad culpam, quam quoad totam pœnam, adeo, ut nulla remaneat pœna temporalis pro eo luenda, prout contingit in Baptismo, & Martirio, quandoque in actu perfectæ contritionis, vel amoris DEI super omnia. Id tamen non semper fit, quinimo ordinarie loquendo, dimissa per Pœnitentiam culpa peccati mortalis: remanet aliqua pœna temporalis, in quam pœna æterna peccato mortali correspondens commutatur in hoc vel futuro sæculo luenda, prout liquet tum ex Concilio Trid. *sess.* 6. *c.* 14. & *sess.* 14. *c.* 8. tum ex pluribus S. Scripturæ locis; ac fusius contra Hæreticos ostendunt Controversistæ.

3 CONCL. I. *Satisfactio*, ut est tertia pars Sacramenti Pœnitentiæ, est opus bonum pœnale in Sacramento Pœnitentiæ a Confessario impositum tum ad complendam dicti Sacramenti integritatem, tum ad pœnæ temporalis peccatis confessis debitæ compensationem, seu solutionem. Ita Marchantius *tom.* 1. *Tribunalis. tract.* 4. *tit.* 7. estque in re communis. Dicitur, *in Sacramento Pœnitentiæ a Confessario impositum*, ad excludenda alia opera satisfactoria, & pœnalitates, quæ vel propria voluntate assumuntur, vel a DEO nobis immittuntur: hæc enim deserviunt quidem ad satisfaciendum pro peccatis nostris, non tamen sunt pars Sacramenti Pœnitentiæ, neque Satisfactio Sacramentalis, sed talis est ea solum; quæ a Confessario imponitur.

4 CONCL. II. Sacerdos regulariter loquendo tenetur aliquam Satisfactionem pœnitenti injungere. Ita communis Doctorum, & patet ex Concilio Trid. *sess.* 14. *cap.* 8. ibi: *Debent ergo Sacerdotes Domini pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares, & convenientes satisfactiones injungere.* Ratio esse potest; quia Sacramentum Pœnitentiæ se habet per modum Judicii, ubi in Tribunali sedet Confessarius: natura vero Judicii regulariter postulat aliqualem saltem punitionem delictorum commissorum, quæ deferuntur ad Tribunal. Accedit, quod idem Concilium *cit. sess.* 14. *cap.* 3. & *can.* 4. inter partes Sacramenti Pœnitentiæ etiam numeret Satisfactionem: sed Sacerdos Confessarius utique tenetur invigilare, ut ponantur partes Pœnitentiæ: ergo. Nec obstat, quod Satisfactio communiter tantum censeatur esse pars integralis hujus Sacramenti. Resp. enim, hoc parum urgere; quia Sacerdos tenetur etiam integritatem ipsius curare, uti & ipse pœnitens.

5. In-

5 Intellige *regulariter loquendo*: nam incapaci v. g. moribundo extra usum rationis constituto nulla Satisfactio imponi debet (imo nec potest) non obstante, quod dato signo petitæ Confessionis absolvi debeat. Ex quo liquet, Satisfactionem non esse partem essentialem Sacramenti Pœnitentiæ, sed integralem solum: quamvis Mastrius 4. *disp.* 5. *n.* 569. cum aliis hoc intelligendum censeat de Satisfactione actu exhibita, id est, de actuali executione ipsius: nam Satisfactio Sacramentalis in voto, sive propositum saltem implicitum satisfaciendi potest dici pars essentialis ipsius, in quantum hoc sublato (id est, si pœnitens tale propositum saltem implicitum non haberet, sed contrariam voluntatem) Sacramentum non conficeretur.

6 CONCL. III. Satisfactio Sacramentalis habet virtutem specialem ex opere operato remittendi aliquam partem pœnæ temporalis peccatis debitæ, quam non haberet, si illud ipsum opus esset voluntarie assumptum, aut aliunde impositum. Ita Doctores passim. Ratio est; quia Satisfactio a Sacerdote imposita, & a pœnitente adimpleta est pars Sacramenti Pœnitentiæ; ergo habet aliquem effectum ex opere operato (quia sicut totum Sacramentum, ita & quælibet pars ejus talem habere debet) atqui talis effectus alius non est, nisi remissio pœnæ temporalis peccatis confessis debitæ, utpote ad quam ordinatur; ergo.

7 CONCL. IV. Pœnitentia Sacramentalis in statu peccati mortalis peracta sufficit ad integritatem Sacramenti Pœnitentiæ, atque ad implendum præceptum Confessarii de persolvenda pœnitentia. Ita omnes Doctores: idque patet tum ex communi sensu Fidelium, qui non solent repetere pœnitentias forsan in statu peccati mortalis peractas, neque ad eas repetendas consueverunt a Confessariis obligari: tum ex eo; quia præceptum jejunii, & alia ejusmodi satis implentur, licet opera præscripta peragantur in statu peccati mortalis.

8 Adde cum Doctore Subtili 4. *dist.* 15. *q.* 1. §. *De quarto*, quem sequuntur Scotistæ communiter, & multi alii, ut Navarrus, Vasquez, Medina, Diana &c. quamvis melius sit, pœnitentiam injunctam in Charitate persolvere (quia talis non tantum solvit pœnam, sed etiam meretur augmentum gratiæ, & gloriæ cœlestis) adhuc tamen probabile esse, quod pœnitentia Sacramentalis in statu peccati mortalis peracta habeat effectum remissionis pœnæ temporalis peccatis confessis debitæ, ac sibi ex opere operato correspondentem, eo quod hujusmodi effectus habeatur ex meritis Christi, seu vi Sacramenti Pœnitentiæ, cujus Satisfactio illa est pars.

9 Nec obstat, quod homo non sit in statu gratiæ: tum quia, licet is de facto non sit in statu gratiæ, in illo tamen fuit tempore recepti Sacramenti Pœnitentiæ: tum quia, licet ad merendum requiratur status gratiæ, ex nullo tamen capite ostenditur, eum etiam requiri ad Satisfactionem virtute Sacramenti prius digne recepti. Verum hæc solummodo probabiliter dicuntur, quia multi alii oppositum tenent: imo non pauci hujus sententiæ Auctores asserunt, Satisfactionem in malo statu peractam delere pœnam non pro tunc, sed postea primum ablato obice, seu recuperato statu gratiæ. Hinc quilibet studeat persolvere pœnitentiam Sacramentalem in statu gratiæ: sic enim & merebitur, & certo solvet pœnam.

10 CONCL. V. Quamvis pœnitens ex aliqua causa rationabili possit pœnitentiam a Confessario sibi impositam non acceptare, petendo, ut alia sibi imponatur; tamen omnem pœnitentiam ab ipso sibi impositam respuere non potest, si ab eodem absolvi velit. Ita communis. Ratio primæ partis est: quia pœnitentiæ a Confessario injungendæ debent esse salutares, & convenientes statui seu facultati pœnitentium, juxta Concilium Trid. *Sess.* 14. *cap.* 8. ergo ob causam rationabilem, utputa quia ipsam commode peragere nequit, licite potest pœnitens hanc vel illam in particulari pœnitentiam respuere, veluti sibi non convenientem, ac rogare Confessarium, ut aliam mitiorem, sibique convenientiorem imponat.

11 Quod si Confessarius sit adeo imprudens, ac indiscretus (prudens enim hoc non faciet) ut non obstante rationabili petitione pœnitentis nolit illam pœnitentiam moderari, ac mitiorem imponere, poterit pœnitens licite a Confessione desistere, ac dicere Confessario, se alium minus severum, magisque discretum quæsiturum: nam pœnitens non tenetur sub peccato mortali quoad hoc ei obedire, nisi quatenus cupit ab ipso absolutionem recipere.

12 Altera pars ex eo probatur: quia Satisfactio est pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ: ergo tenetur pœnitens, extra casum impotentiæ, aliquam saltem levem pœnitentiam acceptare, & adimplere. Et certe, quis credat, talem esse rite dispositum, si extra casum impotentiæ neque unicum *Ave Maria*, aut prolationem Sanctissimi Nominis JESU, vel percussionem pectoris vellet pro pœnitentia Sacramentali acceptare? Neque contrarium docet Scotus 4. *dist.* 15. *quæst.* 1. & *dist.* 19. *q. un.* quia is partim loquitur de pœnitentia peccatis condigna; partim de tali, occasione cujus pœnitens traheretur in desperationem (tunc enim excusabit impotentia) prout ex ejus verbis desumitur, ac Notant Herincx *disp.* 4. *de Satisfact. n.* 15. Sannig *dist.* 12. *quæst.* 2. *n.* 10. & 11. ac alii.

Additio.

* Dices. Potest contingere, quod pœnitens post datam jam absolutionem afferat aliquod peccatum antea in Confessione oblitum, ubi juxta Amicum, & aliquos alios DD. non est opus imponi aliquam novam pœnitentiam, quamvis de novo, si peccatum fuerit grave, debeat dari absolutio Sacramentalis: ergo quoad Sacramentum Pœnitentiæ non tenetur Sacerdos imponere aliquam Satisfactionem; cum absque Satisfactione in allegato casu valide, & licite post novam Confessionem peccati obliti nova administretur absolutio Sacramentalis. Resp. ad anteced. cum la Croix *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 1239. sub certa moderatione inferius ponenda, negando hanc Amici sententiam; nam, cum in simili casu sit novum judicium, utpote nova Confessio, & nova absolutio, pariter erit ad salvandam Sacramenti integritatem ad minus quidpiam leve addendum, vel, cum possit subinde injungi pro Satisfactione opus etiam aliunde præceptum, debebit saltem illa pœnitentia, quæ antea data fuerat, nunc expresse extendi, & injungi etiam pro posteriori Confessione. Quinimo, si peccatum post primam Confessionem superadditum statum pœnitentis notabiliter immutaret, Satisfactio de novo injungenda deberet esse proportionata peccato illi de novo adjuncto, qualiter nimirum alias Confessarius Satisfactionem imposuisset, si statim ab initio illud peccatum in Confessione manifestatum fuisset. *

13 CONCL. VI. Tenetur pœnitens sub peccato adimplere pœnitentiam sibi a Confessario impositam. Patet hoc ex *cap. Omnis utriusque sexus. De Pœnit. & remiss.* ubi cuilibet confitenti præcipitur, quod, *injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere.* Accedit ratio: quia tenetur pœnitens recipere Sacramentum Pœnitentiæ non solum essentialiter, sed etiam integraliter totum.

14 Ceterum notat hic Suarez *disp.* 38. *sect.* 7. *nu.* 4. & 5. cum aliis, quod, quamvis obligatio adimplendi pœnitentiam sit ex genere suo gravis, ac proinde ille peccet mortaliter, qui non adimplet gravem pœnitentiam, vel notabilem ejus partem omittit, tamen, si pœnitentia sit solummodo levis v. g. dicere quinque *Pater & Ave*, aut modica tantum ejus pars omittatur, non committatur peccatum mortale, sed solum veniale: quia etiam hic levitas materiæ excusat a mortali.

Additio.

* Objicies. Si pœnitens ex incuria peccaminosa, seu deliberata negligentia quinque Pater, & Ave etiam pro solis

solis venialibus, vel pro mortalibus jam confessis imposita intermittit ex integro, talis est in causa, ut Sacramentum hoc maneat incompletum, cum non ponantur omnes partes; quoniam juxta jam dicta etiam Satisfactio est pars ejusdem; sed qui est in causa, ut Sacramentum Pœnitentiæ sit incompletum, peccat graviter, quamvis ceteroquin afferat mera peccata venialia: ergo, quamvis non delinquat mortaliter, qui levem, ac minus notabilem partem pœnitentiæ omittit, saltem peccabit graviter, qui ex integro quinque Pater, & Ave intermittit. Min. probatur ab exemplo, sic omittens dolorem graviter peccat, etsi confiteatur mera venialia; quoniam Sacramentum facit incompletum: ergo. Respondent ad hoc Henno *Tract. de Pœnit. disp. 6. qu. 2. concl.* 3. & la Croix *loc. cit. n.* 1278. ac *n.* 1279. disting. maj. Talis est in causa, ut Sacramentum maneat incompletum essentialiter, neg. habetur enim absolutio, & omnes conditiones necessario ad essentiam dicti Sacramenti requisitæ: talis est in causa, ut Sacramentum maneat incompletum integraliter, concedunt quidem: ast subjungunt simul ex Aversa, quod completio integralis per materiam levem non obliget, nisi leviter secundum materiam. Quinimo citati Auctores insuper ex Ledesma, Soto, Navar. Suarez, & Layman, quod, si etiam pœnitentia gravis propter peccata levia, vel gravia antehac jam confessa imponeretur, omittens eamdem non peccaret graviter, sicuti non delinqueret mortaliter, qui intermittit Rosarium, ad quod recitandum se obstrinxerat tantum sub levi; nam etiam Confessarius tamquam Judex æquus demptis iis, quæ spectant ad essentiam, & valorem Sacramenti, non potest obligare sub gravi, ubi peccata in Confessione proposita sunt tantum levia, vel saltem non materia necessaria Confessionis. Ita illi cum AA. citatis. Mihi vero, etsi dicta hæc non displiceant, si confitens talis saltem aliquid leve de pœnitentia injuncta persolvat, sicque suo modo saltem Sacramentum Pœnitentiæ adintegret, videretur tamen allegata DD. sententia multum difficilis, si omnimodam Satisfactionem intermittat, deliberate, ac voluntarie relinquendo totaliter Sacramentum quoad integritatem incompletum.*

15 CONCL. VII. Pœnitens tenetur per se ipsum implere pœnitentiam Sacramentalem, & non potest eam implere per alium, quem sibi propria auctoritate substituit. Ita Theologi communiter. Ratio est: quia juxta Concilium Tridentinum soli actus pœnitentis sunt quasi materia Sacramenti Pœnitentiæ; ergo debet Satisfactio fieri per ipsummet pœnitentem. Concordat textus *cit. cap. Omnis utriusque sexus. De Pœnit. & remiss.* Et hinc merito Alexander VII. sequentem, ordine 15. Propositionem damnavit: *Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.* Interim tamen, si cuipiam injungitur elargitio eleemosynæ pro Pœnitentia Sacramentali, utique poterit eamdem dare per suum famulum; cum principalis dans adhuc moraliter censeretur ipsemet pœnitens, cui hæc satisfactio fuit injuncta,

16 CONCL. VIII. Quamvis pœnitens non possit Pœnitentiam Sacramentalem sibi impositam propria auctoritate commutare in aliud opus, etiam evidenter melius: potest tamen pœnitentia ab uno Confessario imposita ab alio ex rationabili causa commutari in aliam pœnitentiam, non solum æqualem, aut meliorem, sed & in mitiorem. Ita Doctores communiter, ac præsertim Herincx *cit. dist.* 4. *q.* 4. *n.* 31. Sannig *loc. cit. q.* 3. hoc extendentes ad quemlibet Confessarium, etiam altero inferiorem (dummodo pœnitentia non fuerit a Superiore imposita pro casu reservato), quia idem est Tribunal, atque Judicium ejusdem potestatis in utroque, censeturque alter Confessarius quasi successor prioris Judicis, qui utique potest moderare sententiam præcedentis.

Additio.

* Atque id ipsum procedere etiam, quando supponitur præfata Pœnitentia fuisse imposita propter peccata reservata, tenent contra præcedentem doctrinam Patris Reiffenstuel, Henriquez, Sanchez, aliique cum la Croix *lib. 6. part.* 2. *num.* 1294. & cum Elbel hic *Conferent.* 9. *n.* 242. mihique, ut verum fatear, magis placet. Ratio a P. Elbel recte assignatur ista; quia Pœnitentia a priori Confessario, habente potestatem absolvendi a reservatis, injuncta non fuit ob ipsamet reservata; ergo, quemadmodum quivis Confessarius approbatus potest absolvere a peccato, cujus reservatio ab alio e. g. tempore Jubilæi jam fuit semel sublata, ita pariformiter quivis Confessarius pœnitentiam propter casus reservatos ab alio antecedenter impositam poterit commutare. *

17 Utrum autem ad hoc, ut posterior Confessarius possit commutare pœnitentiam prius ab alio impositam, necesse sit, quod ipsi rursus explicentur a pœnitente peccata illa, pro quibus prior pœnitentia fuit imposita, variant Doctores. Et quidem probabilior, ac securior est opinio Suarezii, & plurium aliorum Doctorum, asserentium, id fieri debere: oppositum tamen, sive hoc non esse necesse, est etiam probabile, ac docetur a Navarro *cap. 26. Manual. n.* 22. Layman *lib.* 5. *tr.* 6. *c.* 15. *n.* 16, Toleto, Diana, & pluribus aliis. Ceterum in praxi optimum erit consilium, interrogare pœnitentem vel de peccatis gravioribus, propter quæ altera pœnitentia prius ipsi fuit imposita, vel saltem, an prius habuerit similia peccata iis, de quibus nunc se accusavit: sic enim saltem aliqualiter cognoscetur status pœnitentis ac proinde poterit alia convenientior pœnitentia eidem imponi.

Additio.

* Indagabis. An pœnitens teneatur accedere de novo alium Confessarium, ut prior injuncta Satisfactio sibi commutetur substituendo aliam, si præcedentis pœnitentiæ fuerit oblitus, vel executio ejusdem interea temporis sibi facta sit impossibilis? Resp. negative, supposito, quod talis exinde, ad proportionatam commutationem faciendam, cogeretur a Confessario de novo clavibus subjicere omnia peccata jam semel legitime confessa, ac directe remissa. Ita Soto, Navar. Aversa, & alii cum Sporer *part.* 3. *Theolog. Sacrament. c.* 4. *n.* 552. & la Croix *loc. cit. n.* 1275. Nec obstat, quod tali modo prius Sacramentum integraliter maneret quoad unam partem, nimirum quoad Satisfactionem incompletum: nam videtur probabiliter causa sufficiens excusandi ab hac integritate, coactio confitendi de novo alteri Confessario eadem peccata jam alteri manifestata, & a quibus jam semel directe quis fuit absolutus. Interim recte adhuc citatus Auctor subjungit, quod tam in casu oblivionis, quam impossibilitatis, si conveniri possit idem Confessarius, qui esset saltem in confuso memor status pœnitentis, petenda foret ab eo commutatio, ut sic Sacramentum integretur; quoniam apud talem cessat prior ratio, quæ videbatur a dicta integritate excusare. Imo expediens est etiam apud alium Confessarium, se accusare saltem in confuso de omnibus reliquis peccatis, & petere tanto majorem pœnitentiam, extendendo eamdem pariter ad peccata præterita Confessionis, ut sic, quantum absque valde notabili difficultate fieri potest, prius Sacramentum etiam quoad integritatem compleatur, uti observat Sabinus Bononiens. *in Luce Morali part.* 2. *tract.* 64. *n.* 13. ac pœna forsan restans ex opere operato vi Satisfactionis Sacramentalis deleatur.

Illud etiam sibi notent similes pœnitentes, quod, si materia pœnitentiæ injunctæ sit divisibilis, quamvis iisdem majors pars ejusdem fiat impossibilis, teneantur tamen adhuc persolvere alteram etsi minorem, sicuti in Horis Canonicis, qui nequit persolvere Matutinum cum Laudibus, tenetur adhuc recitare Horas minores; quoniam Propositio sequens, ordine 54. ab Innocentio XI. est damnata, quæ sic sonabat: *Qui non potest*

recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia pars major trahit ad se minorem. *

QUÆSTIO II.

Quænam opera pro Pœnitentia Sacramentali injungenda sint?

SUMMARIUM.

18 *Doctrina Concilii Tridentini circa injunctionem Pœnitentiæ Sacramentalis.*
19 *Generatim, quæ opera possint injungi?*
Omnia bona opera reducuntur ad Orationem, Jejunium, & Eleemosynam.
20 *Confessarius pœnitentiam designaturus, ad quæ debeat attendere?*
21 *Peccatis, quæ generatim correspondeant pœnitentiæ?*
22 *Rigor ille in casibus particularibus nequit semper observari.*
23 *Declaratur hoc exemplis.*
24 *In determinanda pœnitentia vitandus est defectus, & multo magis excessus; cur?*
25 *In praxi circa imponendam pœnitentiam, quid observandum?*
26 *Declaratur hoc ulterius.*
(c) Ut jam dictum num. 23.
27 *Alia circa hoc notanda; cum Additione.*
28 *Possunt pro pœnitentia injungi opera aliunde præcepta.*
29 *Sed communiter injungenda sunt opera non præcepta.*
Corollarium.
30 *Potest injungi oratio pro Defunctis.*
31 *Solvitur instantia.*
32 *Modus Satisfactionis Sacramentalis, juxta Catechismum Romanum.*
* *Quæ opera sint injungenda infirmis pro pœnitentia? Addit. I.*
* *Qualiter peccetur in dilatione pœnitentiæ? Addit. II.*

18 PRæmittenda cumprimis est saluberrima Concilii Tridentini doctrina, quam *Sess.* 14. *cap.* 8. his verbis proposuit: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum Spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares, & convenientes satisfactiones injungere, ne, si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem.* Hactenus Concilium, cujus verba, utpote veram Catholicam doctrinam continentia, sunt optime notanda: ex quibus etiam eruitur, quod alia sit pœnitentia vindicativa sceleris, alia medicinalis: item alia curativa, alia præservativa in futurum. His itaque suppositis, sit

19 CONCL. I. Opera, quæ pro Satisfactione Sacramentali injungenda sunt, debent esse honesta, & moraliter bona, qualia generatim sunt tria, videlicet Oratio, Jejunium & Eleemosyna. Ita unanimis Theologorum. Omnia enim reliqua bona opera, quæ ex fide viva, atque per Charitatem operante proficiscuntur, ad hæc tria, veluti tres Justitiæ Christianæ fontes, facile reducuntur juxta illud Raphaelis Archangeli *Tobiæ* 12. *Bona est Oratio cum Jejunio & Eleemosyna, magis quam thesauros abscondere*, & alibi. Id ipsum patet inductione: siquidem sub oratione comprehenduntur omnes actus religiosi, qui ad Deum referuntur: ut actus Theologici, Fidei, Spei, & Charitatis; Item actus Laudis, Adorationis, Gratiarum actionis, Glorificationis Dei; insuper genuflexiones, Ecclesiarum visitationes, ac hujusmodi. Sub Jejunio comprehenduntur omnes castigationes corporales, cilicia, disciplinæ, vigiliæ, humicubationes, mortificationes &c. Tandem sub Eleemosyna continentur omnia opera Misericordiæ tam corporalia, quam spiritualia, & alia opera Charitatis erga Proximum.

20 CONCL. II. Confessarius pœnitentiam designaturus ad duo attendere debet, nempe ad magnitudinem qualitatemque peccatorum, & ad pœnitentis dispositionem. Ita Concilium Trid. *n.* 18. relatum, & communiter Doctores, ac præsertim Scotus 4. *dist.* 15. *q.* 1. Ratio est: quia, quantum commode fieri potest, patiturque pœnitentis dispositio, debet esse correspondentia aliqua pœnæ ad culpam; juxta illud *Sapientiæ* 11. *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur.* Et *Deut.* 25. *Pro mensura peccati erit & plagarum modus.*

21 Quia igitur peccatum in genere distinguitur in tria membra, scilicet in peccatum seu concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ 1. *Joan. c.* 2. hinc observat Doctor noster *cit qu.* 1. quod singulis peccatis sic in genere distinctis correspondeant de congruo propriæ Satisfactiones in genere: scilicet peccato carnis Jejunium, comprehendendo sub hoc qualscumque carnis macerationes: peccato superbiæ, & ceteris spiritualibus Oratio, quæ & humiliat spiritum Deo, & roborat contra peccata: peccatis autem circa temporalia, nimirum avaritiæ, & hujusmodi, magis appropriate correspondet Eleemosyna. Id ipsum habet Rituale Romanum *tit. de Sacramento Pœnitentiæ* ibi: *Quare curet* (Minister) *quantum fieri potest, ut contrarias peccatis pœnitentias injungat: veluti avaris eleemosynas, libidinosis jejunia, vel alias carnis afflictiones, superbis humanitatis officia, desidiosis devotionis studia* &c.

22 Dicitur notanter, *quantum fieri potest.* Siquidem secus dicendum, quando speciales circumstantiæ hunc rigorem servare non permittunt. Hinc Doctor Subtilis *loc. cit.* recte subjungit, quod, quamvis hæc sit correspondentia in generali, & de congruo, ea tamen in casibus particularibus nec necessario, nec congruenter debeat semper observari, eo quod in casibus specialibus satis frequenter non conveniat facultati pœnitentis pœnitentia illa, quæ correspondet peccatis suis in generali. Unde optime monet, requiri circa hoc discretionem Sacerdotis, qui, ut loquitur Tridentinum, *pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares, & convenientes satisfactiones injungat.*

23 Declaratur eadem doctrina exemplis ibidem a Scoto relatis, & inter Theologos communiter receptis. Sic quippe pauperi, qui eleemosynam dare nequit, non sunt injungendæ eleemosynæ, etiamsi peccata commissa v. g. furta, secundum congruentiam generalem exigerent eleemosynam; cum sæpius tales non amplius habent, unde injuste ablatum restituant. Item homini, qui ob continuum laborem jejunare nequit, non sunt imponenda jejunia, quamvis ceteroquin talia suis peccatis correspondeant; sed potius inducendus est, ut una cum alia pœnitentia sibi convenienti suum continuum laborem subeat, Deoque offerat in remissionem suorum peccatorum. Similiter dives, qui lapsus fuit in peccatum carnis, si est adeo delicatus, quod non velit jejunare, nec aliam macerationem notabilem subire; vel præsumitur, quod, si sibi imponeretur, cito abjiceret, & sic peccaret novo peccato, inducendus est ad orationem, & eleemosynam, illudque ipsi imponendum, quod libentius recipit, & quod creditur perseverantius adimplere.

24 Interim fatendum est, quoad praxin non modicam esse difficultatem in quantitate pœnitentiæ taxanda, magnaque in ea determinanda opus esse discretione. Siquidem ex una parte vitandus est defectus, *ne, si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo,* Confessarii *alienorum peccatorum participes efficiantur*, prout monet Concilium Trid. *cit c.* 8. Dum tales non tam inducunt pœnitentes in odium criminum, quam in vilipensionem eorum, ob levitatem pœnitentiæ injunctæ; nam, ut ait S. Ambrosius *Serm.* 8. *in Psalm.* 118.

118. *Facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi.* Ex altera vero parte multo magis cavendus est excessus, ne vel Fideles gravioribus injunctis pœnitentiis scandalizentur, atque ab hoc saluberrimo animarum suarum remedio deterreantur, vel novi eis laquei injiciantur, per neglectum ejusmodi indiscretarum pœnitentiarum denuo peccandi. Pulchre, quantum ad propositum, loquitur S. Chrysostomus, relatus *can. Alligant.* 26. *q.* 7. & tandem subjungit: *Etsi erramus modicam pœnitentiam imponentes, nonne melius est; propter misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem? Ubi enim Pater familias largus est, Dispensator non debet esse tenax. Si Deus benignus est, ut quid Sacerdos ejus austerus? vis apparere sanctus, circa vitam tuam esto austerus, circa alienam benignus.*

25 Itaque, quia Sacramentum Pœnitentiæ a Christo per se, ac principaliter institutum fuit in bonum pœnitentis, atque ut animæ ejus vulnera curentur, sequitur inprimis, quod Sacerdos numquam debeat talem pœnitentiam imponere, quam omnino credit pœnitentem ex imbecillitate, vel alia causa non impleturum: nam ea hoc ipso non esset *pœnitentia salutaris*, qualem imponendam censet Concilium Tridentinum. Hinc, ut loquitur Joannes Gerson *part.* 2. *Operum. Tutius est, cum parva pœnitentia, quæ sponte suscipitur, & verisimiliter adimpletur, ducere confessos ad purgatorium, quam cum magna non implenda præcipitare in infernum.* Ne tamen confitens ob pœnitentiæ levitatem peccata sua minus æstimet, suaviter monendus erit a Confessario, pœnitentiam impositam non esse commensuratam suis delictis: quare ipsemet sponte exercere studeat alia opera bona in satisfactionem suorum peccatorum.

26 Deinde notandum ex Rituali Romano, pro peccatis occultis, quantumvis gravibus, non esse injungendam pœnitentiam publicam, utpote infamativam. Item nec talem, unde domestici possint devenire in cognitionem gravioris criminis: uti sunt jejunia extraordinaria, disciplinæ, ac hujusmodi, nisi habeatur occasio similes pœnitentias secreto peragendi, vel saltem sic, ut alii non advertant, ipsas ratione Confessionis injunctas fuisse; nam urget eadem ratio. Rursum (c) non expedit pauperibus pro pœnitentia imponere eleemosynas, neque operariis vel debilibus jejunia, aut mulieribus longas peregrinationes, nec valde occupatis multas preces. Insuper ratione intensionis ipsius doloris; item tempore Jubilæi, vel alterius Indulgentiæ plenariæ levior pœnitentia injungi potest, cum illius defectum suppleat vel meritum virtutis, vel lucratio Indulgentiæ. Interea tamen tempore Jubilæi, vel aliarum Indulgentiarum hoc insuper sibi specialiter notent Confessarii quoad recidivos, ut, quamvis pœnitentiam vindicativam notabiliter mitigent, præservativam tamen seu medicinalem tunc temporis non facile intermittant: agit enim Confessarius non solum Judicem vindicando peccatum præteritum, sed etiam Medicum præservando in futurum.

27 Quod si peccata pœnitentis graviorem exposcant pœnitentiam, is primum leniter disponendus erit ad agnoscendam suorum criminum gravitatem, & quantam pro eis pœnitentiam promeritus fuisset; & posmodum eidem proponi poterunt variæ pœnitentiæ, ipsique relinqui delectus, cum hac admonitione, ut ultro, & sponte sua quædam alia pia opera adjungat. Etsi enim regulariter loquendo debeat Sacerdos imponere pœnitentiam sub præcepto, nihil tamen obstat, quin etiam possit quædam opera satisfactoria consulere, sicque aliquando, spectata fragili conditione pœnitentis, quamdam pœnitentiæ partem sub consilio injungere. Quinimo Suarez *disp.* 38. *sect.* 6. *n.* 6. citans D. Thomam, Navarrus *cap.* 26. *Manual. n.* 23. Bonacina *disp.* 5. *de Pænit. q.* 5. *sect.* 3. *punct.* 2. *n.* 13. aliique plures probabile censent (quamvis contradicant Vasquez, & Lugo *disp.* 25. *de Pænit. n.* 57.) per illa verba Sacerdotis, post absolutionem adjungi solita: *Quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum &c.* posse in supplementum ejusmodi opera in genere injungi pro pœnitentia, & sic elevari ad satisfactionem pro peccatis tunc confessis ex opere operato exhibendam.

Tandem juvabit injungere frequentiorem Confessionem, præsertim recidivis; atque etiam, ut monet Catechismus Romanus *n.* 32. citandus, ut certis aliquot & definitis diebus orationi vacent, prout Spiritus, & prudentia suggesserit.

Additio.

* Illud præterea pro fine secundæ Conclusionis notandum venit ex Patre Eibel *part.* 2 *Theolog. Sacram. Confer.* 9. *n.* 247 quod, dum Concil. Trid. & Doctores volunt, ut gravitati peccatorum commensuretur regulariter suo modo gravitas Pœnitentiæ, seu Satisfactio Sacramentalis, talis commensuratio fieri debeat proportione geometrica tantum, non arithmetica; quia posterior sæpe impossibilis, vel saltem admodum difficilis accideret, si e. g. sicut pro una fornicatione unum rosarium, ita pro centum fornicationibus centum rosaria injungerentur. *

28 CONCL. III. Possunt pro pœnitentia Sacramentali injungi non solum opera supererogatoria, seu alias de indebita, sed etiam opera alioquin præcepta. Ita communis, paucis exceptis. Ratio est: quia hujusmodi opera non obstante priori præcepto adhuc sunt libera & meritoria, & consequenter satisfactoria, atque assumpta ad Sacramentum Pœnitentiæ specialem vim satisfaciendi acquirunt ex opere operato, quam alias ex opere operantis non haberent.

29 Notant tamen Doctores, communiter loquendo ac cessante justa causa, non esse imponenda opera alias de jam præcepta, sed opera supererogatoria. Unde inferunt, si Confessarius aliud non exprimat, aut ex verbis ipsius, vel aliis circumstantiis oppositum non appareat, censeri, eum velle injungere pro pœnitentia opus aliunde non præceptum: v. g. si injungat, ut die Festo Missam audiat, censetur velle injungere Missam aliam præter eam, quam alioquin pœnitens tenetur die Festo audire. Quod si vero dicat pœnitenti, ut duas Missas audiat die Festo, censetur ex hoc loquendi modo comprehendere etiam Missam alias jam præceptam: & sic de aliis similibus.

30 CONCL. IV. Potest pro pœnitentia Sacramentali injungi Oratio applicanda pro Fidelibus defunctis. Ita Lugo *disp.* 25. *de Pænit. sect.* 4. *n.* 62. cum communiori, quamvis nonnulli oppositum teneant. Ratio est: quia oratio pro defunctis est acceptissima Deo eleemosyna, utpote per quam subvenitur animabus Defunctorum summe indigentibus; ergo, cum eleemosyna, sub qua continentur quælibet opera misericordiæ tam corporalia, quam spiritualia, pro pœnitentia possit imponi; cur non etiam oratio pro Defunctis?

31 Dices. Oratio, vel aliud opus bonum pro Defunctis applicatum non prodest pœnitenti ad satisfaciendum pro se ipso; ergo non videtur posse imponi pro satisfactione Sacramentali. Resp. negando antecedens: licet enim satisfactio operis præcepti applicetur Defunctis, adhuc tamen satisfactio correspondens illi bonæ voluntati, & actui charitatis proximi, atque misericordiæ spiritualis, quo pœnitens ob præceptum Confessarii vult orare, & orat pro Defunctis, remanet ipsi pœnitenti, qui proinde non destituitur omni fructu satisfactionis, proveniente ex tali pœnitentia.

32 Confirmatur hæc sententia auctoritate Catechismi Romani, jussu S. Pii Papæ V. editi, in quo, agendo de satisfactione, circa finem præsens Conclusio approbatur, simulque generalis modus satisfactionis Sacramentalis imponendæ assignatur sequentibus verbis plurimum ponderandis. *Igitur universæ Satisfactionis modum, culpæ ratio temperabit. Sed ex omni Satisfactionum genere maxime convenit pœnitentibus præcipere, ut certis aliquot definitis diebus orationi vacent, ac pro omnibus, præsertim pro iis, qui ex hac vita in Domino decesserunt, preces Deo faciant. Hortari vero etiam eos oportet, ut sæpe eadem Satisfactionis opera a Sacerdote indicta ultro suscipiant, ac repetant.*

Addi-

Additio I.

* Quæres I. Quænam opera pro pœnitentia Sacramentali sint imponenda infirmis, & moribundis? Resp. ex Sporer *part. 3. Theol. Sacram. c. 4. n. 546. Inprimis*, si infirmi necdum sint desperati, hisce juxta proportionem peccatorum etiam quandoque suo modo gravior pœnitentia injungenda est, ita nimirum, ut, si ob infirmitatem integram persolvere pro tunc ipsis nimium difficile accideret, saltem partem a Confessario determinandam peragant, & residua opera, postquam reconvaluerint; a quibus tamen, si interea obirent, a Confessario eximantur expresse ad tollendas anxietates. *Secundo.* Quod si salus jam sit desperata, ut plus ab infirmis præstari nequeat, expedit ad minus imponere, ut SS. Nomen JESU ter, vel quinquies ore proferant, vel, si non possint, saltem mente recogitent. Item consultum erit, ut Confessarius subinde moneat, quatenus pœnitens ipsam suam infirmitatem, dolores, molestias, imo & mortem impendentem Deo offerat in satisfactionem suorum peccatorum, idque in unione dolorum, Passionis, ac mortis Redemptoris nostri JESU Christi. Præterea pro quantitate delictorum, & qualitate personarum adhortetur infirmum, ut de bonis suis eleemosynas largiatur, sacrificia offerri curet &c. Insuper, si antea facto testamento quidpiam ad causas pias legaverit, ut illud animo denuo ratificet, Deoque offerat etiam in satisfactionem pro suis peccatis &c. *

Additio II.

* Quæres II. Quandonam mortaliter peccet differens opera pro pœnitentia Sacramentali injuncta? Resp. Non facile deberi talem etiam gravem alias peccatorem damnari alicujus peccati mortalis, nisi ex dilatione prævideatur periculum oblivionis, aut impotentiæ imposterum eadem persolvendi. Ita cum aliis Sporer *loc. cit. n.* 577. Ratio est: quia ex una parte per talem dilationem ordinarie necdum tollitur integritas prioris Sacramenti habentis se per modum Judicii, in quo utique sententiæ executio differri potest; ex altera autem parte plerumque præceptum Confessarii magis cadit in rem ipsam præstandam, quam in tempus præfixum. Ubi tamen haud dubie citius peccari potest quoad dilationem pœnitentiæ medicinalis, quam præcise vindicativæ, uti consideranti patet, & recte notat P. Holzman *tom. 2. tr. 4. n. 611.* etenim medicinalis ordinata quoque est, ut præservet in futurum a relapsu; hincque voluntas Confessarii esse præsumitur, ut non diu differatur, ne tam cito iterum pœnitens in eadem peccata reincidat. Exinde la Croix *lib. 6. part. 2. n. 1288. ac seqq.* prudenter discurrit, uti sequitur. Si pœnitentia fuerit vindicativa tantum, eamdem ad mensem differre, non videtur esse mortale. Item, cui injunctum est, ut per annum omni mense confiteatur, non mortaliter peccat, si v. g. occasione Festi, aut Indulgentiarum differat ad octo dies in alterum mensem, dummodo in altero mense bis confiteatur; quoniam tempus tale ordinarie præfigitur ad implendam, & non ad finiendam cum tempore obligationem. Item, qui jussus est jejunare hac die veneris, & jejunat sequenti, aut communicare proxima Dominica, & differt ad octiduum etiam sine rationabili causa, ordinarie peccat tantum venialiter; quia nimirum plerumque, & nisi aliud ex circumstantiis desumatur, præceptum Confessarii cadit magis in rem ipsam præstandam, quam in tempus præfixum; tenetur tamen omittens hac die veneris jejunium, vel hac Dominica Communionem, illam pœnitentiam exequi sequenti conformiter dictis; quoniam talis dies præfixus ordinarie censetur ad urgendam, non tamen ad finiendam cum die obligationem. Si tamen alicui injunctum sit, ut jejunet omni die Sabbati in honorem B. V. Mariæ, aut ut communicet omni Festo B. Virginis per annum, putant Coninch, Gobat, & Sporer, pœnitentem, quamvis negligendo eum diem peccet, non teneri altera die tale opus exequi, quia in circumstantiis similibus extraordinariis mens Confessarii videtur fuisse, alligare opus illud tali diei, cum quo obligatio extinguatur, non prolongetur ad alium diem. Ita utiliter pro praxi la Croix, & quidem vix non quoad omnia in terminis formalibus. *

DISTINCTIO XI.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

QUÆSTIO I.

Quæ sit Materia, & Forma Sacramenti Extremæ Unctionis?

SUMMARIUM.

1 *Extrema Unctio est Pœnitentiæ consummativum, & Sacramentum exeuntium.*
2 *Est verum novæ Legis Sacramentum, a Christo institutum.*
3 *Extrema Unctio, quid?*
4 *Materia ejus remota, & proxima, quæ?*
5 *Oleum quale esse debeat?*
6 *Quid, si ei sit admixtum balsamum?*
7 *Oleum illud debet esse benedictum ab Episcopo.*
8 *Forma Sacramenti Extremæ Unctionis, quæ?*
9 *In quibus corporis partibus sit facienda Unctio?*
10 *Renum Unctio in feminis semper omittenda: & quando in viris?*
11 *Quid, si quis careat manu, pede &c.*
12 *Manus Presbyteris quomodo ungendæ?*
13 *An in casu necessitatis sufficiat unica Unctio?*
14 *Solvitur instantia.*
15 *Praxis quarumdam Diœcesium tempore pestis.*
* *Alia notabilis doctrina. Addit. I. & II.*

1 Extrema Unctio est ultimum ex illis Sacramentis, quæ vitam spiritualem cujuslibet Fidelis quoad se promovent: simulque *non modo pœnitentiæ, sed etiam totius Christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, consummativum existimatum est a Patribus*, uti loquitur Concilium Trid. *sess.* 14. *in Doctrina de Extrema Unctione.* Et quia nonnisi in mortis articulo recipi potest, hinc & *Sacramentum exeuntium* nuncupatur, juxta citatum Concilium *cap.* 3. de quo loquendo, sit

2 CONCL. I. De Fide certum est, Extremam Unctionem esse verum, & proprie dictum Sacramentum novæ Legis, a Christo Domino institutum. Ita præter perpetuum sensum Ecclesiæ Catholicæ docet Concilium tum Florentinum *in Decreto Unionis*, tum Tridentinum *sess.* 14. *de Extrema Unctione c.* 1. ubi sic loquitur: *Instituta est autem sacra hac Unctio infirmorum, tamquam vere & proprie Sacramentum novi Testamenti, a Christo Domino nostro, apud Marcum quidem* (cap. 6.) *insinuatum, per Jacobum autem Apostolum, ac Domini fratrem, fidelibus commendatum, ac promulgatum* (Jacobi 5.) *Infirmatur, inquit, quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in Nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, &, si in peccatis sit, dimittentur ei.* Et ibi *Can.* 1. sic definit Concilium contra Hæreticos: *Si quis dixerit, Extremam Unctionem non esse vere, & proprie Sacramentum a Christo Domino institutum, & a Beato Jacobo Apostolo promulgatum &c. anathema sit.*

3 CONCL. II. Sacramentum Extremæ Unctionis est *Unctio hominis infirmi pœnitentis, facta in determinatis partibus corporis cum oleo consecrato ab Episcopo, ministrata a Sacerdote, simul verba certa cum intentione debita proferente, ex institutione divina efficaciter significans curationem finalem venialium.* Ita Doctor Subtilis 4. *dist.* 23. *q. un.* per hæc verba apte declarans naturam hujus Sacramenti quoad singulas partes; prout ex progressu patebit.

4 CONCL. III. Materia remota Extremæ Unctionis est Oleum olivarum ab Episcopo benedictum; proxima vero est ipsamet Unctio facta hoc oleo. Ita certa, & commu-

communis, & constat tum ex Concilio Florentino *loc. cit.* ubi ait, quod Extremæ Unctionis *materia est oleum olivæ per Episcopum benedictum*, & Tridentino *cit. cap.* 1. ibi: *Intellexit enim Ecclesia materiam* (Extremæ Unctionis) *esse oleum ab Episcopo benedictum*; tum ex illis verbis Apostoli Jacobi: *Ungentes eum oleo in nomine Domini.*

5 Ex quibus sequitur I. Oleum istud debere esse simplex, ac sine admixtione alterius liquoris: quale est oleum olivarum commune, ac usuale; eo quod tale absolute dicatur oleum.

6 Quod si huic oleo admisceatur balsamum (prout fit in confectione Chrysmatis) tenent equidem nonnulli Doctores, per hoc impediri validitatem hujus Sacramenti: probabilius tamen est, oleum etiam balsamo mixtum esse validam materiam hujus Sacramenti; prout docent Suares *part.* 3. *tom.* 4. *disp.* 40. *sect.* 1. Pontius, Mastrius, aliique plures. Ratio est: quia mixtio balsami, cum sit modica (uti supponitur, ac fieri solet in confectione Chrysmatis) non destruit naturam olei; ergo in substantia remanebit verum oleum ab Episcopo benedictum. Et licet extra casum necessitatis, ob admixtionem balsami, eo uti non liceat, si tamen per errorem, aut alias adhibeatur, Sacramentum valide administrabitur.

7 Sequitur II. Oleum hoc debere ab Episcopo esse benedictum, prout expresse docet Concilium tum Florentinum, tum Tridentinum *loc. cit.* Et quidem communior Doctorum sententia cum Doct. Subtil. *in* 4. *Sent. dist.* 23. *qu. un.* vult, quod benedictio Episcopi essentialiter requiratur ad valorem Sacramenti Extremæ Unctionis, ita ut, adhibito oleo non benedicto ab Episcopo, nullum fiat Sacramentum.

8 CONCL. IV. Forma Sacramenti Extremæ Unctionis est solemnis illa precatio, quam Sacerdos ad singulas unctiones adhibet, cum ait: *Per istam sanctam Unctionem, & suam piissimam Misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum* (auditum, odoratum &c.) *deliquisti.* Ita Concilium Florentinum *loc. cit.* una cum Concilio Tridentino, ac Rituali Romano Pauli V. Et quamvis hæc forma sub his ipsis verbis præcise non habeatur ex S. Scriptura, constat tamen tum ex traditione Ecclesiæ, tum insinuatur ab Apostolo Jacobo *c.* 5. ubi ait: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Nam ly *orent super eum*, satis indicat, formam hujus Sacramenti debere esse deprecatoriam.

9 CONCL. V. In septem corporis partibus infirmus communiter est ungendus, nimirum in oculis, propter visum, in auribus, propter auditum, in naribus, propter odoratum, in ore, propter gustum, & locutionem, in manibus, propter tactum, in pedibus, propter gressum, & in renibus, propter delectationem ibidem vigentem. Ita expresse Concilium Florentinum, ac Rituale Romanum Pauli V.

10 Dicitur, *communiter est ungendus.* Siquidem circa hoc notat citatum Rituale Romanum, quamvis præter illas corporis partes, quas veluti sensuum instrumenta homini natura tribuit, nempe oculos, aures, nares, os & manus, etiam pedes ac renes ungendi sint, attamen renum unctionem in mulieribus, honestatis gratia semper omitti (notandum ly *semper*) atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non potest: neque tunc sive in mulieribus, sive in viris aliam corporis partem pro renibus ungendam esse.

11 Notat ulterius idem Rituale Romanum, si quis aliquo dictorum membro mutilatus existat, v. g. careat manu, vel pede, quod pars illi loco proxima sit ungenda, servata eadem verborum forma.

12 Notat tertio idem Rituale, quod manus, quæ reliquis infirmis interius ungi debent, Presbyteris exterius ungantur. Rationem hujus assignant Doctores: quia Sacerdos in sua Ordinatione jam fuit unctus oleo sacro in parte interiori manuum, id est: in palmis, ac ob id congruum magis censetur, ut postea in exteriori potius manuum parte inungatur, quam in interiori. Ceterum loquendo de valore Sacramenti nihil refert, Sacerdotem etiam in ipsis palmis inungi; cum hæc Unctio sit diversa ab illa, quam accepit in Ordinatione sua. Est tamen hac in re standum consuetudini cujuslibet Diœcesis, ac præsertim Ordinationi Ritualis Romani.

13 CONCL. VI. Quamvis multi Doctores velint, ad validitatem hujus Sacramenti necessarias esse ad minimum quinque unctiones in quinque corporis sensibus, cum quinque partialibus formis, quæ correspondent singulis unctionibus: probabile tamen est, in casu necessitatis unicam sufficere unctionem, in quacumque corporis parte fiat, cum unica tantum forma, omnes tamen corporis sensus exprimente e. g. dicendo taliter: *Per istam sanctam Unctionem, & suam piissimam Misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum.* Ita Mastrius *disp.* 22. *Theol. mor. n.* 38. post Suarezium, Coninch, Layman, Pontium, aliosque. Ratio est, quia per unius organi unctionem, factam cum expressione quinque sensuum corporis infirmi, salvatur totum id, quod ad hoc Sacramentum requiritur a S. Jacobo Apostolo; simulque illa unica unctio sufficienter significat effectum hujus Sacramenti: ergo etiam sufficit ad valorem ejus.

14 Nec obstat Concilium Florentinum, ac Rituale Romanum, quæ exigunt septem, vel saltem quinque præcipuarum partium unctiones. Nam hæc loquuntur de eo, quod fieri debet extra casum necessitatis: non autem per hoc intendunt definire, omnium harum partium unctionem essentialiter requiri ad valorem Sacramenti. Quinimo unctio renum ne quidem est necessaria necessitate præcepti juxta jam dicta.

15 Unde hæc sententia non solum a tota Universitate Lovaniensi approbata fuit, ut refert Diana *part.* 3. *tr.* 4. *resol.* 168. sed etiam præscripta in diversis Ritualibus Diœcesanis, ut Mechliniensi, & Passaviensi, pro tempore pestis grassantis, nec non & in Rituali Diœcesano Frisingensi, ubi *c.* 6. *de Sacramento Extremæ Unctionis memb. I. circa finem.* sic habetur: *In morbis contagiosis, & peste grassante, ut periculum vitetur, sufficit inungi sensus organum magis ad Unctionem expositum, ac detectum, dicendo: Per istam sanctam Unctionem & suam piissimam Misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum, lumbos (si inungendi fuerint) & gressum. Et tum preces, quæ præmittendæ, & subjungendæ, forent, poterunt privatim dici.*

Additio I.

* Quinimo non pauci D D. tenent, ad essentiam extremæ Unctionis non requiri, ut, dum in necessitate unicum membrum inungitur, allegati quinque sensus in specie, & distincte exprimantur per verba, sed sufficere, si id fiat in genere v. g. dicendo: *per hanc Unctionem indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti*, vel, *quidquid per quinque sensus deliquisti.* Ratio est: quia stante simili pronuntiatione sufficienter continetur sensus a Christo intentus in hujus Sacramenti forma circa remissionem. Videatur Kazenberger *in Supplem. Theol. Sacram. c.* 2. *sect.* 3. *n.* 72. *

Additio II.

* Pro praxi tamen tam circa hanc ultimam doctrinam, quam circa alteram de Unctione unius tantum partis corporis *n.* 13. relatam, semper notandum est, quod dictæ sententiæ non sint practicandæ, nisi in casu necessitatis; quoniam non desunt Auctores, qui cum Suarez, Henriquez, Palao, & Babenstuber apud, & cum Holzman hic *num.* 10. defendunt, requiri ad valorem hujus Sacramenti, cum suis distinctis formis quinque Unctiones distinctas in quinque sensibus, puta, in oculis ratione visus, in auribus ratione auditus, in naribus ratione odoratus, in labiis ratione gustus, & in manibus ratione tactus; cum autem hic agatur de valore actus, extra ullam necessitatem tutiora

tutiora sequi debemus. Quinimo meo judicio non male ageret etiam ille, qui in necessitate duplicem nostram sententiam practicaret sub conditione saltem mente retenta: *si valeat Sacramentum.*

QUÆSTIO II.

De Effectibus, Subjecto, & Iterabilitate Sacramenti Extremæ Unctionis.

SUMMARIUM.

16 *Effectus Sacramenti Extremæ Unctionis.*
17 *I. Præter gratiam sanctificantem remissio peccatorum.*
18 *Effectus remissionis peccatorum, quomodo intelligendus?*
(a) Tract. 14. dist. 2. n. 23. & 24.
19 *II. Alleviatio infirmi, & quomodo?*
20 *Peccatorum reliquiæ, quas abstergit hoc Sacramentum, quæ?*
21 *III. Liberatio ab infirmitate corporali, quando expedit &c.*
22 *Subjectum Extremæ Unctionis capax, quod?*
23 *Nequit ministrari sanis, etiam damnatis ad mortem.*
24 *Quid de peste laborantibus, vulneratis, senibus,*
25 *Infantibus, ac perpetuo amentibus? cum Additione.*
26 *Vel adultis lapsis in phrenesin, aut amentiam?*
27 *Disparitas inter Sacramentum Pœnitentiæ, & Extremæ Unctionis.*
(b) De hoc videatur supra dist. 7. quæst. 4. per totum.
28 *In quo periculo, & statu infirmi hoc Sacramentum ministrandum?*
29 *Sacramentum hoc est iterabile, & an in eodem morbo?*
30 *Declaratur hoc amplius.*
* *Et determinatur intervallum intercedens inter unam, & alteram Unctionem.*
31 *Sacramentum hoc an sit necessarium ad salutem?*

16 Effectus Sacramenti Extremæ Unctionis paucis verbis a S. Jacobo *in sua Canonica c.* 5. sequentibus verbis indicantur: *Et oratio Fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei.* Hinc fit.

17 CONCL. I. Ultra gratiam habitualem, seu sanctificantem, quæ ex opere operato causatur ab omnibus Sacramentis novæ Legis, specialis effectus Sacramenti Extremæ unctionis est remissio peccatorum. Patet hoc ex citatis verbis Apostoli Jacobi: *Et, si in peccatis sit, dimittentur ei.* Super quæ verba Concilium Trid. *loc. cit. c.* 2. explicans rem, seu effectum hujus Sacramenti, sic ait: *Res etenim hæc gratia est Spiritus Sancti, cujus Unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit.*

18 Porro effectus iste remissionis peccatorum intelligendus inprimis est de peccatis venialibus, quæ, si homini per alia Sacramenta, ac remedia, seu opera bona remissa necdum sunt, virtute hujus Sacramenti remittuntur, si ceteroquin homo sit dispositus. Intelligendus deinde est de remissione pœnarum peccatis debitarum, non quidem semper omnium, sed plurium vel pauciorum, juxta dispositionem suscipientis. Quinimo per accidens fieri potest, ut etiam primam gratiam conferat Sacramentum istud, & peccatum mortale remittat homini bona fide existimanti, se esse contritum, vel in statu gratiæ, illudque cum sola attritione suscipienti; prout jam supra (a) dictum est.

19 CONCL. II. Secundus hujus Sacramenti effectus est, alleviare infirmum, juxta citatum illud D. Jacobi; *Et alleviabit eum Dominus.* Dicitur autem hoc Sacramentum alleviare infirmum, in quantum (ut ait Concilium Trid. *sess.* 14. *c.* 2.) *ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo Divinæ Misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus, & morbi incommoda ac labores levius fert, & tentationibus dæmonis, calcaneo insidiantis, facilius resistit.*

20 Huc reduci potest alius effectus hujus Sacramenti, ibidem a Concilio Tridentino, & communi Theologorum assignatus, qui est *peccatorum reliquias abstergere.* Ubi per *peccatorum reliquias* intelligitur animi languor, torpor, mœror, tristitia, fastidium, & anxietas, & aliæ hujusmodi pravæ affectiones, quæ ex peccatis præteritis, eorumque recordatione oriri solent, ac peccatorem in desperationem inducere: in ordine ad quas removendas proinde plurimum conducit digna hujus Sacramenti susceptio.

21 CONCL. III. Tertius Extremæ Unctionis effectus est, liberare infirmum ab infirmitate sua corporali, ubi saluti animæ id expedierit; juxta illud cit. Apostoli: *Et Oratio Fidei salvabit infirmum.* Hunc tamen effectum sanitatis corporalis non semper, ac infallibiliter præstat hoc Sacramentum, ut patet; sed tunc solum, ubi saluti animæ infirmi expedierit: prout notat Concilium Trid. *loc. cit. c.* 2. dicens, quod infirmus virtute hujus Sacramenti *sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur.* Et ratio est: quia Sacramenta nullum ex Christi institutione conferunt effectum, nisi in ordine ad spiritualem animæ profectum, ac vitam æternam consequendam.

22 CONCL. IV. Subjectum capax extremæ Unctionis est solus homo baptizatus, rationis compos & periculose infirmus, ita quod probabiliter mors immineat. Ita communis; & patet tum ex citatis S. Jacobi verbis: *Infirmatur quis in vobis?* tum ex Concilio Trid. *loc. cit. c.* 3. ubi ait: *Declaratur etiam, esse hanc Unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur: unde & Sacramentum exeuntium nuncupatur.*

23 Infertur proinde cum communi, non posse hoc Sacramentum ministrari sanis, neque iis, qui sunt constituti in mortis articulo ob extrinsecam dumtaxat violentiam, v. g. damnatis ad mortem, hominibus in naufragio constitutis, militibus ad prælium ituris, & hujusmodi. Ratio est: quia ex Christi institutione solus homo infirmus est capax hujus Sacramenti: tales autem homines non sunt infirmi, ut patet.

24 Aliud est dicendum de eo, qui pestem contraxit, qui venenum vel vulnus lethale accepit &c. propter quod est in periculo mortis: talis enim post ejusmodi casum vere jam ægrotat, licet causa istius ægritudinis fuerit extrinseca, & violenta: atque ideo communiter hujusmodi homines censentur esse capaces extremæ Unctionis. Idem dicendum de eo, qui ob nimiam senectutem deficientibus viribus est constitutus in periculo mortis: etenim & iste vere infirmatur; nam, ut habet vulgatum illud, *Senectus ipsa est morbus.*

25 Infertur ulterius, quod infantibus rationis necdum capacibus, ac etiam illis, qui perpetuo amentes fuerunt, Extrema Unctio ministranda non sit; uti notat Scotus 4. *dist.* 23. §. *De secunda*, cum communi. Ratio est: quia tales non possunt esse pœnitentes, id est, non sunt capaces Sacramenti Pœnitentiæ; ergo neque Extremæ Unctionis, eo quod hoc Sacramentum illius *consummativum*, sive complementum existimetur, ut loquitur Concilium Trid. *n.* 1. relatum.

Additio.

* Dixi notanter: *Infantibus rationis necdum capacibus:* Nam, si forent capaces, & ferventer peterent extremam Unctionem, essentque aliquo modo circa hoc Sacramentum instructi, eadem deneganda non foret, quamvis Sacramentum Eucharistiæ numquam adhuc receperint. Unde Pater Holzman hic *num.* 43. improbat factum cujusdam Parochi, qui puero ægroto septennium non multum supergresso, attamen jam confiteri solito, denegavit, quamvis parentes ejusdem ardenter instarent, Sacramentum extremæ Unctionis ex ea ratione; quia dictus puer numquam adhuc recepit sacram Synaxin: sufficit enim; ut sit capax Sacramenti Pœnitentiæ, cujus hoc Sacramentum extremæ Unctionis est consummativum. *

26 Loquendo de adultis, & qui rationis usum habuerunt, tametsi deceat, idque curandum sit, ut hoc Sacramentum conferatur infirmis, dum adhuc rationis compotes sunt (sic enim majori cum reverentia suscipietur) attamen non debet denegari morituris, in phrenesin, aut amentiam lapsis, sed est eisdem dandum: dummodo antea christiane vixerint, atque salutis suæ memores fuerint: quod quidem præsumendum est, nisi de contrario constet. Layman *lib.* 5. *tr.* 8. *c.* 4. *n.* 3. & communis.

27 Nec obstat, quod loquendo de Sacramento Pœnitentiæ (*b*) Doctores non pauci vel oppositum teneant, vel dubitent, an in tali casu sit conferendum illud Sacramentum etiam sub conditione. *Resp.* enim, disparitatem esse: quia ad Sacramentum Pœnitentiæ, quod a Christo Domino institutum fuit per modum Judicii, requiritur Confessio sensibilis, qualem tunc sufficienter adesse a memoratis DD. dubitatur: hæc autem non requiritur ad Extremam Unctionem.

28 Quinimo ad conferendum Sacramentum Extremæ Unctionis non est expectandum, donec infirmus omni prorsus sensu careat, aut penitus sit desperata salus ejus, sed sufficit, quod infirmus judicio Medicorum, aut peritorum periclitetur de vita, sive probabile periculum subsit, ne, si diutius differatur istud Sacramentum, mors vel defectio sensuum subito superveniat. Expedit enim, ut ab infirmo periculose ægrotante hoc Sacramentum (si fieri potest) dum adhuc viget integra mens & ratio, recipiatur, sicque is ad uberiorem illius fructum, gratiamque percipiendam sua fide, piaque animi voluntate sese disponere valeat. Herincx *disp.* 11. *de Extrema Unctione qu.* 5. *n.* 41. post Catechismum Romanum. Barbosa *de Offic. Parochi c.* 22. *n.* 19. Laym. *n.* 4. & alii.

29 CONCL. V. Quamvis hoc Sacramentum simpliciter sit iterabile, si nimirum homo in pluribus morbis cum probabili vitæ periculo successive sit constitutus, nihilominus durante eadem necessitate, statuque morbi Sacramentum istud iterari non potest: quod si tamen varietur morbi status, & infirmus, postquam reconvaluisse videbatur, denuo sive vi ejusdem, sive alterius morbi in periculum mortis incidat, iterum conferri poterit. Ita certa: & communis Doctorum, atque habetur in Concilio Trid. *loc. cit. c.* 3. Accedit ratio, quia hoc Sacramentum non imprimit characterem; ergo est iterabile superveniente tamen novo vitæ discrimine.

30 Porro illa temporis distantia morbique varietas prudenti judicio relinquitur designanda; ita tamen, ut considerata diuturnitate ægritudinis, ac variatione status ejus censeatur esse novus morbus (id est, constituens hominem in novo mortis periculo, ac proinde nova necessitas: & sic primum poterit iterari Sacramentum istud.

Additio.

* Augustinus Barbosa *de Offic. Paroch. c.* 22. *n.* 28. apud Gobat existimat, intervallum unius septimanæ inter unam, & alteram unctionem intercedens esse sufficientem temporis distantiam, de novo Sacramentum Extremæ Unctionis recipiendi, dummodo vere constet, infirmum post primam unctionem intra hoc intervallum hebdomadarium fuisse constitutum extra periculum propinquum mortis, licet ceteroquin necdum ex integro sit restitutus sanitati; prout id teste Patre Kiliano Kazenberger *in Supplem. Sacram. c.* 2. *sect.* 4. *n.* 110. frequenter potest contingere apud Astmaticos, Hydropicos, & Phtysicos, in quibus, radice morbi permanente, morbi status sæpe notabiliter variatur, ut tunc in periculo urgenti sint constituti, postea plateas, & Ecclesias frequentent, ac demum intervallo alio iterum periculose decumbant. Quare pro praxi, si ægroti illi, qui jam semel Extremam Unctionem receperunt, iterum post aliquot dies inungi petant, Domini Parochi observent, an intra hoc tempus novus morbus periculosus accesserit, vel non? Si prius; non facile denegent fervide petentibus hoc Sacramentum etiam post paucos dies; nam propter novum aliud certamen, seu agonem poterit pro confortatione nova adhiberi unctio, teste Dicastillo hic *D.* 1. *dub.* 10. *n.* 166. Si vero posterius; tunc indagent ulterius, an interea periculum præcedentis morbi, ratione cujus inuncti fuerunt, vere cessaverit, nec ne? si non, neutiquam reiteretur Extrema Unctio: si vero cessavit jam integro circiter octiduo, de novo administrare poterunt; alias vero non id faciant. Videatur Kazenberger *loc. cit.* *

31 Posset hic ulterius quæri de necessitate hujus Sacramenti ad salutem. Verum de hoc jam dictum fuit supra *dist.* 2. *n.* 68. *& seqq.* Quamvis enim Fideles ad receptionem Extremæ Unctionis nulla præcepti districtione, per se loquendo, teneantur, tamen (uti loquitur Concilium Trid. *cit. cap.* 3.) *nec tanti Sacramenti contemptus absque ingenti scelere, & ipsius Spiritus Sancti injuria esse posset.*

DISTINCTIO XII.

De Sacramento Ordinis.

QUÆSTIO I.

Quid, & quot sint Ordines? Ubi & de prima Tonsura.

SUMMARIUM.

1 *Ratio Ordinis inter Sacramenta.*
2 *Ordo varie sumitur.*
3 *Ordo sumitur & pro præeminenti gradu in Ecclesia, & pro actuali Ordinatione.*
4 *Presbyteratus est Sacramentum, quomodo?*
5 *Declaratur hoc amplius.*
6 *Sacramentum Ordinis, quid?*
7 *Ostiariatus &c. Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus, quid?*
8 *Sacerdos &c. quis?*
9 *Ordines sunt septem.*
10 *Prima Tonsura non est Ordo, sed dispositio ad Ordines.*
11 *Effectus primæ Tonsuræ, quid?*
Privilegium Fori.
12 *Privilegium Canonis.*
(*a*) Tract. 13. dist. 2. num. 58. & seqq.
Alii effectus primæ Tonsuræ.
13 *Episcopatus, an sit Ordo?*
14 *Comprehenditur sub Sacerdotio ample sumpto.*
15 *Omnes, & singuli Ordines sunt verum Sacramentum.*
Et causant specialem Characterem, cum Additione.
16 *Constituunt omnes unum Sacramentum, quomodo?*
[*b*] Tract. 14. dist. 1. num. 10.
Quid de Characteribus?

1 ABsolutis Sacramentis, quæ vitam spiritualem cujuslibet Fidelis quoad se promovent, recepta Theologorum methodo tractatur de Sacramentis illis novæ Legis, quæ respiciunt totam Communitatem populi Christiani: qualia sunt Sacramentum Ordinis, & Matrimonii. Siquidem mediante illo in Ecclesia Catholica constituuntur legitimi Sacerdotes, ac Ministri Ecclesiastici, qui præsint, ac legitime gubernare noverint totum populum Christianum. Post quod sequitur Sacramentum Matrimonii, quo generis humani propagatio ad conservationem Reipublicæ Christianæ requisita perennatur, atque, ut honeste, ac decenter fiat, specialibus gratiis & auxiliis Divinis roboratur. Et quidem loquendo nunc de Sacramento Ordinis,

2 Advertendum est primo, quod nomen Ordinis diversas habeat significationes. Nam quandoque sumitur Ordo pro congrua quorundam inter se dispositione, ut si dicatur: *Exercitus conservat ordinem bonum*; *Inter hac reperitur nullus ordo.* Quandoque pro gradu præemi-

præeminenti in aliqua Republica: sic dicitur *Ordo Equestris*, *Ordo Senatorius*, *Ordo Clericalis &c.* ut taceantur aliæ ejus acceptiones.

3 Advertendum ulterius, quod, quantum attinet ad propositum, Ordo dupliciter sumatur: primo pro gradu præeminenti in Ecclesia Dei, id est, pro dignitate Ecclesiastica quibusdam personis collata vi Sacramenti Ordinis recepti. Secundo sumitur Ordo pro ipsa actuali ordinatione, seu institutione alicujus in gradu præeminenti Ecclesiæ: & hoc posteriori modo acceptus Ordo est unum ex septem novæ Legis Sacramentis, non item in priore acceptione. Sic v. g. Presbyteratus potest sumi vel pro ipsa actuali ordinatione alicujus in Presbyterum, & sic est Sacramentum: vel pro dignitate, seu potestate Sacerdotali, quam quis acquisivit vi ordinationis suæ in Presbyterum, & ratione cujus potest valide consecrare, & absolvere: & hoc modo Presbyteratus non est Sacramentum, sed potius aliquid consequens ad Sacramentum Ordinis Presbyteratus jam peractum, sibique collatum. Et quod dicitur hic de Presbyteratu, idem servata proportione dicendum est de Diaconatu, Subdiaconatu, & quatuor Ordinibus minoribus.

4 Hinc, si quis dicat, Presbyteratus est Sacramentum novæ Legis: atqui Petrus, ante annum ordinatus, habet Presbyteratum; ergo Petrus habet Sacramentum Ordinis, & quidem adhuc hodie, cum etiam nunc habeat Presbyteratum. Resp. distinguendo majorem: Presbyteratus est Sacramentum, sumendo Presbyteratum pro actuali ordinatione alicujus in Presbyterum, conceditur: sumendo Presbyteratum pro dignitate, seu potestate Sacerdotali permanente, negatur major: & sic distincta minore negatur consequentia.

5 Ratio hujus doctrinæ est: quia Ordo est Sacramentum consistens in fieri, non autem in facto esse: unde nequit consistere in ipsa dignitate, potestate, & gradu Sacerdotali, qui semper permanet, sed solum in actuali ordinatione, id est, in illa sensibili actione mox transeunte, qua præbetur Clericis dicta potestas, & gradus Sacerdotalis. Unde ad hoc indicandum, & vitandam omnem ambiguitatem, atque æquivocationem, Concilium Trid. *sess.* 23. *can.* 3. notanter sic inquit: *Si quis dixerit, Ordinem, sive sacram Ordinationem non esse vere, ac proprie Sacramentum &c. anathema sit:* per additum ly *sive sacram Ordinationem*, explicans, quid intelligatur per ly *Ordo*, dum dicitur esse Sacramentum novæ Legis. His prænotatis, sit

6 CONCL. I. *Sacramentum Ordinis* bene definitur, dicendo: Ordo est Sacramentum novæ Legis, quo spiritualis potestas traditur ordinato ad aliquod Ministerium circa Eucharistiam digne exhibendum. Ita in re communis; potestque hæc definitio Sacramenti Ordinis in genere facile cuilibet Ordini in particulari applicari, definiendo eosdem per officia singulis propria, quorum quodlibet denotat aliquod ministerium proxime, vel saltem remote influens ad cultum circa Eucharistiam digne exhibendum, uti juxta definitionem Sacramenti Ordinis *ut sic* requiritur.

7 Sic *Ostiariatus* est Ordo, seu Sacramentum novæ Legis, quo traditur ordinato potestas aperiendi januas Ecclesiæ pro celebranda, vel audienda Missa &c. *Lectoratus* est Ordo, quo confertur potestas legendi in Missa Prophetias &c. *Exorcistatus* est Ordo, quo datur potestas energumenos per Exorcismos ita præparandi, ut Missæ ac sumptioni Eucharistiæ cum debita dispositione interesse possint. *Acolythatus* est Ordo, quo datur potestas ministrandi in Missa &c. Similiter *Subdiaconatus* est Ordo, quo traditur ordinato potestas solenniter cantandi Epistolam, & portandi Calicem cum Patena ad Altare. *Diaconatus* est Ordo, quo datur ordinato potestas solemniter cantandi Evangelium, ac proxime ministrandi Sacerdoti circa confectionem Eucharistiæ. *Presbyteratus* est Ordo, seu Sacramentum novæ Legis, quo datur ordinato potestas consecrandi Corpus & Sanguinem Christi, atque Fideles confitentes a peccatis absolvendi.

8 Unde *Sacerdos* bene describi potest, quod sit vir in præeminenti gradu Ecclesiæ constitutus, habens potestatem consecrandi Corpus & Sanguinem Christi &c. Quo modo (servata tamen proportione) etiam Diaconus, & alius in Ordinibus constitutus, apte poterit describi per officium sibi competens.

9 CONCL. II. Septem sunt Ordines in Ecclesia Dei, videlicet Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus ac Presbyteratus seu Sacerdotium. Ita Concilium Trid. *sess.* 23. *c.* 2. asserens, ***ab ipso Ecclesiæ initio dictorum Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum ministeria in usu fuisse.***

10 CONCL. III. Prima Tonsura non est Ordo, neque Sacramentum, sed mera dispositio ad Ordines. Ita Theologi communiter, contra plerosque Canonistas, volentes, etiam primam Tonsuram esse Ordinem proprie dictum; quorum sententiam ex professo, ac fusissime propugnat Fagnanus in *c. Cum contingat n.* 41. *& seqq. de Ætate & qualit. præficiendorum.** Imo præsens Auctor ipsemet ut Canonista in eamdem inclinat in Jure Canonico *lib.* 1. *decr. tit.* 11. *n.* 10. *& seqq.*† Ceterum ratio nostræ Conclusionis desumitur inprimis ex Decreto S. Caji Papæ & Martyris, qui (ut refertur in Breviario Romano die 22. Aprilis) *constituit, ut his Ordinum & honorum gradibus in Ecclesia ad Episcopatum ascenderetur: Ostiarii, Lectoris, Exorcistæ, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri*: ergo, cum inter hos Ordinum gradus non connumeretur prima Tonsura, dicendum, quod ipsa non sit Ordo. Idem probatur ex cit. Concilio Trid. *sess.* 23. *cap.* 2. ubi referens nomina Ordinum, ab ipso Ecclesiæ initio in usu existentium, pariter tacet primam Tonsuram: quinimo eam satis aperte ab Ordinibus secernit, dum ait, quod Ordines in Ecclesia *ita sint distributi, ut qui jam Clericali Tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent.* Quod si in contrarium adducantur nonnulli textus, in quibus prima Tonsura *Ordo Clericalis* vocatur, debet Ordo Clericalis, ut sic jura juribus concordentur, sumi in sensu aliquo latiori jam superius *n.* 2. indicato; nimirum pro gradu aliquo, per quem quis ad statum digniorem, nimirum a Laicali ad Clericalem transfertur, in quo sensu Tonsura utique potest Ordo dici; licet ceteroquin sumendo Ordinem in rigore, prout simul est Sacramentum, prima Tonsura potius sit dispositio ad Ordines recipiendos, in quantum per eam patet ascensus ad Ordines tum minores, tum majores; simulque per ipsam quis fit Clericus, ac de Foro Ecclesiastico, & particeps Privilegiorum Clericalium: occasione cujus

11 Quæres. Qui sint effectus primæ Tonsuræ? Resp. cum communi, eos esse multiplices, quos enumerat cit. Fagnanus *n.* 112. Inprimis enim per eam Christiani a Statu Laicali transferuntur ad Clericalem, & de sorte Domini efficiuntur *arg. can. Duo sunt* 12. *q.* 1. & *can. Cleros dist.* 21. Deinde Tonsurati acquirunt *Privilegium Fori*, hoc est, eximuntur ab omni Potestate, seu Jurisdictione sæculari. *can. Si Imperator. dist.* 96. ac proinde non possunt amplius a Judice sæculari in judicium trahi, incarcerari, vel puniri, sed dumtaxat ab Ecclesiastico. Verumtamen novo Jure Concilii Trid. *sess.* 23. *de reform. cap.* 6 ad hoc, ut prima Tonsura initiatus gaudeat dicto Privilegio Fori, requiritur, quod is vel ***Beneficium Ecclesiasticum habeat, aut Clericalem habitum, & Tonsuram deferens, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat; vel in Seminario Clericorum, vel in aliqua Schola, vel Universitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad majores Ordines suscipiendos versetur.*** Ita Concilium: quod cum sub disjunctione *aut*, *vel*, loquatur, sufficit quælibet harum trium conditio, ut is privilegio Fori gaudeat.

12 Rursus prima Tonsura initiatus acquirit *Privilegium Canonis*; ac proinde ipsum injuriose percutiens incidit ipso facto in excommunicationem latam *can. Si quis suadente* 17. *quæst.* 4. de qua jam superius. (*a*) Item talis potest obtinere beneficium Ecclesiasticum, ut innuit Concilium Trident. *cit. cap.* 6. est etiam capax omnis Jurisdictionis Ecclesiasticæ, tam ordinariæ,

quam

quam delegatæ, cujus merus Laicus est incapax: hinc initiatus prima Tonsura est capax potestatis excommunicandi, Beneficia conferendi, Causas spirituales cognoscendi &c. Et tandem gaudet omnibus privilegiis Clericorum.

13 CONCL. IV. Episcopatus est quidem proprie dictus Ordo, tamen commode refertur ad Ordinem Sacerdotii: atque ideo simpliciter dicendum est, in Ecclesia Dei esse tantum septem Ordines. Ita Theologi passim contra Canonistas quoad secundam partem. Prior pars de facto est certa, adeo ut oppositum tenere sit periculosum: siquidem Concilium Trid. *sess.* 23. *cap.* 4. Episcopatum expresse inter Ordines connumerat, dum ait: *Docet insuper Sacrosancta Synodus, in Ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, & ceterorum Ordinum &c.* Accedit ratio: quia Episcopo competit quædam specialis potestas Ordinis, in quantum Episcopo, nimirum potestas conferendi Sacramentum Confirmationis, & Ordinis, sicque potestas ordinandi Ministros ad obeunda munera circa Eucharistiam: simulque consecratio Episcopi amplius tolli, aut dicta potestas valide conficiendi illa Sacramenta ulterius auferri non potest.

14 Ultima vero pars ex eo suadetur: quia, licet Episcopatus sit Ordo a simplici Sacerdotio distinctus, ut docet Concilium Trid. *Sess.* 23. *can.* 7. tamen & ipse sub generali ratione Sacerdotii comprehenditur, sumendo nempe Sacerdotium ample pro potestate non solum consecrandi, sed etiam valide conferendi omnia alia Sacramenta, quæ requirunt Ministrum consecratum. Quo modo sumendo Sacerdotium, illud postea subdividitur in Presbyteratum, cui competit administratio Eucharistiæ, Pœnitentiæ, ac Extremæ Unctionis, & in Episcopatum, cui insuper convenit potestas conferendi jure ordinario Confirmationem, & Ordinationem. Hinc S. Anacletus Papa *in Epistola* 3. *cap.* 1. ait, Ordinem Sacerdotum bipartitum esse, scilicet Episcoporum & Presbyterorum.

15 CONCL. V. Omnes, & singuli prædicti Ordines sunt verum ac proprie dictum Sacramentum. Ita communis. Et quidem, quod Sacerdotium sit Sacramentum, est de Fide. Quod autem etiam ceteri Ordines inferiores habeant veram rationem Sacramenti, colligitur ex Concilio Florentino *in Decreto Unionis*, ac Tridentino *sess.* 23 *cap.* 3. & *can.* 3. ubi absolute, & absque ulla limitatione definitur, Ordinem seu sacram Ordinationem esse Sacramentum; simulque dicitur, esse septem Ordines in Ecclesia Dei. Accedit, quod singulis septem Ordinibus supra *n.* 6. adductis competat definitio Ordinis ut sic, & quod omnes & singuli Ordines habeant suam determinatam materiam, & formam, propriamque significationem, uti patebit ex dicendis *Quæst. seq.* Insuper singuli Ordines imprimunt specialem Characterem, ac diversum ab aliis, secundum quod diversæ sunt potestates ministrandi, ut docet D. Bonaventura 4. *dist.* 24 *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. cum communi, ac patet ex eo, quod omnes sint irreiterabiles: atqui Character est effectus proprius Sacramenti; ergo.

Additio.

* Dices. Ordo Acolythatus non est verum Sacramentum: ergo non omnes Ordines sunt verum Sacramentum. Antec. probatur; quia Sacramentum Ordinis, æque ac Sacramentum Confirmationis debet conformiter dictis *n.* 13. conferri ab ipsomet Episcopo; atqui Acolythatus tempore Concilii Carthaginensis IV. *cap.* 6. non conferebatur ab Episcopo, sed ab Archidiacono, a quo acolythandi accipiebant materiam hujus Ordinis, nimirum candelabrum cum cereo, & urceolos: ergo. Resp. neg. antec. ad ejus probationem distinguo min. quoad alterum membrum: conferebatur ab Archidiacono nomine & auctoritate propria, neg. min. nomine & auctoritate Episcopi tamquam a Ministro ejusdem, conced. Sufficiebat autem quoad valorem tempore dicti Concilii Carthaginensis talis media ta extraditio facta per Archidiaconum, tamquam Ministrum Episcopi; quia Christus specificam determinationem materiæ in his Ordinibus reliquit Ecclesiæ, ista autem pro eo tempore ordinavit, ut in acolythatu fiat extraditio materiæ per Archidiaconum nomine & auctoritate Episcopi. Videatur Holzman hic *Tract.* 1. *disp.* 2. *n.* 71.*

16 Ceterum his non obstantibus, omnes dicti septem Ordines constituunt in simul unum dumtaxat Sacramentum Ordinis. Idque fit tum unitate subordinationis, seu finis, in quantum omnes ordinantur ad unum Sacerdotium, ac ratione hujus recipiuntur: tum unitate generis proximi, quatenus omnes & singuli Ordines in particulari conveniunt in ratione Sacramenti Ordinis ut sic, tamquam in genere proximo, quatenus omnes ordinantur ad obeunda munera circa Eucharistiam, prout ad rationem Ordinis ut sic requiritur. Ac proinde merito a Concilio Trid. *loc. cit.* comprehenduntur omnes sub uno nomine Sacramenti Ordinis, prout jam superius (*b*) dictum fuit. Et hac eadem ratione Characteres particulares singulorum Ordinum in simul constituunt unum Characterem totalem, & completum Ordinis.

QUÆSTIO II.

De Materia, Forma, & Officiis singulorum Ordinum.

SUMMARIUM.

17 *Materia, & Forma Ordinum generatim, quæ?*
(*c*) Videatur Tract. 14. Dist. 1. n. 18. & seqq.
18 *Materia Ostiariatus, & Forma, quæ? Officium Ostiarii, quod?*
19 *Lectoratus materia, & forma. Officium Lectoris.*
20 *Exorcistatus materia, & forma. Officium Exorcistæ.*
21 *In reliquis Ordinibus datur duplex materia, & forma partialis.*
22 *Acolythatus materia, & forma duplex, quæ? Officium Acolythorum.*
23 *Objectio, ejusque solutio notabilis.*
24 *Subdiaconatus materia, & forma.*
25 *Subdiaconi officium, quale?*
(*d*) Ut dictum Tract. 13. Dist. 3. n. 13.
26 *Subdiaconi obligationes speciales, quæ?*
[*e*] Tract. 6. Dist. 1. n. 12. & 13.
27 *Clerici in Sacris, quo Jure teneantur ad perpetuam continentiam?*
28 *An vi voti Sacris Ordinibus annexi?*
29 *Instantia ex Scoto refellitur.*
30 *Diaconatus materia, & forma.*
31 *Officium Diaconi, quod?*
32 *Presbyteratus materia, & forma.*
33 *Officium Sacerdotis.*
(*f*) Ut dictum Dist. 8. n. 7.
34 *Objectio ex Concilio Florentino. Ejusque solutio.*
35 *Quid de Libro Epistolarum respectu Subdiaconatus?*
36 *Alia notabilis objectio.*
37 *Ejusque solutio: ubi etiam de tempore institutionis.*
(*g*) Tract. 14. Dist. 8. n. 7.
38 *Uniformitas in materia, & forma Sacramentorum quomodo detur?*
* *Occurritur alteri objectioni. Addit. I.*
* *Uti & novæ Quæstioni. Addit. II.*

17 ADvertendum, quod loquendo de materia, & forma Ordinum in genere, materia cujuslibet Ordinis duplex sit, remota scilicet & proxima. *Materia remota* cujuslibet Ordinis est illa res, quæ traditur ab Episcopo suscipienti aliquem Ordinem. *Materia proxima* est ipsamet traditio illius rei. Porro forma cujuslibet Ordinis in genere sunt verba illa, quæ in collatione singulorum Ordinum, ac sub traditione debitæ materiæ proferuntur ab Episcopo, utpote ordinario Ministro Sacramenti Ordinis. (*c*)

18 Verum

18 Verum loquendo de singulis Ordinibus in particulari, *Materia Ostiariatus* est traditio Clavium Ecclesiæ per manus Episcopi. *Forma* sunt verba illa ab Episcopo sub porrectione dictarum Clavium Ecclesiæ prolata, videlicet: *Sic agite, quasi reddituri Deo rationem pro iis rebus, quæ his Clavibus recluduntur.* Porro *Officium Ostiarii* est Templi claves custodire, ejus januam claudere, cymbalum & campanam pulsare. Ita Pontificale Romanum, & Catechismus Romanus.

19 *Lectoratus materia* est traditio Libri Prophetiarum. *Forma* vero talis: *Accipite, & estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter & utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum iis, qui verbum Dei bene ministraverunt ab initio.* Porro *Officium Lectoris* est Lectionem Prophetiarum in Ecclesia pronuntiare, sive canendo, sive solum legendo: item Catechumenos docere Rudimenta Fidei.

20 *Exorcistatus materia* est traditio Libri Exorcismorum. *Forma* vero hæc: *Accipite, & commendate memoriæ, & habete potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos.* *Officium Exorcistæ* est imponere manus super energumenos (hoc est, obsessos a dæmonibus) & ad arcendos dæmones super eos invocare Nomen Domini, legereque Exorcismos Ecclesiæ, ac ipsos ita præparare, ut Sacris interesse possint.

21 Quantum ad sequentes Ordines attinet, notandum, quod in reliquis Ordinibus duplex reperiatur materia, constituens unam adæquatam, cum duplici forma sibi correspondente, & similiter unam adæquatam formam constituere: qualis in Acolythatu est traditio Cerei extincti, & Urceoli vacui: in Subdiaconatu est traditio Calicis vacui una cum Patena vacua, ac Libri Epistolarum: in Diaconatu impositio manuum Episcopi, atque traditio Libri Evangeliorum: in Presbyteratu traditio Calicis cum vino & patenæ cum Hostia superposita, ac impositio manuum Episcopi. Itaque

23 Acolythatus una materia est traditio Candelabri una cum Cereo extincto, cum tali forma: *Accipite Candelabrum cum cereo, & sciatis vos ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipatos, in Nomine Domini.* Altera partialis materia est traditio Urceoli vacui, cum hac forma: *Accipite Urceolum ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi, in Nomine Domini.* Porro *Officium Acolythorum* est luminaria Ecclesiæ accendere, atque præparare ad Sacrificium, & portare Cereum accensum ad Altare, præcipue dum Evangelium sub Missa canitur: itemque ampullas vini & aquæ ad Missæ Sacrificium præparare, & ministrare.

23 Nec dicas. Possunt hujusmodi officia pleraque peragi sine dictis Ordinibus: ergo frustra ponuntur hi Ordines. Resp. Enim negando consequentiam: tum quia per dictos Ordines constituitur quis in tali gradu Ecclesiæ, ut ejusmodi officia possit solemniter & auctoritative peragere, quod aliis non competit, tum quia etiam per quatuor Ordines minores confertur ordinatis ex opere operato gratia specialis ad ejusmodi officia dignius peragenda, ut proinde dicti Ordines neutiquam sint frustranei.

24 *Subdiaconatus materia* una est traditio Calicis vacui cum Patena vacua. *Forma* autem talis: *Videte, cujus ministerium vobis traditur, ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.* Altera ejus materia partialis est traditio libri Epistolarum, cum tali verborum forma: *Accipite Librum Epistolarum, & habete potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis &c.* Et nota, usque ad Subdiaconatum formas positas esse in plurali, eo quod usque ad Subdiaconatum regulariter loquendo plures soleant simul ordinari, si adsint: quod si vero unus solus ordinatur, tunc dictæ formæ proferuntur in singulari.

25 Porro *Subdiaconi officium* est Vasa sacra, videlicet Calicem ac Patenam ad usum Sacrificii præparare, atque ad Altare deferre, & Diacono in Altaris ministerio inservire, in Missa Epistolam cum Manipulo solemniter cantare; sine Manipulo enim liceret etiam non Subdiacono cantare Epistolam (*d*) item Pallas Altaris, Corporalis, Calices & Patenas abluere (de qua ablutione superius *dist.* 5. *post. quæst.* 10. *Appendice III. Addit.* 3.) ipsamque lotionis aquam in Sacrarium fundere, aliaque juxta Rubricas Missalis in Missæ Sacrificio peragere. Verum occasione horum.

26 Quæres I. Quæ sint speciales obligationes Subdiaconi? Resp. cum communi, esse sequentes. I. Subdiaconi, aliique in Ordinibus majoribus constituti tenentur servare perpetuam Castitatem; prout liquet ex *c. Presbyteris. dist.* 27. & *c. A multis. De ætate & qualitat. præficien.* & *c. Ut Clericorum. de Vita & honestat. Cleric.* ac alibi. II. Subdiaconi tenentur ad quotidianam recitationem Horarum Canonicarum, prout jam superius (*e*) dictum est. III. Subdiaconi, aliique in sacris Ordinibus tenentur deferre Habitum, & Tonsuram Clericalem *c. Si quis ex Clericis.* & *c. Clerici.* 25. *de Vita & honest. Cleric.*

27 Quæres II. Quo jure teneantur Clerici in Sacris constituti ad servandam perpetuo continentiam? Resp. I. Initiati sacro Ordine non tenentur ad continentiam ex Divino, sed dumtaxat Ecclesiastico. Ita Scotus 4. *dist.* 37. cum communi. Nullibi enim extat tale præceptum Divinum: quinimo Græci in minoribus Ordinibus contrahunt, & in superioribus utuntur Matrimonio jam contracto, neque in hoc reprehenduntur ab Ecclesia *c. Cum olim. de Clericis conjugat.* prout fieri oporteret, si dicta obligatio descenderet ex Lege Divina.

28 Remanet proinde, quod Clerici in Sacris teneantur ad perpetuam continentiam Jure dumtaxat Ecclesiastico, in quantum Ordinibus sacris ex generali statuto Ecclesiæ (per textus *n.* 26. citatos) annexum est Votum perpetuæ Castitatis; prout inter alios tradit Scotus 4. *dist.* 25. *quæst.* 1. §. *Hic breviter*, inquiens: *Quia susceptioni Ordinis sacri annexum est votum continentiæ, ut habetur extra c. A. multis. De ætate & qualit.* Id ipsum tenet communior Doctorum, atque desumitur ex *cit. c. Cum olim. de Cleric. conjugat.* ubi Pontifex ait: *Nos attendentes, quod Orientalis Ecclesia votum continentiæ non admisit.* Ex quo Glossa ibidem, argumento a sensu contrario desumpto, infert, quod Occidentales, sive Latini Clerici ex voto ad continentiam teneantur: eo enim ipso (inquit) quod quis promoveatur ad sacrum Ordinem, cui ex constitutione Ecclesiæ annexum est votum continentiæ, intelligitur tacite vovere continentiam, licet nullam de hoc mentionem faciat. Et hinc *cap. un. de Voto. in 6.* illud appellatur *Votum*, *quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri Ordinis.*

29 Nec obstat Scotus 4. *dist.* 37. *q. un.* ex quo loco is passim citatur in oppositum. Resp. enim, Doctorem ibidem solum dicere, quod Ordo sacer non dirimat Matrimonium propter votum continentiæ, sive proprie, sive ex præcepto Ecclesiæ annexum; sed ex hoc solum, quod Ecclesia talem personam faciat simpliciter illegitimam, sive inhabilem ad contrahendum: & hoc est certum, atque patet ex *cit. cap. un. de Voto in 6.* Non tamen Doctor Subtilis ibidem negat, Ordini sacro esse annexum Votum continentiæ, imo hoc ipsum supponit, atque antea, seu *dist.* 25. *quæst.* 2. jam citata, expresse docet.

30 *Diaconatus materia* etiam duplex est, una impositio manus dexteræ Episcopi, cum tali verborum forma: *Accipite Spiritum Sanctum ad robur, & ad resistendum diabolo & tentationibus ejus, in Nomine Domini.* Prout etiam primi septem Diaconi leguntur *Act. cap.* 6. *v.* 6. per impositionem manuum Apostolorum ordinati, & quidem eo magis, quia tunc Liber Evangeliorum nondum fuit conscriptus. Altera conformiter Concilio Florentino *in Decreto Unionis* §. *Sextum Sacramentum.* apud Apollonium Holzman hic *n.* 69. *v. Probatur quarto.* est traditio Libri Evangeliorum, cum hac forma: *Accipe* (aut, si plures simul ordinentur) *Accipite potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis, in Nomine Domini.*

31 Porro *Officium Diaconi* est Sacerdoti in Missæ Sacrificio immediate assistere, eique ministrare panem & vinum ad conficiendam Eucharistiam, atque Evangelium cum Stola solemniter cantare, aliaque juxta Rubricas Missalis præstare. Taceantur cetera ejus officia, qualia sunt, Sacerdote impedito Verbum DEI ex facultate Episcopi prædicare, de Parochi licentia solemniter baptizare, ex commissione Parochi, atque in necessitate aliis sacram Communionem administrare, deferre Pixidem, in qua sunt Particulæ consecratæ de uno ad aliud Altare, tangere Monstrantiam, in qua actu continetur SS. Eucharistia, eamdem e Tabernaculo educere, & Sacerdoti porrigere &c.

32 *Presbyteratus* duplex est *materia*, scilicet traditio Calicis cum vino, & Patenæ una cum hostia superposita, cum hac verborum forma: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium DEO, Missasque celebrandi, tam pro vivis, quam pro defunctis in Nomine Domini.* Altera materia Presbyteratus est impositio manuum Episcopi super caput ordinandi, cum hac verborum forma: *Accipe Spiritum Sanctum; quorum remiseris peccata, remittuntur eis; & quorum retinueris, retenta sunt.*

Additio.

* Notetur hic bene pro tollenda omni æquivocatione, quod in Ordinatione Presbyterorum duplex interveniat impositio manuum Episcopi. Prima fit ante traditionem Calicis; ubi Episcopus ponit dextram super caput ordinandi, dicendo, *Oremus fratres*: altera fit post Communionem cum forma, *Accipe Spiritum Sanctum &c.* Prior juxta communem DD. est tantum ritus quidam, & oratio super futurum Sacerdotem, uti recte cum aliis ait *S. August. lib. 3. de Baptis. contra Donatistas.* Posterior vero censetur altera necessaria materia ad completum Sacerdotium Dicitur notanter *ad completum Sacerdotium*: nam sine hac impositione, si e. g. Episcopus post traditionem Patenæ cum Hostia, & Calicis cum vino moreretur, talis Sacerdos posset quidem valide consecrare, non autem absolvere, ne quidem in articulo mortis; cum haberet quidem potestatem in Corpus Christi verum, non autem in Corpus Christi mysticum, sicque non haberet Sacerdotium completum. Videatur Sporer *part. 2. Theolog. Sacramentalis. cap. 1. n. 31.* +

33 Porro *Officium Sacerdotis* præcipuum est consecrare Corpus & Sanguinem D. N. JESU Christi: quæ potestas traditur per traditionem Calicis cum vino, & Patenæ cum hostia superposita; idque fieri solet ante Offertorium, nempe circa finem Tractus, Sequentiæ, vel Alleluja, Evangelium præcedentis. Alterum ejus officium est absolvere pœnitentes a peccatis, accedente tamen legitima jurisdictione: quæ potestas eidem traditur per manuum Episcopi impositionem, cum debita verborum forma, soletque fieri peracta Communione. (*f*) Insuper ad Officium Sacerdotis pertinet, alia Ecclesiæ Sacramenta dignis administrare, excepto Sacramento Confirmationis, ac Ordinis, quorum administratio spectat ad Episcopum, veluti ordinarium Ministrum. Item Sacerdotis est benedicere, baptizare, ac populum DEI opere, doctrina, & exemplo pascere, atque ejusdem necessitates ferventibus precibus Deo recommendare, aliaque pietatis opera impensius exercere.

34 Objicies contra hactenus dicta. In Concilio Florentino *in Decreto Unionis*, unica materia assignatur pro Ordine Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus; ergo male assignatur duplex materia horum Ordinum: Antecedens patet. Sic enim loquitur citat. Concilium. *Sextum Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo; sicut Presbyteratus traditur per Calicis cum vino, & Patenæ cum pane porrectionem, Diaconatus vero per Evangeliorum dationem, Subdiaconatus per Calicis vacui cum Patena vacua superposita traditionem.* Resp. negando consequentiam: quia, ut notat Herincx *disp. 10. de Sacramento Ordinis. n. 37. & 46.* Concilium Florentinum non intendit assignare adæquatam materiam dictorum Ordinum, sed solum tradere exempla doctrinæ generalis a se præmissæ, nempe materiam cujuslibet Ordinis esse illud, cujus traditione confertur Ordo. Unde alteram materiam, ex Concilio Carthaginensi quarto, & ex usu Ecclesiæ jam claram, atque perspectam non exclusit.

35 Fatendum tamen, quod loquendo de Ordine Subdiaconatus, plerique Scholastici negent, Librum Epistolarum spectare essentialiter ad materiam hujus Ordinis, alii vero, & quidem melius asserant, traditionem Libri Epistolarum esse partem materiæ hujus Ordinis saltem minus principalem. Gobat *tract. 8. Theol. Experim. n. 49.* & Herincx *loc. cit n. 46.* Ratio est, quia, sicut per traditionem Libri Evangeliorum datur specialis potestas solemniter cum Stola cantandi Evangelium, ita per traditionem Libri Epistolarum confertur specialis potestas solemniter cum Manipulo legendi Epistolam: ergo, sicut saltem juxta communiorem Doctorum Liber Evangeliorum est pars materiæ Ordinis Diaconatus: ita Liber Epistolarum erit pars materiæ Ordinis Subdiaconatus. Accedit, quod in Pontificali Romano Candidati pro Subdiaconatu etiam post traditionem Calicis adhuc dicantur *ordinandi*, & primum post traditionem Libri Epistolarum *ordinati*, quod signum est, ad completum Ordinem Subdiaconatus etiam spectare tamquam partem, Librum Epistolarum.

36 Objicies ulterius. Tempore Apostolorum Diaconi sunt ordinati sine traditione Libri Evangeliorum, utpote qui tunc necdum conscriptus erat; ergo traditio Libri Evangeliorum non est de essentia Sacramenti Diaconatus: & sic a pari, vel etiam a fortiori, nec Liber Epistolarum erit de essentia Subdiaconatus. Confirmatur. De facto in tota Ecclesia Græca conferuntur Ordines absque omni instrumentorum traditione per solam manuum impositionem cum certis verbis singulos Ordines exprimentibus ab Episcopo factam; atqui ordinatio Græcorum est valida, quia viget non tantum apud Schismaticos (quos tamen revertentes ad Catholicam Ecclesiam ipsa recipit in suis Ordinibus) sed etiam apud Catholicos, & illos ipsos, qui Romæ degunt, ibique more suo ordinantur consentiente Papa, ut testatur Herincx *loc. cit. n. 51.* & Gobat *loc. cit. n. 95.* ergo.

37 Resp. cum D. Bonaventura *4. dist. 24. p. 2. art. 1. quæst. 4.* Bellarmino *lib. un. De Ordinat. cap. 9.* Lugone *disp. 2. De Sacramentis. sect. 5.* Marchantio, & aliis Theologis, Christum Dominum, quando in ultima Cœna post Consecrationem juxta Concil. Trid. *sess. 2. de Sacrificio Miss. can. 2.* per verba: *hoc facite in meam commemorationem*: Ordinem Presbyteratus, & tunc credibiliter quoque juxta Bellarminum alios inferiores instituit Ordines, non determinasse in particulari, seu specie infima materiam singulorum Ordinum, sed tantum in genere, nimirum, ut conferrentur per signa sensibilia & verba, quæ sufficienter significarent collationem potestatis talium Ordinum, relinquendo interim Ecclesiæ magis specificam, ac veluti materialem instrumentorum porrigendorum, & verborum determinationem, prout jam superius (*g*) dictum est. Unde in forma respondendo, negatur consequentia.

38 Instabis. Ergo non est in tota Ecclesia Christi uniformitas quoad materiam, & formam Sacramenti Ordinis. Resp. distinguendo sequelam: ergo non est uniformitas, quatenus non est ubique eadem materia & forma physice, conceditur; moraliter, & saltem in genere, negatur. Vel (ut alii loquuntur) non est ubique uniformitas, materialiter loquendo, conceditur, formaliter, negatur. Quia semper & ubique juxta Christi institutionem, ac determinationem Ecclesiæ adhibetur talis materia & forma verborum, quæ sufficienter significat collationem potestatis cujuslibet Ordinis.

Additio I.

* Urgebis. Ad Ordinem Episcopatus non requiritur duplex materia: ergo neque ad Ordinem Presbyteratus,

& multo minus ad Ordinem Diaconatus, & Subdiaconatus. Antec. probatur; quia juxta communem DD. materia Episcopatus est præcise manuum impositio per tres alios Episcopos facienda, cum hac formula: *Accipe Spiritum Sanctum.* Quinimo ex dispensatione Pontificia sufficit impositio manuum etiam unius tantum Episcopi prout teste Felice Potesta *Tom. 3. Examinis Ecclesiastici.part. 1. c. 1. n. 5.* adest praxis Pontificum S. Gregorii, & Gregorii XIII. Resp. transmisso antecedenti, neg. consequentiam & paritatem. Disparitas est; quia neque ex Rituali seu Pontificali, neque ex aliquo Concilio præscribitur duplex materia pro Ordinatione in Episcopum. Quinimo vidi ipsemet copiam Brevis cujusdam Apostolici Clementis XII. anno 1735. emanati, vi cujus noster P. Valerius Rist. Missionarius Apostolicus in Cochinchina in Episcopum ordinari potuit per impositionem manuum unius tantum Episcopi cum assistentia duorum Sacerdotum. Econtra vero partim ex Concilio Florentino, partim ex Carthaginensi IV. simul sumptis eruitur, quod in Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus Ordinatione requiratur duplex materia. Dixi notanter; *transmisso antecedenti*; quia non desunt Auctores, qui cum nostro Joanne Pontio, & aliis apud & cum P. Holzman hic *n. 70. ℣. Probatur sexto.* etiam illud negant, volentes præter impositionem manuum quoque Unctionem capitis, & manuum Episcopi spectare ad essentiam Ordinationis Episcopalis, sicque etiam ibidem concurrere duplicem materiam. *

Additio II.

* Quæres. An valide quis ordinaretur in Presbyterum, si ei traderetur Calix sine vino, vel Patena sine hostia? Resp. negative; quia vinum, & hostia spectant ad materiam essentialem Presbyteratus, per cujus utriusque traditionem datur potestas consecrandi Corpus & Sanguinem Christi, sicque completum perficiendi Sacrificium. Nec dicas. Si Subdiaconando daretur Calix cum vino, & Patena cum hostia, valide ordinaretur: ergo etiam e contrario, si Presbyterando daretur Calix sine vino, aut Patena sine hostia. Resp. enim neg. consequentiam, & paritatem; quia in posteriori casu deesset aliqua essentialis materia; non autem sic in priori, cum adhuc haberetur Calix & Patena, uti consideranti patet. *

QUÆSTIO III.

De Ætate, & Qualitatibus Ordinandorum.

SUMMARIUM

39 *Ordines sacri, seu majores, qui, & cur sic dicantur?*
40 *Ordines minores, seu non Sacri, qui?*
41 *Soli masculi sunt capaces Ordinis, non feminæ.*
42 *In masculis, ut ordinari possint, plura requiruntur.*
43 *Sine Baptismo non recipitur Sacramentum Ordinis.*
44 *Ordo potest recipi & valide, & licite.*
45 *Infans, an possit ordinari?*
(*h*) Vide Tract. 14. dist. 1. n. 39.
46 *Infans ordinatus, an teneatur servare Continentiam, vel recitare Breviarium?*
47 *Ad Ordines, an requiratur Confirmatio?*
(*i*) Vide Tract. 14. dist. 3. n. 48. & 49.
48 *In ordinandis requiritur debita scientia, & qualis? cum Additione.*
49 *Item probitas vitæ, & morum.*
50 *Ac ætas legitima, & qualis?*
51 *Quid de prima Tonsura, & Ordinibus minoribus?*
52 *Quid juris, si quis ordinetur ante legitimam ætatem?*
53 *Præsertim bona fide?*
* *De aliis qualitatibus ad licitam Ordinationem requisitis Addit. I. & II.*
* *Quomodo in defectu ætatis impetretur Dispensatio? Addit. III.*

39 ADvertendum, quod ex prædictis Ordinibus alii dicantur Ordines majores, seu Sacri, alii Ordines minores. *Ordines sacri, seu majores* sunt tres, videlicet Subdiaconatus, Diaconatus, ac Presbyteratus. & hi quidem ex eo dicuntur *Ordines sacri*, quia habent annexum Votum perpetuæ Castitatis, nec non & obligationem recitandi Breviarum, quibus homines specialiter quasi Deo consecrantur. Dicuntur etiam *Ordines majores*, eo quod per eos ordinati ad majus officium circa Eucharistiam exercendum deputentur: Sacerdos scilicet ad consecrandum, Diaconus vero, ac Subdiaconus ad proxime assistendum, & ministrandum solemniter Sacerdoti ad Altare. Fatendum quidem est, quod Subdiaconatus in primitiva Ecclesia non fuerit connumeratus inter Ordines sacros, uti patet ex *c. Nullus in Episcopum. dist. 60.* defacto tamen Subdiaconatum inter sacros Ordines computari, certum est, atque decisum habetur *c. A multis. De ætate & qualit. præficiend.*

40 Porro *Ordines minores* sunt alii quatuor, videlicet Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus. Et dicuntur *minores* ob minus officium, ad quod ordinantur. Dicuntur etiam quandoque *Ordines non sacri*, non quidem in eo sensu, quasi nihil sacrum sint, aut contineant (sunt enim & ipsi verum Sacramentum, juxta dicta *n. 15.*) sed ad differentiam Ordinum majorum, qui per excellentiam, ob rationes jam allatas, appellantur *Sacri*, cum econtra Ordines minores non habeant annexam obligationem recitandi Breviarium, neque Votum perpetuæ Castitatis; ut proinde hisce dumtaxat Ordinibus initiati licite possint contrahere Matrimonium, si velint. Hoc prænotato, sit

41 CONCL. I. Soli masculi sunt capaces Sacramenti Ordinis, non feminæ. Ita Scotus 4. *dist. 25. qu. 2.* ubi hoc refundit in Legem Divinam, atque ordinationem Christi. Idipsum patet tum ex perpetua traditione Ecclesiæ: tum ex eo, quia neque B. Virgo MARIA hanc potestatem Ordinis a Christo Filio suo accepit, non obstante, quod fuerit dignior ac excellentior universis Apostolis.

42 CONCL. II. Etsi in masculis ad hoc, ut quis valide ordinetur, post susceptum Baptismi Sacramentum aliud non requiratur præter debitam materiam & formam, ac intentionem Ministri, atque suscipientis, si is sit adultus; tamen, ut quis licite & absque ullo peccato possit ordinari, plura alia requiruntur. Ita certa & communis.

43 Notanter tamen additur, *post susceptum Baptismum.* Nam, cum Baptismus sit janua omnium Sacramentorum novæ Legis, sine ipso Sacramentum Ordinis valide non potest recipi. Unde *c. 1. De Presbytero non baptizato*, dicitur: *Si quis Presbiter ordinatus deprehenderit, se non esse baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur.*

44. Ceterum, ut data Conclusio melius intelligatur, sciendum, quod dupliciter intelligi possit, Ordines recipi, valide nimirum, ac licite. *Valide* tunc intelligitur Sacramentum Ordinis recipi (idem dicendum de aliis Sacramentis) quando ipsum ita recipitur, ut valeat, & subsistat Ordo receptus. Quod quidem fieri potest, etiamsi quis recipiat Ordinem in peccato mortali, aut per ejus receptionem actu peccet, dummodo nihil desit de essentialiter requisitis ad ipsius validitatem. *Licite* tunc intelligitur recipi Ordo, quando non solum valet Ordo receptus, sed insuper receptio ipsius fit licite, seu absque peccato: & quidem, ut hoc posteriori modo recipiantur Ordines, præter sexum masculinum, ac receptionem Baptismi plura alia requiri, patebit ex sequentibus Conclusionibus.

45 CONCL. III. Parvulis masculis ante usum rationis valide quidem, sed non licite Sacramentum Ordinis ministratur. Ita Scotus 4. *dist. 25. q. 2.* estque communis Doctorum, & patet quoad valorem ex *can. 12. caus. 11. q. 1.* ubi duo (Silvelster, & Fautinianus nominati) adducuntur ordinati a cunabulis, nec ea ordinatio pronuntiatur invalida. Ratio est: quia infans similiter capax est aliorum Sacramentorum, ut Baptismi (*h*) &

& Confirmationis, quæ non requiruntur in suscipiente proprium consensum, si is numquam habuit usum rationis. Quod autem talibus Sacramentum hoc licite non conferatur, patet ex eo: quia præter plura alia, quæ in parvulis non reperiuntur, requiritur legitima ætas in ordinandis, ut dicetur in progressu.

46 Ceterum hic notandum, quod, licet Ordo sacer ante usum rationis valide cupiam conferatur, tamen ordinatus ad servandam Continentiam, vel recitandas Horas Canonicas non astringatur, nisi post adeptos annos pubertatis ratificet, idque vel verbo, vel facto, nimirum utendo Ordine sacro. Sed semel facta scienter hujusmodi ratificatione post legitimam ætatem, jam non erit ipsi integrum resilire. Sanchez *Lib. de Matr. disp.* 30. cum communi.

47 CONCL. IV. Ut quis licite ordinetur, imo & prima Tonsura initietur, requiritur, quod sit confirmatus. Patet ex Concilio Trid. *sess.* 23. *c.* 4. *de Reform.* ubi dicitur: *Prima Tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint &c.* Quod si tamen secus fiat, valebit quidem ordinatio, sed scienter sic ordinans, imo & ordinatus peccabit. (*i*)

48 CONCL. V. Insuper requiritur debita scientia in ordinandis. Ita certa omnium. Requirit autem Concil. Trid. *cit. sess.*23.*c.*4. *de Reform.* ad primam Tonsuram, ut initiandus sit Fidei Rudimenta edoctus, ut sciat legere & scribere. Ad quatuor Ordines minores requiritur juxta cit. Concil. Trid. *c.* 11. ut ordinandi saltem linguam latinam intelligant. Ad subdiaconatum, & Diaconatum postulat idem Concilium *cap.* 14 quod ordinandi sint instructi litteris, & iis, quæ ad Ordinem suum exercendum pertinent. Et tandem ad Sacerdotium exigit in ordinandis tantam scientiam, ut possint populum docere ea, quæ scire omnibus ad salutem necessarium est, simulque ministrare Sacramenta.

Additio.

* Ut autem debitam scientiam pro futuro examine Ordinandi etiam ex præsenti Theologia Morali haurire possint, suaderem *imprimis*, primam Tonsuram, & Ordines minores recipientibus, ut in Tractatu XIV. attente prius relegant Distinct. I. & II. *De Sacramentis in genere*, ac Distinct. XII. *De Sacramento Ordinis. Secundo*, quoad Subdiaconandos, & Diaconandos, qui jam propius ad Ministerium Missæ accedunt, & plures obligationes contrahunt, consulerem, ut insuper in Tractatu VI. Distinctioni I. *De Horis Canonicis.* & Distinctioni III. *De Votis.* præsertim circa primas tres Quæstiones studeant, cum obligationem contrahant servandi castitatem, & recitandi Horas Canonicas. Neque negligant revidere Tractatum XIII. *De Censuris & irregularitate. Tertio*, quoad Presbyterandos, hi non solum præecedentia diligenter recolligant; verum etiam præprimis studia sua applicent in Tr. XIV. Distinctioni IV. *De SS. Eucharistiæ Sacramento.* & Distinct. V. *De Sacrificio Missæ.* nec præfixas Missali Rubricas revidere intermittant, præsertim de Defectibus in celebratione Missarum occurrentibus. O! quoties Reverendissimi Examinatores experiri poterunt, quod nonnulli, ceteroquin in speculativis satis docti, sint tamen in similibus valde rudes, si loco materiarum, in praxi minus utilium, in aliquibus talibus practicis examinentur. *

49 CONCL. VI. Insuper requiritur vitæ, & morum probitas in ordinandis. Patet hoc tum ipsa ratione Sacramenti, & Concilio Trid. *c.* 5. & alibi: tum ex illo Apostoli. 1. *Timoth.* 5. *Manus cito nemini imposueris.*

50 CONCL. VIII. Requiritur ulterius in promovendis ad sacros Ordines ætas legitima & a Jure præscripta. Est certum. Intellige, nisi cum aliquo sit legitime dispensatum. Etsi autem antiquitus minor ætas suffecerit, jure tamen novo Concilii Trid. *sess.* 23. *c.* 12. *de Reform.* nullus imposterum ad Subdiaconatus Ordinem licite promovetur ante vigesimum secundum, ad Diaconatum ante vigesimum tertium, & ad Presbyteratum ante vigesimum quintum ætatis suæ annum. Sufficit autem annus hujusmodi saltem inchoatus, etsi tantum per medium diem aut unicam horam sit inchoatus: prout ex communi docet Herincx *disp.* 10. *de Sacramento Ordinis. quæst.* 7. *n.* 72. idque patet ex praxi Ecclesiæ, quæ sic citatum Decretum Tridentinum semper intellexit.

51 Dicitur, *in promovendis ad sacros Ordines.* Siquidem ad primam Tonsuram & quatuor Ordines minores licite suscipiendos non requiritur determinata ætas, dummodo adsit sufficiens scientia una cum aliis requisitis: quamvis ante annum decimum quartum (saltem inceptum) tales non possint obtinere Beneficium Ecclesiasticum, prout decrevit Concil. Trid. *cit. Sess.*23.*c.*6. *de Reform.* & notat Barbosa *ibidem n.* 2. cum aliis.

52 CONCL. VIII. Ordinatus Ordinibus majoribus ante legitimam ætatem valide quidem ordinatur, atque recipit Ordinis Characterem, talis tamen ipso jure est suspensus, &, si in tali suspensione ministraverit, efficitur irregularis. Ita defacto communis Doctorum, estque decisum per Bullam Pii II. quæ incipit: *Cum ex Sacrorum.* & habetur *tom.* 1. *Bullarii Romani. Constit.* 7. *dicti Pontificis.*

53 Hoc tamen intelligendum de eo, qui scienter ante legitimam ætatem permisit se ordinari. Siquidem ordinatus bona fide, & qui post diligentem inquisitionem credidit se ætatem legitimam habere, non incurrit Suspensionem; loquitur enim Constitutio Pii II. de illis, *qui præsumunt* ante legitimam ætatem ordinari, id est, qui scienter, ac deliberate, non obstante Constitutione Canonum, id agunt. Quandiu tamen ordinatus ad legitimam ætatem non pervenit, non est licitum eidem ministrare in suscepto Ordine, ne quidem cum licentia Episcopi; cum hic non possit dispensare super ætate contra sacros Canones.

Additio I.

* Quæres I. Quænam ulterius ultra jam dicta requirantur ad licitam Ordinationem? Resp. breviter, sequentia. I. Ut recipiens Ordines sit legitime natus, de quo plura *L.* 1. *Decret. tit.* 17. II. Ut sit Conditione liber, de quo pariter *L.* 1. *Decret. tit.* 18. III Ut non sit obligatus ad ratiocinia, nisi ante Ordinationem reddat debitas rationes juxta *tit.* 19. *L.* 1. *Decret.* IV. Ut non sit notabiliter corpore vitiatus, de quo *L.* 1. *Decret. tit.* 20. V. Ut non sit bigamus, de quo *Tit.* 21. VI. Nec aliqua Censura, vel Irregularitate ligatus, de quo *Lib.* 1. *Decret. tit.* 11. VII. Ut non recipiat Ordines per saltum, de quo *Tract.* 13. *dist.* 3. *n.* 17. *

Additio. II.

* Dices. Plures ex allegatis, si sese furtive inscio Episcopo ingerant ad Ordines suscipiendos, non solum illicite, verum etiam invalide ordinantur: ergo enumerata, vel saltem plura ex his non solum ad licitam, verum etiam ad validam Ordinationem requiruntur. Antecedens probatur; quia ad validam Ordinationem etiam requiritur, ut Episcopus habeat intentionem tales ordinandi, quæ respectu simili impedimento laborantium adesse non videtur; cum potius Episcopus non raro sub excommunicatione prohibeat, ne similes se ingerant Ordinationi. Resp. neg. antec. Etsi enim Episcopus sub excommunicatione id prohibeat, ita, ut, si positive tales simili impedimento laborantes accedere resciret, eos non esset ordinaturus; non tamen præsumitur, velle huic suæ prohibitioni alligare valorem actus seu Sacramenti ob valde gravia inconvenientia alias non solum ex parte sic Ordinatorum, verum etiam ex parte boni publici subsecutura, præsertim apud ordinatos taliter in Presbyteros, plurimum exinde anxios, utrum valide celebrent, vel absolvant &c. Unde finaliter per similes prohibitiones vult Episcopus præcise indicare, quod tales, si postea resciat, sit declaraturus tamquam excommunicatos. Videatur hic Auctor in Jure Canonico *Lib.* 5. *Decret. tit.* 30. *

Addit-

Additio III.

* Quæres. II. Quomodo in defectu ætatis quoad annos Sacerdotii practice impetretur dispensatio?

Resp. I. Si adsit penuria Sacerdotum, in Germania, de speciali Privilegio ad præviam supplicationem ordinarie obtineri solito, possunt dispensare ipsimet Episcopi, nec est necessaria certa formula petendi, modo ceteroquin sufficienter constet de penuria Sacerdotum. Ita patet ex facultatibus ordinarie concessis Germaniæ Episcopis, quarum una sic sonat: *Dispensandi super defectu ætatis unius anni ob operariorum penuriam, ut promoveri possint ad Sacerdotium, si alias idonei fuerint.*

Resp. II. Si petatur Dispensatio ex ætate tredecim mensium, vel alias extra penuriam Sacerdotum, recurrendum erit ad Curiam Romanam, ubi non solum ob penuriam Sacerdotum, sed etiam ob solatium Parentum saltem alterutrius viventis, item ob arctationem Beneficii actualis, aut ob Doctoratum Theologiæ, aut Philosophiæ Magisteriatum &c. dispensatur & taxa pecuniaria excurrit ad undecim, vel duodecim scuta, id est in moneta nostra ad viginti quatuor circiter florenos: modus autem petendi esse poterit talis.

Petitur humillime Dispensatio in ætate tredecim Mensium pro N. Diœcesis N. ad effectum recipiendi 5. Ordinem Presbyteratus in solatium Patris senio confecti. *.

QUÆSTIO IV.

De Ministro Sacramenti Ordinis.

SUMMARIUM.

54 *Ordinarius Minister Ordinis est Episcopus, & qualis? cum Addit.*
55 *Potestas conferendi Ordines minores, an possit concedi simplici Sacerdoti?*
Quid de Abbatibus Infulatis?
* *Quod ultimum magis amplificatur. Addit. I. & II.*
56 *Episcopus sine Dimissoriis licite non ordinat alienum subditum.*
57 *Subditus Episcopi, quibus modis quis efficiatur? Item in Additione. I.*
* *Quid de Regularibus Exemptis? Addit. II.*
* *Quid de Sæcularibus mortuo suo Episcopo? Addit. III.*

54 CONCL. I. Episcopus consecratus est ordinarius Minister Sacramenti Ordinis. Ita definitum est in Concilio Trid. *sess.* 23. *can.* 7. & patet tum ex perpetua praxi, & sensu Ecclesiæ, tum ex S. Scriptura *Actorum* 6. & 2. *Timoth.* 1. & alibi, quibus in locis non nisi ab Apostolis, quibus in Ecclesia DEI succedunt Episcopi, legimus ordinatos esse.

Additio.

* Porro Episcopus semel consecratus adeo Minister est Ordinum, ut adhuc valide (quamvis illicite) ordinaret alios, etsi forent alienæ Diœcesis, vel ipsemet esset degradatus, Hæreticus, Schismaticus, irregularis, vel suspensus. Ratio est: quia Ordinum collatio est actus Ordinis, non Jurisdictionis; Ordo autem, quia propter impressum semel Characterem est indelebilis, semper manet in ipsis, uti recte advertit Felix Potestas *Tom.* 3. *Examinis Ecclesiastici part.* 1. *cap.* 1. *n.* 16. *

55 Dicitur notanter *Episcopus est ordinarius Minister.* Siquidem, ut notat Ascanius Tamburinus *De Jure Abbatum n.* 2. *disp.* 2. *quæst.* 1. *n.* 3. potestas Ordines minores conferendi potest etiam simplici Sacerdoti a Summo Pontifice committi. Unde Abbates Presbyteri, & usum mitræ ac baculi habentes, possunt Ordines minores suis subditis conferre; idque ex concessione Sedis Apostolicæ; prout liquet ex *c. Quoniam videmus. dist.* 69. & *c. Cum contingat. De Ætate & qualit. præfic.* Imo de speciali assensu Episcopi illius, qui respectu ordinandi est Ordinarius, posse Abbates etiam Sæcularibus non sibi subditis, ac Regularibus habentibus speciales Dimissorias suorum Superiorum conferre primam Tonsuram, & Ordines minores, docet citatus Tamburinus *quæst.* 7. cum pluribus aliis Doctoribus.

Additio I.

* Id ipsum practicari in variis Diœcesibus testatur Engel apud Franciscum Schmier *Lib.* 1. *Jurisprudent. tract.* 4. *cap.* 2. *sect.* 2. §. 3. quam sententiam sub allegatis supra conditionibus etiam ipsemet citatus Auctor defendit, uti etiam novissime fusius P. Apollonius Holzman *Tom.* 2. *part.* 6. *Tract.* 1. *n.* 108. & P. Schmalzgrueber 3. *Decret. Tit.* 40. *n.* 40. addit, teste Fagnano *in cap. Aqua De consecrat. Ecclesiæ &c. n.* 8. pluries sic esse resolutum a Congregat. Concil. &c. quamvis non desint tenentes oppositum extra ipsos Regulares subditos, prout videri poterit apud la Croix *Lib.* 6. *part.* 2. *n.* 2190. ubi præter Concil. Trid *Sess.* 23. *De Reform. cap.* 10. tantummodo concedens Abbatibus conferre Tonsuram, & minores Ordines Regularibus subditis, etiam in contra adducit aliquam decisionem Rotæ; uti etiam Declarationem sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium Concilii Trid. Interpretum, confirmatam a Summo Pontifice. Item P. Cajetanus Merati in Commentariis ad Rubricas Missalis *Tom.* 1. *part.* 4. *Tit.* 19. *n.* XXV. novarum Observationum eodem modo in contrarium affert Decretum S. R. C. editum, & ab Alexandro VII. approbatum die 27. Septembris 1659. ac denuo die 20. Julii anno 1660. dignum lectu. *

Additio II.

* Dices. Quoad Ordines majores juxta D. Thomam, & Scotum, Episcopus est adeo Minister necessarius, ut potestas conferendi eosdem nequeat a Papa dari alicui alteri: ergo idem sentendium quoad Ordines minores. Resp. I. transf. ant. neg. conseq. & paritatem; quia Ordines minores non tam proxime versantur circa Sacrificium, ac conficiendum SS. Sacramentum, uti Ordines majores. Resp. II. neg. ant. saltem quoad Subdiaconatum, & Diaconatum: cum legantur aliqui Pontifices etiam non Episcopis dedisse actu potestatem conferendi dictos Ordines, uti testes sunt præsens Auctor *Lib.* 1. *Decret. Tit.* 13. *n.* 17. *ac seqq.* & Holzman *loc. cit. n.* 85. & *seqq.* quamvis negari nequeat, D. Thomam, & Scotum pro suo tempore inclinasse in sententiam contrariam. Vide Holzmam *l. c.*

56. CONCL. II. Episcopus alienum subditum sine Litteris Dimissoriis licite non ordinat, alioquin scienter talem ordinare præsumens suspenditur a collatione Ordinum per annum, & sic ordinatus ab executione Ordinum susceptorum. Ita Concil. Trid. *Sess.* 23. *cap.* 8. *de Reform.* ubi ait: *Unusquisque a proprio Episcopo ordinetur &c. Si secus fiat, ordinans a collatione Ordinum per annum & Ordinatus a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire sit suspensus.*

57 Porro quatuor modis censetur quis subditus Episcopi, quantum sufficit ad Ordines recipiendos I. Ratione originis: unde potest quisque ordinari in loco, ubi natus est, postmodum alibi domicilium, aut Beneficium possederit, dummodo parentes tempore Nativitatis suæ ibidem domicilium habuerint II Ratione domicilii. Sic recipiuntur Ordines ab Episcopo, in cujus Diœcesi ordinandus habitationem perpetuam constituit. Dicitur, notanter, *perpetuam*: nam non sufficit habitatio tantum temporalis in tali loco v. g. studiorum causa, aut hujusmodi. III. Ratione Beneficii. Et hinc ordinari quis potest ab Episcopo; in cujus Diœcesi Beneficium possidet, ut dicitur *c. Cum nullus. De Tempor. Ordination. in* 6. IV. Ratione triennalis familiaritatis, seu commensalitatis cum Episcopo. Proinde poterit Episcopus ordinare sibi alias non subditum, qui

qui per triennium in ipsius familia, sive servitio, sumptibus ipsius, & ita quasi commensalis fuit, dummodo statim re ipsa Beneficium illi conferat; prout habetur in Concil. Trid. *Sess.* 13. *cap.* 9. *de Reform.*

Additio I.

* Hos quatuor modos, quibus aliquis respectu collationis Ordinum fit subditus Episcopi, fusius cum suis clausulis adducit Innocentius XII. in sua Constitutione *Speculatores Domus Israel, &c.* edita 4. *Novembris anno* 1694. & in suo Bullario, *ordine* 44. quam Bullam Auctor præsens P. Reiffenstuel merito videndus in Jure Canonico *Lib.* 1. *Decret. Tit.* 11. § 4. magis declarat, addendo de expositis publice, quorum parentes ignorantur, eosdem posse ordinari ab Episcopo loci, in quo expositi reperiuntur, supposito, quod non constet de illa Diœcesi, in qua naturaliter nati fuere: prout facile fieri poterit in confinibus duarum ad invicem Diœcesium. *

Additio II.

* Quæres I. Quisnam Episcopus Clericos, qui sunt nullius Diœcesis, item Regulares debeat ordinare? Resp. I. Quoad Clericos nullius Diœcesis, si ceteroquin alios speciali extraordinario privilegio muniti non sunt, ordinatio spectat ad Episcopum, intra cujus Diœceseos fines locus ille situs est. Ita clare Concil.. Trid. *Sess.* 23. *De Reformat. cap.* 10. Quod si locus iste foret omnino extra dictos fines, ordinatio pertineret ad Episcopum illum, cujus Ecclesia Cathedralis est proximior. Ita ex Fagnano *cap. Significasti. Lib.* 1. *Decret. num.* 23. deducunt Felix Potestas *Tom.* 3. *Examinis. n.* 29. & Sabinus Bononiens. *part.* 2. *Tract.* 48. *n.* 42. pro qua sententia etiam adducuntur aliquæ Declarationes Cardinalium, quamvis contrarii sint Barbosa, Clericatus, Franciscus Schmier, & nonnulli alii apud Holzman *Tom.* 2. *part.* 6. *Tract.* 1. *n.* 88.

Resp. II. Quoad Regulares, si Episcopus loci, ubi morantur de familia, abfuerit, vel tempore præfixo Ordinationes non habuerit, possunt ordinari a quocumque alio, dummodo Superiores Regulares in Dimissorialibus, quas ipsimet dant, iisque merito fides habenda est, expresserint, quod in loco, in quo ordinandi alias degunt de familia, ob absentiam Episcopi, vel alia ex causa Ordinationes non fiant eo tempore. Ita cum aliis Matthæucius in Officiali Curiæ Ecclesiasticæ *cap.* 35. *n.* 2. *quoad Ordines.* Et adducitur desuper a P. Reiffenstuel *Lib.* 1. *Decret. tit.* 11. *n.* 133. *& n.* 137. speciale Decretum Sac. Congregationis confirmatum a Clemente VIII. *die* 15. *Mensis Martii anno* 1599. in emergentia casus ibi videndum.

Ast ponamus, quod Episcopus loci in quo dicti Regulares degunt de familia, ipsemet habeat pro eo tempore ordinationes, poteruntne hoc non obstante præfati Regulares exempti ordinari ab alio Episcopo v. g. ab illo qui est vicinior alteri alicui ejusdem Ordinis Monasterio, ubi ex licentia suorum Superiorum sunt celebraturi Primitias? Ad hoc Quæsitum Pater Reiffenstuel *loc. cit. n.* 136. si Regulares fuerint exempti, respondet affirmative, ac conatur ibidem id probare ex Concessione Clement. VIII. die 23. Novemb. 1596. facta Congregationi S. Joannis Evangelistæ in Portugallia, cum qua alii exempti quoad privilegia communicant. Aliud simile privilegium Ordinibus Mendicantium a S. Pio V. in Bulla *Etsi Mendicantium*: edita anno 1567. concessum affert ex Bullario Emanuelis Rodriquez Pater Holzman *loc. cit. n.* 86. *V. Dixi per se.* Loquendo quoad Hispaniam, quando Summus Pontifex Innocentius XIII. in sua Bulla *Apostolici Ministerii &c.* edita 13. Maii anno 1723. præcipit, ut Regulares ordinentur ab Episcopo loci, supposito, quod habeat Ordinationes, expresse quoad prædicta excipit Regulares illos, quibus per speciale privilegium a Sede Apostolica post Concil. Trid. fuit concessum, ut a quolibet Catholico Antistite Ordines suscipere possint: quam Bullam confirmavit Benedictus XIII. per aliam *In supremo militantis Ecclesiæ &c.* editam 23 Septembris anno 1724.

Additio III.

* Quæres II. An Episcopus possit alienum subditum sæcularem ordinare, si afferat Litteras dimissoriales a Capitulo datas, Sede vacante, seu proprio Episcopo hujus subditi jam mortuo? Ante responsionem Nota 1. Quod aliæ sint litteræ dimissoriales, quæ alio nomine *Reverendæ* appellantur, & aliæ litteræ Testimoniales, quæ etiam *Formatæ* vocari solent, nihilque aliud sunt, quam legitima Testimonia, quibus vel ordinandorum probitas, & mores commendantur, vel insuper de receptis precedenter aliis per dictos Candidatos Ordinibus fit fides publica. Nota 2. Quod equidem possit Capitulum Sede vacante subditis dictæ Diœcesis dare commendatitias, seu Testimoniales, regulariter autem nequeat dare intra annum vocationis litteras dimissoriales per suum constitutum Vicarium Generalem, nisi tales ordinandi sint arctati ad recipiendos Ordines occasione alicujus Beneficii recepti, vel recipiendi, uti novissime statuit Concil. Trid. *Sess.* 7 *cap.* 10. *De Reform.* H. N. Resp. Episcopus nequit sæcularem alienum subditum ordinare, qui tantummodo afferret dimissoriales a Vicario Generali ipsius Capituli Sede vacante, nisi simul talis alienus legitima afferat Testimonia (forsan in ipsis dimissorialibus expressa) quod intra hunc annum vacationis sit arctatus Beneficio recepto, vel recipiendo. Ratio hujus eruitur facile ex jam dictis: si enim Capitulum Cathedrale intra annum vacationis litteras dimissoriales nequit nisi sub hac limitatione dare, pariformiter non poterit propter tales dimissoriales alienus Episcopus nisi sub limitatione ordinare. *

QUÆSTIO V.

Solvuntur varia Quæsita circa Sacramentum Ordinis.

SUMMARIUM

58 *Ordines, quo tempore sint conferendi?*
59 *Præsertim Sacri? cum Addit. I.*
* *Quidnam circa hoc speciale quoad Regulares exemptos? Addit. II.*
60 *Quid de Ordinibus minoribus?*
61 *An Ordines minores possint eodem die recipi?*
62 *Quid de majoribus?*
63 *Ordines minores, an recipi possint cum Subdiaconatu?*
64 *Sine titulo, an possit quis ordinari? Titulus, quid?*
65 *Quid de Ordinibus minoribus?*
66 *Ejusmodi titulus, quotuplex?*
67 *An requiratur contactus physicus materiæ Ordinis?*
(*k*) Ut dictum Tract. 1. Dist 3. n. 57 & 58.
68 *Præsertim ad valorem Sacramenti Ordinis.*
69 *Declaratur hoc amplius.*
* *An Missæ, vel preces in Ordinatione ab Episcopo injunctæ obligent sub gravi ad persolutionem? Addit. I.*
* *Plura remissive. Addit. II.*

58 Quæritur I. Quo tempore sint conferendi Ordines? Resp. I. Circa hoc Concil. Trid. *loc. cit. cap.* 8. sic statuit: *Ordinationes Sacrorum Ordinum statutis a Jure temporibus publice celebrentur.* Hæc ibi.

59 Resp. II. Sacri ordines in Sabbatis quatuor Temporum, & in Sabbato præcedente Dominicam Passionis, & Sabbato Sancto conferri debent. Intellige, nisi specialiter Summus Pontifex licentiam concesserit ut sacri Ordines quibusdam extra prædicta tempora conferri possint.

Additio. I.

* Nec opponas textum Juris Canonici *can.* 5. *dist.* 75. ubi habetur, *quod die Dominico Ordinationes Sacerdotum celebrentur.* Resp. enim cum Glossa per *Sacerdotes* ibidem intelligi non quoscumque sed *Episcopos*, qui quolibet die Dominico, vel Natalitio Apostolorum ordinari poterunt, ubi advertit præsens Auctor *Lib.* 1. *Decret. Tit.* 11. *n.* 3. 4. *& seqq.* allegans pro hoc *can.* 1. *dist.* 75. & Pontificale Romanum *De Consecratione Electi in Episcopum.* Vide Jus Canonicum hujus Auctoris *loc. cit.* ubi adhuc plura alia notabilia reperies. *

Additio II.

* Dixi autem notanter in secunda Responsione, *nisi speciatim summus Pontifex licentiam concesserit.* Talis autem licentia recipiendi Sacros Ordines etiam extra dicta tempora tam ante, quam post Concil. Trid. videtur ab aliquot Pontificibus concessa Regularibus exemptis, prout videri poterit in Jure Canonico *Lib.* 1. *Decret. Tit.* 11. *n.* 43. *& seqq.* Scio equidem, quod adversæ sententiæ Patroni etiam novissime desuper litem moverint, impugnando subsistentiam hujus privilegii post Concil. Trident. ast noster Joannes Petri a Cosentia Eminentissimi Cardinalis, ac Legati ex latere Ducatus Ferrariensis Piazza Theologus, in sua Epistola ad Illustrissimum Episcopum Comaclensem directa, & Ferrariæ 1715. impressa valorem ejusdem fuse, & canonice probat, ac post Concil. Trid. privilegium quoddam de Ordinatione extra tempora ab Urbano VIII. anno 1621. die 30. Julii concessum nostro Procuratori Generali Ordinis adducit, quod petitum fuit non ex necessitate, sed ad majorem (uti fuerat dictum) cautelam pro suis Religiosis commorantibus in Indiis. Videatur Sadinus Bononiensis *in sua Luce Morali part.* 2. *Tract.* 48. *n.* 48. Accedit novissime Concilium Provinciale Romanum Lateranense sub Benedicto XIII. anno 1725. celebratum, ubi *tit.* 5. *cap.* 2. leguntur sequentia formalia. *Quo vero ad Regulares, Privilegia a Summis Pontificibus habentes, sive expresse, sive per viam communicationis concessa, sacros videlicet Ordines extra tempora suscipiendi, cum Privilegia ipsa in suo robore persistant, nec iis derogatum fuisse constet, decernimus proinde: Regulares eosdem absque novo Indulto Apostolico tuto posse extra tempora ordinari.* *

60 Resp. III. Ordines minores possunt conferri non solum in supra dictis Sabbatis Ordinationum, sed etiam singulis Dominicis, Festivisque diebus. Ita habetur *c. De eo autem. De Temp. Ordinat.* ac in Pontificali Romano: ubi etiam subjungitur, quod prima Tonsura quovis die, hora, & loco honesto etiam extra Missarum solemnia conferri possit.

61 Quæritur II. An possint plures Ordines eodem die suscipi? Resp. I. Quamvis Concil. Trid. *loc. cit. cap.* 11. velit, per temporum interstitia (de quibus late *lib.* 1. *Decr. tit.* 11. §. 6.) Ordines minores conferri debere: nisi aliud Episcopo expedire magis videatur: consuetudine tamen in pluribus locis receptum est, ut eodem die, ac eadem Ordinatione quatuor Ordines minores simul conferantur. Nam & hoc, præsertim in Diœcesibus amplioribus, magis expedire visum est.

62 Resp. II. Duo sacri Ordines eodem die nulli sunt conferendi, ne quidem Regularibus. Ita Concilium Trid. *loc. cit. cap.* 13. Quod rursus intelligendum, nisi id fiat de speciali licentia Summi Pontificis.

63 Resp. III. Stando Juri communi, non possunt quatuor Ordines minores simul cum Subdiaconatu recipi. Patet hoc ex *c. Litteras.* & *c. Dilectus. De Tempor. Ordinat.* juncto Concilio Trid. *sess.* 23. *c.* 11. *de Reform.* dicitur: *stando Juri communi*: siquidem consuetudinem illam, qua in quibusdam locis eodem die cuipiam quatuor Ordines minores una cum Subdiaconatu conferuntur, recte admittunt Navarrus *cap.* 25. *Manual. n.* 71. Engel *tit. de Tempor. Ordin. n.* 19. & alii.

64 Quæritur III. An sine Titulo possit quis ordinari, & quotuplex sit Titulus? Resp. I. Per *Titulum* in proposito intelligitur Beneficium Ecclesiasticum, vel aliud medium sese honeste sustentandi. Cum enim non deceat, ut Clerici, Divinis Officiis specialiter adscripti, cum Ordinis dedecore mendicent, aut sordidum aliquem quæstum exerceant, ideo nemo ad sacros Ordines admittendus est, nisi ejusmodi Titulum, seu medium sese honeste alendi possit ostendere: prout tum *c. Neminem.* & *c. Sanctorum dist.* 70. ac alibi, tum in Concilio Trid. *sess.* 21. *cap.* 2. *de Reform.* expresse habetur.

65 Dicitur, *ad sacros Ordines*; nam ad Ordines minores non requiri Titulum, tenet communis Doctorum, ac praxis Ecclesiæ. Ratio est; quia Clerici in Minoribus constituti, si se clericaliter sustentare nequeant, libere possunt nubere, aliaque negotia sæcularia exercere; & hinc Concilium Trid. *loc. cit.* notanter prohibet solum, ne quis sine Titulo *ad sacros Ordines promoveatur.*

66 Resp. II. Cum Bonacina *disp.* 8. *de Sacrament. Ordinis. quæst. un. punct.* 5. *n.* 31. & aliis, ejusmodi Titulum esse triplicem. Primus est Beneficii Ecclesiastici, dum tale quis pacifice possidet. Secundus Titulus est Patrimonii, vel Pensionis: ut tamen ad hunc Titulum Patrimonii, vel Pensionis quis ordinari possit, requiritur insuper, quod Episcopus judicet, talem pro utilitate vel commoditate Ecclesiarum suarum esse assumendum, illudque Patrimonium, vel Pensionem, & ad vitam sustentandam sufficiens esse, & vere ab ipso obtineri, ut statuit Concilium Trid. *loc. cit.* Tertius Titulus est Paupertatis, seu Professionis Religiosæ: siquidem Religiosi Professi, utpote propter Christum omnia sua relinquentes, nihilque proprium in hoc mundo possidentes, ordinantur ad Titulum paupertatis, juxta Pontificale Romanum §. *De Ordinatione Subdiaconi.* His juxta praxin, atque antiquam consuetudinem Germaniæ, & quarumdam aliarum Regionum addi potest Titulus Mensæ. Sed de hoc, utpote consuetudine solum introducto, Jura mentionem non faciunt, fusius tamen de ipso disserit Ludov. Engel *in Collegio Juris Canonici. lib.* 1. *tit.* 14. *n.* 14. *seqq.* Videatur etiam desuper præsens Auctor in Jure Canonico *Lib.* 1. *Decret. tit.* 11. §. 3.

67 Quæritur IV. An pro susceptione Ordinum sufficiat contactus moralis materiæ sibi per Episcopum porrectæ, dum quis v. g. solam manuum Episcopi, vel alterius simul ordinati tangit, non vero ipsam materiam; vel an requiratur etiam contactus phisicus, seu immediatus ipsius materiæ? Resp. I. Quantum est de necessitate præcepti, ac in praxi, diligenter curandum est, ut ipsamet materia Ordinis v. g. Liber Evangeliorum, Calix cum Patena &c. ab ordinandis physice ac realiter attingatur. Ratio est: tum quia Rubricæ Pontificales hoc præscribunt, quæ proinde sunt observandæ: tum quia in Sacramentis tutior pars, quantum fieri potest, est eligenda: (k) multi autem Doctores, ut D. Thomas, Cajetanus, Paludanus, aliique plures, quos citat Layman *lib.* 5. *tract.* 9. *c.* 5. *n.* 3. existimant, contactum physicum ac realem materiæ requiri ad substantiam & valorem Sacramenti Ordinis.

68 Resp. II. Nihilominus probabilius est, ad valorem Sacramenti Ordinis sufficere solum contactum moralem materiæ remotæ Ordinationis. Ita Layman *loc. cit.* Gobat *tract.* 8. *Theolog. Experim. n.* 77. estque communior Doctorum: Ratio est: quia per solum contactum moralem jam verificatur verbum illud formæ *Accipe potestatem &c.* ab Episcopo prolatum. Deinde tam stricta necessitas contactus physici materiæ ad validitatem Ordinis ex nulla Lege, vel claro textu constat; ergo non est asserenda. Profecto, quando Presbyterando porrigitur ab Episcopo tamquam materia Presbyteratus Calix cum vino, talis ordinandus non tangit physice, seu immediate ipsum vinum, & tamen extra ullum dubium talis censetur valide ordinatus: ergo.

69 Addit tamen non immerito Mastrius *disp.* 19. *Theol. Moral. n.* 26. hoc intelligendum esse de tali contactu morali, quo quis saltem mediate tangit materiam Ordinis, tangendo v. g. manum Episcopi materiam porrigentis, nam sola ostensio, seu porrectio materiæ, absque ullo contactu physico, saltem mediato, non videtur sufficere. Unde & clemens VIII. aliquos sic ordinatos sub conditione reordinari præcepit, prout citatus Mastrius refert.

Additio I.

* Quæritur V. An Ordinati obligentur sub peccato gravi persolvere illas preces, vel Missas, quas Episcopus completa Ordinatione solet imponere? Resp. non deesse Doctores, qui id cum Bonacina affirmant, communior tamen cum Sporer *part.* 1. *Theolog. Sacrament. cap.* 6. *n.* 170. negat; quia impositio sub tam gravi onere, nec ex ipsis verbis, nec ex mente Ordinantium, nec ex communi hominum persuasione erui potest. *

Additio II.

* Plura adhuc possent circa Ordines subjungi, sed quia jam fusius fuerunt pertractata in Jure Canonico *Lib.* 1. *Decret. tit.* 11. item *tit.* 14. usque ad *tit.* 22. hinc emergente particulari dubio illuc Lector remittitur. *

DISTINCTIO XIII.

De Sacramento Matrimonii.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Matrimonium, & quæ Bona ipsius?

SUMMARIUM

1 *Matrimonium dicitur* magnum Sacramentum, *cur? Unde derivetur?*
2 *Appellatur Conjugium, Connubium, Nuptiæ; & hæ proprie quid?*
Ac Sponsalia de præsenti.
3 *Hæc tria, Matrimonium, Contractus Matrimonii, & Sacramentum Matrimonii distinguuntur.*
4 *Matrimonium quid?*
(a) De hoc infra Quæst. 5. per totum.
5 *Matrimonium dividitur in Legitimum,*
6 *Ratum, &*
7 *Consummatum, & quid?*
8 *Matrimonium est Sacramentum novæ Legis.*
9 *Quando id a Christo institutum sit?*
10 *Qua ratione jam antea fuerit institutum?*
11 *Olim non fuit Sacramentum, neque de facto est inter Infideles.*
12 *Bona Matrimonii, quæ?*
13 *Alia ejus bona, sive effectus.*
(b) Ut dictum. Tract. 14. Dist. 2. n. 5. & seqq. ac num. 15.

1 MAtrimonium, quod communiter postremo inter novæ Legis Sacramenta loco tractatur, a D. Apostolo *ad Ephes.* 5. *Magnum Sacramentum* appellatur. Non quidem in eo sensu, quasi sit omnibus aliis novæ Legis Sacramentis præstantius, sed dicitur *Magnum Sacramentum* ratione suæ significationis, eo quod significet conjunctionem Christi cum Ecclesia; prout idem Apostolus *loc. cit.* exponit, de Matrimonio Fidelium sic loquens: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Porro *Matrimonium*, juxta nominis ethimologiam, derivatur a ly *matris*, & *munium*, id est officium: eo quod Matri maxime incumbat officium nutriendæ prolis, quæ est finis primarius Matrimonii.

2 Matrimonii varia sunt nomina: quandoque enim dicitur *Conjugium*; eo quod virum ac mulierem sub uno, eodemque quasi mutuo jugo ad servandam fidem, & onera Matrimonii sustinenda constituat. Insuper appellatur *Connubium*, & quandoque *Nuptias*; eo quod antiquitus pudoris gratia se puellæ obnuberent, seu faciem valerent, dum viris dabantur, exemplo Rebeccæ, de qua idipsum legitur *Gen.* 24. & notatur *c. Nec illud.* 30. *quæst.* 5. Hodie tamen per *Nuptias* proprie intelligitur ipsamet solemnitas, seu pompa exterior, quæ in contractu matrimoniali communiter adhiberi solet. Et hinc tempore adventus, & Quadragesimæ prohibentur celebrari Nuptiæ, hoc est (ut loquitur Concil. Trid. *sess.* 24. *cap.* 11.) *Solemnitas Nuptiarum*; quamvis quocumque tempore Matrimonium contrahatur *c. Capellanus. De Feriis.* Tandem Matrimonium solet nonnumquam dici *Sponsalia de præsenti*: verumtamen sub his potius intelligitur ipse contractus matrimonialis, per verba præsentis temporis initus. Quod ut melius intelligatur,

3 Advertendum cum Doctore Subtili 4. *dist.* 26. *quæst. un.* §. *de quinta.* tria in Matrimonio distingui debere: siquidem aliud est Matrimonium, & aliud Contractus Matrimonii, & aliud Sacramentum Matrimonii. *Matrimonium* est illa obligatio mutua, seu vinculum illud, quo conjuges inter se mutuo indissolubiliter obligati permanent: & sic sumitur communiter Matrimonium absolute prolatum. *Contractus Matrimonii* est ille mutuus actus voluntatum, signis exterioribus sufficienter declaratus, quo conjuges contrahunt Sponsalia de præsenti. Et iste contractus Matrimonii habet se in ordine ad Matrimonium priori modo sumptum, sicut causa ad effectum; siquidem vinculum Matrimonii causatur, & oritur ex contractu ipso Matrimonii. Tandem *Sacramentum Matrimonii* aliud non est, quam ipsum septimum novæ Legis Sacramentum, seu signum sensibile, ex Christi institutione in digne contrahentibus causans gratiam ex opere operato. His prænotatis, sit

4 CONCL. I. *Matrimonium* est legitima maris ac feminæ conjunctio, individuam vitæ consuetudinem retinens. Ita communis, & habetur tum *c. Illud.* §. *fin. De Præsumpt.* tum §. 1. *Instit. de Patria potestate.* Siquidem Matrimonium non ad tempus dumtaxat, sed, quantum est ex natura contractus, & quoad propositum seu intentionem contrahentium, debet contrahi in perpetuum, sive pro toto vitæ tempore, quidquid sit, an in certis casibus, atque auctoritate Divina denuo possit dissolvi, nec ne. (a)

5 CONCL. II. Matrimonium recte dividitur in legitimum, ratum, & consummatum. Ita communis. *Matrimonium legitimum* dicitur illud, quod legitimo consensu inter personas habiles, seu jure non impeditas constitutum est. Et dicitur *legitimum*, quia juxta Leges factum est. Et tale Matrimonium datur non solum inter Fideles baptizatos, sed etiam fuit olim ante Christi adventum, daturque defacto inter infideles, qui legitime, id est, absque ullo impedimento dirimente Matrimonium contrahunt.

6 Matrimonium ratum in se includit legitimum, addit vero rationem Sacramenti, per quod majorem firmitatem acquirit: unde illud dicitur *Matrimonium ratum*, quod non solum legitimo modo est contractum, sed insuper est Sacramentum, nondum tamen consummatum. Et tale Matrimonium ratum datur dumtaxat inter Fideles baptizatos non vero inter Infideles; sicut habetur *c. Quando. De Divortiis.* ibi: *Etsi Matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum: inter fideles autem verum, & ratum existit.*

7 Tandem *Matrimonium consummatum* dicitur, quod accedente reali corporis usu, seu copula carnali inter conjuges est completum, & consummatum.

8 CONCL. III. Matrimonium inter Fideles baptizatos contractum est unum ex septem novæ Legis Sacramentis, a Christo Domino institutum. Ita Fides Catholica; estque definitum non solum in Concilio Florentino, sed

ſed etiam Trid. *Seſſ.* 24. *Can.* I. ibi: *Si quis dixerit, Matrimonium non eſſe vere & proprie unum ex ſeptem Legis Evangelicæ Sacramentis a Chriſto Domino inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſia inventum, neque gratiam conferre: anathema ſit.* Item probatur ex perpetua traditione, ac ſenſu Eccleſiæ.

9 Quæres. Quo tempore Chriſtus inſtituerit hoc Sacramentum? Reſp. cum Scoto 4. *diſt.* 26. §. *de primo.* Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. diſp.* 4. *n.* 5. & aliis, veriſimilius id contigiſſe tunc, quando Chriſtus *Matth. cap.* 19. approbavit contractum Matrimonii eo modo, quo primitus a DEO inſtitutus fuerat *Geneſ. cap.* 2. & ſubjunxit: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* His ſiquidem verbis Chriſtus Dominus, ut Auctor Legis Evangelicæ, videtur elevaſſe contractum matrimonialem ad rationem Sacramenti: ita ut ly *Quod DEUS conjunxit* denotet, DEUM non præciſſe inſtituiſſe contractum matrimonialem, ſed conjunxiſſe ex tunc gratioſe per inſtitutionem Sacramenti concomitantis illum contractum matrimonialem: nam alibi planius non invenitur inſtitutio hujus Sacramenti.

10 Dices. Matrimonium a Deo fuit inſtitutum jam ab initio mundi, & in ſtatu innocentiæ *Geneſ. cap.* 2. ergo non primum poſt adventum Chriſti Domini in carne paſſibili. Reſp. diſtinguendo antecedens: Matrimonium fuit inſtitutum jam ab initio mundi, in ratione contractus indiſſolubilis, atque in ordine ad officium naturæ, & legitimam propagationem generis humani, conceditur: in ratione Sacramenti, hoc eſt, ſigni efficacis digne recipientibus conferentis gratiam ex opere operato, negatur antecedens; eodem modo diſtinguitur conſequens.

11 CONCL. IV. Matrimonium in Lege veteri, ſicut & Matrimonium inter Infideles defacto contractum, non obſtante, quod ſit legitimum, atque validum in ratione contractus, nihilominus non fuit, neque eſt Sacramentum. Ita communis. Tum, quia Matrimonium eſt unum ex ſeptem novæ Legis Sacramentis, a Chriſto Domino inſtitutum, ut definivit Concilium Florentinum *in Decretum Unionis*, ac Trid. *ſeſſ.* 7. *can.* I. & *ſeſſ.* 24. *can.* I. Tum, quia Baptiſmus eſt janua omnium Sacramentorum Legis Evangelicæ, & conſequenter, quotquot necdum fuerunt baptizati, exiſtunt incapaces ipſorum.

12 Quæres. Quæ ſint Bona Matrimonii? Reſp. breviter cum Magiſtro Sententiarum 4. *diſt.* 13. & communi Theologorum: tria principaliter ſunt Bona Matrimonii, videlicet Fides, Proles, & Sacramentuum. In Fide attenditur, ne poſt vinculum conjugale cum alio, vel alia coeatur. In Prole, ut amanter ſuſcipiatur, & religioſe educetur. In Sacramento, ut conjugium non ſeparetur, & dimiſſus, vel dimiſſa nec cauſa prolis alteri conjungatur. Concordat Concilium Florentinum *loc. cit.* ubi ait *Tria ſunt bona Matrimonii. Primum, proles ſuſcipienda & educanda ad Cultum DEI. Secundum, fides quam unus conjugum alteri ſervare debet. Tertium, indiviſibilitas Matrimonii, propter hoc, quod ſignificet indiviſibilem conjunctionem Chriſti & Eccleſiæ.*

13 Et hæc intelligenda ſunt de tribus peculiaribus, & principalibus bonis ſive effectibus Matrimonii. Tum, quia illud habet alios quoſdam effectus minus principales, utputa remedium vitandæ incontinentiæ poſt lapſum; juxta illud Apoſtoli I. *Corint.* 7. *Melius eſt enim nubere, quam uri.* & hujuſmodi. Tum, quia Matrimonium ut Sacramentum confert gratiam ex opere operato (*b*) quamvis hic effectus ſit communis omnium Sacramentorum, & non peculiaris ſoli Matrimonio.

QUÆSTIO II.

De Materia, Forma, &, Miniſtro Sacramenti Matrimonii.

SUMMARIUM.

14 *Materia remota, & proxima Sacramenti Matrimonii.*
15 *Forma Sacramenti Matrimonii, quæ?*
16 *An id mutus, & ſurdus contrahere valeat?*
17 *Nutus, & ſigna, cur pro forma ſufficiant in hoc Sacramento, & non in aliis?*
18 *Miniſter ejus ſunt ipſi contrahentes.*
19 *Solvitur inſtantia.*
20 *An contrahentes in ſtatu malo committant duplex peccatum mortale?*
(c) Concordant dicta Tract. 14. diſt. I. n. 45.
21 *Parochus aſſiſtens Matrimonio proprie non eſt ejus Miniſter.*
22 *Aſſiſtit ſolum ut Teſtis authorizabilis.*
(d) Plura de hoc infra diſt. 14. n. 134. 136. & ſeqq.
23 *Quomodo proferat certa verba?*
24 *Hæc non requiruntur ad valorem Sacramenti.*
(e) Ut dicetur diſt. 14. n. 137.
Parochus aſſiſtens an poſſit dici Miniſter ſecundarius?
25 *An peccet mortaliter aſſiſtens in ſtatu malo?*
26 *Matrimonium, an poſſit contrahi per procuratorem?*

14 CONCL. I. *Materia remota* Sacramenti Matrimonii ſunt corpora habilia contrahentium: *Materia proxima* vero eſt ipſamet legitima traditio mutua corporum in ordine ad generationem prolis. Ita Scotus 4. *diſt.* 29. Maſtrius *diſp.* 20. *Theolog. Mor. n.* 9. & 10. & alii paſſim. Ratio eſt: quia Chriſtus inſtituens hoc Sacramentum in nullo penitus immutavit naturam contractus matrimonialis, ſed eum dumtaxat ad ſtatum Sacramenti exexit; ergo eadem eſt materia hujus Sacramenti, quæ contractus: atqui materia contractus matrimonialis ſunt corpora contrahentium, generaliter enim materia cujus libet contractus eſt res illa, de qua contrahitur; ergo. Ceterum, quod traditio legitima corporum ſit materia proxima hujus Sacramenti, probatur a ſimili; ſic quippe etiam in Sacramento Ordinis traditio materiæ remotæ cenſetur eſſe materia proxima ipſius: ergo idem dicendum in propoſito.

15 CONCL. II. Forma Sacramenti Matrimonii ſunt ipſorum contrahentium verba, vel alia ſigna extrema verbis æquivalentia, & mutuum conſenſum internum, atque traditionem illam corporum ſufficienter exprimentia. Ita communis. Tum, quia & in ceteris Sacramentis forma conſiſtit in verbis. Tum, quia generatim forma contractuum ſolent eſſe verba, vel alia ſigna verbis æquivalentia, quæ ſufficienter exprimunt internum conſenſum contrahentium.

16 Additur *vel alia ſigna verbis æquivalentia.* Quia mutus, etſi loqui non valeat, nihilominus Matrimonium contrahere poteſt: *Cum, quod verbis non poteſt, ſignis valeat declarare.* ut dicitur *c. Cum apud. de Sponſalibus.* ubi Pontifex hoc ipſum admittit de muto & ſurdo, dummodo hic ſit compos rationis, & ſufficienter intelligat, quid agatur.

17 Nec obſtat, quod in Baptiſmo, & aliis Sacramentis novæ Legis pro forma requirantur verba proprie dicta, neque ſufficiant nutus, aut alia ſigna verbis æquivalentia. Diſparitas enim eſt: quia Sacramentum Matrimonii eſt inſtitutum a Chriſto per modum contractus, quinimo ipſemet legitimus contractus matrimonialis ad ſtatum Sacramenti elevatus; ergo, cum ceteroquin ad contractum hujuſmodi ſufficiant ſigna verbis æquivalentia, non mirum, quod hæc etiam ſufficiant ad Sacramentum Matrimonii. Secus fit in aliis Sacramentis, utpote quæ non fuerunt inſtituta a Chriſto per modum contractus.

18 CONCL. III. Miniſter Sacramenti Matrimoni proprie ſunt ipſimet contrahentes, ambo quidem adæ-

quate: singuli autem inadæquate. Ita communis, ac præsertim Scotus 4. *dist.26.* §. *de Ministro.* ubi ait, quod ipsimet contrahentes ministrant sibi hoc Sacramentum, vel mutuo, vel uterque sibi: integrant tamen unum Ministrum, sicut idem prius dixerat de forma. Ratio est: quia ille est Minister hujus Sacramenti, qui est Minister contractus matrimonialis, utpote quem Christus elevavit ad rationem supernaturalem Sacramenti: atqui Minister illius contractus sunt ambo contrahentes; ipsi enim per mutuum consensum faciunt contractum: ergo:

19 Dices. Laicis, ac præsertim feminis non competit administratio Sacramentorum; ergo non videtur, quod contrahentes sint Minister hujus Sacramenti. Resp. antecedens esse verum dumtaxat de illis Sacramentis, quæ requirunt Ministrum consecratum, non autem de Matrimonio utpote, quod non requirit Ministrum consecratum. Accedit, quod in casu necessitatis possit femina baptizare: unde patet, non omnia Sacramenta requirere Ministrum consecratum, quamvis reliqua quinque talem requirant.

20 Urgebis. Si contrahentes sunt Minister hujus Sacramenti: ergo ipsi, si in statu peccati mortalis contrahant, duplex committent peccatum mortale; unum quidem, quatenus indigne recipiunt hoc Sacramentum, ut omnes fatentur; & alterum, quatenus indigne ministrant sibi ipsis hoc Sacramentum: consequens videtur absurdum, & contra communem sensum hominum; ergo. Respondent non pauci, concessa sequela, ob rationes allatas; negando minorem. Sed iis non obstantibus Sanchez *lib. 2. de Matrim. disp. 6. n. 4.* verius esse censet, tales non committere duplex peccatum mortale, sed dumtaxat unum, in quantum videlicet hoc Sacramentum indigne suscipiunt, non autem, quatenus illud indigne ministrant: cum non sint ministri ad id munus specialiter consecrati, sed potius illud sibi invicem ministrent ex necessitate quadam, eo quod non nisi per mutuum contrahentium consensum perfici queat. (*c*)

21 CONCL. IV. Parochus, vel alius Sacerdos de ejusdem licentia juxta præscriptum Concilii Trid. *sess. 24.cap. 1.de Reform. Matrim.* assistens Matrimonio illudque benedicens, proprie non est Minister hujus Sacramenti, sed potius assistit ut testis authorizabilis. Ita Fagnanus *c. Quod nobis. n. 54. de Clandest. desponsat.* & alii. Ratio est: quia Matrimonium clandestinum, aut celebratum sine præsentia Parochi olim erat validum, & ratum, atque defacto est tale in locis, ubi citatum Decretum Concilii Trid. numquam fuit publicatum, aut receptum; ergo hoc ipso Parochus non est Minister, nam sine Ministro Sacramentum confici nequit.

22 Sequitur proinde, quod Parochus, vel alius Saserdo s de ejus licentia assistens Matrimonio proprie non sit Minister hujus Sacramenti, sed dumtaxat Testis authorizabilis illius, hoc est, talis, qui nomine, atque auctoritate Ecclesiæ assistere, & ceteroquin in contrahentes habere debet jurisdictionem specialem, vel saltem ab habente istam recepisse licentiam assistendi, ut, si secus fieri contingeret, contrahentes per Concil. Trid. redditi fuerint omnino inhabiles ad sic contrahendum. (*d*)

23 Dices. Parochus, aut ille alius Sacerdos juxta præscriptum Concilii. Trid. *loc. cit.* dicit ad virum & mulierem, mutuo eorum consensu intellecto: *Ego vos in Matrimonium conjungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: vel saltem aliis utitur verbis, juxta receptum cujusque Provinciæ ritum; ergo est Minister, utpote proferens hujusmodi formam. Respond. negando consequentiam: nam verba ista non proferuntur a Sacerdote per modum formæ (hæc enim sunt verba, vel signa verbis æquivalentia ipsorum contrahentium) sed adhibentur solum per modum cujusdam precationis, ac Cæremoniæ Ecclesiasticæ, qua confirmatur, approbatur, atque in facie Ecclesiæ rata habetur illa mutua traditio: & acceptatio corporum.

24 Interim hujusmodi verba non necessario requiruntur ad valorem Sacramenti: subsisteret enim Sacramentum, licet Sacerdos assistens nullum proferret verbum, imo etiam positive contradiceret, (*e*) ac proinde is proprie non est Minister hujus Sacramenti. Dicitur *proprie*: nam, si quis cum Gobat *Tract. 10. Theol. Exper. n. 39.* & quibusdam aliis velit dicere, quod Sacerdos utpote ex officio assistens, atque ratificans dictum contractum matrimonialem sit Minister accidentalis, sive secundarius hujus Sacramenti, non est de verbis litigandum, cum constet de re ipsa.

25 Infertur proinde cum Sanchez *cit. disp. 6. n. 5.* & aliis, quod Sacerdos in statu peccati mortalis assistens Matrimonio, vel Nuptias benedicens non peccet de novo mortaliter. Neque enim Sacerdos est Minister conficiens hoc Sacramentum: simulque benedictio illa non est Sacramentum, sed dumtaxat quid Sacramentale.

26 Quæres. An matrimonium possit contrahi per Procuratorem? Resp. affirmative, adeo quidem, quod Matrimonium per Procuratorem, ad hoc speciale mandatum habentem, contractum inter Fideles habeat veram rationem Sacramenti. Ita Sanchez *lib. 2. de Matr. disp. 11.* cum aliis passim. Idque patet ex *cap. ult. Procuratoribus in 6.* ubi approbatur Matrimonium celebratum per procuratorem, ad hoc speciale mandatum habentem (nam generale non sufficit) dummodo is antea non fuerit revocatus, ne quidem ignoranter. Cum igitur Concil. Trid. circa hoc nihil immutaverit, id ipsum valebit etiam hoc tempore, & quidem non in ratione contractus, sed etiam in ratione Sacramenti, eo quod Christus contractum matrimonialem legitimum inter Fideles elevaverit ad rationem Sacramenti. Accedit praxis, ac sensus Ecclesiæ, quæ defacto permittit publice celebrari Matrimonia per Procuratores, ad hoc habentes speciale mandatum, præsertim inter Magnates..

QUÆSTIO III.

An, & qualis consensus requiratur ad valorem Matrimonii?

SUMMARIUM

27 *Ad valorem Matrimonii requiritur liber ac mutuus consensus.*
28 *Qualis simultas mutui consensus contrahentium sufficiat?*
29 *Matrimonium ex metu gravi ac injuste incusso contractum ipso jure nullum est.*
30 *Idem dicendum de Sponsalibus?*
31 Coacta voluntas est voluntas, *quomodo intelligendum?* (*f*) Vide Tract. 1. Dist. 1. n. 29. & Tract. 8. Dist. 1. n. 18. & seqq.
32 *Quid de metu levi, aut juste incusso?*
33 *Metus reverentialis an irritet Matrimonium?*
34 *Metus reverentialis, quis?*
Ad eum quandoque accedunt importunæ preces, minæ, aut sævitia parentum.
35 *Ratio Conclusionis.*
36 *Consensus parentum non requiritur ad valorem Matrimonii, cum Addit.*
37 *Decet tamen, eumdem requirere, ac obtinere. Alioquin peccatur.*
38 *Nisi justa causa excuset.*

27 CONCL. I. Ad valorem Matrimonii omnino requiritur liber ac mutuus consensus contrahentium, verbis aut aliis signis exterioribus sufficienter expressus. Ita unanimis Doctorum, atque habetur *c. Tua nos. de Sponsal.* ubi ob defectum consensus ex parte alterius matrimonium declaratur esse nullum Quia (inquit Pontifex) *sine consensu cetera nequeunt fœdus perficere conjugale.*

28 CONCL. II. Etsi ad validitatem Matrimonii requiratur aliqua simultas mutui consensus de præsenti

ex parte contrahentium, ea tamen non necessario debet esse physica, sed sufficit moralis, qualis sufficere solet ad contractum legitimum. Ita Scotus 4. *dist.* 26. Mastrius *cit. disp.* 20. *n.* 31. & alii, atque concordant dicta superius *dist.* 1. *n.* 26. & 30. Hinc quippe Matrimonium potest contrahi per Procuratorem, imo & per litteras, & consequenter non necessario requiritur simultas physica consensuum, sed sufficit moralis. Censetur autem consensus tamdiu moraliter perseverare, donec expresse, vel saltem implicite revocetur: quod tum ex intentione ac dispositione contrahentis, tum ex modo consentiendi, ac variis circumstantiis discerni debet.

29 CONCL. III. Consensus metu gravi, atque injuste incusso extortus non sufficit ad valorem Matrimonii; quinimo istud ex tali metu contractum est ipso jure nullum tam in foro externo, quam conscientiæ. * Prima pars, quod nimirum metus gravis injuste incussus non sufficiat ad valorem Matrimonii, patet ex *cap.* 14. 15. & 28. *de sponsalibus.* altera vero, quod nimirum tale Matrimonium sit ipso jure nullum, ostenditur inprimis auctoritate extrinseca; quia sic tenent quasi primarii Ecclesiæ Doctores D. Bonaventura 4. *sent. dist.* 29. *quæst.* 1. *n.* 5. D. Thomas hic. *quæst. unic. art.* 3. & adhuc clarius *in Supplemento. quæst.* 47. *art* 3. *lit. O.* Scotus *in* 4. *sent. dist.* 29. *quæst. unic.* §. *de secundo.* plurésque alii apud Sanchez *de Matr. disp.* 14. *n.* 1. *ac seq.* contra alios præsertim recentiores Doctores. Probatur 2. ratione, quæ una cum Glossa eruitur ex *cap. Dum locum.* 14. *de Sponsal.* ubi Pontifex ait: *Locum non habet consensus* (intellige in Similibus contractibus irrescissibilibus) *ubi metus vel coactio intercessit.* consequenter, cum Matrimonium per ipsum consensum mutuum contrahentium constituitur, ubi locum non habet consensus, neque locum habebit ipsum Matrimonium, ad cujus valorem ex utraque contrahentium parte consensus requiritur, sicque tale Matrimonium erit ipso jure nullum. Accedit, quod Pontifex quoad Matrimonium pariformiter loquatur, sive metus, sive coactio intervenerit; sed ubi coactio intervenit, tale Matrimonium est ipso jure nullum, eo ipso, quia ubi adest absoluta, & proprie talis coactio, deest ex parte coacti consensus: ergo ex mente Pontificis debebit pariter censeri nullum ipso jure Matrimonium, si intervenit gravis metus injuste incussus. *

30 Et hoc ipsum communior, & probabilior Doctorum, quos citat, & sequitur Sanchez *cit. lib.* 4. *disp.* 13. extendit ad Sponsalia de futuro ex metu injusto, & cadente in virum constantem contracta; taliter nimirum ut & ipsa, quamvis sint contractus rescissibiles, nihilominus irrita sint ipso jure, sicque non inducant impedimentum Justitiæ publicæ honestatis. Tum, quia connexorum idem est judicium *arg. c. Translato de Const.* Tum, quia Sponsalia metu contracta, si semel valerent, non possent amplius per sententiam Judicis ex toto quoad omnem effectum rescindi, cum semper remaneret impedimentum Justitiæ publicæ honestatis: unde cessat hic ratio, quæ militat de aliis contractibus rescissibilibus: tum insuper, quia talia Sponsalia haberent objectum de jure nullum; nimirum futurum Matrimonium vi hujus consensus, metu gravi extorti, contrahendum, quale Matrimonium juxta jam dicta utique foret nullum ipso jure: ergo. Accedit textus *c. Ex litteris. de Desponsat. impub.* Sponsalia impuberum de præsenti (qualia olim habebant vim Sponsalium de futuro) censentur irrita, & nullius obligationis, eo quod fuerint contracta ex gravi metu, atque a puella invita, minis parentum impulsa.

31 Nec obstat illud vulgatum Jurisconsultorum: *Coacta voluntas est voluntas.* Resp. enim, id procedere regulariter loquendo, ac præsertim in Contractibus civilibus, ubi per rescissionem actus, sententia Judicis factam, totum damnum facile recuperabile est. Secus dicendum in Matrimonio, ac Sponsalibus, utpote si semel valerent, perpetuo inducentibus impedimentum Justitiæ publicæ honestatis: item & in Professione Religiosa, ac nonnullis aliis (*f*) ubi ob speciales rationes requiritur omnimoda libertas, neque sufficit voluntas coacta. Idque vel Jure naturali (prout loquendo de Matrimonio, juxta dicta, censent Doctor Subtilis 4. *dist.* 29. *quæst.. un.* ℣. *de secundo* D. Thomas, D. Bonaventura, plurésque) vel saltem Jure Ecclesiastico, prout volunt quidam alii apud Sanchez *loc. cit. disp.* 14.

32 Dicitur notanter *n.* 29. *consensus metu gravi.* Nam secus dicendum de metu levi: hic enim non sufficit ad invalidandum Matrimonium. Et additur, *atque injuste incusso.* Si enim metus, ceteroquin gravis, injuste incussus fuit, non obstat valori Matrimonii: ut v. g. si Episcopus minetur Titio excommunicationem, nisi Bertham, cum qua prius habuit Sponsalia, accipiat in uxorem, aut si Judex sub justis pœnis cogat aliquem ad ducendum puellam, quam defloravit; vel si quis metu gehennæ, sive ob remorsum conscientiæ adigatur ducere quamdam in uxorem &c. per hujusmodi enim metum, utpote juste incussum non invalidatur Matrimonium. Sanchez *Lib.* 4. *De Matr. disp.* 13. cum communi. Tandem subditur, *extortus.* Nam dicta in conclusione non solum procedunt, quando revera tempore contractus deerat consensus internus (tunc enim ob defectum internæ consensus nullum foret Matrimonium) sed etiam, quando is tunc adest, verum non nisi metu gravi, atque injuste incusso extortus. Videatur de hoc fusius in Jure Canonico *Lib.* 1. *Decret. Tract.* 40. *n.* 44. *ac seqq.* & *Lib.* 4. *tit.* 1. §. 9.

33 CONCL. IV. Etsi non pauci probabile esse existiment, metum reverentialem sufficere ad irritandum Matrimonium nihilominus probabilius est, solam reverentiam erga Majores, sive metum reverentialem non sufficere ad reddendum Matrimonium irritum, nisi simul accesserint sævitia, vel graves minæ Parentum, aut Majorum, vel preces importunæ. Ita Sanchez *cit. disp.* 6. & 7. Mastrius 4. *disp.* 7. *n.* 123. *ac seqq.* & plures alii, quos citant.

34 Ubi notandum, quod per *Metum reverentialem* hoc loco non intelligatur metus ille, seu verecundia, quæ naturaliter inest filiis respectu parentum, atque aliorum, quibus debetur reverentia; sed in proposito ille censetur *Metus reverentialis*, quando filius animo prorsus repugnante, & quasi coactus consentit in Matrimonium sibi a patre oblatum, non audens præ pudore ac reverentia contradicere, timendo, ne patrem offendat, aut alium, cui debetur reverentia. Et ad hujusmodi metum reverentialem quandoque accedunt frequentes ac importunæ preces, vel blanditiæ parentum: ut si parentes assidue, atque importune solicitent filium de tali ineundo Matrimonio, aut ad hoc obtinendum sæpe sæpius etiam blanditias adhibeant. Quandoque vero metui reverentiali superveniunt graves minæ, vel etiam sævitia parentum: ut dum imperio parentis, aut Superioris junguntur verbera, vel mala tractatio, asperitas vultus, graves minæ diminuendæ v. g. hæreditatis, quas ille creditur executurus; aut quando timetur diu duratura indignatio parentis, vel alterius personæ, a qua plurimum pendet fortuna filii. His prænotatis,

35 Probatur Conclusio. Quia solus metus reverentialis, nisi minæ, verbera, aut alia hujusmodi adjungantur, non cadit in constantem virum, ergo nec annullat contractum matrimonialem. Secus dicendum, si ad ejusmodi metum reverentialem accedant sævitia, vel graves minæ Parentum, aut Majorum: tunc enim merito censetur ejusmodi metus esse cadens in virum constantem, eo quod ab his admodum pendeat fortuna filiorum, etiam per totum quandoque vitæ decursum. Et hoc idem dicendum de preibus importunis (per has intelligendo non quascumque preces, sed eas solum, quæ sunt instantissimæ, sæpiusque repetitæ, ac inculcatæ) si sunt conjunctæ metui reverentiali. Siquidem ex una parte ejusmodi importunitas Parentum, vel Majorum petentium valde urget, vexat, quin & subjectos quandoque opprimit: ex altera vero parte reverentia eis petentibus debita, timorque ipsos offendendi haud leviter instat.

Ergo non immerito ambæ hujusmodi causæ in simul conjunctæ censentur efficere metum cadentem in virum constantem: nam, *quæ non prosunt singula, multa juvant. arg. l. Instrumenta C. De Probation.* juncta Glossa ibidem.

36 CONCL. V. Quamvis omnino decens sit, & conveniens reverentiæ parentibus debitæ, ut filii Matrimonium inituri consensum parentum reverentialiter requirant: nihilominus ad illius valorem consensus parentum, vel Curatorum, absolute loquendo, non est necessarius. Conclusio quoad alteram partem desumitur ex S. Scriptura *Tobiæ c.* 7. ubi Tobias junior de consilio Angeli, sine parentum scitu, & assensu, legitimum Matrimonium contraxisse legitur. Concordat textus *c. Sufficiat.* 27. *q.* 2. ubi Glossa notat, quod in Matrimonio consensus parentum *requiritur ex honestate, non ex necessitate.* Idipsum novissime declaravit Concilium Trid. *Sess.* 24. *De Reform. Matrim. c.* 1. ubi eos *anathemate damnat, qui falso affirmant, Matrimonia, a filiisfamilias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse.*

Additio.

* Nec dicas. Sponsalia absque consilio & consensu parentum inita possunt parentes saltem facere irrita, si non sint jam ipso jure irrita: ergo etiam matrimonia tali modo contracta. Respondetur enim transmisso antecedente, negando consequentiam, & paritatem. Disparitas est, quia sponsalia sunt contractus rescissibiles, uti patebit ex dicendis *dist. seq. quæst.* 3. Matrimonium vero fidelium ex institutione Christi, quoad vinculum est contractus irrescissibilis. Dixi notanter, *transmisso antecedente*: etenim, etiam loquendo de sponsalibus de futuro, eadem absque consilio parentum inita equidem regulariter sunt illicita, adhuctamen valida, nisi quando objectum eorum in pactum deductum (quod est ipsum Matrimonium actuale contrahendum) absque gravi peccato executioni mandari nequit. Videantur præsens Auctor *lib.* 4. *Decret. Tit.* 1. *num.* 23. *& seqq.* & Apollonius Holzman *Tom.* 2. *Theolog. Moralis. de Matrimonio. Tract.* 2. *cap.* 2. *num.* 167. *ac seqq.* nec non *Distinctione seq. num.* 47. *ac seqq.* *

37 Ceterum prior pars Conclusionis, videlicet, quod filii Matrimonium celebraturi parentum, aut (iis jam defunctis) Curatorum consensum, si fieri poterit, ex decentia, reverentia, & honestate requirere, atque obtinere debeant, est certa, nam ipsamet ratio naturalis, & regula humani convictus plane demonstrant, quod proles in consultis, aut rationabiliter invitis parentibus rem adeo gravem, &, unde totius vitæ institutum pendet aggredi non debeant. Atque ideo proles sine consilio, ac consensu parentum contrahentes, nisi justa causa speciali excusentur, non carent omni culpa. Imo non pauci Doctores, quos citat, atque (loquendo NB. de non adhibito parentum consilio) sequitur Sanchez *cit. lib.* 4. *disp.* 23. *n.* 9. *&* 10. censent, id esse peccatum mortale; cum sit res gravis, & multis periculis exposita. Verum alii peccatum dumtaxat veniale in hoc agnoscunt, eo quod filius ceteroquin ingenuus, in electione status sit sui juris, dummodo non concurrant aliæ circumstantiæ, ob quas etiam mortaliter in hoc delinqui potest: utputa si ex talibus nuptiis essent oritura jurgia, dissensiones, scandala &c. Herinx. *disp.* 3. *de Matr. num.* 8. citans alios.

38 Additur superius, *nisi justa causa excusentur.* Hac enim existente nullum per hoc committeretur peccatum: utputa si parentes (idem a priori dicendum de Curatoribus) tentarent filium molesto, vel nimis difficili Matrimonio copulare, tradendo v. g. sibi feminam ægram, imprudentem, aut durioris cervicis, cum qua verisimiliter non esset pacem habiturus: aut si indiscrete vellent impedire Matrimonium plane dignum, & utile: vel negligerent, sive nimium differrent ei de convenienti Matrimonio providere. Nam tunc existente tali justa causa fatentur omnes, filium non peccaturum, quamvis ineat Matrimonium, parentibus invitis: cum hi sint irrationabiliter inviti, simulque proles, ceteroquin ingenuæ, quoad electionem status existant sui juris.

APPENDIX.

Continens adhuc tria Quæsita circa consensum matrimonialem.

SUMMARIUM.

* *Quid sentiendum de consensu matrimoniali, cui adjicitur conditio turpis? Addit. I.*
* *Item, si conditio adjecta fuerit honesta? Additio II.*
* *Casus aliquis specialis: in quo annotatur discrimen inter conditionem, & modum. Additio III.*

Additio I.

QUæres I. An censeatur consensus matrimonialis efficax, & sufficiens ad valorem ejusdem si huic adjiciatur aliqua conditio turpis exequenda in futurum? Resp. sub distinctione. Vel enim talis conditio turpis est contraria triplici bono substantiali Matrimonii superius *num.* 12. explicato, vel non? Si prius: talis conditio turpis adjecta invalidat ipsum contractum matrimonialem, utpote repugnans substantiæ, & fini ipsius Matrimonii. Quod si vero conditio turpis adjecta non sit contraria triplici bono ipsiusmet Matrimonii, qualis v.g. foret: *contraho tecum, si tamen postea me coadjuves in furtis, & rapinis &c.* adhuc in favorem Matrimonii consensus efficax censetur datus quoad substantiam Matrimonii, atque sufficiens ad valorem ejusdem, & addita conditio turpis habetur pro non adjecta, quatenus nempe in favorem Matrimonii specialiter præsumitur, contrahentem noluisse tali conditioni alligare ipsam substantiam sui consensus in Matrimonium, nisi expresse constet de tali alligatione; prout id jam insinuavimus *Tract.* 8. agendo de Contractibus *dist.* 1. *post.n.* 12. *Addit. III.* Atque totum eruitur ex *cap. fin. De Conditionibus appositis.* ibi: *Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur; puta, si alter dicat alteri: contraho tecum, si generationem prolis evites vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem: aut si pro quæstu adulterandam te tradas &c. Matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu. Licet aliæ conditiones appositæ, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi.* Videatur fusius in jure Canonico P. Reiffenstuel *lib.* 4. *tit.* 5. §. 2. *

Additio. II.

* Quæres II. Quid sentiendum sit de illo consensu matrimoniali, cui adjicitur aliqua conditio honesta? Ante resolutionem bene attendendum, ne confundantur ad invicem consensus sponsalitius, & consensus matrimonialis: nam prior importat primum futuram traditionem corporalem ad invicem, hincque etiam indicatur per verba de futuro, *Contraham tecum*: posterior vero involvit actualem traditionem corporum, sicque exprimitur per verba de præsenti, *Contraho tecum.* Porro consensui sponsalitio adjici posse valide, ac licite conditiones honestas, patet præter dicenda *Dist. seq. post num.* 31. *Addit. I.* ex communi DD. & praxi quotidiana: Quid enim frequentius auditur, quam similis formula: *Ducam te in uxorem, si Pater meus consentiet; si talem dotem afferas &c.* vel *contraham tecum, si hoc officium obtineas &c.* ubi, si verificatur conditio, consensus sponsalitius de conditionato transit in absolutum. Itaque dubium adhuc restat de consensu matrimoniali. H. N.

Resp. Consensui matrimoniali valide potest adjici aliqua conditio honesta, qua semel verificata ipsum Matrimonium censetur absolutum sine novo aliquo consensu. Ita cum Abbate, Innocentio, Anchorano, & aliis Fagnanus *in cap. Super eo. de conditionibus appositis.* qu

etiam

etiam ibidem ſub *n.* 4. idem probat ex repetitis Declarationibus Cardinalium per Romanos Pontifices approbatis, vi quarum habetur, quod Matrimonium per verba de præſenti ſub honeſta conditione de futuro coram Parocho, & Teſtibus contractum etiam poſt Concilium Tridentinum valeat, nec NB. opus amplius ſit, ut conſenſus iſte, cognita adjectæ conditionis exiſtentia, de novo coram Parocho, & Teſtibus repetatur, ſuppoſito nimirum, quod antea iſte contractus fuerit coram Teſtibus & Parocho initus, quando illa conditio fuerat appoſita. Confirmatur a pari, conſenſus ſponſalitius conditionatus, uti pariter juxta communem alius contractus conditionatus, exiſtente conditione, cenſetur abſolutus ſine novo aliquo addito in ratione ſponſaliorum: ergo etiam conſenſus matrimonialis in ratione Matrimonii. Et hinc ſicuti in conſenſu ſponſalitio, exiſtente conditione annexa, habetur illico abſque alio ſupperaddito jus ad contrahendum ipſummet Matrimonium, ad quod altera compars poteſt obligari, ita etiam in contractu ſimili matrimoniali exiſtente conditione, habetur jus ad ipſum Matrimonium per copulam carnalem conſummandum abſque aliquo novo ſuperaddito, ſicuti ſi ab initio fuiſſet ille conſenſus abſolutus. Duo tamen in præſenti ex AA. ſibi bene notent Parochi, *Primo*, ne facile tali Matrimonio, in quo conſenſus non ponitur abſolutus, ſed ipſimet conſenſui matrimoniali annectitur conditio, aſſiſtant ad vitanda plura incommoda, quæ non ita facile eveniunt in ſponſalibus conditionatis. *Secundo*, ubi ſpecialis urget ratio gravis, aut neceſſitas ſic aſſiſtendi, ne, niſi pars illa a prætenſa ſua conditione coram Teſtibus deſiſtat, contractum taliter Matrimonium conſummare permittant, donec certo conſtet, conditionem eſſe adimpletam; alias enim contingere poſſet id, quod refert Fagnanus in caſu, ubi aliquis cum quadam contraxit Matrimonium ſub conditione præſenti, *Si es legitima*, & poſt multiplicem copulam primum reſcivit, eamdem non eſſe legitimam, ex quo illud Matrimonium fuit declaratum nullum reclamante eo, qui appoſuit, non fuiſſe verificatam conditionem ſui conſenſus matrimonialis. Videatur circa hoc, & prius Quæſitum fuſius in Jure Canonico P. Reiffenſtuel *lib.* 4. *Decretal. tit.* 5. *

Additio III.

* Quæres III. Quid ſentiendum in caſu ſequenti? Caja nobilis conſentit in Matrimonium cum Titio pariter Nobili, addita tamen tam in conſenſu ſponſalitio, quam matrimoniali hac expreſſa clauſula, ut Titius Cajæ ex ſuis reditibus ſingulis annis tribuat mille florenos pro recreatione, & ad uſum beneplacitum, quod pactum etiam Titius inivit; quia tamen ſucceſſu temporis amor deferbuit; præſertim cum nulla proles ex eo Matrimonio ſit ſuſcepta, recuſat Titius ſtare præcedenti pacto: quare Caja exinde pertæſa prætendit declarari nullitatem Matrimonii, volens tranſire ad alias nuptias. Quæritur, an bene? Reſp. Etſi Titius ſub peccato, ſi aliud excuſans non interveniat, teneatur continuare ſolutionem mille florenorum propter præcedens pactum, ſi tamen eamdem non præſtet, exinde non ſequitur, præcedens Matrimonium eſſe nullum. Ratio eſt: quia præſertim in Matrimonio tamquam cauſa favorabili, & ad vitandas plures inconvenientias non præſumitur, ſolutionem mille florenorum conſenſui matrimoniali fuiſſe annexam tamquam conditionem ſine qua non, ſed potius tamquam modum, ſicque contractum hunc adhuc eſſe validum, etiam modo iſto abſente. Videantur dicta *Tract.* 8. *diſt.* 1. *poſt. n.* 12. *Addit. II.* Et in ſimili la Croix *Lib.* 6. *part.* 3. *num* 400.

Nec dicas, In caſu præcedentis Quæſiti clauſula Matrimonii adjecta, *Si es legitima*, cenſetur annexa per modum conditionis, ſicque ea non ſubſiſtente Matrimonium declarabatur nullum; ergo etiam in hoc caſu clauſula, *ut ſingulis annis ſolvantur mille floreni*, erit adjecta tamquam conditio, qua non exiſtente Matrimonium erit nullum. Reſp. enim neg. conſeq. & paritatem: etenim prima clauſula continet particulam *Si*, quæ juxta dicta de contractibus a priori indicat conditionem ſine qua non; altera vero habet particulam *ut*, quæ juxta pariter ibidem dicta ordinarie non aliquam conditionem, ſed potius inſinuat modum ſine quo adhuc ſubſtantia contractus ſubſiſtit. Et certe, ſi illa compars clauſulam hanc, *ut ſingulis annis ſolvantur mille floreni*, voluiſſet annectere tamquam conditionem ſine qua non, numquam poſſet per totam vitam concedere uſum corporis conſummando Matrimonium, cum numquam eſſet ſecura, an promittens hanc ſolutionem ſubſequentibus annis ſit adimpleturus, uti conſideranti patebit. *

QUÆSTIO IV.

Utrum ſit licita Pluralitas Uxorum?

SUMMARIUM

39 *Unitas Matrimonii duplex. Polygamia, & Bigamia, Trigamia &c. quid?*
40 *Polygamia, ſeu Pluralitas ſimultanea uxorum eſt prohibita.*
41 *Solvitur inſtantia de Patriarchis veteris Teſtamenti.*
42 *Pluralitas ſucceſſiva uxorum eſt licita.*
43 *Quid de Legibus Civilibus?*
44 *Secundæ nuptiæ non ita probantur, ſicut primæ.*
45 *Uxor non certificata de morte viri nequit contrahere cum alio.*
46 *Idem dicendum de viris.*
47 *Cautela Ritualium Diœceſanorum circa hoc.*
* *Signa quædam moralis certitudinis de morte.*
48 *Quid, ſi mulier deponat, maritum ſe vidente obiiſſe?*
49 *Dubitans de morte conjugis, ſi contrahat, non poteſt petere debitum.*
50 *Cur poſſit reddere parti innocenti?*
51 *Quid, ſi poſtea conjux ſuperſtes redeat? Num filii legitimi?*

39 QUæſtio præſens ſub aliis terminis, videlicet *de Unitate Matrimonii*, non raro proponi ſolet. Pro cujus reſolutione ſciendum, quod Unitas Matrimonii duplex conſiderari poſſit videlicet vel reſpectu ejuſdem temporis, vel in ordine ad diverſa tempora. Priori unitati; juxta quam Matrimonium ita debet eſſe unum, ut non poſſit idem vir habere ſimul plures uxores, neque eadem mulier plures viros, opponitur *Polygamia*, quæ eſt ſimultanea pluralitas uxorum. Poſteriori modo opponitur Unitati Matrimonii *Bigamia*, *Trigamia &c.* dum ſcilicet quis ſucceſſive duas, tres, aut etiam plures accepit uxores, contrahendo ſecundas, tertias, aut ulteriores nuptias.

40 CONCL. I. Polygamia, ſeu pluralitas ſimultanea uxorum in Lege Evangelica Jure divino eſt prohibita. Ita omnes Catholici; & habetur *c. Gaudemus. De Divortiis*, eſtque noviſſime definitum in Concilio Trid. *Seſſ.* 24. *can.* 2. his verbis: *Si quis dixerit, licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla Lege Divina eſſe prohibitum: anathema ſit.* Idem probatur ex S. Scriptura, ut *Matth.* 19. *Marci* 10. & *Epheſ.* 5. ubi de conjugato dicitur, atque renovatur illud præceptum *Geneſ. cap.* 2. poſitum: *Adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Nam Sacer Textus ibidem non dixit: *Erunt tres, vel plures, ſed duo*, nec dixit: *Adhærebit uxoribus, ſed uxori*; uti notat, atque argumentatur Pontifex *in cap. Gaudemus De Divortiis.* Confirmatur Concluſio ex illis verbis Chriſti *Lucæ* 16. *Omnis, qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimiſſam a viro ducit, mœchatur:* Si ergo juxta Chriſti præceptum uxore dimiſſa duci alia de Jure non poteſt, ergo a fortiori neque ipſa retenta: per quod evidenter apparet, pluralitatem ſimultaneam uxorum in Lege Evangelica reprobari.

41 Nec obſtat, quod Abraham, Jacob, aliique ſancti Patriarchæ in veteri Teſtamento plures ſimul uxores habuiſſe legantur. Reſp. enim conformiter *cit. c. Gaudemus*, &

& communi Theologorum, illud Divina revelatione, atque dispensatione sanctis illis Patriarchis fuisse concessum. Et id quidem factum creditur ob paucitatem Fidelium, ut nimirum hoc modo vera Fides, & agnitio unius DEI, cœli, terræque Conditoris, quæ ob grassantem tunc undequaque idololatriam propemodum extinguebatur, saltem in posteris Abrahæ conservaretur.

42 CONCL. II. Pluralitas successiva uxorum post mortem prioris conjugis licita est inter Christianos, & valida. Patet hoc tum ex perpetuo sensu, & praxi Ecclesiæ, tum ex illo Apostoli 1. *Corinth.* 7. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit: quod si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult, nubat, tantum in Domino.* Et hoc non solum de secundis, sed etiam de ulterioribus nuptiis intelligendum est: unde nec Christus *Matth.* 22. damnavit mulierem, quod septem viros legitime habuisset; nec Samaritanam, quod quinque *Joan.* 4.

43 Nec obstat quod Legibus Civilibus secundæ nuptiæ sint exosæ, & variis pœnis afficiantur, imo mulier nubens intra annum luctus (hoc est, infra annum a morte mariti) notetur infamia, *l.* 1. & 2. *C. De secundis Nuptiis*,) & alibi. Resp. enim, hanc pœnam infamiæ Jure Canonico esse sublatam, *cap. penult.* & *ult. De Secundis Nuptiis*, eo quod mulier sic nubens concessa sibi ab Apostolo utatur potestate.

44 Verum quidem est, quod primæ nuptiæ magis probentur, quam secundæ *c. Nuptiarum*, 27. *quæst.* 1. & *c. Quomodo*, 31. *q.* 1. & alibi. Unde etiam secundæ nuptiæ inducunt Bigamiam *c.* 1. & *seqq. De Bigamis non ordinandis.* Neque secundæ nuptiæ benedicuntur *c.* 1. & 3. *De secund. Nuptiis.* cum concordantiis: cum enim alter contrahentium saltem in primis nuptiis fuerit benedictus, eaque benedictio semper duret, non est iteranda. Intellige, nisi consuetudine contrarium alicubi sit introductum. Navarrus *cap.* 22. *Manual. num.* 83.

45 CONCL. III. Uxor non certificata de morte viri prioris, & econtra, nequit contrahere cum alio, etiamsi facta diligenti inquisitione ignoret, quid contigerit circa maritum pluribus jam annis non comparentem. Ita habetur decisum *c. In præsentia. De Sponsal.* ubi Papa consultus, quid agendum feminis adhuc viventibus, quæ viros suos causa captivitatis, vel peregrinationis absentes ultra septennium præstolatæ sunt, nec certificari possunt de vita, vel morte ipsorum, licet super hoc inquisitionem adhibuerint diligentem: respondet, *quod, quantocumque annorum numero ita remaneant, viventibus viris suis non possunt ad aliorum consortium canonice convolare: nec auctoritate Ecclesia permitti contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum.*

46 Et hoc ipsum in viris observandum esse absentibus uxoribus, declaratur *c. Dominus. De Secundis Nuptiis*, ibi: *Nullus amodo ad secundas Nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quod ab hac vita migraverit conjux ejus.* Ratio est: quia stante dubio de morte conjugis prius Matrimonium stat in possessione. Accedunt plurima inconvenientia, quæ ex secundis nuptiis temere, seu non habita certa notitia de morte prioris conjugis initis provenire solent.

47 Quinimo his de causis Ritualia Diœcesana recte alicubi monent Parochos, ne facile ad contrahendum Matrimonium admittant vagos & peregrinos, & qui incertas sedes habent, non habita prius Ordinarii licentia. Neque item eos, qui antea conjugati fuerunt, ut sunt uxores militum, & captivorum, vel aliorum, præsertim peregrinantium; nisi habita certa notitia de morte prioris conjugis, aut in casu, quo non adsunt indubitata talis mortis testimonia, causa ad Ordinarium deferatur, ejusque judicium & consensus requiratur, ne alioquin ex incentivo libidinis, ac postposito DEI timore facilius contingat, secundas nuptias iniri non habita certa notitia de morte prioris conjugis.

Additio

* Porro moraliter certa notitia de morte prioris conjugis haberi censetur, *Primo*, Per extractum Parochi ex libro mortuorum. *Secundo.* Per attestationem authenticam a Magistratu Ecclesiastico, Politico, aut Militari, vel a Notario publico, aliave persona in auctoritate publica constituta datam. *Tertio.* Per duos Testes de visu, nimirum affirmantes, se actualiter interfuisse morti, vel sepulturæ, aut exequiis. *Quarto.* Per alia verosimilia indicia, & conjecturas concurrentes simul cum fama ortum suum habente ex hominibus fide dignis, uti notat Shmalzgrueber *L.* 4. *Decret. Tit.* 21. *n.* 18. vel cum uno Teste de visu, vel cum pluribus de auditu. Nec obest juxta Patrem Reiffenstuel (quem emergente simili casu *Lib.* 4. *Decret. Tit.* 21 §. 1. utiliter leges) si tales Testes fuerint consanguinei. *

48 Quæres. Quid agendum, si quædam mulier deponat, aut etiam juramento firmare velit, conjugem suum, se vidente, atque præsente, tali tempore mortuum, atque sepultum fuisse? Resp. eam absque aliis testimoniis, vel indiciis (secus si talia præsertim gravia concurrant) non esse audiendam: quia *nullus idoneus testis in re sua intelligitur*, *l. Nullus*, *ff. De Testibus.* Accedit, quod juramentum suppletorium probationis neque deferendum, neque admittendum sit absque semiplena probatione; & alioquin, si præstaretur, nulla ejus habenda sit ratio. Gobat *Tract.* 9. *Theol. Experim n.* 281. ubi hoc declarat casu quodam Hungarico.

49 CONCL. IV. Si quis, vel aliqua, dubitans de morte prioris conjugis absentis, contrahere præsumpserit, ei, quæ sibi nupsit, debitum conjugale reddere tenetur, id tamen exigere non potest. Ita habetur expresse *cit. c. Dominus. De secundis Nuptiis*, Estque communis Doctorum. Ratio est: quia, cum alter conjux supponatur bona fide contraxisse (nam, si etiam ipse scivisset incertitudinem mortis prioris conjugis, neuter posset petere debitum) stante dubio non est privandus jure suo, cum sit in possessione juris conjugii, ac stante dubio melior sit conditio possidentis. Secus dicendum de eo, qui mala fide, seu dubitans de morte prioris conjugis contraxit; nam semper in possessione stat prius Matrimonium contra ipsum: unde perseverante conscientia sua dubia, & nisi hæc per acquisitam certam notitiam de morte prioris conjugis deponatur, is peccaret petendo.

50 Dices. Ergo stante tali dubio neque poterit reddere alteri petenti. Resp. negando sequelam. Etenim, si revera conjux prior mortua fuisset, Matrimonium cum altera (servatis ceteroquin servandis) contractum esset validum, non obstante alterius dubio: quia satis est, quod a parte rei conjux sit mortua, sicque Matrimonium contrahi possit. Proinde parti innocenti, seu quæ bona fide contraxerat, jus suum, perseverante illo dubio, negandum non est.

51 Quod si vero ex postfacto, quocumque tandem tempore, vel casu, conjux absens redierit, aut eum superstitem esse constiterit, omnino necesse est. ut, qui alterum Matrimonium contraxerat (quod non obstante bona fide jure irritum fuit) relictis adulterinis complexibus ad priorem conjugem revertatur; prout notatur *cit. c. Dominus. De secund. Nupt.* cum concordantiis. Si tamen ejusmodi Matrimonium fuit contractum ex judicio, & assensu Ecclesiæ, filii ex ipso nati reputantur legitimi, & admittendi ad hæreditatem, *arg. c. Perlatum. Qui filii sint legitimi.*

QUÆSTIO V.

De Indissolubilitate Matrimonii.

SUMMARIUM.

52 *Matrimonium dupliciter potest intelligi indissolubile quomodo?*

53 *Matrimonium omne est indissolubile propria contrahentium auctoritate.*

54 *Etiam loquendo de Matrimonio Infidelium.*

55 Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur, *explicatur.*

56 *Libellus*

56 *Libellus Repudii, an olim fuerit licitus Judæis?*
57 *Matrimonium Infidelium potest dissolvi altero ad fidem converso &c.*
58 *Matrimonium ratum fidelium dissolvitur quoad vinculum per Professionem Religionis.*
59 *Non vero per Votum Castitatis, sive solemnizatum per Ordinem sacrum, sive simplex. Quo jure illud privilegium competat Professioni Religiosæ?*
60 *Matrimonium ratum potest etiam dissolvi dispensatione SS. Pontificis.*
61 *Probatur Conclusio. Sequitur Additio.*
62 *Matrimonium consummatum fidelium quoad vinculum est indissolubile.*
63 *Probatur ulterius.*
64 *Disparitas inter Matrimonium ratum, & consummatum.*
65 *Objectio Hæreticorum, ejusque solutio.*
(g) Ut dicitur num. 103. & seqq.

52 Matrimonium dupliciter intelligi potest esse indissolubile, nimirum vel quoad vinculum, vel quoad thorum & cohabitationem. De indissolubilitate Matrimonii hoc posteriori modo accepta, dicetur ex professo *Quæst. VII.* per totum: de priori autem inpræsentiarum agitur, investigando, an, & quomodo Matrimonium sit indissolubile quoad vinculum, adeo, ut illo semel legitime contracto non liceat conjugibus ab eodem recedere, atque ad alias nuptias vivente adhuc priore conjuge transire. Hoc prænotato, sit

53 CONCL. I. Matrimonium omne est indissolubile ac perpetuum, adeo, ut propria contrahentium auctoritate dissolvi nequeat. Ita communis; & aperte traditur a Concilio Trid. *Sess. 24. in principio*, ubi ait: *Matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexum primus humani generis Parens Divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Gen. 2.* Idem patet ex definitione Matrimonii *n.* 4. allata, ibi: *individuam vitæ consuetudinem retinens.* Hinc *c. ult. De Conditionibus appositis*, dicitur, quod conditio de dissolubilitate Matrimonii apposita sit contra substantiam conjugii. Accedit ratio: quia hujusmodi nexum indissolubilem Matrimonii exigit bonum prolis, cujus bonæ educationi plurimum obesset incertitudo, atque separatio parentum.

54 Et hæ quidem rationes procedunt de quocumque Matrimonio, etiam Infidelium, adeo, ut ipsi quoque Infideles nequeant Matrimonium pro libitu, & propria auctoritate dissolvere; cum Lex Divina, ab origine mundi lata, & per Protoplasten promulgata, obliget omnes.

55 Nec dicas. *Omnis res, per quascumque caussas nascitur, per easdem dissolvitur, cap. 1. De Reg. Juris*, atqui Matrimonium mutuo contrahentium consensu nascitur; ergo eodem pariter dissolvitur. Resp. enim, Regulam illam procedere potissimum de obligationibus & contractibus temporalibus, qui, cum solo mutuo consensu fiant, eodem etiam dissolvuntur: secus dicendum de spiritualibus obligationibus (sic enim obligatio, & Character Baptismi, vel Ordinis nequit amplius mutuo consensu dissolvi) ac præsertim de Matrimonio, quod ex Divina institutione indissolubile est, & cujus dissolubilitas plurimum præjudicaret bono prolis. Et hæc quidem vera sunt, loquendo de dissolutione Matrimonii propria contrahentium auctoritate facta; num autem illud, extra caussam mortis alterius conjugum, in nonnullis casibus auctoritate Divina aliquando fuerit, vel sit defacto dissolubile quoad vinculum, quæstio remanet.

56 CONCL. II. Olim in Lege veteri, seu Mosaica licitum fuit Judæis Repudium uxoris; idque ob specialem dispensationem Divinam, qua DEUS per manum Moysis, propter duritiam Populi Judaici, & ad evitanda uxoricidia, concessit ipsis *Deuter. 24.* scribere Libellum Repudii, ita ut Judæi hoc facientes non peccaverint. Ita Scotus 4. *dist.* 33. *quæst.* 3. & probabilior Doctorum,

quamvis non desint oppositum tenentes. Ratio est: quia Moyses promulgavit Legem DEI, atque ideo, quos ille per Legem a se promulgatam separavit seu separari permisit, etiam DEUS separavit, seu separari permisit. Unde juxta *cit. cap. Deuter.* 24. licuit uxori sic dimissæ alterum maritum ducere; consequenter per dationem Libelli Repudii vere quoad vinculum fuit dissolutum prius Matrimonium in Lege veteri.

57 CONCL. III. Matrimonium inter Infideles contractum defacto dissolvi potest quoad vinculum, si unus conjugum convertatur ad veram Christi fidem, alter vero nolit converti, neque cohabitare converso sine injuria Creatoris, hunc videlicet blasphemando, aut solicitando conversum ad Infidelitatem. Ita certa, & communis omnium Theologorum, & Canonistarum; atque habetur decisum *c. Si Infideles*, 28. *q.* 1. & 2. & *c. Quarto. De Divortiis.* Idem deducitur ex illo 1. *Corinth.* 7. *Si Infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi.* Unde patet, quod hæc facultas solvendi Matrimonium Fideli ad Fidem converso concessa fuerit a Christo sua suprema auctoritate, & ab Apostolo Paulo *loc. cit.* promulgata; prout Ecclesia Catholica hactenus semper intellexit, & intelligit.

58 CONCL. IV. Matrimonium ratum Fidelium, seu Christianorum, nondum tamen consummatum, dissolvitur quoad vinculum per ingressum alterius conjugis in Religionem, ita ut conjux in sæculo relicta, emissa per consortem Professione, licite possit transire ad alias nuptias. Ita communis Doctorum Catholicorum; & habetur non solum *c. Verum*, & *c. Ex parte tua. De Conversion. conjugat.* sed etiam novissime definitum fuit in Concilio Trid. *Sess.* 24. *can.* 6. his verbis: *Si quis dixerit: Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis Professionem alterius conjugum non dirimi: anathema sit.*

59 Secus est dicendum de Voto Castitatis solemnizato per susceptionem Ordinis Sacri, utputa Subdiaconatus, Diaconatus &c. Quamvis enim hujusmodi votum impediat Matrimonium contrahendum, & dirimat postea contractum; tamen non sufficit ad dissolvendum Matrimonium prius contractum, licet necdum consummatum. *Cum nec jure Divino, nec per sacros reperiatur Canones hoc statutum*; prout argumentatur, atque declarat Joannes XXII. *in Extravag. Antiquæ. De Voto & voti redempt.* Multo minus quoad vinculum dissolvitur Matrimonium antea contractum, & non consummatum per Votum simplex Castitatis *text. clar. cit. c. Ex parte tua. De Conversion. conjugat.* Nam dictum privilegium est speciale Professioni Religiosæ, sive Jure Divino, atque ex Christi institutione eidem concessum, ut cum suis censet Doctor Subtilis 4. *dist.* 31. *quæst.* 1. ac sequitur Sanchez *lib.* 2. *de matrim. disp.* 19. citans plures alios: eo quod initium hujus privilegii non reperiatur in Jure Ecclesiastico, sed extet a primordiis Ecclesiæ, atque desumatur ex facto Christi, vocantis Joannem Apostolum, & Evangelistam a nuptiis ad Apostolatum *Joan.* 1. sive saltem Jure Ecclesiastico, licet antiquissimo, prout vult Fagnanus *c. Ex parte n.* 8. *de Convers. conjug.* cum quibusdam aliis.

60 CONCL. V. Matrimonium ratum, non consummatum extra casum Professionis Religiosæ potest etiam alia gravi, & justa de causa dissolvi auctoritate seu dispensatione Summi Pontificis, ita ut ambo conjuges licite possint ad alia vota transire. Ita D. Antoninus, Cajetanus, Bellarminus, Bonacina, Navarrus, & plurimi, quos citat, & sequitur Sanchez *cit. lib.* 2. *disp.* 14. & Mastrius 4. *disp.* 7. *n.* 198. asserens, hanc modo esse communem ac probabiliorem sententiam, magisque Pontificiæ Auctoritati in re justa favorabilem.

61 Fundatur hæc conclusio in illa generali potestate pascendi Oves, seu Fideles, a Christo Domino concessa D. Petro, ejusque legitimis Successoribus *Joan.* 21. ibi: *Pasce oves meas.* Quæ verba Christus, ad ostendendam dictæ potestatis amplitudinem, trina vice repetere voluit: sicque, quia ad hoc, ut Oves concreditæ rite pascantur, multum juvat facultas dis-

dispensandi in Votis, Juramentis, Matrimonio rato, ac hujusmodi, quando ad bonum Ecclesiæ regimen expedit, merito de talis quoque potestatis concessione intelliguntur. Unde, quod Summi Pontifices aliquoties dispensaverint in Matrimonio rato, & nondum consummato Fidelium, plures referunt Auctores, ac in specie id traditur de Martino V. Eugenio IV. Paulo III. Pio IV. Imo Sanchez *loc. cit.* addit Gregorium XIII. una die cum undecim dispensasse: non est autem credendum, tot Pontifices in facto tam gravi, atque conscientioso errasse. Accedit, quod in dubio standum sit judicio Superiorum vel maxime Summi Pontificis, cui totius Ecclesiæ regimen incumbit, cuique Spiritus Sanctus specialiter assistit.

Additio.

* Non equidem me latet, præsentem Auctorem, seu potius Operis ejusdem Prosecutorem in Jure Canonico *Lib.* 4. *Decret Tit.* 19. *n.* 3. & *seqq.* contrariam sententiam credere probabiliorem, quam etiam Pater Henno *Tract. De Matrimonio, disp.* 4. *quæst.* 5. *Conclus.* 2. menti Scoti conformiorem ostendere conatur; puto tamen præsentem nostram sententiam potius esse manutenendam in summe debitum respectum tot Summorum Pontificum numero præcedenti allegatorum, quibus insuper Baronius in Annalibus Ecclesiasticis *ad n.* 1074. Gregorium VII. Prosper Fagnanus in *cap. perniciosam* 1. *De Officio Judicis ordinarii*, *num.* 61. Paulum V. Pyrrhus Corradus, & Vincentius de Justis apud Franciscum Schmier *Tom.* 3. *Lib.* 4. *sect.* 11. *num.* 23. *fol.* apud me 79. Urbanum VIII. superaddunt, testaturque idem Franciscus Schmier *loc. cit. n.* 26. Clementem VIII. *die* 6. *Julii.* 1590. specialem pro examine hujus nostræ sententiæ indixisse Congregationem, cui intervenerunt octo Cardinales, quatuor Auditores Rotæ, & duo Theologi, omnes Viri sapientissimi, qui unanimiter pronuntiarunt, Papam in Matrimonio rato dispensare posse. Uti etiam hanc ipsam sententiam fertur novissime practicasse Clemens XI. si credendum Patri Pichler in Candidato Jurisprudentiæ abbreviato *Lib.* 4. *Tit.* 19. *num.* 4. Quis autem sibi persuadeat, tot Pontifices, ac toties, & quidem in materia concernente valorem actus dispensasse, nisi sententiam asserentem ob valde gravem causam posse dispensari, censuissent practicabilem? Accedit, quod Summus Pontifex possit dispensare in Religiosa Professione, quæ tamen alias tam forte vinculum est, ut tollat ipsum Matrimonium ratum: cur ergo non posset etiam dispensare in ipso Matrimonio rato? Objectiones contrarias solutas invenies apud Schmier & Pichler *loc. cit.* ac apud Schmalzgrueber *Lib.* 4. *Decret. Tit.* 19. *num.* 49. *

62 CONCL. VI. Matrimonium valide inter Christianos contractum, & consummatum quoad vinculum ita est indissolubile, ut extra mortem naturalem alterius conjugum nulla de causa, nisi immediate Divina auctoritate, dissolvi valeat. Ita Communis Catholicorum, estque contra Hæreticos, volentes, illud dissolvi posse propter supervenientem fornicationem alterius conjugum, & ob nonnullas alias causas, novissime definitum in Concil. Trid. *Sess.* 24. *can.* 5. ibi: *Si quis dixerit, propter hæresin, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse matrimonii vinculum: anathema sit.* Et *can.* 7. *si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit, & docet, juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugis, matrimonii vinculum non posse dissolvi &c. anathema sit.*

63 Idipsum constat tum ex perpetua traditione, ac sensu Ecclesiæ; tum ex illis verbis Christi *Matth.* 19. ubi revocans Libellum Repudii, & elevans Matrimonium ad rationem Sacramenti, subjunxit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Item ex illo *Rom.* 7. *Mulier vivente viro alligata est legi.* Et 1. *Corinth.* 7. *Iis, qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari*, cum concordantiis. Quæ verba S. Mater Ecclesia de Matrimonio consummato inter Fideles contracto semper intellexit, ac proinde in eodem pro nullo prorsus dispensasse legitur.

64 Nec obstat, quod Matrimonium ratum Fidelium possit in aliquo casu dissolvi, ut dictum *num.* 58. & 60. Resp. enim, disparitatem esse: quia Matrimonium ratum significat dumtaxat *Conjunctionem Christi cum anima fideli per gratiam*, sive Charitatem, quæ non est indissolubilis, imo perditur per quodcumque peccatum mortale: Matrimonium vero consummatum significat *Conjunctionem Christi cum Ecclesia per assumptam humanitatem*, quæ amplius est indissolubilis; prout notatur *c. Debitum. De Bigamis non ordin.* Accedit, quod separatio Matrimonii consummati posset redundare in injuriam prolis: atque ideo (præter immediatam potestatem Divinam) ex Christi institutione in nullo casu illud est separabile quoad vinculum, nisi per mortem naturalem alterius conjugum.

65 Objicies cum Hæreticis. Christus *Matth.* 19. dixit, *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem: & aliam duxerit, mœchatur*; ergo, cum exceptio firmet regulam in oppositum; ob fornicationem ab ea factam licitum est dimittere uxorem, & aliam ducere. Resp. negando consequentiam: nam ly *nisi ob fornicationem* refertur solum ad prius, ac denotat, ob eam esse licitam dimissionem uxoris quoad thorum & cohabitationem; (g) non autem inde sequitur: esse licitam dissolutionem Matrimonii quoad vinculum ob causam fornicationis; prout semper intellexit, docuit, & docet S. Mater Ecclesia. Alioquin certe lata porta aperiretur adulteriis, ut sic conjuges, ceteroquin male cohabitantes, possent hoc titulo separari, atque aliis pro libitu nubere.

QUÆSTIO VI.

De Cohabitatione, & onere Debiti Conjugalis.

SUMMARIUM.

66 *Obligatio Conjugum, ad quæ generatim se extendat?*
67 *Conjuges tenentur cohabitare in eadem domo, mensa, & lecto.*
68 *Maritus, an possit abesse, & quando?*
69 *Uxor, an teneatur sequi virum, mutantem domicilium?*
70 *Et vir uxorem?*
Differentia inter virum, & uxorem quoad hoc.
71 *Actus Conjugalis ex se licitus est, & honestus.*
72 *Dummodo sit vestitus debitis circumstantiis. Propositio damnata.*
73 *I. Finis actus conjugalis est generatio prolis.*
74 *II. Satisfactio debiti conjugalis, & vitatio incontinentiæ alterius Conjugis.*
75 *III. Vitatio propriæ incontinentiæ.*
76 *Solvitur instantia contra hoc.*
77 *An liceat causa solius sanitatis?*
78 *Conjux tenetur alteri petenti reddere.*
79 *Alioquin peccat, & quomodo?*
80 *Nisi justa causa excusetur.*
81 *Variæ causæ excusantes a reddendo debito conjugali.*
* *Et num sit causa sufficiens multiplicatio Prolium? Addit. I. & II.*
82 *Decet, temporibus sacris abstinere ab actu conjugali.*
83 *An sit peccatum, tunc petere?*
Quid de redditione debiti?
84 *Mala fide contrahens Matrimonium, an possit petere, vel reddere?*
85 *Quid, si dubium de valore Matrimonii superveniat?*
86 *Quid, si certo sciatur invaliditas Matrimonii, sed non possit probari?*

(h) Vide dicta Tract. 13. Dist. 1. n. 39. & 40.
(i) De hoc Tract. 7. dist. 1. num. 49. & seqq.

87 *Quid, si superveniat affinitas? Aut quis contraxerit cum Voto simplici Castitatis?*

(k) Tract. 6. Dist. 3. n. 48.

88 Con-

88 *Conjuges, quomodo peccent indebite congrediendo?*
(*l*) Tract. 9. Dist. 4. n. 65.
(*m*) Ibidem. n. 76.
89 *Actus conjugalis, an liceat, si conjux est gravida?*
90 *Puerpera? menstruata, vel lactans?*
* *An liceat Conjugibus alias sibi præsentare formas? Addit. I.*
* *Item an Viduis, vel Sponsis liceat delectari de actu conjugali præterito, vel futuro? Addit. II. & III.*

66 CUm Matrimonium a DEO institutum fuerit ad legitimam generis humani conservationem; ipsiusque Ecclesiæ propagationem, ac proinde finis ejus principalior sit bonum prolis; hinc generatim ad duo sese extendit obligatio conjugum, videlicet ad mutuam cohabitationem, & redditionem debiti conjugalis. Proinde, ut intelligatur, quæ, & quanta sit ejusmodi obligatio, sit

67 CONCL. I. Tenentur Conjuges simul cohabitare in eadem domo, mensa, & lecto, quæ quidem obligatio descendit tum ex Jure Divino, tum ex natura contractus conjugalis. Hinc siquidem *Gen.* 2. dicitur: *Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una.* Idem patet ex definitione Matrimonii, ibi: *individuam vitæ consuetudinem retinens.* Proinde

68 Infertur I. Quamvis maritus ratione negotii gerendi possit modico tempore abesse, id tamen non esse licitum tempore longo; nisi accedat alia gravis, & justa causa, utputa si teneatur Principem comitari in bellum; aut si hoc necessarium sit ad gubernationem Familiæ, vel conservandas res familiares. Sanchez *lib.* 9 *de Matr. disp.* 4. *n.* 12. ac alii. Ratio est: quia conjuges Jure Divino tenentur cohabitare: unde *cap.* 1. *De Conjugio leprosorum*, inquit Pontifex: *Cum vir & uxor una caro sint, non debet alter sine altero esse diutius.* Verum cum hoc tempus absentiæ non definiatur, hinc Glossa ibidem, & Doctores censent, id arbitrio viri prudentis, pensatis absentiæ causis, ac periculo incontinentiæ, definiendum esse: alioquin post diuturnam moram Judex ab altero conjuge requisitus, vel si notorie constet, quod vivant incontinenter, etiam ex officio potest eos cogere ad cohabitandum. Abbas ad *cit. cap.* 1. *de Conjugio lepros.*

69 Infertur II. Uxorem teneri ad comitandum virum, si hic aliorsum mutaverit domicilium, idque ob rationem dictam. Secus, si vir efficiatur vagabundus, & ante contractum matrimonialem non fuisset talis: tunc enim uxor ipsum hinc inde vagantem sequi non tenetur, utpote quod hoc foret gravissimum onus. Bene tamen, si vir more histrionum jam ante nuptias vagus extitisset: quia tunc ipsa censeretur approbasse mores suos. Abbas *loc. cit.* Fallit insuper allata doctrina, quando uxor absque gravi detrimento virum sequi non potest: tunc enim ipsum non tenetur sequi, *arg. cap. Si quis necessitate.* 34. *quæst.* 2.

70 Infertur III. Quod, si uxor ex causa necessaria recedit a loco priori, & aliorsum transfert domicilium, etiam maritus sequi teneatur. Ita colligitur ex *cit. cap.* 1. *De Conjug. lepros.* ac notat Glossa ibidem: quia quoad mutua obsequia conjugalia vir & uxor pares sunt. Est tamen inter eos nonnulla differentia: nam, quia vir est caput mulieris, atque ejus sit gubernare, hinc potest ad libitum eligere domicilium, teneturque uxor ipsum sequi; uxor vero, cum sit subdita marito, domicilium pro libitu mutare, vel eligere nequit; si tamen necessitate cogente id faciat, vir ob tuenda jura Matrimonii tenebitur eam sequi. Sanchez *lib.* 1. *disp.* 41. *n.* 15. & 16.

72 CONCL. II. Actus conjugalis ex se est licitus, &, si fuerit vestitus debitis circumstantiis, honestus, ac meritorius. Ita communis; idque patet ex eo: quia est medium ex natura rei ordinatum ad finem bonum, atque honestum, sive ad legitimam propagationem generis humani. Unde & DEUS Protoparentibus nostris præcepit actum conjugalem *Genes.* 1. ibi: *Crescite, & multiplicamini*; atque blasphemum foret dicere, quod DEUS aliquid ex se malum præceperit. Hinc *ad Heb. cap.* 13. ait Apostolus: *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.*

72 Additur notanter, *vestitus debitis circumstantiis*, nimirum ut non nisi loco, tempore, modo, fineque debito eliciatur; alioquin enim culpa non vacaret. Hinc Angelus Raphael Tobiæ *cap.* 6. dixit: *Qui conjugium ita suscipiunt, ut DEUM a se, & a sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos.* Et conformiter huic effato Angelico, meritissime Innocentius XI. sequentem inter alias, ordine 9. Propositionem damnavit: *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, & defectu veniali.*

73 Ceterum multiplex finis esse potest, licite ac honeste exercendi actum conjugalem. I. Ob generationem prolis: nam proles suscipienda, & religiose educanda ad Cultum Divinum est finis primarius Matrimonii.

74 II. Ob Satisfactionem debiti conjugalis, atque ad vitandam incontinentiam ex parte alterius conjugis. Siquidem uxori expresse, vel tacite petenti tenetur vir, & econtra uxor viro reddere debitum ex Justitia. Quando autem compartem advertit existere in periculo incontinentiæ, tunc opus conjugale erit actus Charitatis, utpote elicitus ob finem salutis spiritualis Proximi. Hoc indicatur ab Apostolo 1. *Corinth.* 7. illis verbis: *Uxori vir debitum reddat, similiter autem uxor viro: Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir &c.* Et infra: *Iterum revertimini in id ipsum, ne tentet vos sathanas propter incontinentiam vestram.*

75 III. Ob vitandam incontinentiam propriam. Etsi enim non pauci Doctores velint, actum conjugalem non vacare culpa veniali si fiat ad vitandum periculum incontinentiæ in semetipso; quia (inquiunt) hic non est proprius finis Matrimonii, sed bonum prolis: communior tamen sententia nullam in hoc culpam agnoscit; siquidem, ut notat Doctor Subtilis 4 *dist.* 26 §. *Per hoc patet*, institutio Matrimonii non solum facta est a DEO *in officium*, hoc est, ad propagationem generis humani, sed etiam *in remedium*, *videlicet vitandæ incontinentiæ post lapsum.* Unde Apostolus 1. *Corinth.* 7. de innuptis ait: *Quod, si non se continent, nubant; melius est enim nubere, quam uri.*

76 Nec obstat ratio in oppositum. Resp. enim, quamvis bonum prolis sit finis primarius ac principalis Matrimonii, simul tamen finem ejus minus principalem esse vitationem propriæ incontinentiæ, quem proinde sufficit intendere. Alioquin certe contra communem Doctorum sequeretur, quod nec careat culpa veniali actus ille, si fiat ad vitandum in altero conjuge periculum incontinentiæ, cum & hic non sit finis primarius Matrimonii.

77 Num autem causa solius sanitatis propriæ tuendæ licite, atque sine culpa veniali fiat actus conjugalis, variant Doctores. Et quidem multi culpam in hoc venialem agnoscunt; eo quod finis hic adversetur institutioni Matrimonii, quod ob bonum prolis, atque ad vitandam incontinentiam a Deo institutum fuit, juxta proxime dicta. Alii econtra id omni culpa vacare censent, præsertim si aliud aptum medium ad acquirendam, vel tuendam sanitatem non suppetat, prout limitat Sanchez *lib.* 9. *disp.* 10. Nam in tali casu (inquiunt) etiam bonum prolis, saltem remote includitur. Illud certum est, quod, quamvis venialiter peccaret conjux petendo debitum causa solius sanitatis, tamen reddens nullatenus peccet.

78 CONCL. III. Tenetur conjux alteri explicite, sive implicite petenti reddere debitum, nisi justa causa excusetur. Ita communis, & patet ex dictis, ac textibus S. Scripturæ *num.* 74. relatis.

79 Infertur proinde, quod conjux mortaliter peccet, si absolute neget debitum consorti, illud rationabiliter, serio ac sub obligatione exigenti: cum non uxor, sed vir habeat potestatem corporis ejus, & alioquin in pe-

tente facile suboriatur periculum incontinentiæ. Secus esset, si consors non serio, neque sub obligatione, sed solum ex quadam benevolentia id petat, aut si precibus recusantis facile acquiescat; dummodo in petente non subsit periculum incontinentiæ.

80 Additur tamen in Conclusione, *nisi justa causa excusetur.* Nam ejusmodi obligatio non est tam stricta & gravis, quin occurrente rationabili causa liceat solutionem vel negare; vel saltem differre: *Quoniam* (ut inquit Pontifex *c. Quoniam. Ut lite non contestata,*) *in conjugio multi casus occurrunt, in quibus conjuges sine culpa, sed non sine causa continere coguntur.*

81 Sic excusatur conjux I. Si non possit reddere debitum sine notabili periculo salutis corporalis propriæ; ut si conjux sit vulneratus, laboret febri hectica, aut alio morbo, adeo ut actus conjugalis vehementer credatur nociturus. Imo, si nocumentum existeret grave ex una parte, & ex altera non appareret periculum propinquum incontinentiæ, si denegetur, ne quidem foret licitum illud reddere. II. Excusatur, si consors peteret in amentia, ebrietate, aut alias constitutus extra usum rationis: nam non peteret actu humano, & libero. Item juxta Henriquez & Armillam, si absque rationabili causa peteret contra debitum situm, & modum. III. Quando conjux immoderate, ac nimis frequenter petit: quia non videntur conjuges sese obligasse ad usum immoderatum: præsertim cum repugnet decentiæ, ipsique valetudini. Idem dic, si peteret contagioso e. g. Gallico laborans cum proximo periculo inficiendi per copulam etiam compartem. IV. Cum conjux ante consummationem Matrimonii possit Religionem ingredi, non tenetur illud consummare reddendo debitum ante elapsos duos menses a contractu matrimoniali *arg. c. Ex publico. De Conversione Conjugat.* V. Si publice, seu coram aliis exigeretur. Sunt & aliæ nonnullæ causæ, de quibus fusissime Sanchez *lib. 9. de Matr. disp. 24. & seqq.* & alii.

Additio.

* Inter alias causas excusantes ab obligatione reddendi debitum etiam numeratur, si pars innocens resciat, consortem commisisse adulterium, vel incestum de quo vide fusius la Croix *lib. 6. part. 3. num. 372. ac seqq.* etsi enim pars innocens possit, non tamen tenetur reddere debitum; quoniam nocens deperdidit exinde jus petendi illud: quinimo, neque tenetur amplius cohabitare cum adultera, de quo vide dicenda Quæstione septima *num. 103. & seqq.* Num autem etiam debitum conjugale negari queat exinde, ne apud inopes nimium multiplicentur proles, alia est difficultas, & allegatus *Auctor loc. cit. n. 392.* respondet ordinarie negative; quoniam finis in ipso contractu matrimoniali inhibitus est propagatio generis humani, in quem finem uterque conjugum videntur contrahendo Matrimonium saltem tacite consensisse, & DEUS tamquam Auctor matrimonii hasce proles haud deseret, qui etiam volucres cœli pascit. Ex quo jam patet disparitas inter hanc necessitatem ex multiplicitate prolium evenientem, & inter alia damna prorsus extrinseca Matrimonio sub ipso contractu matrimoniali non prævisa ac postea evenientia, ad quæ consequenter vi contractus matrimonialis se non videntur obligasse, ut maneant his non obstantibus adstricti reddere debitum conjugale. Sotus tamen, Lopez, & Sa ponunt exceptionem istam, nimirum *nisi incommoditas alendi proles foret valde notabilis ex una parte, ex altera vero abesset omne periculum alicujus incontinentiæ*, quod tamen meo judicio raro aberit, præsertim si ambo conjuges adhuc in eodem lecto existant, vel si unus eorum renuat consentire in pactum non petendi debitum. Pater Sporer in casu præsenti *part. 4. Theolog. Sacrament. cap. 2. sect. 3. num. 516.* inquit, secluso mutuo inter conjuges pacto petendi debitum, negare illud ob solam paupertatem, esse mortale juxta Navar. Sylvest. & alios communiter, qui pronuntiant absolute, multiplicationem prolis non excusare a redditione debiti; quam doctrinam in praxi etiam allegatus Auctor cum Gobat semper se observasse testatur. Quod si tamen (subjungit Sporer) res eo loco esset, ut ob prolis multiplicationem vel parentes ipsi, vel vivis parentibus liberi in extremam inopiam (casus certe rarus inter Christianos) redigendi forent, omnino fatendum est, ac fatetur Layman *lib. 5. tract. 10. cap. 1. num. 16.* debitum juste negari posse; cum non videatur tanta inopia sub primo pacto matrimoniali comprehensa. Et quæso te Confessarie (pergit citatus P. Sporer) an peccatis damnabis miseram uxorem, quæ marito omnia abligurienti, ipsa cum liberis famem, & ærumnas tolerans, ne amplius miseranda, & forsan pessime per maritum educanda proles multiplicetur, debitum negat, priusquam se emendet? Quoniam absolute non improbabilis, & bene consideratis similibus circumstantiis in praxi tuta videtur sententia opposita, quæ cum Ledesma, Sanchez, & Diana defendit, sine culpa debitum negari posse ob paupertatem, ne multiplicata prole nimia molestia, vel mendicitas sit sustinenda. Ita Sporer *loc. cit.* prout nec ego talem uxorem (supposito, quod ipsamet in propria persona non patiatur periculum proximum incontinentiæ) in tantis circumstantiis auderem condemnare peccati mortalis, si marito huic luridissimo copulam denegaret, usque dum se emendet. Attendatur tamen accurate a Confessario ad omnes circumstantias, ne fiat abusus hujus doctrinæ, & prius tentetur potius, utrum nequeant conjuges inopes persuaderi, ut mutuo pacto, & consensu ad invicem a copula conjugali abstineant, ac omnia pericula proxima pollutionum amoveant. *

Additio II.

* Ast immutemus aliqualiter casum priorem, & supponamus, uxorem etsi pauperem, confidentem tamen in Divinam providentiam, non horrere multiplicationem prolis, bene tamen ejusdem maritum, qui exinde juxta frequentem experientiam sub actu conjugali solet se retrahere, ac non obstante fraterna correctione, & monitione semen extra vas effundere, poteritne talis uxor debitum petere cum protestatione similis copulæ imperfectæ &c. vel saltem petenti reddere? Quod maritus sic faciendo graviter peccet, & quod uxor non obligetur simili petenti reddere debitum, est extra controversiam; utrum autem possit saltem reddere, si alias valde dure, e. g. verberibus &c. tractaretur, dubium est? Ad quod nonnulli Doctores contra alios apud la Croix *Lib. 6. p. 3. n. 356.* respondent affirmative ex eo fundamento: quia non solum maritus, verum etiam uxor vi contractus matrimonialis habet jus ad copulam; quod autem maritus non faciat, uti debet, & potest, atque uxor optat, & intendit, est solius viri culpa, ad quam femina, non nisi materialiter censetur cooperari eo ferme modo, quo petens administrationem Sacramenti ab illo, qui ex sua malitia ministrabit indigne, non reputatur talis administratoris peccato formaliter cooperari. Ita illi apud la Croix *loc. cit.* ubi pariter notabilem objectionem solutam invenies: quæ ratio pariter probat, quod ad evitandum periculum propriæ incontinentiæ uxor debitum petere queat. *

82 Quæres: An tempore sacro v. g. diebus Solemnioribus, Festivis, aut Dominicis: item die, quo quis Sacram Synaxin sumpturus est, vel sumpsit, licitum sit exigere, vel saltem reddere debitum? Resp. I. Maxime decens est, atque a SS. Canonibus commendatum; quod conjuges ejusmodi diebus sacris abstineant ab actu conjugali, ut sic juxta monitum Apostoli *1. Corinth. 7.* expeditius vacent orationi, prout notatur *c. Proposuisti. dist. 82. & c. Sciatis, & cap. Quotiescumque, ac tribus seqq. 33. quæst. 4.* cum concordantiis.

83 Resp. II. Utrum autem ad hoc teneantur conjuges sub peccato, saltem veniali, variant Doctores. Et quidem non pauci arbitrantur, petere debitum ejusmodi Sacris Temporibus, non vacare culpa, saltem veniali, id-

idque ob Canones proxime citatos. Verum, quia isti continent dumtaxat consilium (sicut & verba Apostoli *loc. cit.*) non præceptum, hinc Sanchez *loc. cit. disp.* 12. cum quibusdam aliis censet, talem petitionem debiti non solum vacare culpa mortali, sed etiam veniali. Illud certum est, quod nullum sit peccatum, illis diebus petenti reddere: quinimo quocumque tandem die, quantumvis solemni, debitum exigatur, tenetur alter reddere, nisi alia justa causa excusetur: tum quia adhuc multi DD. cum Sanchez docent absolute, non esse prohibitum diebus festis petere debitum, sicque hanc sententiam sequens non debet suo jure privari: tum, quia debet præsumi, quod petat ex rationabili causa, puta ad vitandam incontinentiam.

84 CONCL. IV. Petitio, ac redditio debiti conjugalis redditur quandoque illicita, & mortifera. Ita communis, & probatur inductione. Sic inprimis, qui mala fide, seu dubius de valore Matrimonii contraxit, non potest stante illo dubio petere debitum; tenetur tamen illud reddere petenti comparti, si hæc bona fide contraxerat. Hujus ratio, & exemplum habetur superius *n.* 49. & 50.

85 Quod si dubium superveniat primum Matrimonio jam antehac bona fide contracto, talis non solum reddere, sed etiam petere potest, dummodo simul adhibeat debitam diligentiam acquirendi veritatem, nec tamen de invaliditate Matrimonii constet. Ratio est: quia talis existit in legitima possessione Matrimonii bona fide inchoati, sicque in jure petendi debitum; in dubio antem melior est conditio possidentis. Herincx *disp.* 7. *de Matr. quæst.* 6. *n.* 32. Pirhing. *tit. de Sent. excommun. n.* 108. solventes contraria, & alii. Et hoc ipsum a potiori dicendum, si postea oriatur solummodo scrupulus, ex levi ac temeraria credulitate conceptus: nam potest is ad consilium proprii Pastoris deponi, ac debitum conjugale non solum licite reddi, sed etiam peti, *text. clar. c. Inquisitioni. De Sent. excomm.*

86 Si vero conjux pro certo cognoscat invaliditatem Matrimonii, eo quod indubitanter sciat subesse impedimentum dirimens, quamvis hoc in facie Ecclesiæ probare nequeat, non solum non potest petere, sed nec reddere debitum: non obstante, quod per sententiam judicialem Ecclesiæ (quæ de occultis non judicat) vel etiam excommunicationem ad id compellatur, aut aliunde periculum vitæ immineat. Ratio est: quia in nullo casu potest quis scienter fornicari, seu alteri carnaliter commisceri extra legitimum Matrimonium; hoc enim est intrinsece malum. Unde talis potius in foro externo debet humiliter sententiam excommunicationis sustinere, ut dicitur *cit. c. Inquisitioni. De Sent. excomm.* (*h*) Occisus autem ex hac causa moreretur pro servanda virtute supernaturali Castitatis, & sic evaderet Martyr. (*i*)

87 Deinde, si quis durante Matrimonio contraxit affinitatem cum sua consorte, cognoscendo videlicet carnaliter ejus consanguineam, non potest petere debitum, licet reddere possit, ac teneatur. Ita habetur *c. Discretionem*, & *c. Tuæ fraternitatis. De eo, qui cognovit.* Et hoc idem dicendum de illo, qui cum Voto simplici Castitatis contraxit Matrimonium. An autem Confessarii Mendicantium cum talibus dispensare possint in ordine ad petendum debitum conjugale, jam alibi (*k*) dictum fuit.

88 Rursus certum est, conjuges peccare congrediendo sodomitice, sive extra vas naturale; quia talis congressus repugnat ordini naturæ, finique Matrimonii. Quod si vero conjuges sine justa causa non servent modum, sive situm naturalem, absque tamen periculo effusionis seminis, committitur peccatum duntaxat veniale: nullum, si justa causa interveniat. Quid autem sentiendum si de eorum præpostero congressu in vase naturali (*l*) nec non & de tactibus impudicis inter conjuges (*m*) superius jam dictum est.

89 Quæres I. An sit licitus actus conjugalis muliere existente prægnante, puerpera, vel lactante? Resp. I. Quando mulier est gravida, licite redditur, & petitur debitum (adeoque illicite negatur) dummodo absit periculum abortus. Ita communis: nam nullo jure hoc prohibitum legitur. Nec obstat textus *c. Non solum.* 32. *q.* 7. & *c. Origo.* 32. *qu.* 4. & *c. Si causa.* 33. *qu.* 4. ubi videtur prohiberi accessus ad uxorem gravidam. Resp. enim, hoc esse de consilio, non de præcepto, nisi in casu periculi abortus: unde per se id non illicitum, quamvis per accidens quandoque non liceat, imo abstinendum sit; sive ob nimiam uxoris debilitatem, sive quia abortus timetur.

90 Resp. II. Uti Matrimonio statim post partum, durante adhuc naturali purgatione mulieris, per se loquendo non est quidem peccatum mortale, ut tenent plerique Doctores; nihilominus communiter peccatum veniale deesse non solet, idque ob nimiam intemperantiam, quæ in copula ista fœditati juncta intervenire solet. Ita Herincx *loc. cit. n.* 18. hoc ipsum *n* 15. post Sanchez *lib.* 9. *De Matr. disp.* 21. *n.* 7. & alios, tradens de accessu viri ad menstruatam; quamvis quoad hoc ultimum D. Thomas, D. Bonaventura, & Scotus 4. *dist.* 32. *q. un.* ac nonnulli alii videantur esse rigidioris sententiæ, atque extra periculum incontinentiæ in alterutro conjugum existens, damnare peccati gravioris accessum viri ad menstruatam ob periculum infectionis viri, & prolis monstrosæ gignendæ: quale tamen periculum raro adesse, putant alii AA. hincque nec gravem culpam in tali accessu agnoscunt. Porro non esse illicitum actum matrimonialem eo tempore, quo mulier est lactans, passim fatentur Doctores.

Additio I.

* Quæres II. An citra grave peccatum liceat conjugibus sub actu conjugali sibi repræsentare alias personas formosas absque tamen desiderio peccandi cum ipsis? Respond. I. Si fiat repræsentatio personæ alias carnaliter dilectæ quasi præsentis, sic sese morose in objectiva illius præsentia delectando, juxta communissimam Doctorum, peccatur mortaliter, etsi non habeatur speciale desiderium peccandi cum eadem. Ratio est; quia hæc repræsentatio versatur circa hoc individuum qua tale, & quidem modo venereo. Resp. II Si præscindendo ab individuo speciali qua tali, præcise versetur circa pulchritudinem, & amabilem formam, non censetur per se loquendo peccari mortaliter. Ratio est; quia talis consideratio, & delectatio non versatur circa objectum venereum, sed eo ferme modo se habet, ac si sub actu conjugali una pars conjugum sibi repræsentaret pulchram, formosam aliquam picturam, ut exinde se magis provocaret ad copulam conjugalem, aut ut proles concipiatur formosior, dirigendo hanc formam ad suam compartem. Ita Sanchez apud la Croix *lib.* 6. *part.* 3. *nu.* 329. Addit tamen Sanchez, rem hanc sæpius esse plenam periculo; cum non raro affectus iste tendat potius in ipsam personam hac pulchritudine affectam, & simul sibi turpiter, ac modo venereo repræsentatam, sicque a se dilectam. Dissuadeatur igitur a Confessario hæc praxis omni possibili modo. *

Additio II.

Quæres III. An citrà grave peccatum liceat Viduis, & Sponsis de futuro sibi cum aliqua delectatione repræsentare actum conjugalem de præterito habitum, vel de futuro habendum? Ante responsionem Nota I. ex Sporer *part.* 1. *in Decalog. c.* 6. *sect.* 4. *n.* 22. delectationem, seu complacentiam morosam circa objectum venereum, seu circa copulam esse duplicem, alia dicitur rationalis, quæ oritur in ipsa voluntate ex cogitatione intellectiva talis rei repræsentatæ qua delectabilis: alia vocatur sensibilis, quæ ex imaginatione phantasiæ objectum illud venereum sibi repræsentantis in appetitu sensitivo concupiscibili, atque exinde derivatur in partes obscœnas per motum spirituum generationi deservien-

vientium. Ut tamen totum hoc magis capiatur, Nota II. delectationem veneream sensibilem hoc ordine contingere. *Inprimis* voluntas consentit, ut intellectus cogitet de illo objecto venereo, id est, de objecto ad profusionem seminis, & exinde ad generationem ex se alliciente; ubi incidentaliter adverte, quod objectum venereum dicatur propter Venerem, quæ apud Ethnicos credebatur Dea generationis. *Secundo*, postquam hoc objectum venereum e. g. copula repræsentatur ab intellectu tanquam ens delectabile voluntati, ea sibi complacet spiritualiter, supposito, quod voluntas in hoc objectum intentionaliter præsens feratur, quatenus est sibi propositum ut delectabile, vocaturque illa complacentia rationalis, seu spiritualis. *Tertio*, species sensibiles hujus delectationis, seu objecti qua delectabilis transferuntur ad phantasiam. *Quarto*, exinde nascitur naturaliter complacentia in appetitu sensitivo, & subsequitur naturaliter delectabilis sensatio in partibus obscœnis ex commotione seminis, & spirituum genitalium, diciturque delectatio sensibilis venerea. *Quinto*, demum hanc sensibilem delectationem carnalem denuo ab intellectu voluntati propositam eamdem approbat, & acceptat, ex quo *Sexto* sæpius, maxime si vehemens sit, aut longior, sequitur profusio seminis, extra, vel pro diversitate sexus intra vas generationi deserviens. His prænotatis, *

Additio III.

* Dubitatur. Num viduis de actu conjugali præterito; & sponsis de futuro recogitando liceat deliberate delectari absque gravi peccato? Ratio dubitandi, & negativam tenendi est; quia etiam tales cogitationes, & subsequentes exinde delectationes ex se ob sympathiam ad invicem natæ sunt, de præsenti excitare spiritus genitales, ac causare delectationem sensitivam, ac veneream in partibus inhonestis, sicque inchoatam aliquam seminationem eo ferme modo, quo *Tract.* 9. *dist.* 7. post *n.* 18. *Addit. II.* diximus de personis solutis, adeoque omnibus illis, quibus de præsenti illicita est seminatio in vase a natura ordinato, etiam erit illicita talis delectatio utpote inchoata copula.

Nec dicatur, talibus sponsis de futuro licere sibi repræsentare, ac desiderare Matrimonium, ac viduis optare, ut Matrimonium pristinum adhuc actu perduraret, sicque eo ipso hisce etiam licere sibi repræsentare, ac desiderare actum conjugalem utpote effectum Matrimonii: ergo pariter licebit de eodem actu conjugali delectari; utique enim possum licite delectari de aliqua re ut objective præsenti, cujus executionem possum licite desiderare, & optare? Nam contra inprimis est, quod desiderium sit circa rem absentem, delectatio autem circa præsentem objective, magis autem alliciat appetitum concupiscibilem, & carnalem delectabile ut præsens amatum, quam desideratum ut absens, nisi forsan desiderium de absenti realiter sit valde intensum, cui conjuncta sit magna voluptas, eo quod talis res sit intentionaliter, & objective præsens. Contra secundo est, quod cogitatio de Matrimonio non ita alliciat ex se ad profusionem seminis, sicut cogitatio practica (& non dumtaxat speculativa) ac subsequens delectatio actus conjugalis: Matrimonium enim ex se est mutua traditio corporis per mutuum ad invicem consensum, adeoque ejus repræsentatio ex se non sic movet appetitum concupiscibilem.

Agnosco, fundamenta hæc sat's solide probare, quod similibus non liceat delectari de copula quondam licite habita, vel habenda: cum tales delectationes videantur in actu exercito inchoata copula de tempore præsenti, quo ipsis eadem non licet. Nihilominus tamen Pater Sporer *part. seu tract.* 1. *in Decalog. cap.* 6. *sect.* 4. *n.* 41. & 42. facit distinctionem inter delectationem rationalem, & sensibilem veneream, quæ oritur in appetitu sensitivo, atque exinde derivatur ad partes obscœnas. Priorem delectationem admittit sponsis, & viduis licitam, cum ex una parte ab intellectu proponatur intentionaliter copula in iis circumstantiis, in quibus est aut fuit licita; ex altera autem non videatur adesse periculum adeo proximum seminationis, si conatus interveniat ulteriorem delectationem cohibendi, prout fieri posse docet la Croix *lib.* 5. *num.* 97. *prope finem*, & *Lib.* 6. *part.* 3. *num.* 305. Alteram vero delectationem sensibilem veneream omnino prohibet, utpote ex natura sua proximius accedentem ad periculum seminationis, & copulæ, quæ his non licet, sicuti actualibus conjugibus. Fateor tamen, hanc responsionem non carere sua adhuc difficultate ob sympathiam naturalem ad invicem, hinc talibus omnis cogitatio practica deliberate voluntaria de actu conjugali, ut objective præsente, omnino est dissuadenda, utpote valde periculosa &c. Et certe, quando rem hanc intimius perpendere volumus, si id licitum existat viduis ac sponsis, videretur pariter licitum alicui omnino soluto sibi repræsentare, & deliberate appetitu rationali delectari de actu conjugali, quem ad invicem exercent duo conjuges, dummodo talis solutus non ipsemet desideret pro nunc exercere similem actum. Hoc tamen utique est prohibitum soluto, etsi enim actus iste conjugalis in iis circumstantiis, in quibus eumdem sibi dictus solutus proponit, sit licitus ipsis conjugibus: non tamen repræsentatio deliberata, ac practica hujus actus cum delectatione rationali est pro nunc licita huic soluto, utpote ex se directe & immediate ordinata ad excitationem spirituum genitalium, ac seminis, sicque ad copulam, quæ pro nunc soluto non licet. *

QUÆSTIO VII.

De Divortio.

SUMMARIUM.

91 *Divortium, quid?*
92 *Divortium dupliciter.*
(n) Quæst. 5. per totum.
93 *Divortium quoad thorum, & cohabitationem potest fieri.*
94 *Idque generatim ex sex causis.*
95 *Differentia inter adulterium & alias causas respectu Divortii.*
96 *Divortium fit. I. Mutuo consensu.*
97 *II Ob spiritualem fornicationem alterius conjugum.*
98 *III. Ob grave periculum spirituale, sive incitationem ad peccatum.*
99 *Et varia hujus exempla.*
100 *IV. Ob sævitiam Conjugis.*
* *Ubi de Verberatione.*
101 *V. Votum ultramarinum ad liberandam Terram Sanctam.*
102 *Quam causam alii hoc loco ponant?*
103 *VI. Fornicatio alterius Conjugis.*
104 *Per fornicationem, quid hoc loco intelligatur?*
105 *An innocens possit ab adultero Conjuge propria auctoritate se separare?*
106 *An se separans sit alteri restituenda?*
107 *Casus, in quibus non licet dimittere uxorem ratione adulterii.*
108 *I. Quando adulterium est materiale solum.*
109 *II. Si vir uxori fuit causa adulterii.*
110 *III. Si hoc ab utroque committitur.*
111 *Ampliatur istud.*
* *Quid sentiendum, si unius adulterium adhuc sit occultum?*
112 *IV. Quando injuria est remissa adultero.*
113 *Quomodo fiat isthæc remissio?*
* *Facto Divortio, quonam, & cujus expensis Proles sit educanda?*

91 Divortium, quantum ad propositum, est legitima separatio viri ab uxore, manente adhuc vinculo

in conjugali. Et dicitur, *legitima separatio*, quia sine lege, & legitima ratione fieri non potest, cum vi ipsius Matrimonii, cujus vinculum est indissolubile, teneantur conjuges ad individuam vitæ societatem mutuo retinendam. Et additur, *manente vinculo conjugali*, ad excludendam aliam Divortii acceptionem: siquidem

92 Divortium generatim accipitur dupliciter. I. Pro separatione conjugum dissoluto eorum Matrimonio quoad vinculum: quo modo sæpius illud sumitur in Jure Civili, & an fieri possit, superius (n) dictum est. II. Pro separatione conjugum quoad thorum dumtaxat, vel etiam quoad cohabitationem. Quoad thorum quidem, sive debitum conjugale, juste illud alteri conjugi denegando: quoad cohabitationem vero, quatenus remanente vinculo Matrimonii non tenentur amplius conjuges simul cohabitare in eadem mensa, thoro, & lecto. Et de hoc loquendo, sit

93 CONCL. I. Certum est, Divortium quoad thorum, & cohabitationem ex legitima causa quandoque fieri posse. Patet hoc ex perpetua praxi Ecclesiæ; fuitque novissime definitum in Concilio Trid. *Sess.* 24. *can.* 8. his verbis: *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter Conjuges, quoad thorum, seu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse decernit: anathema sit.*

94 CONCL. II. Sex generatim sunt causæ, ob quas licitum est ejusmodi Divortium inter conjuges Christianos. I. Mutuus contrahentium consensus. II. Fornicatio spiritualis, seu lapsus in hæresin, aut gentilismum. III. Incitatio ad peccatum; seu grave periculum salutis spiritualis. IV. Sævitia conjugis, aut aliud grave periculum salutis temporalis. V. Votum ultramarinum. VI. Adulterium, sive fornicatio carnalis voluntaria, & culpabilis alterius conjugum.

95 Nec obstat, quod Christus *Matth.* 29. non nisi fornicationem, ob quam liceat dimittere uxorem, assignaverit. Resp. enim cum Engel *tit. de Divortiis*, *n.* 10. *&* 11. ac aliis, id ex eo accidere; quia propter solam fornicationem carnalem, sive adulterium licet dimittere uxorem in perpetuum, ac etiam nolentem & invitam: aliæ vero causæ hic enumeratæ ex sua natura non sunt perpetuæ (hinc enim cessante hæresi, sævitia conjugis, aut incitatione ad peccatum, tenetur separata redire ad conjugem, estque eidem restituenda, non autem cessante adulterio) vel saltem requirunt mutuum utriusque conjugis consensum, prout fit in prima causa Divortii. Itaque

96 I. Divortium, seu separatio conjugum potest fieri mutuo consensu: ut si juxta monitum D. Apostoli 1. *Corinth.* 7. ad tempus sese separent conjuges, ut *vacent orationi*; vel si uterque mutuo consensu voveat perpetuam Castitatem, aut alteruter cum consensu compartis ad Religionem transeat *arg. c. Cum sis, & seqq. De Convers. Conjugat.* vel ob paritatem rationis, si maritus cum consensu uxoris sacros Ordines recipiat; ubi tamen in utroque casu etiam compars, quando juvenis est, Religionem aliquam ingredi debebit, vel si senex, nec de incontinentia suspecta, in sæculo Votum perpetuæ Castitatis emittere. Item Divortium mutuo consensu fieri poterit ex alia honesta causa v. g. ne proles multiplicentur ultra suas facultates &c. quamdiu periculum incontinentiæ alteri conjugi non imminet.

97 II. Divortium, seu dicta separatio fieri potest, si alter conjugum spiritualiter fornicatus fuerit; nempe si labatur in hæresim, aut gentilismum. Verumtamen, si talis ab errore sese revocaverit, tenetur conjux in fide stabilis ad alterum reverti, si propria auctoritate, ac sine judicio Ecclesiæ ab ipso recessit. *c. De illa.* & *c. Quanto*, *§. fin. De Divortiis.* Quod si vero conjux judicio Ecclesiæ fuit separata, non compellitur redire, sed potest Religionem ingredi *cit. c. De illa. Eod.* juncto *c. ult. De Convers. Conjugat.* Si vero Religionem ingredi noluerit, etiam hæc redire compellitur; ut notat Glossa *cit. c. Quanto.* ℣. *Redire cogatur.*

98 III. Divortium fit propter grave periculum salutis spiritualis, seu propter incitationem ad peccatum mortale: ut si alter conjugum provocet alterum ad gravia crimina, & admonitus non desistat a provocatione *arg. c. Quæsivit. de Divort.* ibi: *Verum, si Conjugem suam ad Infidelitatis maleficium traxerit, a viro poterit separari, ita quod ei nubere alii non licebit.* Concordat illud Salvatoris *Matth.* 5. *Si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam, & projice abs te &c.*

99 Hinc, ut exemplificat Tannerus *tom.* 4. *disp.* 8. *quæst.* 5. *num.* 84. datur locus Divortio, si conjux inducat alterum in hæresin, apostasiam, peccatum sodomiæ, veneficium, aut alia peccata mortalia: item si vir latro inducat uxorem, ut res furtivas, aut socios fures receptet, nec possit illa scelus detegere &c. Quamdiu enim tale periculum durat, non tenetur conjux innocens cum altero permanere, sed potest ab ipso discedere, ut evitet tam grave periculum salutis spiritualis.

100 IV. Divortium potest fieri ob sævitiam conjugis. Et quidem, si tanta sit sævitia, ut altera pars absque periculo gravis damni corporalis non possit sævienti cohabitare, poterit conjux propria auctoritate ab altero divertere. Sanchez *lib.* 10. *disp.* 12. Et divertens non debet alteri petenti restitui, donec conjux sæviens sufficientem securitatis cautionem præstet; prout habetur *c. Litteras*, & *c. Ex transmissa. De Restit. spoliat.* & *c.* 1. *Ut lite non contestata.* Quamvis enim ceteroquin spoliatus ante omnia sit restituendus, fallit tamen hoc, si conjux divertens opponat, simulque in continenti probet adeo gravem sævitiam alterius, donec sufficiens securitatis cautio sibi præstetur, *per textus citatos.*

Additio.

* Porro propter modicam verberationem etiam sine justa causa factam altera compars non illico inferre debet sævitiam conjugis sufficientem ad separationem. Quinimo, quamvis fuerit verberatio gravis, non illico potest institui divortium, si verberatio ex insolita ira, vel perturbatione processit, nec prudens periculum inducat exercendi eamdem etiam in futurum. Videatur de hoc (uti & de aliis circa materiam matrimonialem) fusius, & exactius Reiffenstuel in *lib.* 4. *Decret, tit.* 19. *n.* 37. *ac seqq.* *

101 V. Votum ultramarinum ad liberandam Terram Sanctam, etiam invita uxore, vir emittere, atque implere potest, prout ob tantam populi Christiani necessitatem, atque subsidium Terræ Sanctæ decisum habetur *cap. Ex multa*, *§. In tanta. De Voto.* Unde in præmisso casu datur Divortium ad tempus, donec scilicet vir redeat; ac proinde inter causas Divortii recte numeratur.

102 Fatendum quidem, plures Doctores aliam hoc quinto loco ponere causam Divortii, nempe vel morbum contagiosum, vel veneficium conjugis: siquidem venefici etiam conjunctissimis sæpe nocent, utpote qui dæmonis consilio pessima agunt. Verum, quia hæc duo ad quartam causam, nempe *ad sævitiam Conjugis, vel aliud grave periculum salutis corporalis*, commode reducuntur, hinc melius cum Vallensi §. 2. *tit. de Divortiis*, ponitur hoc quinto loco Votum ultramarinum.

103 VI. Divortium est licitum, & quidem Jure Divino, atque in perpetuum (nam priores regulariter sunt solum causæ Divortii ad tempus, nempe quamdiu dictæ causæ durant, ut dictum *n.* 95. *& seqq.*) si alter conjugum commiserit fornicationem carnalem. Hoc quippe Christus Dominus concessit *Matth. c.* 19. *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem.* Concordat *c. Significasti*, & *c. Ex litteris. De Divortiis.* Accedit illud vulgatum: *Frangenti fidem, fides frangatur eidem.*

104 Porro nomine *fornicationis* hoc loco intelligitur non solum adulterium, sed etiam sodomia, ipsaque bestialitas. Secus dicendum de tactibus impudicis, voluntate fornicandi, aut peccato mollitiei: quia per hæc, licet ceteroquin gravia peccata, non perfecte & consummate

læditur jus Matrimonii; cum non dividatur caro unius conjugis ab altero per concubitum in tertium. Sanchez *lib.* 10. *de Matr. disp.* 4. Layman, & alii.

105 Et nota, quod innocens conjux, cognita ejusmodi fornicatione alterius, possit etiam propria auctoritate se a nocente separare quoad thorum, quoad cohabitationem vero solum post sententiam Judicis, nisi fornicatio fuerit omnino publica, & notoria. Ratio est: quia separatio quoad cohabitationem est res publica, & quæ scandalo esse potest: ideoque nonnisi judicio Ecclesiæ fieri debet. *arg. c. Porro. De Divortiis.*

106 Additur tamen, *nisi fornicatio fuerit omnino publica.* Nam tunc non esset necesse, expectare sententiam Judicis *arg. c. Significasti. Eod.* Alioquin vero, si fornicatio, sive adulterium sit occultum, & innocens pars propria auctoritate divertat ab alio quoad cohabitationem, mox ipsa alteri petenti erit restituenda *cit. c. Significasti. Eod.* & *c. Ex transmissa. De Restitut. spoliat.* donec probaverit adulterium alterius conjugis.

107 Quæres. Utrum dentur aliqui casus, in quibus non liceat dimittere uxorem ratione adulterii? Resp. cum communi, plures dari ejusmodi casus, & sunt sequentes.

108 Primus est, quando adulterium est tantum materiale, sive sine culpa sua commissum: veluti si mulier, vim passa sit, *arg. c. Ita ne,* & *c. Proposito, 32. q. 5.* vel si quis fraudulenter sub specie mariti aliquam cognoverit *cap. In lectum,* 34. *quæst.* 1. & 2. quia, ubi non est culpa, nec pœna esse debet.

109 Secundus. Si vir fuit uxori causa adulterii: veluti si eam prostituat, vel adulterium consulat, aut in illud consentiat, *arg. c. Discretionem. De eo, qui cognovit consanguin.* ibi: *Cum vir adulterium ei non possit objicere, qui eam adulterandam tradidit.*

110 Tertius casus est, quando adulterium ab utroque conjuge fuit commissum, *arg. c. Significasti. De Divort.* & alibi. *Cum matrimonii jus in utroque læsum consistat, & paria delicta mutua compensatione tollantur,* ut dicitur *c. Intelleximus. De Adulteriis.*

111 Et hoc procedit, etiamsi unus conjux prius commisisset adulterium, ac proinde auctoritate Judicis lata sit sententia Divortii: nam, si postmodum etiam alter fornicetur, restituitur; prout desumitur ex cit. locis, ac fusius probat Glossa *in cap. ult.* ℣. *Fornicationis, de Adulteriis.* Idem dicendum, quamvis adulteria numero & gravitate sint imparia, ut si unus semel cum soluta, & alter decies cum ligata peccasset: adhuc enim jus Matrimonii in utroque læsum existit, & sic neuter ab altero divertere potest; cum paria delicta mutua compensatione tollantur.

Additio.

* Dubium circa ultima dicta *de mutua compensatione* moveri adhuc posset, utrum eadem procedant, si unius adulterium sit publicum, alterius autem contheralis occultum? Ad hoc respondet præsens Auctor in Jure Canonico *Lib.* 4. *Decret. Tit.* 19. *num.* 83. & *seqq.* pro foro interno affirmative; quia nimirum coram Deo etiam talis reus est, uti alter (etsi coram hominibus ignoretur) sicque nequit in foro conscientiæ alterum reum per Divortium repellere; *etenim non videtur, quod pari crimine infectus alium de eodem punire possit,* uti innuit Jus Canonicum *caus.* 32. *quæst.* 6. *statim in principio,* & *ibidem can.* 3. *iniquum est, ut quisque de alio judicare velit, & judicari de se nolit.* Ceterum reus adulterii occulti non tenetur equidem illud crimen patefacere, sed potest simulare, quod publice nocenti velit injuriam sibi illatam condonare; vel, si ob publicum scandalum oporteret dimittere publice nocentem, deberet brevi iterum recipere, simulando condonationem: uti recte Reiffenstuel *loc. cit. num.* 84. *

112 Quartus casus est, quando injuria ab innocente jam fuit adultero remissa: tunc enim nequit amplius ab eo recedere, cum jam cesserit juri suo. Siquidem *qui juri suo semel renunciat, illud repetere non potest, c. Quam periculosum,* 7. *quæst.* 1. juncta Glossa *ibidem.*

113 Ceterum hujusmodi remissio dupliciter fit. I. Expresse, ut quando expressis verbis innocens condonat alteri injuriam. II. Tacite, quando nempe conjux innocens, post cognitum adulterium alterius, actum conjugalem cum eo habuit *arg. l. Crimen adulterii. C. Ad Leg. Juliam de Adulteriis,* ibi: *Crimen adulterii maritum retenta in matrimonio uxore inferre non posse, nemini dubium est.* Sanchez *lib.* 10. *de Matr. disp.* 14 *num.* 6. qui plura de his, aliisque Divortium concernentibus toto illo Libro fusissime tractat.

Additio.

* Quæres. A quonam, & cujus expensis debeat, facto Divortio, educari proles antecedenter ex legitimo Matrimonio suscepta? Respondeo breviter, 1. Si Divortium fuerit factum citra culpam alterius utrius (puta mutuo consensu) tunc, secluso speciali pacto, cui antea competebat educatio, etiam competit facto Divortio cum iisdem expensis; quia non urget ratio, cur debeat circa hoc fieri immutatio. Resp. 2. Si interveniat ex parte unius culpabilis causa Divortii, educatio prolis regulariter competit innocenti, NB. expensis tamen nocentis, si fuerint sufficientes. Ita satis clare colligitur ex *Authentica. Pater, C. Divortio facto.* Dixi *regulariter:* nam si pars, quantum ad Divortium innocens, fuerit ceteroquin infidelis, vel hæreticus, vel alias inhabilis ad educationem, haud dubie jus educandi prætendere nequiret. *

DISTINCTIO XIV.

De Impedimentis Matrimonii.

QUÆSTIO I.

A quo possint statui Impedimenta Matrimonii?

SUMMARIUM.

1 *Impedimenta Matrimonii alia impedientia, alia dirimentia.*
2 *Datur in Ecclesia potestas, eadem constituendi.*
3 *Cui eadem potestas competat?*
4 *An etiam Episcopis.*
5 *Princeps sæcularis, an possit statuere impedimenta dirimentia Matrimonii pro subditis fidelibus?*
6 *Et cur non?*
7 *Quid respectu subditorum infidelium?*

1 Impedimenta Matrimonii generatim sunt illa, quæ obstant, seu impediunt, ne Matrimonium rite celebretur. Horum duo sunt genera, alia mere impedientia, alia dirimentia. *Impedimenta mere impedientia* dicuntur illa, quæ quidem Matrimonium cum ipsis contractum non reddunt irritum ac nullum, prohibent tamen contrahendum. Unde stante tali impedimento Matrimonium licite, & absque peccato non potest contrahi, bene tamen valide. *Impedimenta dirimentia* sunt quæ non solum obstant, ne licite contrahatur Matrimonium, sed etiam, ne valide: atque ideo Matrimonium cum hujusmodi impedimento contractum est omnino nullum, ac irritum.

2 CONCL. I. Datur in Ecclesia Dei potestas constituendi impedimenta, sive impedientia, sive etiam dirimentia Matrimonii. Ita omnes Catholici; estque definitum novissime in Concilio Tridentino *Sess.* 24. *can.* 4. ibi: *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse: anathema sit.* Idem patet ex perpetua praxi, ac usu Ecclesiæ: quamvis ad hoc, ut Ecclesia statuat novum impedimentum Matrimonii, requiratur gravis & justa causa, qualis jam reperitur in omnibus iis, quæ de facto sunt constituta.

3 CONCL. II. Hæc potestas statuendi impedimenta Matrimonii convenit non solum legitimo Concilio Generali, quod Ecclesiam universam in suis Capitibus congregatam repræsentat, sed etiam Summo Pontifici, utpote qui est Caput visibile totius Ecclesiæ militantis, habetque ex speciali privilegio Christi potestatem ligandi, atque solvendi super terram. *Matt. 16.*

4 CONCL. III. Episcopi non possunt defacto in suis Dioecesibus statuere impedimenta dirimentia Matrimonii. Ita Santhez *lib. 7. de Matrim. disp. 1. num. 9.* cum aliis. Patet id ex generali Ecclesiæ consuetudine, qua hæc potestas Summo Pontifici est reservata.

5 CONCL. IV. Defacto nullus Princeps sæcularis fidelis potest suis subditis fidelibus ejusmodi impedimenta Matrimonii statuere. Ita certa, & communis. Ratio est: quia, quamvis id posset Princeps sæcularis facere respectu suorum subditorum, quantum est ex vi sui officii: defacto tamen hanc potestatem, utpote materiam spiritualem Sacramentorum concernentem, Ecclesia & Papa sibi reservavit. Quinimo Concil. Trident. *Sess. 24. can. 12.* generaliter definivit, causas matrimoniales (ad quas utique pertinent impedimenta Matrimonii, eorumque constitutio) spectare ad forum Ecclesiæ, his verbis: *Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos: anathema sit.*

6 Porro hæc reservatio satis congruenter, & rationabiliter est facta per Ecclesiam, eo quod contractus matrimonialis Fidelium sit a Christo elevatus ad esse supernaturale Sacramenti; ac proinde dedeceat, ut tanti Sacramenti dispositio, ac judicium circa illud ad Principes sæculares pertineat. Hi siquidem non receperunt a Christo potestatem Ecclesiasticam, ac spiritualem circa Sacramenta, aliasque res Ecclesiasticas, sed solus Petrus, ejusque legitimi Successores, juxta illud *Matt. 16. Et tibi dabo claves regni cœlorum, & Joan. 21. Pasce oves meas.*

7 Dicitur notanter in Conclusione, *nullus Princeps sæcularis fidelis potest suis subditis fidelibus*: quia certum est, & communiter a Doctoribus concessum, posse defacto Principes sæculares statuere impedimenta Matrimonii respectu subditorum infidelium v. g. Judæorum in eorum ditionibus commorantium. Ratio est: quia reservatio Pontificis non est respectu Infidelium, cum hi sint extra Ecclesiam: simulque respectu horum cessat ratio reservationis, cum Matrimonia Infidelium non sint Sacramentum, sed legitimus duntaxat contractus.

QUÆSTIO II.

Quæ sint Impedimenta mere impedientia Matrimonium?

SUMMARIUM.

8 *Impedimenta mere impedientia Matrimonii de Jure antiquo, quæ?*
9 *Catechismus, quid?*
Non amplius viget hoc impedimentum.
10 *Crimina, quæ olim impediebant Matrimonium contrahendum?*
11 *Et non amplius impediunt.*
Quæ impedimenta mere impedientia nunc sint in usu?
12 *I. Tempus sacratum, & quale hoc sit?*
An tunc liceat contrahere absque solemnitatibus?
(*a*) Dist. 13. num. 2.
13 *II. Ecclesiæ vetitum, & quod?*
14 *III. Sponsalia.*
15 *IV. Votum, & quale?*
16 *Votum solemne est impedimentum dirimens.*
17 *Contrahens cum voto simplici Castitatis, an peccet, ac petere possit debitum?*
18 *Quid, si cum ipso dispensetur?*
(*b*) De hoc Tract. 6. Dist. 3. n. 48.
19 *An peccet reddendo?*
20 *Præsertim prima vice?*
21 *Quid de vovente non nubere, vel SS. Ordines suscipere? Aut ingredi Religionem?*

8 IMpedimenta Matrimonii non dirimentia, sed mere impedientia spectato Jure antiquo plura fuerunt, sequentibus versiculis communiter comprehensa:

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque Catechismus, Crimen, Sponsalia, Votum,
Impediunt fieri, permittunt juncta teneri.

9 Per *Catechismum* intelligitur cognatio quædam spiritualis imperfecta, olim ex eo orta, quod, quamvis quis prolem jam privatim baptizatam de sacro Fonte non levarit, tamen Catechismo per quasdam interrogationes Sacerdotis baptizantis, ac responsiones Patrini fieri solito, & aliis consuetis solemnis Baptismi cæremoniis singulariter assistebat. Verum hujusmodi Impedimentum, quondam inter certas personas impediens Matrimonium contrahendum, sed non dirimens contractum [*arg. c. Contracto. De Cognat. spirit. & c. Per Cathechismum. Eod. in 6.*] non amplius viget, sed fuit sublatum per Concilium Trident. *Sess. 24. cap. 2. de Reform. Matr.* ac notat Sanchez *lib. 7. De Matr. disp. 1. num. 12.* citans communem.

10 Ceterum per ly *Crimen* intelliguntur varia crimina, quorum auctoribus de Jure Canonico antiquitus in pœnam commissi sceleris injunctum fuit, ut absque spe Matrimonii remanerent; sicque crimina illa erant impedimenta impedientia Matrimonii, Et hæc a Glossa *cap. 2. De Pœnit. & remission.* comprehenduntur illis vulgatis versiculis:

Incestus: Raptus sponsatæ: Mors mulieris:
Susceptus propriæ prolis: Mors Presbyteralis:
Vel si pœniteat solemniter: aut monialem
Accipiat: prohibent hæc conjugium sociandum.

11 Nunc tamen hæc criminum impedimenta per consuetudinem contrariam, & longævam videntur sublata, nec amplius esse in usu: unde, cum & impedimentum Cathechismi ulterius non subsistat, omnia impedimenta moderno adhuc tempore impedientia Matrimonium, apte hoc unico versiculo concluduntur.

Sacratum Tempus, Vetitum, Sponsalia, Votum,

12 Primum igitur impedimentum mere impediens Matrimonii, est *Tempus sacratum*, seu *feriatum*; quale juxta antiquos Canones longius erat, sed juxta Jus novum, & præscriptum Concilii Trident. *Sess. 24. cap. 10. De Reform. Matrim.* est ab Adventu usque ad diem Epiphaniæ, & a Feria quarta Cinerum usque in octavam Paschatis inclusive. Verumtamen sciendum, hoc præcepto solum prohiberi solemnitates nuptiarum; id est, solemnem earum Benedictionem, item & solemnem traductionem sponsæ in domum sponsi, qualis fieri solet per convivia, & alia vanæ lætitiæ signa. Porro dictarum Feriarum tempore licitum esse Matrimonium contrahere coram Parocho, ac testibus absque prædictis solemnitatibus, superius (*a*) jam dictum est, & latius probat Sanchez *lib. 7. disp. 7.* citans alios. Ubi tamen adhuc subjungit Gobat, in pluribus Germaniæ Dioecesibus loquendo de licititate, etiam non solemnes nuptias tempore hoc sacro esse interdictas, nisi Episcopus dispenset, aut nisi necessitas urgeat, v. g. in articulo mortis ad legitimandam prolem extra Matrimonium genitam, uti hic Auctor superaddit *Lib. 4. Decret. Tit. 16. num. 13.*

13 Secundum impedimentum Matrimonii mere impediens est *Ecclesiæ vetitum*. Et per hoc intelligitur generalis, vel particularis prohibitio Ecclesiæ, aut Episcopi, vel Parochi Matrimonium prohibentis, facta ex justa & rationabili causa, v. g. ut non contrahatur Matrimonium ante præmissas trinas denunciationes, vel ut certæ personæ non contrahant, donec constet, nullum inter eas intercedere impedimentum; aut si prohibetur contrahi Matrimonium tali die, ob alicujus Festi venerationem, vel hujusmodi. Vide *Lib. 4. Decret. Tit. 16.*

14 Tertium impedimentum mere impediens Matrimonium contrahendum, sunt *Sponsalia* prius cum alia persona valide contracta. Qui enim sponsalia cum aliqua persona valide contraxit, tenetur sub mortali (nisi justa causa subsit dissolvendi sponsalia) eamdem ducere: quamvis, si aliam ducat, ipsum Matrimonium sic contractum sit validum. Sed de Sponsalibus plura *quæst. seq.*

25 Quartum impedimentum mere impediens est *Votum*. Porro nomine voti in proposito intelligitur Votum simplex Castitatis, item Votum simplex ingrediendæ Religionis, assumendi Ordinem sacrum, non ineundi conjugium, item & Juramentum de his rebus factum. Ratio est: quia hujusmodi Vota simplicia, vel Juramento sunt observanda; unde, quia directe adversantur statui Matrimonii, id impediunt contrahendum, non tamen dirimunt contractum, cum hoc nullo Jure expressum reperiatur. Hinc cum tali Voto simplici valide quidem contrahitur Matrimonium, sed non licite.

16 Notanter additur *Votum simplex*. Siquidem Votum solemne Castitatis, id est, illud, quod solemnizatur per susceptionem Ordinis sacri, aut Professionem cujuspiam Religionis ab Ecclesia approbatæ, est impedimentum dirimens Matrimonii, uti dicetur inferius *Quæstione. IV. §. VII.*

17 Quæres I. An cum Voto simplici Castitatis contrahens Matrimonium possit petere, vel reddere debitum conjugale? Resp. I. Qui Voto simplici Castitatis perpetuæ obstrictus (idem de tali Juramento) Matrimonium contrahit, non solum peccat mortaliter contrahendo cum intentione illud consummandi, sed etiam privatus existit jure petendi debitum, adeo quidem, ut toties peccet mortaliter agendo contra suum Votum, quoties illud petit, donec cum eo legitime dispensatum fuerit. Ita Scotus 4. *dist.* 38. §. *Consimiliter.* Sanchez *lib.* 9. *disp.* 33. *num.* 5. & alii. Ratio est; quia talis agit contra Votum, tum contrahendo cum dicta intentione consummandi (secus, si antea velit ingredi Religionem) tum petendo; cum propter Votum teneatur abstinere ab omni actu venereo, neque ad petendum debitum astringatur ullo vinculo fortiori, imo per Votum sponte renunciaverit juri petendi.

18 Additur vero, *donec cum eo legitime dispensatum fuerit* sive a Summo Pontifice, vel ex ejusdem commissione a Sac. Pœnitentiaria, aut Episcopo, vel Confessario habente ad hoc specialem facultatem. (*b*) Nam tunc secus erit dicendum & licite talis poterit petere debitum.

19 Resp. II. Nihilominus Voto simplici Castitatis astrictus post contractum, simulque consummatum Matrimonium licite potest, imo & tenetur alteri conjugi petenti reddere debitum. Ita communis. Ratio est: quia ad hoc est obligatus vinculo majori: majus siquidem vinculum est obligatio Matrimonii, per quod fit traditio corporum, quam Voti simplicis, quod meram promissionem importat: simulque per Votum non potuit quis juri alterius præjudicare.

20 Dicitur notanter, *simulque consummatum.* Utrum enim talis peccet prima vice reddendo debitum, variant Doctores, atque melius respondetur sub distinctione. Et quidem loquendo de primo bimestri, dicendum, talem peccare reddendo pro prima vice: quia, cum tunc non sit astrictus ad reddendum debitum conjugale, imo possit adhuc Religionem ingredi, absque urgente causa ageret contra Votum Continentiæ. Verum elapso dicto bimestri negat Sanchez *loc. cit. disp.* 34. *n.* 3. talem peccare pro prima vice reddendo: quia tunc jam urget obligatio reddendi.

21 Resp. III. Qui solummodo vovit non nubere, etsi peccarit nubendo, tamen post Matrimonium contractum non prohibetur debitum petere, vel reddere: cum ad hoc non se extenderit suum Votum. Et hoc idem dicendum de Voto suscipiendi Sacros Ordines. Qui vero vovit ingredi Religionem, manet quidem obligatus usque ad consummationem Matrimonii, neque potest sub mortali illud consummare, sive petendo, sive reddendo (alioquin enim faceret sibi Votum suum observatu impossibile, cujus observandi liberam antea potestatem habuerat) posita tamen semel consummatione ipsius Matrimonii, licet culpabili, potest exinde & reddere, & petere debitum, donec vel conjuge moriente, vel consentiente, aut adulterante possit Religionem libere ingredi, sicque suum Votum adimplere. Herincx *disp.* 6. *De Matr. n.* 17. & alii.

QUÆSTIO III.

De Sponsalibus, eorumque Obligatione, & Dissolutione.

SUMMARIUM.

22 *Sponsalia, unde sic dicta?*
Sumuntur improprie, & proprie, quomodo?
23 *Sponsalia, quid?*
24 *Declaratur eorum definitio.*
25 *Quid de promissione Matrimonii non mutua?*
26 *Quatuor conditiones Sponsaliorum, ex quibus tres sunt sequentes. I. Promissio vera, non ficta. II. Promissio mutua. III. Habilitas promittentium.*
27 *Habens votum simplex Castitatis, vel Sponsalia priora, an valide contrahat Sponsalia? cum Addit.*
28 *Quid de habente impedimentum temporale?*
29 *Conditio IV. Sponsaliorum est, ut hæc mutua promissio verbis, vel signis externis exprimatur.*
(*c*) Juxta dicta Tract. 8. Dist. 1. num. 6. 7. & 13.
* *Quidnam statuendum, si hæc verba sint dubia?*
30 *An ad valorem Sponsaliorum requiratur præsentia Parochi, & testium?*
31 *Disparitas inter Matrimonium clandestinum, & Sponsalia.*
* *Specialia de Sponsalibus conditionatis Addit. I. & II.*

22 Ordiendo a nominis ethymologia, dicuntur *Sponsalia a spondendo: nam moris fuit veteribus stipulari, & spondere sibi uxores futuras: unde & Sponsi, Sponsæque appellatio nata est,* uti notatur *L.* 2. & 3. *ff. De Sponsalibus.* Porro hæc vox *Sponsalia*, nonnumquam sumitur pro Matrimonio rato nondum consummato, vel potius pro ipso contractu matrimoniali: verum hæc acceptio est dumtaxat impropria, atque ad evitandam terminorum æquivocationem addi solet ly *Sponsalia de præsenti.* Igitur proprie loquendo Sponsalia significant sponsionem, sive promissionem Matrimonii de futuro ineundi: & in hoc sensu de Sponsalibus loquendo, Sit

23 CONCL. I. *Sponsalia futurarum sunt nuptiarum promissa.* Ita habetur *c. Nostrates.* 30. *q.* 5. & concordat textus *L.* 1. *ff. De sponsal*, ibi: *Sponsalia sunt mentio, & repromissio nuptiarum futurarum.* Vel clarius sic definiri poterunt: *Sponsalia* sunt futurarum nuptiarum mutua promissio, inter personas ad contrahendum habiles externis signis sufficienter expressa.

24 Dicitur, *futurarum nuptiarum*, tum ad excludenda Sponsalia de præsenti, tum ad promissiones aliarum rerum. Et additur *mutua promissio* &c. Nam Sponsalia sunt contractus aliquis onerosus, ultro citroque obligationem inducens, sicque requirit mutuam hinc inde promissionem ineundi Matrimonii.

25 Unde, si promissio Matrimonii ab una persona fieret alteri mere gratuita, & sine conditione repromissionis (ut si dives quispiam feminæ, in gravi morbo sibi fideliter servienti, pro remuneratione promittat Matrimonium, & femina promissionem non respuat, sed saltem tacendo acceptet) vir taliter promittens tenebitur quidem stare promissis, femina tamen non obligatur ipsum ducere: quia, ex quo nihil repromisit, habebit quidem virum promissorem sibi obligatum, ipsa tamen femina, si postea contrahere noluerit, non erit obligata, idque ob defectum repromissionis. Insuper hac eadem de causa talis promissio gratuita Matrimonii, non habebit vim, & effectum Sponsaliorum; ac proinde nec inde nascetur impedimentum Justitiæ publicæ honestatis. Sanchez *Lib.* 1. *de Matr. disp.* 5. cum aliis.

26 CONCL. II. Ad valorem Sponsaliorum plures requiruntur conditiones. I. Ut adsit vera promissio: nam ficta

ficta non sufficit ad contrahenda vera sponsalia, quæ post se traherent impedimentum publicæ honestatis, quamvis ficte promittens, & e. g. exinde ab altera parte obtinens usum corporis, teneatur ad ducendum, vel saltem, si femina contenta fuerit, ad resarciendum omne damnum, si quod inde evenerit. Vide dicta *Tract.* 8. *Dist.* 1. *num.* 13. & *Tract.* 9. *Dist.* 4. *num.* 26. *ac* 27. Item *Lib.* 4. *Decret. Tit.* 1. *num.* 115. Item 167. & 169. II. Ut promissio illa sit mutua ob dicta *num. præc.* Et quidem illa mutua promissio debet esse libera ea libertate, quæ requiritur ad peccatum mortale; cum exinde contrahatur obligatio gravis. III. Ut hæc fiat inter personas ad contrahendum habiles, hoc est, nullo perpetuo impedimento, sive dirimente, sive solum impediente affectas, alioquin enim Sponsalia forent nulla, & irrita, nullamque inducerent obligationem. Generaliter enim promissio rei illicitæ talis, cujus executio sine peccato fieri nequit, non valet, neque obligat, etiamsi juramento firmata foret; juxta *Reg.* 59. *Juris. in* 6. *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum.* Sanchez *lib.* 1. *disp.* 15. cum communi.

27 Hinc Sponsalia, ab habente Votum simplex perpetuæ Castitatis facta, sunt invalida, & neque obligant ad sui observantiam, neque defacto inducunt impedimentum Justitiæ publicæ honestatis. Similiter, si quis cum una persona valide contraxit Sponsalia, & postea prioribus nondum legitime dissolutis de novo contrahat Sponsalia cum alia, hæc posteriora erunt nullius roboris, neque inde consurgit impedimentum Justitiæ publicæ honestatis: licet ceteroquin teneatur huic secundæ Sponsæ, quam priora Sponsalia ignorantem, & bona fide contrahentem induxit, resarcire omne damnum, si quod exinde evenit v. g. ex conjuncta impraegnatione.

Additio.

* Atque hæc ultima doctrina (quod nimirum posteriora Sponsalia non sint alicujus roboris, & consequenter neque inde consurgat impedimentum publicæ honestatis) adeo vera est, ut procedat, quamvis ad initium ambo Sponsalia fuerint tantum conditionata, & interea in posterioribus conditio jam evenerit, in prioribus vero adhuc maneat suspensa: e. g. si Petrus dixisset ad Cajam: *ducam te, si parentes tui consentiant*, & postea ad aliam feminam Bertham: *ducam te, si obtinuero Officium honestum.* In hoc casu posteriora Sponsalia sunt invalida, quamvis Petrus actu tale Officium obtinuisset, sicque propositio posterior conditionata, purificata conditione videretur transiisse in absolutam. Quare Petrus in ordine ad priora Sponsalia teneretur adhuc exspectare (uti recte notat Holzman *Tom.* 2. *Tract.* 2. *num.* 272) usque dum parentes Cajæ resolvant, utrum in priora Sponsalia consentiant. Ratio est; quia Caja per priora Sponsalia jam obtinuit jus saltem conditionatum ad futurum Matrimonium, cui nequit præjudicari per posteriorem promissionem: unde posterior promissio foret talis, cujus executio absque peccato fieri nequit; generaliter autem non valet promissio, cujus executio sine peccato fieri nequit juxta jam dicta *n.* 26. Ceterum adhuc *

28 Additur *n.* 26. *nullo impedimento perpetuo affectas.* Nam impedimentum dumtaxat temporale non impedit valorem Sponsaliorum. Sic enim impuberes valide possunt contrahere Sponsalia quamvis pro ea ætate non possint contrahere Matrimonium. Similiter, qui vovit Castitatem ad tempus v. g. ad biennium, licet pro eo tempore non possit licite inire Matrimonium, potest tamen contrahere Sponsalia de Matrimonio post elapsum voti tempus celebrando.

29 IV. Ad Sponsalia requiritur, ut verbis, vel aliis externis signis mutua illa promissio sufficienter exprimatur. Hinc ad Sponsalia non sufficit promissio mere interna, & sola mente concepta, sed debet hæc verbis, vel aliis signis sensibilibus sufficienter exterius manifestari. Quia Sponsalia sunt contractus quidam inter homines initus, homines autem non possunt judicare de mere internis. (t)

Additio.

* Quod si verba, vel alia externa signa edita, forent in se aliquo modo dubia, utrum sufficienter exprimant contractum sponsalitium nec ne? vel si in Jure quidem haberentur pro verbis, vel signis certis, interim tamen pars taliter proferens hujus ignara, & a comparte dolose fuisset inducta, ac in Confessionali contestetur, se nullum habuisse animum per similia promittendi Matrimonium, pro foro interno & conscientiæ huic foret credendum, nec obligatio contrahendi imponenda; quin etiam talis foret absolvendus, si videns, a parte adversa contrarium sufficienter probari non posse, in Judicio externo absolute negaret, se protulisse ea verba, vel posuisse dicta signa, subintelligendo *animo promittendi Matrimonium*, in quem solum finem Judex interrogat; unde hic conformiter menti Judicis interrogantis respondet, sicque neutiquam mentitur, prout jam fusius ostensum est *Tract.* 6. *Dist.* 2. *quæst.* 3. *n.* 40. & *seqq. Addit.* Quidnam autem in simili casu pro foro externo a Judice sit statuendum, potius pertinet ad Jus Canonicum, ac latius reperies *Lib.* 4. *Decret. Tit.* 1. §. 2. & §. 3.

30 CONCL. III. Ad valorem Sponsaliorum non est necessaria præsentia Parochi, aut testium: unde Sponsalia clandestina, seu clam contracta nemine alio præsente defacto valida existunt. Ita communis: siquidem hujusmodi Sponsalia clandestina nulla Lege sunt annullata, vel irritata.

31 Nec dicas. Juxta Concilium Trident. *Sess.* 24. *De Reformat. Matr. cap.* 1. defacto non valet Matrimonium clandestinum, id est, sine Parocho, & duobus testibus celebratum; ergo neque valent Sponsalia clandestina. Negatur enim consequentia: quia Concilium Trid. *loc. cit.* ob gravissimas causas, & ad præcavenda irremediabilia mala perpetui concubinatus, & adulterii aliquorum, qui prius clandestine cum una, & postea in facie Ecclesiæ cum altera contraxerant, irritavit quidem Matrimonium clandestinum, non vero Sponsalia clandestina; utpote de quibus neque urget allata ratio, uti consideranti patet, neque ullum Concilium fecit mentionem. Negari tamen nequit, quod in particulari nonnulla Ritualia Diœcesana ob varias inconvenientias prohibeant talia sponsalia clandestina, ita, ut si non invalida, saltem sint illicita, & saltem concurrente alia causa facilius dent ansam rescindendi.

Additio I.

* Porro Sponsalia superius explicata contrahi possunt vel absolute, vel conditionate: atque hæc conditio annexa potest esse honesta, vel turpis. Item conditio turpis adjecta vel potest repugnare ipsi substantiæ Matrimonii vel non. De omnibus istis conditionatis Sponsalibus moveri possunt aliqua dubia, & quidem inprimis, si conditio de futuro adjecta est honesta, qualis v. g. foret ista: *Ducam te in uxorem, si parentes mei consenserint &c.* equidem annectens hanc conditionem non obligatur ad contrahendum Matrimonium, nisi conditio prius fuerit verificata, bene tamen adstringitur non ponere tale obstaculum, per quod ex sua culpa ipse eventus conditionis impeditur: nam alias, interjecto culpabiliter tali obstaculo, æque obligaretur ad servandum promissum, ac si adjecta illa conditio numquam fuisset; uti recte ait Sporer hic *num.* 207. Aliud adhuc posset moveri dubium, an sic conditionate promittens Matrimonium, si pendente adhuc illa honesta conditione, interea temporis habuisset cum sua Sponsa copulam, an (inquam) non censeatur, dictus promittens per ipsam copulam interpretative, ac saltem tacite hanc conditionem remittere, & velle absolute contrahere, ita, ut teneatur exinde instituere cum hac alias æqualis conditionis Sponsa Matrimonium, etsi consensus parentum post habitam copulam non sequatur, sed potius contradictio? Et videtur hoc dubium decidi *cap.* 6. *De Conditionibus appositis*, ubi Summarium sic habet: *Qui sub honesta conditione Sponsalia*

contrahit,

contrahit, & ante conditionis eventum deſponſatam cognoſcit, a conditione recedit; præſumitur enim in Jure hanc conditionem remittere. Interea tamen recte ſubjungit la Croix *lib.6. part.3.n.89.* quod, ſi habens copulam poſitive ſibi reſervaſſet, nolle obligari ad Matrimonium, niſi verificetur prius annexa conditio, pro foro conſcientiæ non foret attendenda prior præſumptio, utpote nitens falſo ſuppoſito: tenetur tamen puellæ meo judicio ſi præfatæ hanc ſuam reſervationem non indicaſſet ante copulam, omne damnum, ſi quod ex copula eveniret, reſarcire, utpote cum eam induxerit, quæ prudenter credere potuit per copulam recedi a conditione annexa. *

Additio II.

* Quod ſi conditio Sponſalibus adjecta eſſet turpis, & quidem repugnans ſubſtantiæ Matrimonii, v. g. ſi diceret Titius ad Bertham: *Ducam te, ſi tempore Matrimonii generationem prolis evites non exercendo perfectam mecum copulam &c.* haud dubie Sponſalia forent ex utraque parte nulla, quamvis ſe Bertha taliter adſtringeret; cum talia Sponſalia obligarent ad contrahendum, & conſummandum Matrimonium graviter peccaminoſum.

Quando vero memorata conditio turpis non repugnat ſubſtantiæ futuri Matrimonii, e. g. ſi Sempronius diceret ad Cajam: *Accipiam te in uxorem, ſi modo mihi uſum corporis tui concedas;* in ſimili caſu oritur difficultas, an, & quomodo talia valeant Sponſalia? Et quidem eadem abſolute in ſuo valore ſubſiſtere, & Sempronium ad Matrimonium contrahendum obligari, ſi Caja petat, quamvis illa ante Matrimonium uſum corporis non concederet, defendit cum aliis Sanchez ex ea ratione; quia ſic ſe res habet in Matrimonio, in quo juxta jam dicta, talis conditio turpis, quæ non repugnat ſubſtantiæ Matrimonii, habetur, ac ſi numquam adjecta fuiſſet, adeoque (ajunt) pariter de Sponſalibus diſcurrendum erit. Aſt Baſilius Pontius, Perez, Caſtropalao apud Reiffenſtuel *Lib. 4. Decret. tit. 5. n. 58.* veroſimilius judicant, talem conditionem debere attendi, ita nimirum, ut ante impletam conditionem Sponſalia non obligent, & utraque pars reſilire adhuc poſſit, cum nemo ex pacto obligetur ad peccandum; poſtquam vero hæc conditio turpis ab una parte impleta eſt, Sponſalia valeant & compartem ad contrahendum Matrimonium adſtringant. Ratio eſt; quia, quod talis conditio turpis non attendatur in Matrimonio, ſed potius habeatur pro non adjecta, eſt particularis diſpoſitio Juris ob ſpecialem favorem Matrimonii alias indiſſolubilis facta: ceteroquin autem generaliter quoad contractus ſpecialiter non exceptos jam dictum eſt in materia de Contractibus, quod conditio turpis attendatur, ita quidem, ut ante ejus impletionem utrique liberum ſit reſilire, poſt impletionem vero adſit obligatio ſtandi promiſſo ex parte ſpondentis, quæ obligatio adhuc ſubſiſtit, etſi alter ſub conditione culpæ tantum ficte promiſiſſet Matrimonium; uti videri poterit *Tract. 9. diſt.4. quæſt. 3. num. 26. & 27.* & adhuc fuſius in Jure Canonico *Lib. 4. Decret. Tit. 1. num. 115. & ſeqq.* *

CONTINUATIO.

Præcedentis Quæſtionis Tertiæ, de Diſſolutione Sponſalium.

SUMMARIUM.

32 *Sponſalia juſtis de cauſis poſſunt ſolvi.*
33 *I. Mutuo Contrahentium conſenſu. cum Additione.*
34 *II. Per ingreſſum Religionis.*
35 *Et quid, ſi Profeſſio non ſequatur?*
36 *Per votum ſimplex Caſtitatis, vel ſuſcipiendi ſacros Ordines, an diſſolvantur Sponſalia?*
37 *III. Per Matrimonium cum alia.*
38 *Et quid, ſi tale Matrimonium diſſolvatur per mortem conjugis?*
* *Utrum tunc prima Sponſalia incipiant reviviſcere?*
39 *Prima Sponſalia, an diſſolvantur per poſteriora?*
40 *IV. Per ſubſequentem alterius fornicationem.*
* *Num etiam Sponſalia ſolvantur propter fornicationem præcedentem? Add. I.*
* *Vel ob admiſſa oſcula præcedenter, vel ſubſequenter? Add. II.*
41 *V. Solvuntur Sponſalia per ſupervenientem notabilem fœditatem.*
(*d*) Ut dictum Tract. 6. diſt. 2. n. 23.
* *An etiam ob herniam?*
42 *Generalis doctrina circa præmiſſa.*
43 *VI. Propter morum aſperitatem, vel ſævitiam.*
44 *VII. Ob paupertatem alteri ſupervenientem.*
* *Quid, ſi aliquis poſt Sponſalia factus fuerit ditior?*
45 *VIII. Ob diſceſſum Sponſi.*
* *IX. Ob longiorem dilationem Matrimonii.*
46 *Aliæ cauſæ diſſolvendi Sponſalia remiſſive.*
47 *Pater, an poſſit impedire Sponſalia filii?*
* *De hoc affertur notabilis doctrina.*
48 *Ad ſolvenda Sponſalia, an requiratur ſententia Judicis?*

32 CONCL. IV. Sponſalia ſemel valide contracta juſtis de cauſis poſſunt denuo diſſolvi, adeo, ut contrahentes poſſint ab ipſis reſilire, &, ſi voluerint, licite alteri nubere. Ita communis; & probatur inductione, aſſignando præcipuas illas cauſas, ob quas poſſunt diſſolvi Sponſalia. Et quidem

33 I. Sponſalia puberum (ſecus de impuberibus ante adeptam pubertatem) poſſunt mutuo eorum conſenſu diſſolvi: nam *omnis res, per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur. cap. 1. De Reg. Juris.* Et hoc intellige, etiamſi Sponſalia fuerint juramento firmata *arg. c. Præterea. De Sponſal.* juncta Gloſſa ibidem: quia poteſt quilibet juri ſuo, quod per Sponſalia acquiſivit, cedere, illudque alteri remittere. Dummodo ceteroquin mutuus iſte conſenſus ad diſſolvendum datus etiam ex parte alterius ſit vere liber, ac immunis ab omni gravi metu, & fraude ac deceptione, quod bene eſt notandum: ſolent enim non raro præſertim feminæ per minas & techinas induci, ut conſentiant ad diſſolvenda Sponſalia. Quod ſi unus tantum a Sponſalibus reſiliat, ipſe quidem per hoc ab obligatione immunis non fit (niſi alter poſtea conſentiat); nihilominus alter illico redditur immunis: quia hoc ipſo, quod prior Sponſalibus renunciet, cenſetur cedere juri ſuo.

Additio.

* Quæres. An ſponſalia mutuo conſenſu ſolvantur etiam in ſequenti caſu? Bertha promiſit Titio Matrimonium, & viciſſim Titius Berthæ, ſi ſibi nunc concedat uſum corporis, uti etiam illa annuit, atque exinde impregnata prolem obtinuit. Titius autem, remittente priori libidinis æſtu, cupiens a ſua proomiſſione liberari Berthæ, numerata exigua pecuniarum quantitate perſuaſit, ut etiam ipſa ſuum jus vi priorum Sponſalium acquiſitum remiſerit? Reſp. In ſimili quidem caſu meo judicio equidem per mutuum conſenſum valide adhuc ſolvi Sponſalia, Bertham tamen propter tam exiguam pecuniæ ſummam remittens ſuum jus graviter peccaſſe contra charitatem, vel etiam pietatem; cum exinde proles ſuſcepta fiat illegitima, quæ per ſubſequens Matrimonium facta eſſet legitima. Ita prudenter reſolvit Apollonius Holzman *Tom.2. De Matrim. Tract.2. cap.6. num. 275.* ubi tamen recte excuſat Bertham a gravi peccato, ſi Bertha fundate, & moraliter certo timeret, ex tali Matrimonio, ſi jus ad illud non remittat, ſibi magnas cruces & moleſtias inferendas, obligatio enim charitatis, & pietatis erga prolem, ut ea ſit legitima, non videtur Bertham ſub tam gravi onere obligare; præſertim ſi alia adhuc media legitimandi reſtent. *

34 II. Sponſalia diſſolvuntur per ingreſſum Religionis; nam, quia per hunc ſecuta Profeſſione diſſolvitur Matrimonium ratum, quanto magis Sponſalia? Et quidem per

per solum ingressum jam ante Professionem dirimi Sponsalia ex parte remanentis in sæculo, communiter fatentur Doctores; quia ingrediens Religionem hoc ipso censetur renunciasse juri sibi ex Sponsalibus acquisito, sicque alter ab eorum obligatione liber existit.

35 Utrum autem ea per solum ingressum Religionis, etiam Professione non secuta, dissolvantur ex parte utriusque major difficultas est. Affirmant Bonacina *quæst. 1. de Sponsalibus punct. 5. n. 3.* Sanchez *lib. 1. de Matr. disp. 43. n. 5.* & quidam alii, dummodo quis bona fide ingressus fuerit. Oppositum tenet Engel *tit. de Sponsal. §. 3. num. 7.* asserens, quod ingressus Religionem, & rursum egrediens teneatur stare Sponsalibus, si remanens in sæculo velit ultro expectare, eumque recipere, quia ingrediens Religionem non potuit jus alteri quæsitum per suum factum auferre, nisi Professione secuta. Et hanc posteriorem sententiam tenent multi Doctores, eamque Sanchez *loc. cit. n. 4.* appellat probabilissimam.

36 Porro per Votum simplex Castitatis, aut Votum suscipiendi sacros Ordines post Sponsalia editum, non videntur hæc dissolvi ex parte ipsius voventis, supposito quod altera compars adhuc velit contrahere Matrimonium. Ratio est: quia tale Votum, in quantum tendit in præjudicium tertii, cujus jus antea quæsitum violat, non videtur acceptare. Sicuti e. g. si deberem alicui centum florenos ob emptum frumentum, & postea voverem centum donare ad causas pias, tale Votum Deus non respiceret, supposito, quod exinde reddar impotens solvendi centum florenos, ad quos eram adstrictus ex justitia titulo empti. Vide in Jure Canonico *Lib. 4. Tit. 1. n. 229. & seqq.* præsertim *n. 234.*

37. III. Sponsalia omnino dirimuntur per Matrimonium subsequens, valide, quamvis illicite, contractum de præsenti cum alia persona. Ita certa, & communis; atque habetur expresse *c. Si inter. De Sponsal.* Ubi hoc ipsum extenditur ad casum, quo priora Sponsalia fuerunt jurata. Ratio est; quia res uni tradita per contractum indissolubilem non potest amplius tradi alteri, cui tantum est promissa: atqui per Matrimonium fit mutua traditio corporum & per sponsalia solum promissio eorum; ergo.

38 Et hoc adeo verum est, ut probabilior Doctorum asserat, talia Sponsalia, etiam dissoluto per mortem conjugis Matrimonio, non amplius obligare ad sui impletionem, eo quod obligatio semel extincta non amplius reviviscat: quamvis loquendo de Sponsalibus juratis, oppositum teneant Bonacina *punct. 7. de Sponsal. num 3.* & quidem alii, negantes, quod dissoluto per mortem alterius conjugis Matrimonio priora Sponsalia, si fuerint jurata, non amplius obligent.

Additio.

* Imo P. Pichler *Candidato Abbreviato Jurisprud. Lib. 4. Tit. 4. num. 7. & 8.* citans pro se Mastrium, Basilium Pontium, P. Wex, Perez &c. non solum quoad Sponsalia jurata, sed absolute negat, per Matrimonium subsequens extingui ex toto Sponsalia priora, ita nimirum, ut etiam post mortem alterius conjugum non amplius obligent: unde etiam negat cum aliis a se citatis suppositum priorum Auctorum, dicens, per subsequens Matrimonium Sponsalia priora neutiquam absolute (uti contraria sententia supponere videtur) extingui, sed tantum secundum quid, id est suspendi eorum obligationem, usque dum alter conjugum moriatur, eo ferme modo, quo apud habentem votum simplex castitatis, & dispensatum ad contrahendum Matrimonium obligatio ista servandi castitatem non ex toto cessat, sed tantum secundum quid, quatenus nimirum obligatio ista servandi castitatem suspenditur, usque dum alter conjugum moriatur. Estque meo judicio hæc sententia valde probabilis, & favorabilis priori ex Sponsis innocenti, contra cujus voluntatem pars altera contraxit Matrimonium: si tamen innocens velit exspectare usque ad mortem alterius conjugum. Sed quidquid demum de hoc sit, illud juxta omnes certum est, quod si ob violationem priorum sponsaliorum primæ Sponsæ quidpiam mali contigerit, illud in conscientia sit resarciendum; cum damnum hoc contigerit ex culpa violatoris, contra fidem primæ Sponsæ datam, cum alia Matrimonium contrahentis. *

39 Verum loquendo de Sponsalibus, priora Sponsalia non dirimuntur per posteriora ex parte contrahentis ea; quinimo posteriora sunt irrita, ac invalida. Nihilominus ex parte alterius possunt dissolvi Sponsalia, adeo, ut, si ipsa velit, possit licite alteri nubere: nam alius, qui posteriora Sponsalia contraxit, hoc ipso, quantum est ex sua parte, renunciasse censetur prioribus.

40 IV. Sponsalia, etiam juramento firmata, dissolvuntur ex parte innocentis per sequentem alterius fornicationem; ita ut, si innocens velit, sit liber a Sponsalibus. Ita habetur *c. Quemadmodum. De jurejurando*; estque communis. Nam propter fornicationem supervenientem potest vir licite dimittere uxorem a sua cohabitatione; ergo longe magis Sponsam de futuro ad eam non admittere. Accedit, quod in contractu sponsalitio tacite subintelligatur isthæc conditio. *Si illa contra regulam desponsationis non venerit*; prout notat Pontifex *cit. cap. Quemadmodum.*

Additio I.

* Quod si fornicatio præcessisset Sponsalia, fuisset autem ante promissum Matrimonium ab innocente ex Sponsis ignorata, an etiam eadem postmodum rescita præbeat comparti innocenti sufficientem causam Sponsalia solvendi alia est difficultas; ubi communior DD. in Jure Canonico apud hunc Auctorem *Lib 4. Decret. Tit. 1. n. 246. & seqq.* distinguit inter Sponsum, & Sponsam: nimirum, quod propter fornicationem Sponsæ præcedentem, a Sponso tamen ignoratam, Sponsalia juste solvi possint ab ipso Sponso; non item vice versa regulariter loquendo a Sponsa ob præcedentem fornicationem Sponsi. Ratio utriusque partis est; quia exinde Sponsa, quæ antecedenter commisit fornicationem, notabiliter evadit vilior in communi æstimatione, quam fuisset absque hac fornicatione, quæ notabilis vilitas antea ignorata justam præbet causam resiliendi in hoc contractu adeo oneroso conformiter dicendis. Cum vero tanta regulariter vilitas non addit ex parte Sponsi, si ante Sponsalia is fuerit fornicatus, consequenter nec propterea Sponsa regulariter potest solvere Sponsalia; quoniam juxta communem æstimationem, quæ hic maxime attendenda est, non ita ignominiosum reputatur, nec ita præjudiciosum feminæ, si nubat viro, qui prius aliam cognovit, ac si vir nuberet feminæ præcedenter ab altero carnaliter cognitæ. Subjungunt tamen Doctores *loco citat.* quod, si Sponsus antea cum pluribus fuisset fornicatus, vel ex præcedente unica fornicatione prolem haberet, idque Sponsa primum post Sponsalia resciret, exinde pariter Sponsæ præberetur justa causa resiliendi, quoniam & in talibus circumstantiis interveniret valde notabilis qualitas antea ignorata. *

Additio. II.

* Quantum ad oscula vere impudica, ac similes amplexus, & tactus, Auctor allegatus cum Bosco, Layman, & Sporer *loc. cit num. 253.* recte ponit sequentia formalia: *Etiam ob oscula, amplexus, & tactus impudicos a Sponsa libere admissos*, *vel exercitos sive post sive etiam ante Sponsalia* (ignorante tamen pro tempore Sponsaliorum comparte) *Sponsus solvere potest Sponsalia &c.* Ratio est: *quia etiam in tali casu respectu Sponsa censetur adesse notabilis mutatio, ac reputatur talis femina impudice vivere, ut proin eam merito horrere possit Sponsus. Sponsi tamen oscula, & tactus impudici cum altera commissi ante Sponsalia non dant Sponsæ causam sufficientem ad solvenda Sponsalia*; *imo nec post illa, nisi fuerint frequentes &c. quia in viro tales actus ita probrosi non sunt, ac in feminis, nec tam facile impudicæ vitæ notam incurrunt,* nisi

nisi sint frequentes, uti limitant DD. & merito; quia post Sponsalia a Sponso cum alia habita justum causant horrorem in Sponsa &c. Ita ille.

41 V. Sponsalia, etiam juramento firmata, dissolvuntur fœditate notabili superveniente, aut oculorum, vel nasi amissione, aut paralysi, vel lepra. Ita habetur *cit. c. Quemadmodum. De jurejurando.* Et ratio est: quia promissio sponsalitia, quin & juramentum, intelligitur rebus in eodem statu permanentibus. (*d*) Qua de causa Sanchez *lib.* 1. *de Matr. disp.* 57. *num.* 2. præsentem materiam amplius declarans infert cum aliis, hoc idem esse dicendum de morbo gallico, aut alia gravi infirmitate incurabili superveniente v. g. epilepsia: item de eo, cui os male olet, nec arte medica curari potest: & præsertim, si animi, aut existimationis notabilis deformitas superveniat, ut si Sponsus furti, aut alterius turpis criminis damnetur; cum major sit morum, & famæ, quam corporis habenda ratio.

Additio.

* Quæres. An etiam Sponsalia solvantur per supervenientem (s. v.) herniam ex parte Sponsi? Ad hoc Quæsitum respondet P. Apollonius Holzman *Tom.* 2. *Tract.* 2. *De Matr. n.* 276. eadem solvi non solum, si subsequenter, verum etiam antecedenter laboraverit hernia Sponsus ignorante tempore Sponsalium Sponsa, & primum postea e. g. per Chirurgum adhuc ante Matrimonium deveniente in notitiam. Ratio ejusdem est; quia hæc miseria, præsertim si sit notabilis, aut grave periculum, ne successive fiat major, non solum a multis functionibus, præsertim apud Mechanicos, impedire, verum etiam copulam conjugalem multo difficiliorem reddere solet. *

42 Ceterum prædicta intelligenda sunt ex parte illius qui innocens, aut illæsus est. Eo enim volente, solvuntur Sponsalia, si vero nolit eadem solvi, manebunt; quia in favorem ipsius innocentis, seu illæsi hoc statutum est. Insuper dicta procedunt de ejusmodi morbo, aut defectu præcedente quidem Sponsalia, sed ignorato ab altera parte: nam si postea talis defectus primum deprehendatur, potest pars illæsa resilire, si vult. Secus, si prius noverat illum defectum, nihilominus libere contraxit Sponsalia: nam censetur in hæc consensisse, non obstante illo defectu.

43 VI. Sponsalia dissolvuntur propter morum asperitatem, vel sævitiam notabilem alterius conjugis ex post facto cognitam: item ob graves, & capitales inimicitias inter sponsos subortas. Ratio est: tum ne alioquin Matrimonium infelices exitus habeat: tum quia hæc est notabilis mutatio rerum, & gravis causa superveniens aut saltem postea primum cognita. Sanchez *lib.* 1. *disp.* 56. cum communi.

44 VII. Sponsalia dissolvuntur ob paupertatem alteri supervenientem: ut si sponsa, quæ dives fuerat, ad paupertatem redacta fuerit. Ratio est: quia adest notabilissima mutatio, quæ a principio existens, vel cognita Sponsaliorum contractum impedivisset. Et hoc idem dicendum, si paupertas jam præcessit, fuit tamen ignorata, & Sponsa dives credita.

Additio.

* Quando autem post contracta Sponsalia nullus equidem inter Sponsos evadit pauperior, bene vero unus ex improvisa hæreditate, thesauri inventione &c. fit multo ditior, & exinde honoratior, an talis exinde habeat justam causam dissolvendi Sponsalia, inter AA. controvertitur: ubi teste la Croix affirmativa defenditur ab Amico, Hurtado, & Illsung; ego autem cum Krimer, Kugler, & communiori puto, veriorem esse negativam; quia alter exinde, quantum est ex parte sua nihil immutavit in suis qualitatibus, adeoque standum erit priori contractui: alias certe contra communem praxin posset etiam Sponsus illico resilire a Sponsalibus ex eo, quia ipsi modo offertur Sponsa ditior. Interea tamen optime consulit Sporer hic, ut, si Sponsus factus ditior nolit omnino amplius ducere suam Sponsam, eadem non multum ipsum cogat ob pericula dissensionum exinde in Matrimonio futurarum, sed potius alind quidpiam in compensationem, eo quod a sua petitione desistat, exigat. *

45 VIII. Insuper Sponsalia dissolvuntur propter alterius Sponsi discessum in longinquam regionem absque licentia Sponsæ, nec sit certa spes cito redeundi: tunc enim in Foro conscientiæ licitum est relictæ Sponsæ ad alias nuptias transire. Ratio est: quia alter sic clam discedens censetur renunciasse juri suo.

Additio.

* IX. Sponsalia ex parte innocentis solvuntur, ut possit, si velit, recedere ob nimiam dilationem promissi Matrimonii absque gravi causa: nam vel fuit præfixus certus dies Matrimonii in contractu sponsalitio, vel non? Si prius, & altera pars hunc sine justa causa non servat, per se patet, quod nec compars innocens teneatur ulterius exspectare. Si vero posterius; quolibet die, quo rationabiliter possint, obligantur contrahere Matrimonium: *nam in omnibus obligationibus, in quibus dies non apponitur, præsenti die debetur. Reg.* 14. *ff. De regulis Juris.* sicque si pars altera, præsertim monita desuper de die in diem absque gravi causa differat Matrimonium, vel poterit a Judice compelli ad contrahendum, vel compars innocens si præplaceat, poterit resilire, & ad alias nuptias transire. Videatur Jus Canonicum *Lib.* 4. *Decret. Tit.* 1. *num.* 143. *& seqq. & num* 216. *ac seqq.* Dixi notanter: *si dilatio fiat sine gravi causa*: nam si hæc adesset, necdum altera pars resilire, sed adhuc aliquo tempore exspectare deberet, dummodo hæc dilatio non foret nimis longa: alias enim crederem, quod adhuc daretur locus resilii, quando illa nimis longa dilatio non fuerit in ipso contractu sponsalitio prævisa. Ratio mea est, quia ob idem fundamentum comparti licet resilire, si altera pars abiens in aliam Provinciam longiori tempore emaneat etiam NB. ob causam necessariam, vel valde utilem, uti notat præsens Auctor *Lib.* 4. *Decret. Tit.* 1. *num.* 214. *

46 Sunt quidem nonnullæ aliæ causæ dissolvendi Sponsalia, de quibus fusissime Doctores, ac præsertim Sanchez *cit. lib.* 1. per plures Disputationes. Verum præmissæ sunt principaliores.

47 Quæres I. An pater possit impedire Sponsalia filii contra ejus voluntatem inita? Resp. Id fieri non posse, nisi scandalum magnum aut alias grave damnum seu præjudicium ex tali Matrimonio probabiliter timeatur. Alias enim, cum filius (utpote quoad electionem status a consensu parentum independens) æque in istis ac in aliis promissionibus, in quibus non dependet a parentibus, teneatur servare fidem semel datam ex una parte, & ex altera alias Sponsalia semel promissa sub gravi culpa (nisi una prædictarum causarum excuset) obligent promittentem, non poterit pater tuta conscientia impedire, ne filius suam obligationem exequatur. Sanchez *loc. cit. disp.* 14. & alii.

Additio.

* Ast dicet nonnemo in favorem Parentis. Numquid filius in causa tam ardua tenebatur prævie ante Sponsalia petere saltem consilium Parentis, uti in simili dictum fuit quoad consilium ante ipsum Matrimonium petendum conformiter doctrinæ traditæ *supra dist.* 13 *num.* 36. *& seqq.* Cur ergo parens non poterit talia Sponsalia, quæ filius absque consilio parentis contraxit, tuta conscientia impedire, ut non deducantur in effectum? Respondeo quærendo ex te: vel filius talis prudenter timere potuit, quod parens, si ab eo prævie peteretur consilium, ex mera avaritia, vel inordinata passione foret contradicturus, & retardaturus executionem talium Sponsaliorum, quamvis eadem ceteroquin sint valde honesta, ac statui proportionata: vel id prudenter non potuit prævie timere? Si prius. Filius ne quidem peccavit

… petendo consilium ante ipsa sponsalia, sicque pater talem contractum sponsalitium tam validum, quam licitum nequit tuta conscientia impedire. Si posterius: equidem filius prævie non petendo consilium peccavit suo modo; juxta praxin tamen Tribunalium parens ex hac præcise ratione nec rescissionem impetrare, nec executionem eorumdem Sponsalium impedire poterit, nisi aliæ simul graves causæ accesserint conformiter jam dictis: interim tamen tales proles mirari non debent, si exinde exacerbati parentes postea alios liberos reverentialiores in Testamento præferant, hosque nonnisi in legitima (de qua *Lib.* 3. *Decret. tit.* 26. *num.* 499.) instituant.*

48 Quæres II. An ad solvenda Sponsalia ob supradictas causas opus sit auctoritate, & sententia judicis Ecclesiastici, nec ne? Resp. cum Tannero *tom.* 4. *disp.* 8. *quæst.* 1. *dub.* 4. *num.* 72. & aliis. Quando Sponsalia sunt clandestina, & causa dissolvens Sponsalia ejusque justitia est manifesta; non est opus auctoritate Judicis ad solvenda Sponsalia ex supradictis causis, secus vero, si Sponsalia quidem sunt manifesta, causa vero dissolutionis incognita vel dubia. Quod si alicubi Ritualia Diœcesana absolute præcipiant, Sponsalia publica non nisi cum præscitu Ordinarii dissolvenda esse, licet interveniret mutuus contrahentium consensus, aut alia causa publica, eorum ordinationi in tali Diœcesi standum erit, utpote justissime factæ: cum sæpe amor proprius dictet causam resiliendi esse certo justam, quam tamen Judex recognoscit nec a longe sufficientem.

APPENDIX.

Continens utilia adhuc notanda circa difficultates, defectus, & qualitates, ob quas Sponsalia semel contracta iterum dissolvi possunt. Item; an pro majori firmitate Sponsalium possit adjici Arrha, vel Pœna?

SUMMARIUM.

- * *Differentia inter Sponsalia, & alios contractus. Add. I.*
- * *Quid statuendum, si quis dubitet, num renuisset Sponsalia, si certas qualitates præscivisset, Addit. II.*
- * *An qualitates occultæ, & quæ alteri Sponsorum possunt esse odiosæ, debeant a comparte ante Sponsalia manifestari. Addit. III.*
- * *Solvitur Objectio. Addit. IV.*
- * *Et adducitur specialis quidam casus circa imprægnationem ante Matrimonium a tertio factam. Addit. V.*
- * *Item alius de eo, qui post Sponsalia est in causa, ut inter Sponsos interveniat impedimentum dirimens. Add. VI.*
- * *Specialia de Sponsalibus: quibus adjicitur Arrha, vel aliqua Pœna. Addit. VII.*

Additio I.

* UNum præcipue, ac utilissime ex la Croix *Lib.* 6. *part.* 3. *n.* 167. circa difficultates, defectus, & qualitates illas vel antea ignoratas, vel primum post Sponsalia advenientes, & dantes occasionem sufficientem resiliendi, bene annotandum est: nimirum, quod, etsi in aliis Contractibus *Tract.* 8. *dist.* 1. *quæst.* 2. *n.* 15. *& seqq.* non admittatur illa Regula, quasi nimirum liceret alteri universaliter rescindere aliquem contractum absolute initum ex eo; quia supervenit aliqua difficultas, vel de novo cognoscitur aliqua qualitas, quæ si ab initio prævisa, sive præcognita fuisset, contractus iste non fuisset initus; hoc enim quantum ad alios contractus solummodo verum est, quando hæc qualitas dedit causam contractui aut fuit expresse in pactum deducta juxta dicta de Contractibus; alias viro decepto infra dimidium solummodo in foro conscientiæ competit jus ad compensandum sibi damnum, permanente adhuc in suo valore contractu. His tamen non obstantibus, memorata potestas dissolvendi contractum procedit ordinarie in Sponsalibus, si talis qualitas, defectus, seu difficultas interveniat; quoniam promissio Matrimonii, quod inducit vinculum indissolubile, requirit majorem libertatem, ac intentio spondentis circa casum tam difficilem in materia, ex qua alias sequeretur vinculum indissolubile, juxta communem prudentum interpretationem (cui talis saltem tacite se voluisse conformare præsumitur) videtur sibi specialiter reservasse facultatem rescindendi, si post Sponsalia ante ipsum actuale Matrimonium interveniat quidpiam, vel innotescat, quod ipsum indissolubile Matrimonium alias redderet valde grave, & exinde communiter habetur pro causa dissolutionis.

Nec refert, quod in ordine ad ipsum contractum matrimonialem non liceat eumdem semel absolute initum iterum rescindere ob aliquam similem difficultatem aut qualitatem accidentalem, quamvis, si esset antea hæc prævisa, seu præscita, dictum Matrimonium non fuisset initum. Respondetur enim, contractum matrimonialem ipsummet semel absolute initum nullo modo subjacere dissolubilitati, hincque non posse præsumi, quod propter dictas difficultates, seu qualitates contrahens absolute sibi reservaverit facultatem rescindendi. Econtra vero contractus sponsalitius, quamvis absolute initus, adhuc est dissolubilis, & consequenter talis reservatio facultatis rescindendi utique fieri potest, atque in allegatis casibus tacite facta fuisse ex communi prudentum persuasione præsumitur. Ex quo jam patet disparitas inter contractum matrimonialem, & sponsalitium. Videantur etiam dicenda *Quæst. seq. num.* 52. *

Additio II.

* Porro, si dubium sit, utrum aliqua mutatio existat talis ut, si fuisset prævisa, impedivisset Sponsalia, desuper debet interrogari ille, qui intendit dissolvere Sponsalia, utrum, quando tempore contractus sponsalitii rescivisset, eumdem instituere noluisset? affirmanti autem, vel neganti in foro conscientiæ, maxime si addat juramentum, credi debet, uti ex Sanchez, Filliucio, Laiman, Gobat deducunt la Croix *loc. cit. num.* 168. & Sporer *part.* 4. *Theolog. Sacrament. cap.* 1. *n.* 279. Unde, si nihilominus contraxisset pro tunc, nequit a modo propterea solvere Sponsalia. Quod si nunc existat dubius, num, si scivisset, contracturus fuisset, nec ne, Leander apud Tamburinum ait, si defectus sit gravis, præsumi non fuisse contracturum, secus, si sit levis tantum. Meo judicio optime facit talis dubitans, si candide proponendo casum desuper exspectet sententiam Episcopi, de quo vide dicta *num.* 48. *

Additio. III.

* Ponamus autem, quod qualitas illa, ob quam alter ex sponsis si resciret, resilire posset, adhuc sit occulta, tenebiturne laborans hac qualitate eamdem comparti manifestare, vel poteritne illam occultando, ac tacendo nihilominus Matrimonium prætendere.

Respond. I. Ad hoc dubium, si qualitas illa fuerit occulta, nec sit periculum grave, ne evadat publica, exinde causatura graves rixas, tunc potest ea occultari, & adhuc Matrimonium prætendi, supposito, quod ipsi futuro Matrimonio dicta qualitas non afferat notabile incommodum. Ita Castropalao, Sporer, Basilius Pontius, & alii atque tam hæc, quam aliæ materiæ de Sponsalibus fusius traduntur *in lib.* 4. *Decret. tit.* 1. *& tit.* 4. Ratio est; quia vitium mercis occultum, quod non affert notabile damnum, seu incommodum, ex communi contrahentium consensu non tenetur unus contrahentium alteri manifestare juxta materiam de Contractibus: sed talis qualitas, seu defectus, quamdiu est in oculto, & ignoratur, non affert Matrimonio notabile incommodum, seu damnum, uti supponitur in casu: ergo. Si ex praxi patet, quod, si Sponsa ante Matrimonium admittat ab alio proco occulta impudica oscula, & amplexus,

aut Sponsus cum alia exerceat tactus impudicos, vel etiam post Sponsalia in occulto committat fornicationem, citra aliud damnum eveniens, nihilominus prætendant Matrimonium, quin defectum hunc manifestent. Respond. II. Si qualitas illa, seu defectus futuro Matrimonio afferret notabile incommodum prout foret, si aliqua pars laboraret lepra, morbo gallico usque ad tempus Matrimonii non curabili, vel si Sponsa ab alio ante Matrimonium imprægnaretur, tunc tenetur laborans hac qualitate, seu defectu occulto a prætensione Matrimonii desistere, & etiam alteri persuadere, ut cedat suo juri, vel alias ipsi in secreto (qui tamen obligaretur ad strictum silentium) hunc defectum, seu qualitatem manifestare, tentando, utrum eo non obstante adhuc velit contrahere, nec ne? Ita AA. qui supra. Ratio est; quia juxta materiam de Contractibus non licet communiter loquendo occultare defectum, qui alteri contrahentium, etsi ignoranti, notabile afferret damnum, seu incommodum. *

Additio. IV.

* Dices. Nemo tenetur bona altioris ordinis perdere, ut exinde alteri procuret bona inferioris ordinis: sed, si quis obligaretur manifestare talem defectum, seu qualitatem, deberet perdere bona altioris ordinis, ut exinde alteri procuret bona inferioris ordinis: ergo. Min. probatur: Bonum illud, quod quis revelando suum crimen (e. g. copulæ cum alio habitæ subsecuta impraegnatione) deperderet, est ipsamet fama propria; bonum vero, quod exinde alteri procuraret, est bonum fortunæ, ut nimirum exinde alter non adstringatur futuram prolem alere, eamque hæreditatis participem reddere: sed fama utique est superioris ordinis, ac bona fortunæ: ergo. Confirmatur. In ipso conjugio non tenetur adultera impraegnationem ab alio factam manifestare cum propria diffamatione, quamvis exinde sequatur viro damnum in bonis fortunæ, eo quod talem prolem adulterinam alat, ad hæreditatem admittat &c. ergo neque in Sponsalibus. Respond. neg. min. Ad ejus probationem neg. maj. nam *inprimis* falsum est quoad primam partem, quod quis adstringatur perdere bonum famæ; etenim non obligatur determinate manifestare suum defectum, sed potest assumere alterum remedium sponte desistendo a petitione Matrimonii sub prætextu alio. *Secundo* pariter falsum est, quod ex parte alterius præcise procuretur bonum fortunæ; cum exinde etiam evitentur graves inimicitiæ, discordiæ, ac rixæ, quæ evitatio utique concernit bonum ipsius animæ. Accedit quod etiam manifestando defectum cum allegatis circumstantiis non adeo notabiliter deperdatur bonum famæ; quoniam in notitiam illorum occultorum defectuum alias altera compars cum majori prostitutionis periculo deveniret post contractum ipsum Matrimonium, supposito, quod in prætentione Matrimonii adhuc persisteretur. Ex quo jam patet disparitas, & resolutio quoad confirmationem. *

Additio V.

* Ast formemus casum sequentem: Sempronius cum Titia contraxit Sponsalia, ac cum eadem intra hoc tempus etiam frequenter exercuit copulam, qualem pariter intra idem tempus Titia concessit Cajo, ex quo ultimo etiam concepit. Impraegnatam advertens Sempronius suam Sponsam, ac credens semetipsum hujus Auctorem, urget Matrimonium brevi, & antequam uterus intumescere incipiat, contrahendum, ne alii advertant extra Matrimonium gravidam factam. Numquid in his circumstantiis poterit Titia illum incognitum a Sempronio defectum, seu qualitatem occultare, & cum Sempronio Matrimonium contrahere? Respondeo in hoc casu efficacius urgere argumentum superius pro parte affirmativa adductum. Etenim resilire a Matrimonio a Sempronio dictum crimen ignorante huic non concederetur: item, si resiliret, cognosceretur non sine prostitutione fuisse facta gravida extra Matrimonium. Quod si autem manifestaret crimen, se ipsam infamaret apud Sempronium, per quem etiam probabilissime a Matrimonio excluderetur cum maximo dedecore. Econtra vero, si crimen abscondat, Sempronius credens se esse Patrem futuræ prolis, neutiquam deveniet in ejusdem notitiam, uti supponitur in casu. Quare meo judicio in his extraordinariis circumstantiis, cum Titia necessario deberet determinate famam perdere, nisi delictum abscondat, poterit illud occultare, & sic cum Sempronio Matrimonium contrahere, permittendo eumdem in sua bona fide; quoniam, dum aliud medium præservandi alterum a damno inferiori non suppetit, nemo tenetur regulariter prostituere bonum famæ, ut alium conservet in bonis fortunæ, uti in superiori objectione recte adductum fuerat, & patet ex paritate quoad conjugem factam adulteram in Matrimonio: etenim utrobique, si rem intimius volumus considerare, non fit positivus inflexus in damnum alterius quoad bona fortnnæ, sed, si per accidens quodpiam eveniret, ex gravissima causa tantum permittitur ad conservandum bonum famæ. Ceteroquin vero debebit sub gravi peccato, & onere restitutionis allegata Titia invigilare, ut, si ex præcedente impraegnatione per Cajum facta proles nasceretur, eadem non expensis Sempronii, sed Caji educaretur, & aliis liberis ex legitimo Matrimonio procreandis, vel hæredibus mariti portio hæreditatis exinde non diminueretur. Nec credo; sub his limitationibus la Croix *loc. cit. num.* 183. fore contrarium.

Additio VI.

* Quæres. An, quando aliquis defectus occultus dirimens ipsummet Matrimonium ex culpa unius sponsorum post contracta Sponsalia intervenerit, is, qui est in culpa talis impedimenti, possit exinde solvere Sponsalia, si altera compars ad dissolutionem non consentiat, vel quidnam in tali casu sit agendum? Casus majoris claritatis gratia potest formari sequens: Sempronius in occulto contraxit Sponsalia cum Titia. Successu temporis familiarior factus ipsius Titiæ Sorori Cajæ ab eadem præcedentium Sponsalium ignara obtinet perfectum usum corporis juncta promissione Matrimonii. Cognoscens autem postmodum, quod in his circumstantiis conformiter dicendis *Quæst. seqq.* nullam ex duabus ducere valeat ob duplex impedimentum dirimens, *affinitatis* quidem ex parte primæ, *& publicæ honestatis* ex parte secundæ statuit secum occulte aufugere. Quæritur, an id possit bona conscientia facere? Respond. neutiquam: tenetur enim quoad priorem, nimirum Titiam (supposito, quod ipsamet non velit sponte a futuro Matrimonio desistere) procurare suis propriis expensis dispensationem, cum sit peccaminose in causa hujus defectus futurum Titiæ Matrimonium dirimentis: interea tamen expensæ desuper ratione dispensationis impetrandæ in præsenti non erunt magnæ; quoniam eadem juxta dicenda ob impedimentum occultum petitur solummodo in Pœnitentiaria. Quoad posteriorem vero (puta Cajam) obligatur, omnia damna, si quæ huic propterea evenerint, resarcire; quia eamdem ignaram præcedentis promissi, & exurgentis exinde impedimenti fraudulenter induxit. Insuper obligatur prolem, si quæ exinde nascatur, alere. Videatur de hoc fusius utilissime Reiffenstuel in Jure Canonico *lib.* 4. *Decret. tit.* 1. §. *&* §. 8. *n.* 294. *ac. seqq.* *

Additio. VII.

* Quæres adhuc pro complemento Sponsaliorum. An hisce pro majori eorum securitate possit adjici Arrha, vel Pœna? Ante responsionem nota, quod *Sponsalitia largitas* distinguatur ab *Arrha* per hoc; quia *Arrha* est donum, quod datur a Sponsis per modum pignoris ad servandum debitum principale, nimirum promissum Matrimonium; econtra vero *Sponsalitia largitas* sunt illa munera, quæ

quæ a Sponsis offeruntur non tamquam pignus, sed in signum amoris ante actuale Matrimonium. De his ultimis actum jam fuit *Tract. 8. dist. 2. post. n. 26 in Appendice. Addit. III.* loquendo autem de Arrha Resp. I. Licet contractui sponsalitio pro majori ejusdem securitate adjicere Arrham. Ita clare colligitur ex *l. 3. & 5. C. De Sponsalibus.* Porro, secuto postmodum Matrimonio, Arrha iterum de jure loquendo (secus dic de consuetudine in multis locis vigente) redit ad dantem, sicuti alia pignora, si solvitur debitum principale. Item: si Sponsalia solvantur citra neutrius culpam, Arrha restituenda est danti; quod si interveniat culpa, eaque se teneat *ex parte dantis*, recipiens nihil tenetur restituere; quod si autem *ex parte recipientis*, is debet reddere in duplum, id est Arrham, quam accepit, & tantumdem de suo patrimonio, nisi adhuc sit minorennis. Ita secluso alio speciali pacto, eruitur ex *l. Mulier. 5. C. De Sponsalibus. juncto Summario.* Resp. II. Licet quoque Sponsalibus adjicere Pœnam, ab eo solvendam, qui injuste resilire ab iisdem intendit. Ita fusius Bosco *De Matrimonio disp. 11. sect. 1. Conclus. 11.* cum Layman, Castropalao, Engel &c. contra Sanchez, Gonzalez, Covarruviam &c. Probatur I. ex eo, quia licet Sponsalibus adjicere Arrham quadruplicatam ab injuste resiliente solvendam, uti fatentur etiam ipsi Adversarii, & patet ex superius citatis *Leg. 3. & 5. C. De Sponsalibus.* sed adjectio illa restitutionis in triplum ultra ipsam Arrham se habet per modum Pœnæ conventionalis: ergo. Probatur II. quia in aliis contractibus, ubi non specialiter prohibetur, licet adjicere Pœnam conventionalem: ergo etiam in præsenti. *Nec dicas.* In præsenti id prohiberi specialiter *cap. Gemma. 29. De sponsalibus, & matrimonio.* Resp. enim ibidem solummodo prohiberi pœnam solvendam ab eo, qui etiam juste resilit a Sponsalibus; etenim ibidem erat sermo de casu, quo contracta fuerunt Sponsalia cum puella necdum septenni, qualia Sponsalia vel non fuerunt valida, vel, si valida etiam extitissent, puella adveniente pubertate potuisset juste resilire. Vide in Jure Canonico *Lib. 4. Decret. Tit. 1. §. 6.* *

QUÆSTIO IV.

De Impedimentis dirimentibus Matrimonii.

SUMMARIUM

49 *Impedimenta dirimentia Matrimonii, Quot? Et Quæ?*
50 *Ætas, an ponenda pro distincto impedimento?*

49 IMpedimenta dirimentia Matrimonii antiquo jure tantum duodecim fuerunt, iis tamen per Concilium Tridentinum duo sunt adjecta, scilicet Absentia Parochi aut duorum Testium, & Raptus mulieris, nisi hæc post raptum denuo fuerit collocata in loco securo. Porro omnia hæc impedimenta sequentibus versiculis apte comprehenduntur.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis.
Si Parochi, aut duplicis desit præsentia Testis,
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ:
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

50 Sunt quidem nonnulli, qui pro distincto impedimento addunt *Ætatem* impuberum, ac proinde allegatum tertium versiculum sic legunt; *Ætas, affinis* &c. Verum istud impedimentum Ætatis, utpote quam malitia potest supplere, commode reducitur ad impotentiam, de qua inferius §. *IV.* Hinc retentis prioribus versiculis, quos tum D. Thomas *part. 3. quæst. 50. Supplementi. art. 1.* tum Scotus 4. *dist. 42.* aliique referunt: breviter dicta impedimenta in hac Quæstione declarantur; majoris tamen claritatis gratia de singulis speciales Paragraphos instituendo..

§. I.

De Impedimento Erroris.

SUMMARIUM.

51 *Error personæ dirimit Matrimonium.*
52 *Error fortunæ, & qualitatis, quis, & an Matrimonium dirimat?*
53 *Error Conditionis, quis?*

51 ERror, quantum ad propositum; quadruplex intelligi potest, scilicet personæ, fortunæ, conditionis, aut qualitatis. *Error personæ* est, quando erratur circa personam, putando, se contrahere cum tali persona, & est alia: prout contigit Jacob Patriarchæ, cui putanti se contrahere cum Rachele loco hujus fuit supposita Lia, soror ejus *Genes. 29.* Et hic Error personæ juxta omnes Doctores dirimit Matrimonium, idque non solum Jure Ecclesiastico, sed etiam Jure naturæ: quia auferre consensum ad substantiam Matrimonii requisitum, utpote cum quis velit cum tali determinata persona contrahere, & non cum alia. Unde Matrimonium Jacob cum Lia a principio fuit nullum; quamvis postea accedente novo ipsius Jacob consensu fuerit convalidatum. Et de hoc errore personæ loquitur præsens impedimentum, de quo, uti de subsequentibus plura in Jure Canonico *Lib. 4. Decret. Tit. 1. n. 342. & seqq.*

52 *Error fortunæ* est, quando quis putatur esse dives qui est pauper. *Error qualitatis* est, quando contingit errari circa qualitates alicujus personæ: ut dum quis putatur esse bonus, vel pulcher, qui malus est, aut deformis, vel virgo, aut hujusmodi, & non est. Et istum duplicem errorem, qualitatis scilicet, ac fortunæ (dummodo adsit absolutus consensus, neque ejusmodi qualitas deducatur in conditionem contractus, neque error ille qualitatis involvat errorem circa ipsam substantiam personæ) nullatenus dirimere Matrimonium, consentiunt Doctores. Ratio est: quia error iste non contingit circa substantiam Matrimonii, sed solum circa ejus accidentia, ac proinde est solum accidentalis.

53 Tandem *Error Conditionis* est, quando quis putatur esse liber, qui est servus. Et de hoc Errore agetur ex professo in *sequenti Paragrapho*: hinc sit

§. II.

De Impedimento Conditionis.

SUMMARIUM.

54 *Impedimentum Conditionis, quod?*
55 *Conditio servilis dirimit Matrimonium, quando?*
56 *Et quo Jure?*
57 *Matrimonium servorum inter se, an sit validum?*
58 *Quid, si liber contrahat scienter cum serva?*
59 *Aut servitus non sit proprie dicta?*
60 *Triplex genus Servorum, nimirum Mancipia, Servi adscriptitii, & originarii.*
61 *Hi omnes prohibentur ad SS. Ordines promoveri.*

54 ETsi nomen *Conditionis* satis amplum sit ad plura significanda, in proposito tamen ex communi usu loquendi denotat statum servilem, seu servitutem proprie dictam, qualis olim plurimum fuit in usu. Unde per *Impedimentum Conditionis* intelligitur Error conditionis de quo *n. præced.*) & tunc accidit, quando quis putatur esse liber, qui est servus proprie dictus. Et talis vulgo dicitur *Mancipium*: quale ita est Domini sui, ut illud Dominus possit ad libitum venumdare. Hoc prænotato, sit

55 CONCL. I. Conditio servilis; sive proprie dicta est impedimentum dirimens Matrimonii quando liber contrahit cum serva, vel libera cum servo, ignorata ejus conditione servili. Ita communis; & habetur decisum *c. Si quis ingenuus. 29. q. 2. & c. Ad nostram. De Conjugio servorum.*

56 Existimant equidem plures Doctores, Conditionem servilem ignoratam dirimere Matrimonium inter servum & liberam Jure dumtaxat Ecclesiastico, prout tenet Sanchez *lib.7.de Matr.disp.29.n.16.* citans pro hac sententia multos Doctores. Verum sententia asserens, Conditionem servilem de Jure naturali irritare Matrimonium, satis probabilis est, aut etiam probabilior siquidem Error Conditionis evacuat consensum, prout notat Magister Sententiarum 4 *dist.* 30. atqui sine consensu Matrimonium Jure naturæ est nullum. Accedit, quod in toto Jure non reperiatur textus irritans, sed potius irritatio, seu nullitas talis Matrimonii supponatur. Insuper in Matrimonio fit permutatio corporum quoad usum matrimonialem: atqui servus proprie dictus non habet liberum usum sui corporis, sicuti liber; ergo liber ignorans ejus servitutem non censetur consentire in ipsum, neque potestatem corporis sui velle commutare cum potestate corporis servi, utpote quam ipse non habet; prout argumentatur Doctor Subtilis 4. *dist.* 30. *quæst.* 1.

57 CONCL. II. Nihilominus validum est Matrimonium servorum inter se, licet ineatur domino contradicente; quamvis per hoc non liberentur a consuetis servitiis domino suo præstandis. Ita habetur *cap.* 1. *De Conjugio servorum.* Et hoc extendunt Doctores communiter ad eum casum, quo servus putans, se contrahere cum libera, contraxit cum serva: nam tunc militat ratio *n. præced.* allata, cum quælibet pars æqualem sui ipsius potestatem transferat in aliam, neque error iste reddat conditionem contrahentis deteriorem. Et hinc SS. Canones dumtaxat loquuntur de Matrimonio liberi cum serva, vel econtra, ignorata ejus conditione servili, contracto, dum illud declarant esse invalidum.

58 CONCL. III. Si liber contrahit cum serva scienter, aut econtra, validum est Matrimonium: idemque dicendum, si prius quidem ignorata ejus conditione servili contraxit, postea tamen cognita rei veritate in Matrimonium consensit, aut servam carnaliter cognovit. Ita communis; habeturque decisum *c. Proposuit.* & *cap. ul. De Conjug. servor.* Accedit ratio: quia potest cedere juri suo.

59 CONCL. IV. Quando servitus non est vera & proprie dicta, sed adscriptitia solum, aut originaria, ejus error non dirimit Matrimonium. Ita Sanchez *cit. disp.* 19. *n.* 9. cum communi. Ratio est: quia hæc servitus non ita obsistit effectibus Matrimonii, sicuti prior, unde nec ejus ignorantia censetur tollere sufficientem consensum pro Matrimonio. Hinc Ecclesia numquam legitur irritasse, vel irrita declarasse Matrimonia cum talibus servis ignoranter inita.

60 Ubi notandum, quod communiter triplex assignetur genus Servorum. Primo enim aliqui sunt *Servi proprie dicti*, qui ita sunt juris domini sui, ut eos venumdare possit: & tales dicuntur *Mancipia*, de quibus loquitur præsens impedimentum Conditionis. Secundo, alii dicuntur *Servi adscriptitii*, & sunt illi, qui glebæ, seu prædio cuipiam colendo sunt perpetuo addicti. Tertio, alii sunt *Servi originarii*, & sunt illi, qui ex adscriptitiis nati sunt.

61 Porro, quamvis hæc utraque posterior Servitus, licet antea ignorata, non sit impedimentum dirimens Matrimonii ut dictum; nihilominus de Jure Canonico Servi tum adscriptitii, tum originarii, prohibentur ad Sacros Ordines promoveri invitis suis dominis, & ante manumissionem in scriptis Episcopo exhibendam; ut habetur *can. Generalis.* &. *c. Admittuntur. dist.* 54.

§. III.

De Impedimento Violatæ.

SUMMARIUM

62 *Violentia, quid?*

(*b*) Dist, 13. quæst. 3. n. 29. & seqq.

62 Per vim, seu *Violentiam*, prout est unum ex impedimentis dirimentibus Matrimonii, aliud non intelligitur, quam metus gravis, atque injuste incussus, inducẽs hominem ad contrahendum Matrimonium, quod alioquin nullo modo contraxisset, nisi ad id metu illo, seu violentia fuisset compulsus. Et matrimonium ex tali metu gravi, atque injuste incusso contractum ipso jure nullum est, ac irritum; prout superius (*b*) jam dictum.

§. IV.

De Impedimento Impotentiæ.

SUMMARIUM.

63 *Impedimentum Impotentiæ, quod?*
64 *Dirimit Matrimonium, si est perpetua Impotentia.*
65 *Quid de temporali?*
66 *Aut si Impotentia supervenit Matrimonio jam contracto? An tunc liceant oscula, & tactus, ac quando?*
67 *In dubio, an Impotentia censeatur præcessisse Matrimonium, quidnam resolvendum?*
68 *Quid juris, si dubitetur, an ea sit perpetua?*
* *De probatione triennali. Add. I. & II.*
69 *Castratio est Impedimentum dirimens Matrimonii.*
* *Ubi etiam de curato ab Hernia. Vid. Add.*
70 *Non vero sola sterilitas.*
* *Ubi casus notabilis de muliere recipiente, sed non retinente semen.*
71 *Impuberes invalide contrahunt, nisi malitia suppleat ætatem.*
72 *Idque ex Jure Ecclesiastico.*
Corollarium.
* *Casus de Hermaphrodito. Addit. I.*
* *Item de feminis nimium arctis. Addit. II.*
* *Ac senibus decrepitis. Addit. II.*

63 Per *Impedimentum Impotentiæ* hoc loco intelligitur impotentia coeundi, seu inhabilitas ad habendam perfectam copulam conjugalem, quæ alias fieri solet per feminei vasis penetrationem, & seminis in id effusionem. Et de hac impotentia loquendo, sit

64 CONCL. I. Impotentia, si est perpetua, cui per naturam vel artem, vel etiam per adhibita media spiritualia (posito, quod hæc impotentia proveniat ex maleficio) subveniri non potest, simulque præcessit contractum matrimonialem, simpliciter impedit Matrimonium contrahendum, & dirimit contractum, respectu cujuscumque est tale impedimentum. Ita communis, & habetur *c. Ex litteris.* & *c. Fraternitatis. De Frigidis & maleficiatis.*

65 Dicitur *I. Si perpetua.* Nam temporalis v. g. propter febrim, aut aliam infirmitatem accidens non dirimit Matrimonium. Quinimo valet Matrimonium in mortis articulo contractum cum concubina ad legitimandam prolem; prout tenet communis Doctorum, & praxis Ecclesiæ. Siquidem infirmi de se non habent impotentiam perpetuam, sed temporalem: & per accidens est, quod quandoque hic & nunc moriantur, sicque impotentia illa fiat perpetua.

66 Dicitur. II. *Simulque præcessit contractum matrimonialem.* Nam, si ejusmodi impotentia sive propter viri frigiditatem, sive ob maleficium Matrimonio jam contracto primum superveniat, certum est, Matrimonium non dirimi, quod in emergentia casus bene sibi notent Confessarii, ac diligenter interrogent, an talis impotentia statim ad initium Matrimonii adfuerit, nec ne? Quod si illa impotentia primum successu temporis advenisset, illud Matrimonium est, & manebit validum. Infertur proinde, quod talibus, utpote veris conjugibus, liceant tactus, & oscula ad ostendendum affectum conjugalem, dummodo absit periculum pollutionis. Infertur ulterius, quod talibus etiam licitum sit, conari ad actum conjugalem, quamdiu spes probabilis superest ipsum perficiendi intra vas naturale, licet aliquando præter

intentio-

intentionem pollutio contingat. Additur; *quamdiu spes probabillis superest &c.* nam, si de consummatione ejus totaliter sit desperatum, tunc illis illicitus est accessus conjugalis: quamvis conformiter modo dictis talibus adhuc licerent tactus & oscula ad ostendendum affectum conjugalem. Sanchez *lib.* 9. *disp.* 17. *num.* 18. Layman *lib.* 5, *Tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 11. & alii.

67 Porro in dubio, an impotentia præcesserit Matrimonium, vel primum postea supervenerit, præsumendum est, eam præcessisse. Abbas *c. Fraternitatis. De Frigid. & malef.* Engel. *eod. num.* 10. & alii.

68 In dubio autem, num impotentia illa Matrimonium antecedens sit perpetua, vel temporalis, tunc ad experiendum conceditur conjugibus spatium trium annorum. *c. Laudabilem. Eod.* Dicitur, *in dubio*; nam, si de impotentia perpetua constet, statim separatur Matrimonium; quia, dum constat de veritate, frustra adhibetur ulterior experientia. Poterunt tamen tales, si voluerint, cohabitare ut frater & soror, caste videlicet vivendo, & abstinendo ab omni commercio carnali. *arg. c. Consultationi. Eod.*

Additio I.

* Ceterum tempus illud triennale, quod conjugibus in dubio, num inpotentia sit perpetua, vel temporalis, ad probandum conceditur, conformiter dictis in Jure Canonico *lib.* 4. *Decret. tit.* 15. *n.* 27. non computatur a die contracti Matrimonii, sed incipit a tempore, quo prima vice attentata fuit copula; quoniam præfatum triennium conceditur ad explorandum, an impotentia sit perpetua; hæc autem exploratio non alio commodiori tempore, quam ab ipsa copulæ attêtatione suum initium sumit: ergo. Quodsi hoc triennium fuerit completum, antequam actualiter adhuc ad separationem pro foro externo procedatur, prærequiritur, ut, si aliunde per inspectionem ocularem, vel alia signa certitudo de impotentia haberi nequeat, saltem ambo conjuges jurent, quod serio copulam intra hoc tempus tentaverint, nec tamen perficere potuerint. Item præterea ex parte cujuslibet conjugis debent septem propinqui, vel his deficientibus septem vicini bonæ famæ deponere juramentum credulitatis, id est, debent jurare, quod credant, memoratos conjuges affirmare verum, de quo plura in jure Canonico *Lib.* 4. *Decret. tit.* 15. *n.* 33. *& seqq.* Insuper quando constat, illud Matrimonium intra tempus hoc triennale consummari non potuisse, ab eo tempore nequeunt amplius putati hi conjuges petere, vel reddere debitum. Ratio est: quia tunc censetur adesse moralis certitudo impotentiæ, adeoque male tentaretur copula. Quod si tamen ex certis circumstantiis intra hoc tempus affulgeret aliqua nova spes perficiendi copulam, posset hæc probatio continuari etiam ultra triennium juxta Cajetanum, & Sanchez apud la Croix *Lib.* 6. *part.* 3. *n.* 803. Quod idem præsens Auctor *Lib.* 4. *Decret. Tit.* 15. *num* 45. concedit usque ad annos plenæ & perfectæ pubertatis, si Matrimonium in ætate valde juvenili fuisset contractum, puta si maritus quando nuplit, primum explesset annum decimum quartum. Censetur autem apud masculos plena, & perfecta pubertas primum adesse anno decimo octavo §. 4. *Instit. De adoptionibus.* *

Additio II.

* Ast ponamus, quod finito sine effectu copulæ triennio, & non affulgente nova spe in futurum eam perficiendi, impotentia ex parte unius conjugis fuerit decisa Judicio Ecclesiæ perpetua, & consequenter impedimentum dirimens, atque exinde alteri comparti potenti data licentia trasfeundi ad aliud Matrimonium, quod etiam contraxit, & consummavit: ponamus, inquam, quod post hæc omnia jam facta primum deprehendatur, illam impotentiam non fuisse perpetuam; puta, quia pars, quæ judicabatur impotens, post separationem, & declaratam nullitatem prioris Matrimonii aliam per copulam fornicariam imprægnavit, quidnam tunc agendum; num redeundum ad primum Matrimonium, vel poteritne altera compars persistere in secundo? Antequam resolvam, Notandum I. Quod impotentia perpetua dicatur illa, quæ vel nequit tolli citra miraculum absolute, vel saltem non sine maleficio, seu peccato, sive non sine gravi periculo mortis. Quod si tolli queat citra miraculum, & absque peccato, ac mortis periculo, censetur ante sublationem impotentia temporalis, quæ non dirimit præcedens Matrimonium. Notandum II. Quod impotentia perpetua alia sit absoluta, id est, quoad quascumque personas alterius sexus: alia respectiva, seu respectu unius tantum, vel alterius. Utraque autem evenire potest vel naturaliter, vel ex maleficio. *Naturaliter* ordinarie ex parte viri contingit ob nimiam frigiditatem, & ex parte feminæ ob nimiam arctitudinem. *Ex maleficio* autem censetur evenire, quando alias nullus defectus neq; ex parte mariti, neque ex parte uxoris advertitur. H. N.

Respond. I. Si separatio, & præcedentis Matrimonii nullitatis declaratio fuerit facta ex eo, quoniam a Judice credebatur impotentia absoluta, & naturalis, quæ tamen postea cernitur sublata absque miraculo, peccato, vel interveniente gravis mortis periculo, debet in simili casu primum Matrimonium reintegrari, & posterius anullari. Ita desumitur ex *cap.* 5. *& 6. de Frigidis.* Ratio est: quia hæc sententia Judicis nitebatur falso supposito. Respōd. II. Si præcedens impotentia naturalis fuerit judicata respectiva, & exinde declaratum præcedens Matrimonium nullum, debet adhuc in ea nullitate persisti, & secundum Matrimonium, quod contraxit altera pars, permitti in suo valore, quia bene potest contingere ut quis sit potens respectu unius, non tamen respectu alterius; prout idem evenire potest, si præcedens impotentia fuerit judicata provenire ex maleficio, & exinde adhibitis frustra intra triennium probationis variis Exorcismis declarata nullitas primi Matrimonii; potuit enim maleficium factum esse inter has duas personas, ut se non extenderit ad alias, hincque in simili casu utraque pars posset ad alias transire nuptias. Videantur dicta in Jure Canonico *Lib.* 4. *tit.* 15. *num.* 56. *& seqq.* *

69 CONCL. II. Castratio est impedimentum dirimens Matrimonii: & hinc perfecte eunuchi (hoc est, utroque testiculo carentes) non sunt habiles ad illud contrahendum. Ita communis; & patet ex Bulla Sixti V. *Cum frequenter.* (& habetur *tom.* 2. *Bullarii Romani. Constit.* 59. *dicti Pont.*) in qua declaratur, perfecte eunuchos esse ad contrahendum inhabiles, eosque, qui jam contraxerant, iterum separandos. Ratio est: quia, licet tales possint uti congressu, destituuntur tamen vero semine, ac proinde per se loquendo sunt inepti ad habendum bonum prolis, qui est finis primarius Matrimonii.

Additio.

* Aliam difficultatem movet la Croix *Lib.* 6. *part.* 2. *num.* 789. de aliquo curato ab hernia per sectionem, ubi uterque testiculus equidem mansit in inguine, ast cum visceribus reconditus, & insutus. Quæritur, an talis possit verum excoquere semen, ita, ut sit capax Matrimonii? Et respondit ibidem Uuiversitas Vallesoletana cum Medicis, & Canonistis affirmative. *

70 CONCL. III. Nihilominus sola sterilitas non est impedimentum dirimens Matrimonii. Ita communis. Ratio est: tum quia steriles possunt uti naturali copula, quæ per accidens tantum inepta est ad generandum, imo quandoque præter spem deservit ad generationem prolis; uti patet in Anna, matre Samuelis, sancta Elisabeth, matre S. Joannis Baptistæ, & pluribus aliis; tum quia Matrimonium non solum propter bonum prolis; sed etiam in remedium concupiscentiæ permissum, atque institutum est.

Additio.

* Ex hoc infertur, quod validum sit Matrimonium, si mulier semen viri debite valeat recipere, quamvis illud

denuo matrix rejiciat. Ratio est; quia in simili casu jam habetur perfecta copula conjugalis; quod autem matrix illud semen iterum rejiciat, signum quidem est sterilitatis, ast hæc non obest valori Matrimonii. Quod si vero femina ob nimiam latitudinem vasis mulieris ne quidem semen viri debite recipere possit, an tunc non adsit impotentia dirimens Matrimonium aliud est dubium, ad quod la Croix *loc.cit.n.*700. respondet. Si latitudo antecesserit, nec naturaliter citra grave mortis periculum repelli possit, & sit constans causa, cur semen viri non possit debite recipi a femina, facit non solum sterilitatem, sed impotentiam perpetuam; utpote cum nequeat exerceri perfecta copula, adeoque ab initio invalidat Matrimonium. Quod si de aliquo horum sit dubium, debet talis mulier conformiter *cap.*5.6.&7. *De Frigidis.* a peritis inspici, & examinari. Videatur desuper Paulus Zacchias *Lib.* 3. *Consilior. tit.* 1. *q.* 6.*

71 Quæres I. An impuberes (id est, masculi ante decimum quartum, & feminæ ante duodecimum ætatis annum completum) valide possint contrahere Matrimonium? Resp. negative, nisi in eis malitia suppleat ætatem; prout liquet ex *c. Puberes.&cap.ult. De Desponsat. impuber.* cum concordantiis. Ratio est; quia Ecclesia speciali jure disposuit, ut ejusmodi Matrimonia sint irrita; uti patet tum per jura allegata, tum ex *c. Attestationes. Eod.* ubi impuberes contrahentes jubentur separari, nisi malitia suppleat ætatem; id est, nisi citius sint doli capaces, simulque potentes ad actum conjugalem.

72 Dices. Impotentia temporalis non dirimit Matrimonium, ut dictum *n.*65. atqui in impuberibus adest sola Impotentia temporalis; ergo. Resp. Majorem esse veram, quantum est ex natura rei; secus accedente Jure Ecclesiastico, quo impuberes, in quibus malitia non supplet ætatem, redduntur inhabiles ad contrahendum Matrimonium de præsenti. Nam, ut notat Sanchez *Lib.* 7. *de Matr. disp.*104.*n.*9. Herincx *disp.*6. *de Matr.n.*85.& alii, quamvis impuberes ceteroquin doli capaces, non obstante impotentia temporali ad actum conjugalem, spectato Jure naturæ, possent valide contrahere Matrimonium (prout & puberes effecti valide contrahunt, non obstante aliqua impotentia temporali, vel superveniente, vel adhuc ob complexionem tenellam durante) nihilominus impuberes Jure Ecclesiastico redduntur inhabiles ad contrahendum, nisi malitia supplente ætatem sint potentes ad actum conjugalem. Ex quo ultimo infert Fagnanus *c. De illis.num.*38. *de Desponsat. impub.* quod istud impedimentum ætatis, a SS. Canonibus præfinitæ, non sit absolutum, sed conditionale, nisi videlicet malitia suppleat ætatem: quamvis ante eam ætatem afferenti hanc aptitudinem incumbat onus ipsam probandi, utpote qui præsumptionem Juris contra se habet; nam Jus adepta pubertate & non ante præsumit homines habiles ad actum matrimonialem.

Additio I.

* Quæres II. An Hermaphroditi, id est, participantes partim de sexu masculino, partim de feminino, possint valide contrahere Matrimonium? Respond. cum communi affirmative. Ratio est; quia Hermaphroditus potest perfectam superius *n.*63. descriptam exercere copulam. Interea tamen, ut non solum valide, sed etiam licite id faciat, debet se gerere secundum prævalentiam sexus, vel si nullus sexus prævaleret, sed uterque quasi æqualis appareret, deberet se ad unum sexum ante Matrimonium determinare, & in Matrimonio non nisi secundum sexum semel electum copula uti. Videantur dicta *lib.*4. *Decret.tit.*15. *num* 22. & *seqq.**

Additio II.

* Quæres III. An feminæ nimium arctæ possint valide contrahere Matrimonium? Ratio dubitandi, & negativam tenendi posset esse: quia tales ob nimiam arctitudinem sunt impotentes ad veram copulam exercendam, cum exinde vir nequeat vas femineum penetrare. Resp. tamen sub distinctione: nam vel talis arctitudo citra grave mortis periculum est curabilis, vel non? Si posterius similis femina nequit valide contrahere, cum adsit impedimentum perpetuum impotentiæ: si autem citra grave periculum mortis est curabilis, poterit contrahere; quia tale impedimentum est tantum temporale. Tenetur tamen hæc femina admittere aliquam incisionem etiam cum sensibili quodam dolore, & quamvis hanc arctitudinem primum adverterit post contractum jam bona fide Matrimonium. Vide in Jure Canonico *Lib.* 4. *Decret. Tit.* 15. *n.*66. & 67. *

Additio III.

* Quæres IV. An senes decrepiti possint contrahere Matrimonium? Respond. iterum sub distinctione: si enim natura, vel arte Medicorum disponi queant ad copulam, excitando e g. in ipsis calorem naturalem utique possunt contrahere Matrimonium, utpote potentes, etsi forsan semen sterile habentes; secus vero, si ita sint viribus exhausti, ut neque arte Medicorum juvari valeant ad copulam exercendam. Primum ordinarie censetur supponi saltem ex praxi Ecclesiæ, quæ passim similia Matrimonia admittit, nisi expresse constet de impotentia, prout advertunt Schmalzgrueber *Lib.*4. *Decret. Tit.* 15.*n.* 33,& Holzman *Tract. De Matrim.n.*627. Alterum vero pariter aliquoties potest contingere. Unde Navarrus apud la Croix *Lib.*6.*part.*3.*n.*791. merito arguit quasdam mulieres adhuc juvenes, quæ cum ejusmodi decrepitis contrahentes divitias sibi potius desponsant, quam personas, ex quo plura sæpius mala atque adulteria eveniunt, uti Confessarii experiuntur. *

§. V.

De Impedimento Ligaminis.

SUMMARIUM.

73 *Impedimentum Ligaminis, quid?*

PEr *Impedimentum Ligaminis* intelligitur vinculum prioris Matrimonii, quo durante posterius est nullum, & irritum. Verum de hoc ex professo dictum superius *Distinct.præc.Quæst.*4. per totum: ibi videatur.

§. VI.

De Impedimento Ordinis.

SUMMARIUM

74 *Impedimentum Ordinis, quid?*
75 *Oritur ex Jure Ecclesiastico.*

PEr *Impedimentum Ordinis* illud intelligitur, quo Clerici in Sacris Ordinibus constituti, id est: Subdiaconi, Diaconi, ac Presbyteri, fuerunt ab Ecclesia inhabiles redditi ad valide contrahendum Matrimonium: ut patet ex *c. Prebyteris. dist.* 27. cum concordantiis, estque novissime definitum in Concilio Trid. *Sess.* 24.*can.*9. ibi: *Si quis dixerit, Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares Castitatem solemniter professos posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse non obstante Lege Ecclesiastica vel Voto &c. anathema sit.*

75 Ex quibus verbis simul liquet, ac jam antea notavit Scotus 4.*dist.*37. istud impedimentum Ordinis oriri ex Jure dumtaxat Ecclesiastico, quo tales ad contrahendum valide Matrimonium redduntur inhabiles; unde etiam a Summo Pontifice dispensari potest ex gravi causa, ut tali sacro Ordine etiam Sacerdotali initiatus nubere queat prout similia exempla referuntur *IV. Decret. Tit.*6.*n.* 16. Ceterum si non dispensati Clerici in Sacris constituti Matrimonium contrahere præsumant, prætter quam quod nulliter ac invalide contrahant, excommuni-

municationis sententiam ipso facto incurrunt, juxta *Clem. Eos qui. De Consang. & affinit.*

§. VII.

De Impedimento Voti.

SUMMARIUM.

76 *Votum solemne Castitatis dirimit Matrimonium, non simplex, cur?*
(i) Ut dictum Tract. 6. Dist. 3. num. 8. & 9.
77 *Quid de votis simplicibus Societatis JESU?*

76 Cum Votum Castitatis aliud sit simplex, aliud solemne (i) conveniunt Doctores, solum Votum solemne Castitatis in aliqua Religione approbata dirimere Matrimonium, si id post Votum hoc emissum attentaretur contrahi, de quo proinde præsens Impedimentum intelligendum est: Votum autem simplex Castitatis non *dirimit contractum*, sed solum *impedit contrahendum*, prout patet ex *c. un. De Voto in 6.* Rationem hujus assignat Doctor Subtilis 4. *dist.* 38. *circa finem*: quia Ecclesia habentes Votum solemne Castitatis illegitimavit ad contrahendum Matrimonium, non autem habentes Votum dumtaxat simplex. Et hoc rationabiliter factum fuit: quia ille se posuit in potestate Ecclesiæ, quantum ad oppositum ejus, ad quod est contractus Matrimonii, non vero iste habens dumtaxat Votum simplex Castitatis; & hinc noluit Ecclesia hunc illegitimare ad contrahendum Matrimonium, sed eum reliquit Judicio Divino.

77 Ceterum ab hac generali doctrina excipi debent Vota simplicia, in Societate JESU post absolutum biennium Novitiatus emitti solita: nam ejusmodi Votum simplex Castitatis ante legitimam e Societate dimissionem non solum impedit Matrimonium contrahendum, sed etiam dirimit contractum: prout constat ex Bulla Gregorii XIII. *Ascendente Domino.* (& habetur *tom.* 2. *Bullarii Romani. Constit.* 89. *dicti Pont.*) ubi §. 22. omnes ad sic contrahendum inhabiles declarantur, ipsique contractus annullantur. Et merito: nam etiam tales Professi specialiter quoad hoc se posuerunt in potestate Ecclesiæ.

§. VIII.

De Impedimento Disparitatis Cultus.

SUMMARIUM.

78 *Impedimentum Disparitatis Cultus, quod?*
79 *Solvitur instantia.*
80 *Alia Cultus Disparitas, quæ est inter Catholicos, & Hæreticos. Hæc impedit Matrimonium.*
81 *Quod limitatur.*
* *Et occurritur Objectioni.*
82 *Pacta de parte liberorum in hæresi educanda sunt impia, cum Additione.*
83 *Cautela circa Matrimonia Catholicorum cum Hæreticis, una cum Additione.*

78 Per *Impedimentum Disparitatis Cultus*, seu *disparis Cultus* aliud non intelligitur, quam illud quod oritur ex disparitate in Fide: qualis disparitas in Cultu, seu Fide datur inter eas personas, quarum una est fidelis seu baptizata, altera vero infidelis & non baptizata. Et talis Cultus Disparitas est impedimentum dirimens Matrimonii; ita ut defacto persona fidelis cum infideli valide contrahere non possit.

79 Nec obstat, quod S. Monica nupserit Patritio cuidam gentili, & S. Clotildis Clodoveo Francorum Regi adhuc gentili. *Resp.* enim. id tunc valide factum, eo quod vel illo tempore necdum ab Ecclesia fuerint annullata & irritata talia Matrimonia, quæ fuerunt contracta inter fidelem & infidelem, vel certe ob rationabilem causam tunc prædictæ personæ obtinuerint legitimam dispensationem. Siquidem hanc Cultus Disparitatem solo Jure Ecclesiastico irritare Matrimonium, eo quod Ecclesia illegitimaverit Fidelem respectu Infidelis, notat Scotus 4. *Dist.* 39. §. *De secundo*, estque communis.

80 Præter hanc cultus Disparitatem, quæ intercedit inter Fidelem ac Infidelem, datur adhuc alius Dispar Cultus, qui reperitur inter eas personas, quarum utraque est baptizata, una tamen est Catholica, altera vero hæretica, vel apostata a Fide: nam etiam tales personæ habent Disparem Cultum, seu Fidem. Ceterum hæc Fidei, seu Cultus Disparitas, si non simul aliud impedimentum dirimens concurrat, non *dirimit* Matrimonium, quamvis illud contrahendum *impediat*: ac proinde persona Catholica valide quidem potest contrahere Matrimonium cum hæretica, non tamen licite; cum talia Matrimonia prohibeantur *c. cave*, & *c. Non oportet.* 28. *Quæst.* 1. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 72. cum communi.

81 Excipe tamen cum eodem Sanchez loca illa, in quibus Hæretici cum Catholicis permixti vivunt, ut in Germania, Gallia, Polonia: in his enim ex consuetudine recepta, & tolerata licent conjugia personæ Catholicæ cum hæretica ex gravi ratione inita, dummodo Catholica libere, & absque subversionis periculo permittatur in Fide permanere.

Additio.

* Nec dicas, tali modo Catholicam moraliter cooperari, & influere in peccatum ipsius hæretici, quod is committit indigne administrando, & recipiendo Sacramentum Matrimonii, qualis influxus utique videtur illicitus. Respondet enim optime Pater Pichler *Lib.* 4. *Decret. tit.* 1. *cum.* 130. negando, talem Catholicam in his circumstantiis moraliter cooperari alterius peccato; quoniam facit aliquid ex se honestum ob gravem causam, quo alter abutitur, & peccat ex sua malitia: sicuti eodem modo discurritur quoad eum, qui ministrat Eucharistiam publice petenti, quem privatim scit indignum &c. Deinde materiales hæretici non semper indigne, aut sacrilege saltem formaliter suscipiunt Sacramentum Matrimonii. Unde etiam Cardinalis de Lugo apud la Croix *tom.* 1. *lib.* 2. *n.* 99. defendit, tales nuptias personæ Catholicæ cum Acatholica ex justa causa in locis, ubi similis viget consuetudo, contractas benedici posse a Parocho Catholico in favorem personæ Catholicæ, quæ propter contho ralem Acatholicam non debet suo jure privari.

82 Pacta vero, quæ quandoque in talibus conjugiis ineuntur, ut quidam ex liberis nasciturus Catholicæ Fidei, alii vero hæresi adhæreant, sunt prorsus impia & irrita; cum pugnent contra Jus naturale, & Divinum, quo tenentur parentes prolem in vera Fide educare, eique media ad salutem consequendam necessaria subministrare.

Additio.

* Quinimo P. Franciscus Schmier *lib.* 4. *Jurisprud. Tract.* 3. *cap.* 5. *sect.* 3. *n.* 57. cui adhæret Scmalzgrueber *lib.* 4. *Decret. tit.* 6. *n.* 150. defendit, Matrimonia, quibus similia pacta expresse adjiciuntur, omnino esse invalida, cum sint contra bonum prolis; pacta autem, in Matrimonio contra bonum prolis inita, sint nulla, uti deducitur ex *cap. fin. De Conditionibus appositis* & habetur superius *Dist.* 13. *in Append. post quæst.* 3. *Addit.* I. Sed respondet P. Holman hic *Tom.* 2. *Tract.* 2. *num.* 577. similia pacta esse quidem nulla; si conditio adjiciatur contra bonum prolis naturale; e. g. si quis diceret *contraho tecum, si generationem prolis evites*: secus vero, si conditio addita fuerit præcise contra bonum morale prolis; quamvis & talia pacta sint illicita, & impia. *

83 Quia insuper ex Matrimoniis Catholicorum cum hæreticis communiter majora eveniunt mala, quam bona, utputa pertractio conjugis Catholicæ ad hæresim, vel saltem violationem Legum Ecclesiasticarum, rixæ, & dissensiones inter ipsosmet conjuges, periculum perversionis liberorum nasciturorum, ac hujusmodi; hinc præter Ritualia Diœcesana, stricte circa hoc observanda,

merito

merito notant Doctores, Parochis esse attendendum, ut, quoad possunt, sese opponant talibus conjugiis, neque ipsis assistant, nisi ineantur ex justa causa, & sine mortali periculo subversionis, numquam autem iis, quorum Sponsi paciscuntur de parte liberorum educanda in hæresi, ne quoquo modo videantur consentire in pacta illicita, jurique naturali ac Divino de legitima prolium educatione, atque instructione in vera Fide repugnantia. Gobat *tract.* 9. *Theol. Experim. n.* 220. & alii.

Additio.

* Quæres. Quid igitur sentiendum sit de illa praxi, qua aliquoties in Germania pars Catholica contrahentium equidem paciscitur, ut certum saltem genus prolium (puta masculi) educetur in Religione Catholica; quoad alterum vero liberorum genus se habeat permissive? Respondent ex Tannero Patritius Sporer *part.* 4. *Theolog. Sacrament. cap.* 1. *num.* 120. ℣. *Observat tamen.* & laCroix *lib.* 2. *num.* 98. V. *Tannerus tamen.* in illis locis, in quibus alias Matrimonia Catholicos inter, & hæreticos inita citra proximum perversionis periculum ex consuetudine licent, etiam similem praxin non esse peccaminosam, supposito, quod aliunde simile Matrimonium sit valde utile ad bonum commune. Ratio est, quia etsi numquam sit malum positive faciendum, ut eveniat bonum; aliquoties tamen id permitti licite potest, si ita bonum commune exigere videatur, aut majus malum, alias eventurum, per talem permissionem evitetur. Unde Sporer *loc. cit.* addit, talem feminam Catholicam licite absolvi, quando dicit in Confessionali, nihil nisi graves dissensiones una cum verberibus eventuras, si proles, sub speciali pacto non comprehensas, in fide Catholica educare attentaret, marito ad hoc singularissime attendente. *

§. IX.

De Impedimento Criminis.

SUMMARIUM.

84 *Impedimentum Criminis, quid, & unde oriatur?*
85 *Machinatio in mortem conjugis dirimit Matrimonium, quando fit pari consensu;*
86 *Vel conjungitur adulterio.*
87 *Adulterium, in quibus casibus dirimat Matrimonium?*
88 *Quatuor conditiones, ut uxoricidium dirimat Matrimonium. I.* 89. *II.* 90. *III.* 91. *IV.*
92 *An hoc impedimentum oriatur, si uxor occidat virum?*
93 *Quæ requirantur, ut adulterium dirimat Matrimonium? cum duplici Additione.*
* *Quid sentiendum de futuri Matrimonii promissione facta vivente adhuc altera conjuge, si nullum sit conjunctum adulterium aut conjugicidium? Addit. III.*

84 PEr *Impedimentum Criminis* intelligitur impedimentum dirimens Matrimonii, quod ex aliquo gravi crimine ortum habet. Et quidem spectato Jure communi antiquo (nam Concilium Trident. *Sess.* 24. *de Ref. Matr. cap.* 6. addidit impedimentum ex Raptu proveniens) duplex est hujusmodi crimen, videlicet Machinatio in mortem conjugis, & Adulterium: quamvis hæc non semper dirimant Matrimonium; sed in sequentibus dumtaxat casibus.

85 Itaque Machinatio in mortem conjugis tunc dirimit Matrimonium, quando vel pari consensu viri & mulieris committitur uxoricidium effectu secuto, vel quando uxoricidium conjungitur cum adulterio. Ita communis. Prima pars patet ex *c. Laudabilem De Convers. Infidel.* ubi dicitur, quod Saraceni, *qui quarumdam Christianarum viros earum insidiis, & machinationibus occiderunt,* postea conversi ad fidem non possint hasce mulieres Christianas habere in conjuges. Concordat *c. Si quis vivente* 31. *q.* 1.

86 Altera pars habetur *c. Super hoc* & *c. Significasti. De eo, qui duxit in Matrim.* Et quidem in tali casu, quando adulterium jungitur uxoricidio, sufficit ad illud impedimentum incurrendum, quod alterutra pars, nimirum vel adulter, vel adultera, fuerit machinata in mortem conjugis, effectu tamen secuto; sive deinde fidem dederint, quod conjuge defuncta velint invicem nubere, sive non. Patet hoc ex *cit. c. Super hoc. Eod.* ibi: *Si adultera est in mortem uxoris aliquid machinata, sive fidem dedit, sive non, quod ea defuncta hanc esset ducturus, secundum Canones ab ejus consortio prohibetur: & hæc prohibitio perpetuo est servanda.* Ita videlicet perpetuo, ut nedum impediat Matrimonium contrahendum, sed etiam dirimat jam contractum; prout explicat Abbas ibidem, & sequuntur alii.

87 Quantum attinet alterum crimen, tunc adulterium impedit Matrimonium contrahendum, ac dirimit contractum inter adulterum & adulteram, quando vel cum adulterio concurrit machinatio in mortem conjugis, ut proxime dictum, vel quando una cum adulterio intervenit fidei datio mutua de contrahendo inter se Matrimonio post mortem conjugis *arg. c. Significasti. Eod.* juncto *c. Relatum* 31. *q.* 1. vel quando contractus Matrimonii de facto (nam de jure non valet) cum adultera initus est, vivente adhuc priore conjuge; prout liquet ex *c. Significavit, & c. Ex literarum. De eo qui duxit in Matrimonium.* Verum pro clariori dictorum intelligentia,

88 Quæritur I. Quæ conditiones requirantur ad hoc, ut crimen uxoricidii inducat dictum impedimentum? Resp. Quatuor ad hoc debere concurrere. I. Ut unus conjugum vere, physice, vel moraliter extiterit causa necis consorti illatæ; & hinc sola ratihabitio ejus non sufficit, nam hæc non est causa occisionis, neque influit in eam, sed hanc supponit. Sanchez *lib.* 7. *de Matr. disp.* 78. *n.* 6. Herincx *disp.* 6. *n.* 73. Bonacina & alii.

89 II. Ut vel occisioni conjugis accedat adulterium, licet non interveniat mutua conspiratio, vel, si adulterium desit, ambo, qui contrahere volunt, conspirarint in necem alterius conjugis.

90 III. Ut mors realiter sequatur, & ex vi actionis illarum: nam in materia pœnali, & odiosa verba cum effectu accipienda sunt *c. Hæc autem verba. De Pænit. dist.* 1. Unde si machinatio in mortem conjugis caruit effectu, vel mors ejusdem aliunde consequatur v. g. ex incuria Medici, vel Chirurgi, non consurgit illud impedimentum.

91 IV. Ut vir & fæmina ad finem contrahendi machinentur atque inferant mortem: etsi enim hæc conditio nullo claro textu habeatur expressa, colligitur tamen tum ex *c. Si quis vivente* 31. *quæst.* 1. tum ex fine hujus impedimenti, quod inductum fuit, ne conjux conjugem occidere præsumat, ut soluto priori Matrimonio possit Matrimonium inire cum alia persona, quam deamat. Sanchez *disp.* 88. *num.* 13. Bonacina, Herincx, Mastrius, Sannig, & alii; quamvis non desint, qui negant, hanc conditionem requiri.

92 Quæritur II. Utrum ad incurrendum hoc impedimentum requiratur, ut occisio sit uxoris; ac proinde illud non consurgat, si uxor virum suum occidat ad contrahendum cum adultero? Affirmant nonnulli, eo quod *cit. c. Significasti. De eo, qui duxit in Matrim.* de solo uxoricidio; seu machinatione in mortem uxoris fiat mentio; dicendum tamen est cum Sanchez *lib.* 7. *disp.* 78. *num.* 8. & communi aliorum, hoc impedimentum consurgere etiam, si uxor virum occidat *arg. c. Laudabilem. De Convers. infidel.* ubi dicitur, hoc impedimentum contraxisse mulieres, quæ viros suos occiderunt. concordat *c. Si quis vivente* 31. *q.* 1. ibi: *Nisi forte vir, aut mulier virum, qui mortuus fuerat, occidisse notetur.* Accedit, quod de correlativis idem sit judicium; ut notat Layman *c. Translato num.* 5. *& 6. de Constitution.* unde hoc impedimentum ex occisione resultans ab Apollonio Holzman *de Matrim. Tract.* 2. *n.* 560 *& seqq.* potius vocatur *conjugicidium*, quam *uxoricidium.*

93 Quæritur III. Quæ conditiones requirantur ad hoc, ut crimen adulterii inducat impedimentum dirimens? Resp. si adulterium contingat absque machinatione in

in mortem conjugis, requiri sequentia. I. Ut cum adulterio interveniat promissio de ineundo Matrimonio post mortem conjugis, vel contractus ejus de præsenti: quamvis nihil referat, sive talis mutua fidei datio præcesserit adulterium, sive hoc illam antecesserit, dummodo concurrant ambo durante priori matrimonio. II. Ut promissio illa sit facta serio: ficta enim promissio non sufficit, cum revera nulla sit. III. Ut copula fuerit perfecta, sive sufficiens ad generationem, nam sola pollutio, aut emissio seminis extra vas non sufficit: siquidem materia ista est pœnalis, ac proinde requirit adulterium perfectum. IV. Ut utraque pars formale adulterium commiserit: unde, si adultera ignorat, compartem esse Matrimonio ligatam, hujusmodi impedimentum non incurritur, Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 79.* Herincx, Sannig, & alii.

Additio. I.

* Illud adhuc in præsenti in controversiam vocari posset, an ad contrahendum hoc impedimentum præter adulterium requiratur, ut promissio futuri Matrimonii cum adulterio conjuncta ad invicem sit mutua, vel num sufficiat, ut una pars promittat, & altera præcise acceptet? Ubi quidem hic Auctor (uti patet ex prima conditione per verba ly *mutua fidei datio*) videtur inclinare in primam sententiam, ac pro ea ipsa a Patre la Croix *lib. 6. part. 3. n. 626.* citantur Henriquez, Bellarminus, Diana, Layman, Burghaber, & Krimer, & a Patre Elbel *de Matrimonio part. 3. Theolog. Sacrament. Conferent. 7. n. 165.* ipsa Glossa in *cap. Significasti. De eo, qui duxit &c.* Nihilominus contraria sententia secunda Patris Bosco, Sanchezii, Pontii &c. videtur communior, & meo judicio, si similis controversia ante Matrimonium contrahendum emergat, merito tenenda in praxi, ne alias Sacramentum Matrimonii futuri exponatur gravi periculo nullitatis; cum agatur de valore actus, & præterea neque *can. Relatum 31. quæst. 1.* nec *cap. Significasti. De eo, qui duxit in Matrimonio*, requiratur ad hoc impedimentum, ut fidei datio sit mutua, sed sufficiat, *si alter eorum fidem dederit, de Matrimonio contrahendo.* Ob quam ipsam rationem præsens Auctor in Jure Canonico *lib. 4. Decret. Tit. 7. n. 17.* hanc secundam sententiam in praxi tamquam communiorem eligit præ prima. *

Additio. II.

* Quæritur IV. An hoc impedimentum criminis incurratur ab iis, qui ignorant, tali conjugicidio, vel adulterio cum promissione Matrimonii esse annexum impedimentum dirimens? Respondeo affirmative. Ita præsens Auctor in Jure Canonico *Lib. 4. Decret. Tit. 7. num. 26. & 27:* cum communiori contra Pichler *lib. 4. Tit. 7.* & nonnullos alios. Ratio est; quia etiam alia impedimenta dirimentia, puta consanguinitatis, affinitatis &c. incurruntur ab ignorantibus esse annexum impedimentum dirimens. *Nec dicas*, esse disparitatem; quia alia impedimenta dirimentia principaliter statuuntur per modum inhabilitatis, impedimentum autem criminis principaliter in pœnam delicti; pœna autem non incurritur ab ignorantibus eam, uti ex *Tract. 13.* patet *de censuris*, quæ juxta unanimem DD. & juxta *cap. 2. De Constit. in 6.* non incurruntur ab ignorantibus easdem. Nam *contra est 1.* quod, uti de impedimento *criminis*, ita pariter possit discurri de impedimento *affinitatis*. NB. consurgente ex copula fornicaria sicque illicita; quod nimirum etiam tale impedimentum dirimens sit præprimis impositum in pœnam delicti carnalis, & tamen etiam juxta adversarios (uti saltem concedit Pichler *lib. 4. Tit. 7. n. 5.*) dictum impedimentum contrahitur ab ignorantibus, illud esse annexum: ergo etiam in præsenti. *Contra est 2.* quod (exceptis tamen per legem citatam, & unanimem Doctorum censuris) quoad alia crimina falsum sit, pœnas annexas non incurri ab ignorantibus easdem. Profecto ipsa gravissima pœna inferni per quodcumque grave peccatum deliberate commissum incurritur, quamvis pro eo tempore peccator se non reflectat ad pœnam inferni, dummodo tale grave peccatum deliberate committat. Illud tamen credo, quod cum ignorantibus, subesse aliquod impedimentum dirimens, facilius dispensetur, præsertim, si sint tales personæ rudiores, apud quas alias ignorantia juris toleratur. *

Additio III.

* Quæritur V. Quid sentiendum de illa promissione futuri Matrimonii, quam facit maritus alteri personæ solutæ, si uxor sua moriatur, aut vice versa, absque tamen conjuncto simul adulterio aut conjugicidio? Respondeo per similem quidem promissionem non incurri impedimentum criminis, sicque post mortem alterius valide contrahi; cum nullibi impedimentum dirimens tali promissioni annectatur, eamdem tamen certo esse illicitam graviter, cum præbeat saltem aliquam occasionem occidendi conthoralem, ut citius promissum executioni mandari queat. Ita colligitur ex *cap. fin. De eo, qui duxit.* Quinimo Layman, Augustinus Michel, Franciscus Schmier & alii contra alios censent cum Patre Holzman *Tom. II. Tract. 2. de Matrim. num. 565.* talem promissionem omnino invalidam sicuti invalida a Jure *cap. 2. De concessione præbendæ.* censetur promissio Beneficii pro tempore, quo necdum vacat; cum utraque videatur præbere occasionem insidiandi vitæ alterius, aut saltem mortem illius desiderandi. *

§. X.

De Impedimento Cognationis, tum Carnalis, tum Spiritualis, ac Legalis.

SUMMARIUM.

94 *Cognatio carnalis, quid?*
95 *Stipes, Linea Consanguinitatis, quid?*
96 *Linea recta, Descendens, & Ascendens; &*
97 *Linea transversalis, seu collateralis, quæ? cum Additione.*
98 *Gradus Consanguinitatis, quid?*
99 *Quousque olim impediverint, & de facto impediant Matrimonium?*
100 *Arbor Consanguinitatis.*
101 *Modus intelligendi Arborem Consanguinitatis.*
102 *Regulæ tres ad cognoscendam distantiam Graduum Consanguinitatis.*
103 *I. Pro Linea recta.*
104 *II. Pro Linea collaterali æquali.*
105 *III. Pro Linea collaterali inæquali.*
106 *Hæ Regulæ procedunt secundum Canones: quid de Jure Civili?*
* *Alius modus deveniendi in notitiam gradus consanguinitatis. Addit. I. & II.*
107 *In primo gradu consanguinitatis Lineæ rectæ dirimitur Matrimonium Jure naturæ. Quid de aliis gradibus Lineæ rectæ?*
108 *Quid de secundo, & ulteriori gradu Lineæ collateralis?*
109 *In primo hujus gradu dirimitur Matrimonium Jure naturæ.*
110 *Solvitur instantia de Cain.*
111 *Sarai, quomodo fuerit soror Abrahæ?*
Consanguinei quando dicuntur Fratres, & Sorores? Fratres dicuntur quatuor modis, cum Additione I. & II.
112 *Cognatio Spiritualis, duæ?*
113 *Ad quas personas extendatur ex Sacramento Baptismi?*
114 *Et Confirmationis? cum Additione.*
115 *Cognatio Legalis, quid?*
Et inter quas personas inducat impedimentum dirimens Matrimonium?

94 Cogna-

94 Cognatio Carnalis est conjunctio Personarum ex eo provenicns, quod una per carnalem propagationem descendat ab altera, vel ambæ ab eadem tertia. Et dicitur alio nomine *Consanguinitas*, quasi *sanguinis unitas*, a ly *con* & *sanguine*: eo quod ejusmodi personæ descendant ab uno communi sanguine.

95 Ceterum persona, a qua plures carnali propagatione descendunt, vocatur *Stipes*. Deinde *Linea Consanguinitatis* aliud non est, quam ordo, sive collectio personarum inter se consanguinitate junctarum. Et hæc postmodum dividitur in Lineam rectam, & Lineam transversalem, seu collateralem.

96 *Linea recta* consanguinitatis est ordo personarum consanguinitate junctarum, quarum una descendit ab altera. Et hæc subdividitur in *Lineam descendentem*, quæ est a persona propagante ad propagatam, v. g. a Patre ad filium, ac nepotes suos: atque in *ascendentem*, quæ est vicissim a persona propagata ad propagantem, v. g. a filio ad Patrem, a nepote ad Avum, Proavum, Abavum, & Atavum, Tritavum, & sic deinceps ascendendo usque ad Adam.

97 Porro *Linea transversalis*, seu *collateralis consanguinitatis* est ordo, seu collectio personarum sanguine junctarum, quarum una non descendit ab altera, sed ambæ ab eadem tertia: ut duo fratres, vel frater & soror ab eodem Patre, duo Patrueles ab eodem Avo &c.

Additio

* Atque hæc linea collateralis subdividitur in æqualem, & inæqualem. *Æqualis* est, in qua personæ existunt æquali gradu distantes a communi stipite e. g. duo Fratres, quorum uterque uno tantum gradu a stipite communi (videlicet Patre) distat. *Inæqualis* est, in qua reperiuntur personæ inæqualiter distantes a stipite communi, dum unus huic remotior, alter vero propinquior cernitur, e. g. Petrus & Pauli Fratris sui Filius; etenim Petrus unico, Pauli autem Fratris sui Filius duobus gradibus a communi stipite (puta a Titio, tamquam Patre Petri, & Avo prolis a Paulo Fratre ipsius Petri progenitæ) distant. Ubi, quamvis juxta ea, quæ colliguntur ex dicendis *num.* 105. respectu computationis graduum hæc annotatio parum conducere videatur, nihilominus tamen, qualiter saltem specialis reflexio desuper facienda sit, quando in Curia Romana impetrandæ sunt Dispensationes, vide P. Reiffenstuel *L.* 4. *Decret. tit.* 14. §. 1. *num.* 9. Item *in Appendice ibidem.* *

98 Ulterius in hisce Lineis dantur diversi gradus consanguinitatis: ubi per *gradum Consanguinitatis* intelligitur determinata propinquitas personæ ad personam secundum consanguinitatem.

99 Quamvis autem olim consanguinitas in Linea transversali usque ad septimum gradum impediverit Matrimonium contrahendum, & contractum irritaverit; ut constat ex *c. De affinitate*, & *c. Nullum*, & *c. Progeniem*, 35. *quæst.* 2. & 3. cum concordantiis. Postmodum tamen hæc prohibitio modificata fuit, atque reducta usque ad quartum gradum consanguinitatis inclusive, ut habetur *c. Non debet. De Consanguinit.* & *Affinit.*

100 Ut autem facilius intelligatur, inter quas personas defacto consanguinitas impediat Matrimonium contrahendum, ac dirimat contractum, ponitur in Jure Canonico apud me in Decreto Gratiani Parte II. Causa 35. post quæst. 5. *Arbor Consanguinitatis* in hunc modum.

Sequitur Arbor Consanguinitatis.

Non gignunt dextros, qui stant in parte sinistra:
Læva dat uxores, dat tibi dextra mares.



HÆC EST ARBOR CONSANGUINITATIS.

101 Pro

101 Pro hujus Arboris intelligentia sciendum est, quod ad investigandum inter duas personas consanguinitatis gradum semper alterutra ponatur in cellula illa vacua, quæ habetur circa medium, & postmodum investigetur altera persona, utrum ad unam ceterarum cellularum pertineat, nec ne. Siquidem persona illa, quæ ponitur in cellula vacua (quam claritatis gratia placet apellare *Petrucium*) cum omnibus illis personis, quæ cernuntur in hac Arbore, habet impedimentum consanguinitatis defacto dirimens Matrimonium, & cum nulla alia, quæ non reperiatur in hac Arbore: dummodo excipias Lineam rectam, in qua est impedimentum dirimens etiam ascendendo usque ad Adamum ut infra *num.* 107. dicetur.

102 Ceterum ad magis cognoscendam distantiam graduum consanguinitatis; a Glossa ad dictam Arborem consanguinitatis, & Theologis communiter ponuntur tres Regulæ, quarum prima deservit pro Linea recta, reliquæ duæ pro Linea collaterali, seu transversali.

103 I. Regula pro Linea recta hæc est: *Ascendentium & descendentium, quot sunt personæ, de quibus quæritur, computatis intermediis, una dempta, tot sunt gradus inter ea.* Si igitur vis scire, quantum distet Abavus a Petrucio, utroque computato ac intermediis inveniuntur quinque personæ: deme unam, utpote stipitem, & quatuor sunt gradus, qui etiam per appositum in Arbore consanguinitatis numerum indicantur. Et idem fit in aliis.

104 II. Regula pro Linea collaterali æquali hæc est: *Collateralium, in Linea æquali, quoto gradu quis distat a communi stipite, toto gradu distant inter se,* secundum computationem Juris Canonici. Sic v.g. Petrucius & Pronepos Propatrui, cum æqualiter distent quatuor gradibus ab Abavo, qui est utriusque stipes, etiam inter se distant quatuor gradibus, uti denotat numerus latinus appositus a parte superiori cellulæ.

105 III. Regula pro Linea collaterali inæquali hæc est. *Collateralium in Linea inæquali, quoto gradu remotior distat a communi stipite, toto distant inter se.* Sic Petrucius, & Neptis fratris sui distant inter se tribus gradibus: nam quamvis a Patre suo, qui est stipes utriusque, Petrucius solum uno gradu distet, tamen Neptis fratris sui distat ab hoc stipite tribus gradibus: adeoque inter ipsam & Petrucium erunt tres gradus consanguinitatis secundum Canones; prout designat superior cellulæ numerus in Arbore consanguinitatis appositus.

106 Dicitur: *secundum Canones.* Nam dictæ tres Regulæ solum valent secundum computationem Juris Canonici in ordine ad investigandum impedimenta Matrimanii. Ceterum secundum Leges Civiles, quæ pro fine habent distributionem hæreditatis inter amicos defunctorum, aliter computantur gradus consanguinitatis. Siquidem secundum Jus Civile, sive in Linea recta, sive in collaterali, quot sunt personæ, de quibus quæritur, computatis intermediis una dempta, tot sunt gradus inter eas. Hinc inter Petrucium ac Pronepotem Propatrui sui secundum Jus Civile sunt octo gradus, quamvis secundum Canones sint solum quatuor; prout hanc distantiam graduum secundum computationem Juris Civilis denotat numerus inferior, in præallegata Arbore Consanguinitatis ciphris germanicis expressus, ubi distantiam graduum consanguinitatis secundum Jus Canonicum denotat numerus superior, sive latinus.

Additio I.

* Existimant autem nonnulli cum la Croix *Lib. 6. part. 3. num.* 607. Elbel *De Sacramen. part.* 3. *Conferent. 6. n.* 131. Pichler *in Cand. Jurisprud. abbrev. Lib.* 4. *Tit.* 14. *num.* 5. *prope finem,* & Holzman *Tom.* 2. *part.* 9. *Tract. 2. n.* 531. dictam distantiam graduum consanguinitatis secundum Jus Canonicum, maxime in Linea collaterali adhuc facilius inveniri posse, si sequenti modo procedatur. Quæratur igitur ex iis v. g. Sponsis, credentibus inter ipsos intercedere impedimentum consanguinitatis, vel saltem de eo dubitantibus: quæratur (inquam) ex his, cur id credant, vel saltem dubitent? Quibus perceptis & annotatis, investigaturus ulterius (si tamen aliunde non jam sciat) scribat pro securiori memoriæ adjutorio, in parte inferiori alicujus chartæ, ex uno latere sponsum & ex altero sponsam; deinde supra sponsum ipsius parentes, & pariter supra sponsam parentes ejusdem, sicque (nisi jam tunc pateat stipes communis respectu utriusque) continuet ulterius in scribendo, utrobique annotando supra ipsos parentes etiam horum Progenitores, usque dum deveniatur ad communem stipitem, seu commune principium, a quo primario sanguis derivatur in utrumque latus, & consequenter vi cujus illi duo, de quibus quæritur, existunt ad invicem consanguinei. Hoc *principium commune* si usque ad quartum gradum inclusive nullum fuerit inventum, exinde concludatur, secundum Jus Canonicum nullum inter illos duos intercedere impedimentum dirimens consanguinitatis. Quod si vero tale *principium commune* seu *stipes communis* intra quatuor generationes sibi invicem succedetes, seu usque ad quartum gradum inclusive reperiatur, mensuret, seu numeret, quot gradibus quilibet ex his duobus, de quibus quæritur, seu dubitatur (puta sponsus & sponsa) ab illo communi stipite seu principio distet atque exinde procedendo juxta regulas *num.* 102. *ac seqq.* assignatas inferat, quot gradibus hi duo ipsimet distent inter se, seu (quod idem est) quot gradibus hi duo ipsimet ad invicem sint consanguinei. *

Additio. II.

* Ut dicta magis elucescant, ponamus tria exempla. *Primum* est, quo Titii sponsi Abavus, & Berthæ sponsæ Abavus fuerunt duo Fratres Germani, quærit exinde Bertha, an propterea cum futuro suo sponso Titio contrahat impedimentum dirimens consanguinitatis? & respondetur, quod non; eo quod intra quatuor generationes per hæc signa I. intermedia denotatas, sibi invicem succedentes, seu usque ad quartum gradum inclusive nullus inveniatur respectu dictorum Sponsorum stipes communis, ut statim exhibebit

Schema primum sine communi stipite.

Sempronius - - - Abavus I Frater Titii Cleti.	Libia Abavia Titii.	Cletus. - - - Abavus I Frater Berthæ Sempronii	Sibylla. Abavia Berthæ.
Joannes. - - Proavus. I	Barbara. Proavia.	Simon - - - Proavus I	Barbara. Proavia.
Petrus. - - - Avus I	Ursula. Avia.	Andreas. - - Avus. I	Susanna Avia.
Jacobus. - - Pater. I	Monica. Mater.	Paulus. - - - Pater. I	Anna. Mater.
Titius. Sponsus utriusque Filius.		Bertha. Sponsa utriusque Filia.	

In hoc Schemate vides, quod jam adsint quatuor generationes, atque 4. numerentur gradus, & tamen respectu Titii & Berthæ necdum videatur aliquis stipes communis: utpote qui primum poni deberet super utriusque *Abavum*, sicque in generatione & gradu quinto, foretque *Atavus*: unde inter Titium & Bertham nec intercedit impedimentum dirimens.

Exemplum Secundum,

in quo ponitur, Titii futuri sponsi Avus, & Berthæ sponsæ futuræ Avia fuisse ad invicem Frater & Soror, ubi consequenter respectu Titii & Berthæ stipes communis, seu principium commune, vi cujus in utrumque primario derivatur idem sanguis, est *Proavus* sponsi & sponsæ, a quo tam ille, quam ipsa distat tribus gradibus, consequenter æqualiter, sicque pariter etiam hi duo tribus gradibus distant inter se: nam juxta regulam antea jam positam in Linea æquali quot gradibus distant duo a stipite, tot gradibus distant inter se. Pro clariori intelligentia capе sequens.

Schema secundum.
Stipes communis
Joannes.
Proavus Titii & Berthæ.

I
Petrus. Avus Titii. Frater Susannæ.
I
Jacobus. --- Monica.
Pater Titii. Mater Titii.
I
Titius. Sponsus utriusque Filius.

I
Susanna. Avia Berthæ Soror Petri.
I
Paulus. --- Anna.
Pater Berthæ. Mater Berthæ.
I
Bertha. Sponsa utriusque Filia.

Exemplum Tertium

In quo Titii Sponsi futuri Avia, & Berthæ Sponsæ Mater supponuntur fuisse duæ germanæ Sorores. Quo casu dato, Stipes communis est *Proavus* vel *Proavia* Titii, a quo Stipite is distat *tribus* gradibus, Bertha vero futura Sponsa tantum *duobus*; cum ille, qui est Proavus vel Proavia respectu Titii, sit Avus vel Avia respectu Berthæ, utpote Parens Matris suæ. Igitur finaliter Titius & Bertha distant inter se *inæqualiter*, ubi pro Linea *inæquali* recolligenda Regula jam data: nimirum in eadem tot gradibus distant duo inter se, quot gradibus remotior distat a communi stipite, prout magis declarabit hæc dicta

Schema Tertium
Stipes communis
Joannes.
Proavus Titii. Avus Berthæ.

I
Petrus. --- Ursula.
Avus Titii. Filia Joannis. Avia Titii.
I
Jacobus. --- Monica
Pater Titii. Mater Titii.
I
Titius. Sponsus utriusque Filius.

I
Anna.
Filia Joannis.
Mater Berthæ.
I
Bertha
Sponsa. Filia Annæ.

107 Quæres autem: quo jure gradus consanguinitatis dirimant Matrimonium? Resp. I. Certum, in primo gradu Lineæ rectæ, id est, inter parentes & liberos Jure naturæ dirimi Matrimonium. Hinc non solum omnes gentes bene instructæ ex naturali lumine hujusmodi nuptias detestatæ sunt, sed etiam Adamus, afflatu Spiritus Sancti, exclusit parentes a conjugiis liberorum *Genes.* 2. dicens: *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ.* Quinimo Doctor Subtilis 4. *dist.*40. §. *De secundo*, & plurimi alii extendunt hanc prohibitionem, ac irritationem Matrimonii Jure naturæ ad quemcumque gradum Lineæ rectæ in infinitum, adeo, ut, si hodie viveret Adam, non posset cum aliqua, præter solam Evam, Matrimonium contrahere: siquidem non solum e.g. mater respectu filii sui, verum etiam omnes ascendentes in linea recta habent respectu descendentium rationem principii, ac genitoris, & consequenter, sicut exinde ob reverentiam sanguinis, matri debitam, per jus naturæ excluditur filius e.g. a nuptiis cum matre contrahendis, ita per idem jus excludentur descendentes respectu ascendentium. Quod ipsum ex instinctu naturali Jus Civile agnovisse videtur, æqualiter excludens a nuptiis parentes respectu liberorum, & ascendentes respectu descendentium: cujus verba formalia *l.* 53. *ff. De Ritu Nupt.* sunt sequentia: *Nuptiæ consistere non possunt inter eas personas, quæ in numero parentum, liberorumque sunt, sive proximi, sive ulterioris gradus sint usque ad infinitum.* Sunt quidem alii DD. contrarium tenentes, sed eorum sententia, ob brevitatem vitæ humanæ, in praxi locum habere non videtur.

108 Resp. II. Consanguinitas in secundo, tertio, & ulteriori gradu Lineæ collateralis Jure dumtaxat Ecclesiastico dirimit Matrimonium. Ita certa & communis. Hinc *Gaudemus. De Divortiis*, decisum habetur, quod Infideles in secundo, vel ulteriori gradu conjuncti, constitutionibus Canonicis non arctentur, matrimonialiter copulari libere possint, neque separandi sint, si postmodum ad Fidem convertantur. Insuper Concilium Trid. *Sess.*24. *cap.*5. *de Refor. Matr.* concedit inter magnos Principes, & ob publicam causam in secundo consanguinitatis gradu dispensari posse: & consequenter is Jure naturæ non impedit Matrimonium, cum in eo Pontifex dispensare non valeat.

109 Resp. III. In solo primo gradu consanguinitatis Lineæ collateralis, nempe inter fratres & sorores, est interdictum ac irritum Jure naturæ Matrimonium. Ita innuit Scotus 4. *dist.*40. *q un.* dum solvit rationes oppositæ sententiæ, Sanchez *lib.*7. *de Matr. disp.*52. *num.*11. & alii. Ratio est: quia inter fratres & sorores est innatus quidam pudor, ac naturalis reverentia, cui valde adversatur actus conjugalis. Et hinc omnes nationes bene instructæ, solo lumine naturali ductæ, ab hujusmodi Matrimoniis abstinent, & quæ talia quondam permittebant, reputabantur barbaræ.

110 Nec obstat, quod Cain ab initio mundi duxerit suam sororem. Resp. enim cum Doctore nostro *loc. cit.* illud fuisse necessitatis causa a principio mundi; quia non erant aliæ feminæ, nisi sorores.

111 Quod si urgeas. Multiplicato jam genere humano Abraham, vir sanctissimus, duxit Sarai sororem suam; prout ipsemet fatetur *Genes.* 20. de Sarai dicens: *Vere soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ.* Resp. hoc dici, quia Sarai fuerat consanguinea Abrahæ: nam, ut inquit D. Augustinus, relatus *c. Quæritur* 22. *q.* 2. Sarai Abrahæ *soror dicitur, quia filia fratris erat*, id est genita ex Aran fratre suo. Siquidem in Sacra Scriptura etiam consanguinei dicuntur quandoque fratres, & sorores, juxta quod nonnulli ad Christum dixerunt *Marci cap.* 3. *Ecce mater tua & fratres tui* (id est consanguinei) *foris quærunt te.* Et Tobias junior vocat Saram conjugem, sororem suam *Tob. cap.* 8. quæ tamen fuit solum consanguinea ipsius, ut patet ex *capite* 7. Quinimo observat D. Thomas *part.* 3. *q.* 28. *art.* 3. *ad.* 5. quod in Sacra Scriptura dicantur Fratres quatuor modis, videlicet natura, genere, cognatione & affectu.

Additio. I.

* Quod si ulterius instes, aliquos Pontifices etiam in Lege Evangelica, & multiplicato jam genere humano dispensasse ex gravi causa, ut frater & soror contrahere potuerint Matrimonium, prout taliter dispensasse dicitur Martinus V. testibus Silvestro, Cajetano, & D. Antonino; sed hoc utique fieri non potuisset, si foret tale Matrimonium jure naturæ nullum: ergo. Resp. imprimis posse dici (si ita se res habeat, prout tamen alii de pluribus Pontificibus dubitant) tales Pontifices ex causa gravi fuisse secutos sententiam contrariam valde probabilem, quam etiam præter plures alios fusius novissime propugnat Apollonius Holzman *Tract. de Matr. n.* 535. Resp. II. disting. min. hoc fieri non potuisset, si tale Matrimonium foret jure naturæ absoluto nullum, conc. si tantum jure naturæ conditionato, neg. min & conseq. adeoque tantummodo sub hac conditione jure naturæ est nullum, *si non adsit gravissima causa dispensandi per Christi Vicarium*: nam si tale Matrimonium foret nullum jure absoluto naturæ, neque Cain potuisset ducere sororem suam. *

Additio. II.

* Quæres ultimo. Quinam Fratres in cognatione carnali dicantur germani, uterini, consanguinei: item quinam agnati, & quinam cognati? Resp. Pro moderno tempore a Juristis Fratres ex iisdem Patre & Matre descendentes vocantur *germani*: si vero tantummodo unam eamdemque habeant Matrem, *Fratres uterini* vel apud alios *Fratres consanguinei*, quamvis apud Pichler *lib.* 4. *Decret. tit.* 14. potius *Fratres consanguinei* nominentur illi, qui ex distincta quidem Matre, adhuc tamen ex eodem Patre sunt progeniti. Item loquendo de aliis consanguineis, illi, qui descendunt ex eodem respective sanguine *per lineam masculinam*, appellantur *agnati*; si vero præcise *per lineam femininam*, dicuntur *cognati.* Et quamvis in ordine ad impediendum Matrimonium hoc discrimen non attendatur, quoad alios tamen plures effectus Juris, præsertim quoad successionem in Feudis, vel maxime respicitur.*

De Cognatione Spirituali

112 Cognatio Spiritualis, prout est impedimentum dirimens Matrimonii, est vinculum contractum ex dispensatione Sacramenti Baptismi, & Confirmationis. Et notanter tantummodo hæc duo Sacramenta exprimuntur; quia, ut dicitur *c. Quamvis. De Cognat. spirit. in* 6. ex collatione aliorum Sacramentorum præter Baptismum, & Confirmationem Cognatio Spiritualis nequaquam oritur, quæ Matrimonium impediat, aut dissolvat.

113 Licet vero olim Cognatio Spiritualis ad plures personas fuerit extensa, defacto tamen propter novam Constitutionem Concilii Trid. *Sess.* 24. *de Reform. Matr. c.* 2. ea ex Sacramento Baptismi solum oritur inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem & matrem, & rursus inter tenentem ac baptizatum, baptizatique patrem & matrem, & inter nullas alias personas. Porro tenens alio nomine dicitur *Patrinus*, vel *Matrina.*

114 Similiter ex Sacramento Confirmationis solum oritur Cognatio Spiritualis inter confirmantem & confirmatum, confirmatique patrem & matrem, ac inter tenentem & confirmatum, confirmatique patrem & matrem, & inter nullas alias personas. Ita Concilium Trid. *loc. cit.*

Additio.

* Quæres. An hæc Cognatio Spiritualis contrahatur etiam ab illo, qui alterum in necessitate baptizat? Respondeo affirmative; quia Jura indistincte loquuntur, uti bene notatur *l.* 4. *Decr. tit.* 11. Excipe tamen, si Parens in necessitate baptizet suam prolem, quo casu non contrahitur Spiritualis cognatio talis, quæ conjuges impediret a petitione, ac redditione debiti conjugalis, textu claro *c. Ad lumina* 30. *quæst.* 1. Plura de hoc videri poterunt in Jure Canonico *loc. cit.* Item in præsenti Tractatu *dist.* 3. *Additione post n.* 40. *

De Cognatione Legali.

115 Quantum attinet ad Cognationem Legalem, ea oritur inter certas personas ex adoptione alicujus in filium, vel filiam; quæ tamen defacto rarius accidit. Et quidem ex ista Cognatione Legali contrahitur Impedimentum dirimens Matrimonium inter sequentes personas. I. Inter adoptantem & adoptatum, hujusque filios & filias. II. Inter adoptantem, & uxorem adoptati, & vicissim inter adoptatum, uxoremque adoptantis. III. Inter personam adoptatam ac prolem naturalem adoptantis, datur impedimentum dirimens Matrimonium; ast circa hoc tertium genus solummodo tamdiu, quamdiu durat adoptio: quod si cessat adoptio, v. g. per emancipationem, etiam cessat impedimentum hoc inter personam adoptatam, ac prolem adoptantis. Sanchez *lib.* 7. *de Matr. disp.* 63. & alii; atque desumitur ex *c. Ita diligere*, 30. *q.* 3. cum concordantiis. Quoad prima autem duo genera adoptionis adhuc permanet impedimentum etiam soluta per emancipationem adoptione, uti colligitur partim ex *cit. Canon.* partim ex §. 1. *Instit. De Nuptiis & l.* 14. *ff. De Ritu Nupt.* Plura de adoptione vide in Jure Canonico *Lib.* 4. *Decret. Tit.* 12.

§. XI.

De Impedimento Affinitatis.

SUMMARIUM.

116 *Affinitas, quid?*
Ejus olim tria fuerunt genera.
117 *Unde oriatur?*
118 *Et inter quas personas.*
119 *Corollarium notabile.*
120 *Gradus Affinitatis mensurantur juxta gradus consanguinitatis, quomodo?*
121 *Affinitas, in quoto gradu dirimat Matrimonium?*
122 *Et quo jure?*
123 *Affinitas ex copula conjugali est vinculum natural.*
124 *An in Linea collaterali Jure natura dirimat Matrimonium?*
125 *Vel saltem in Linea recta? cum Addit.* I.
* *Ubi etiam de personis sic conjunctis.*

116 *Affinitas* bene definitur a Doctore subtili 4. *dist.* 41. *q. un.* quod sit vinculum quoddam personæ ad personam, ex copula carnali perfecta (secus dic de copula imperfecta) cum persona alteri consanguinea contractum. Porro antiquitus tria fuerunt genera Affinitatis, de quibus fit mentio in *c. Non debet, de Consang. & affinit.* atque amplius declaratur per Glossam, quæ habetur *c. Primo gradu* 35. *q.* 5. *in Arbore Affinitatis*, §. *Genus affinitatis*, ubi ait: Si is, qui est mihi conjunctus in secundo gradu consanguinitatis, cognoscit mulierem, illa est mihi conjuncta in secundo gradu affinitatis, & primo genere: Si alius eamdem cognoscit, ille (juxta jura antiqua) attinet mihi secundo genere affinitatis, & secundo gradu: Si iste aliam adhuc mulierem cognoscit, illa attingit me tertio genere affinitatis, & secundo gradu. Quia tamen defacto viget primum dumtaxat genus affinitatis (nam secundum, & tertium Affinitatis genus, ob magnas inde subortas difficultates, sublatum fuit in Concilio Generali, sive Lateranensi, celebrato sub Innocentio III. prout habetur *cit. c. Non debet, de Consang. & affinit.*) hinc impræsentiarum sermo erit de solo primo genere affinitatis.

117 Porro hoc vinculum, ac impedimentum Affinitatis, non solum consurgit ex actu matrimoniali perfecto & completo, per quem vir & femina fiunt una caro, sed etiam ex actu fornicationis perfecto (id est, tali copula, quæ sufficit ad generationem) juxta illud D. Apostoli 1. *Corinth. 6. An nescitis, quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur?* Quod, ut melius intelligatur, sit

118 CONCL. I. Affinitas oritur solum inter virum, & consanguineos mulieris a se carnaliter cognitæ, ac econtra inter hanc mulierem, & consanguineos illius viri, nulla vero oritur affinitas inter consanguineos viri, & consanguineos mulieris. Ita communis; & habetur clare *c. Quod super his, de Consang. & affinit.*

119 Unde sequitur, atque habetur *cit. c. Quod super his eod.* Quod pater & filius ex una parte possint contrahere Matrimonium cum matre & filia ex altera parte; item possunt duo fratres contrahere cum duabus sororibus. Econtra vero vir, mortua sua conjuge, nullam potest ducere ex consanguineis suæ conjugis defunctæ intra gradus a Jure prohibitos: nam Impedimentum Affinitatis est perpetuum, nec tollitur per mortem conjugis.

120 CONCL. II. Gradus Affinitatis mensurantur juxta gradus Consanguinitatis, ita ut quoto gradu consanguinitatis est quis conjunctus personæ carnaliter cognitæ, toto gradu affinitatis is sit conjunctus alteri personæ, quæ eam cognovit, & e converso. Ita communis. Hinc Petrus fit affinis omnibus consanguineis Annæ a se carnaliter cognitæ, & quidem in eodem gradu affinitatis, in quo consanguinei Annæ sunt huic consanguinitate juncti, & econtra Anna fit affinis omnibus consanguineis Petri in eodem gradu affinitatis, in quo hi sunt Petro consanguinitate juncti. Unde facile hoc intelligi poterit ex arbore consanguinitatis supra apposita, si ambæ personæ carnaliter cognitæ, ac proin factæ una caro, ponantur in cellula vacua, & postmodum una pars investiget consanguineos alterius partis una cum gradu Consanguinitatis, & econtra.

121 CONCL. III. Affinitas dirimit Matrimonium, sive oriatur ex copula licita seu conjugali, sive ex illicita seu fornicaria: cum hoc tamen discrimine, quod affinitas orta ex actu conjugali, seu licito, sit impedimentum Matrimonii usque ad quartum gradum inclusive, orta vero ex actu fornicario, seu illicito, defacto sit impedimentum dirimens Matrimonii tantum usque ad secundum gradum affinitatis inclusive. Ita communis. Et quidem prima pars habetur clarissime *c. Non debet, de Consang. & affinit.* Altera vero pars, loquens de impedimento affinitatis ex fornicatione contractæ, patet ex Concilio Trid. *Sess. 24. de Ref. Matr. c. 4.* Verum occasione horum,

122 Quæres. Quo jure affinitas oriatur, & dirimat Matrimonium? Ubi sciendum, quod aliud sit, quærere, an affinitas oriatur Jure naturali, sive sit vinculum naturale; & aliud an Jure naturæ dirimat Matrimonium: nam affinitatem oriri ex Jure naturali, seu naturæ, nil aliud vult insinuare, quam respiciendo etiam ipsum Jus naturæ, præ se ferre aliquam indecentiam, carnaliter conjungi cum proximis consanguineis partis comhoralis absque justa aliqua causa interveniente; ex quo tamen necdum sequitur, quod tale Matrimonium eo ipso sit Jure naturali nullum, & quod dicta affinitas sit impedimentum *jure naturæ* dirimens Matrimonium. Sic a pari respiciendo etiam ipsas personas inter se consanguineas, hæc ipsa consanguinitas in secundo, vel ulterioribus gradibus, consurgit Jure naturæ, nec tamen jure naturæ dirimit Matrimonium. Unde Infidelis valide contrahit Matrimonium in secundo Consanguinitatis gradu; sed si id iniret post susceptum Baptismum, invalide contraheret, non obstante, quod consanguinei jam ante conversionem ejus nati fuissent. Hoc prænotato,

123 Resp. I. Affinitas ex copula conjugali, est vinculum naturale, atque oritur ex Jure naturali & non mero Jure Ecclesiastico. Ita Sanchez *l. 7. de Matr. disp. 66. n. 4.* & alii communiter. Probatur hoc ex illo Protoparentis nostri, *Genes. cap. 2. Et erunt duo in carne una.* Atque ut infert S. Gregorius Papa, relatus *c. Fraternitatis*, 35. *q.* 10. *Si una caro fiunt, quomodo potest aliquis eorum propinquus pertinere uni, nisi pertineat alteri? Hoc minime posse fieri credendum est.* Accedit sensus communis, & praxis omnium Nationum; quæ idcirco ad indicandum istud naturale vinculum Affinitatis, utuntur propriis nominibus, ut *Socer, Socrus, Gener, Nurus, Vitricus, Noverca, Privignus, Privigna, &c.* de quibus infra.

124 Resp. II. Nullus gradus Affinitatis in Linea collaterali, Jure naturæ dirimit Matrimonium; quamvis aliquam præ se ferat indecentiam naturalem, nisi justa causa cohonestetur. Ita desumitur ex *c. ult. de Divortiis*, ubi ex dispensatione Ecclesiæ permittitur, *ut conversi ad fidem Catholicam, Matrimoniis contractis cum relictis fratrum utantur.* Accedit, quod Jacob Patriarcha Sanctissimus duxerit Rachel, & Liam, sorores, *Genes. 29.* Et Lex Mosaica, *Deuter. 27.* jusserit, ut frater duceret uxorem fratris sine liberis defuncti, eique suscitaret semen. Atqui hæc omnia fieri nequirent, si affinitas in primo gradu Lineæ collateralis Jure naturæ dirimeret Matrimonium; ergo non sic dirimit.

125 Resp. III. An Affinitas in Linea recta dirimat Matrimonium Jure naturæ, variant Doctores. Et quidem Sanchez *loc. cit. n. 7.* cum multis aliis, negative respondet. Verum sententia affirmativa videtur tenenda: tum quia 1. *Corinth.* S. Apostolus hoc, quod uxorem patris sui aliquis habeat, apellat fornicationem, qualis nec inter Gentes auditur. Tum quia *can. Si vir*, 35. *q.* 3. ex S. Augustino refertur: *Si vir & uxor non jam duo, sed una caro sunt, non aliter est nurus reputanda quam filia.* Atqui inter filiam Jure naturæ irritum est Matrimonium: ergo. Hinc jam in antiquo testamento ab ipsomet DEO *Levit. c. 20. ℣. 12. & 13.* iisdem quasi verbis tam copulæ inter virum & nurum ejusdem exercitæ, quam copulæ Sodomicæ annexa fuit pœna mortis, ut nimirum exinde indicetur, utramque contra jus naturæ pugnare conjunctionem carnis. Vid. in Jure Canonico *Lib. 4. Tit. 14. n. 49. & 50.*

Additio I.

* Dices cum P. Pichel *Lib. 4. Decret. Tit. 14. n. 13. Candid. abbrev. Jurisprud.* Affinitas ortum habens ex copula illicita seu fornicaria nec in primo gradu Lineæ rectæ Jure naturæ dirimit Matrimonium: puta si filius ducat præcedentem concubinam patris sui: ergo neque talis affinitas ex copula licita. Consequentia probatur ex paritate rationis; cum insistendo Juri naturæ utrobique interveniat vi copulæ conjunctio carnalis, ita, ut utrobique per hanc commixtionem carnalem fiant duo caro una &c. Antecedens vero fatentur ipsimet Adversarii ordinarie, uti Layman, Lugo, Melchior Friderich &c. & patet exinde; quia sacra Pœnitentiaria non raro dispensare solet in hoc gradu, præsertim quoad usum Matrimonii ab his personis antecedenter jam contracti, & quando hæc Affinitas adhuc est occulta. Respondet præsens Auctor in Jure Canonico

loco

loco superius citato negando consequent. & paritatem, eo quod jura & rationes quoad Affinitatem ortam ex copula illicita non æque militent, sicut in Affinitate ex copula licita. Meo tamen tenui judicio, ulteriori Adversariorum contra hanc responsionem instantia immunis erit nostra sententia, si omnino negaretur suppositum, & defenderetur, etiam ex copula illicita oriri impedimentum Jure naturæ dirimens Matrimonium; cum etiam per illam copulam fiant duo caro una. Nec obest, quod Sac. Pœnitentiaria ex gravi causa aliquoties dicatur dispensasse in dicto Affinitatis impedimento: ex hoc enim præcise sequitur, vel dictum Sacrum Tribunal secutum fuerit alteram contrariam sententiam revera valde probabilem, quam etiam P. Holzman *de Matr. hic. n.* 608. defendit tamquam de mente Scoti: vel quod talis Affinitas non dirimat Matrimonium Jure naturæ absoluto, sed tantum conditionato, *si nimirum aliunde non subsit gravis causa dispensandi in primo gradu Affinitatis Lineæ rectæ.* *

Additio II.

* Quæres. Quinam Affines censeantur quoad primum præcise gradum ab invicem distare in Linea recta, & quinam quoad primum gradum præcise in Linea obliqua? Resp. I. In Linea recta *ascendente* primo gradu ab invicem distant Petrus, & Noverca ejusdem: Item Petrus & ejusdem socrus seu Mater suæ Uxoris: similiter Bertha & ejusdem Vitricus: Item Bertha & ipsius Socer, seu Pater sui Mariti. In Linea recta *descendente* primo gradu ab invicem distant Petrus & privigna ejusdem, seu filia sua, quam uxor ejusdem genuit ex alio præcedente conjugio: item Petrus, & Nurus seu uxor sui filii. Similiter Bertha & ipsius privignus seu filius ex alio conjuge: item Bertha & ejusdem Gener, id est propriæ filiæ suæ maritus. Resp. II. In Linea obliqua, seu transversali primo gradu ab invicem distant Petrus & Uxor fratris sui: item Petrus & Soror Uxoris suæ. Similiter Bertha, & Mariti sui frater, alias *Levir* dictus: item Bertha, ac *Sororius*, id est, Sororis suæ maritus. Quoad alios Affines in ulterioribus gradibus fere non adsunt nomina specialia, dummodo ex jam dictis universaliter notetur in ordine ad impedimentum Affinitatis, quod tot gradibus Affinitatis uxor distet a consanguineis Mariti, quot is gradibus consanguinitatis ab ipsis, & sic etiam vice versa. Videatur *Lib.* 4. *Decr. Tit.* 14. §. 2. *

§. XII.

De Impedimento Justitiæ publicæ Honestatis.

SUMMARIUM

126 *Impedimentum Justitiæ publicæ Honestatis, quid?*
127 *Ad quot gradus olim extendebatur? cum Additione.*
128 *Et ad quos de facto?*
129 *Corollarium notabile.*
130 *Aliud Corollarium.*
* *Insuper casus notabilis.*

126 PEr *Impedimentum Justitiæ publicæ Honestatis*, intelligitur Impedimentum Jure Ecclesiastico dirimens Matrimonium, ex sponsalibus proveniens. Et dicitur *publica Honestas*: quia ob naturalem quamdam honestatem id ab Ecclesia introductum fuit, eo quod per sponsalia, sive de futuro sive de præsenti (hoc est, Matrimonio rato nondum consummato) jam oriatur conjunctio animorum; ac proinde honestum sit, ut consanguineis unius sponsi interdicatur Matrimonium cum altero sponso.

127 Et quidem Jure antiquo extendebatur hoc Impedimentum ad consanguineos sponsi respectu sponsæ, & vicissim ad consanguineos sponsæ respectu sponsi usque ad quartum gradum, *arg. c. Sponsam. de Sponsalib.* Simulque oriebatur ex quibusvis sponsalibus puris, & certis etiamsi fuissent invalida dumodo non essent invalida ex defectu consensus, prout habetur *cap. un. De sponsal. in* 6.

Additio

* Et quidem hæc doctrina juxta Fagnanum, Sanchez, Basilium Pontium & alios adhuc locum habet quoad Sponsalia de præsenti, seu quoad Matrimonium ratum; quia S. Pius V. in Decreto anno 1568. emanato, & in Bullario Cherubini *Tom.* 2. *Constitut.* 62. dicti Pontificis reperiendo expresse sic declaravit, prout fusius ostendit præsens Auctor in Jure Canonico *Lib.* 4. *Decret. Tit.* 4. *num.* 14. *& seqq.* *

128 Verum quoad Sponsalia de futuro rigor iste Juris antiqui, ob plurimos emergentes casus, atque difficultates novissime correctus, atque temperatus est in Concilio Trid. *Sess.* 24. *c.* 3 *de Reform. Matr.* ubi sic statuitur: *Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacumque ratione valida non erunt, Sancta Synodus prorsus tollit: ubi autem valida fuerint primum gradum non excedant: quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari.* Hæc Concilium.

129 Sequitur proinde, quod si Titius contrahat valida sponsalia de futuro cum Bertha habente plures sorores, dissolutis illis sponsalibus sive mutuo consensu (nam per hunc non tollitur dictum Impedimentum, prout declaravit. Sac. Congregatio Concilii, die 6. Julii 1658. ac refert Fagnanus *c. Ad audientiam, num* 26. *de Sponsalib.* quidquid olim nonnulli in contrarium docuerint) sive etiam per mortem Berthæ, non possit Titius ullam e sororibus Berthæ ducere in uxorem; quia obstat Impedimentum Justitiæ publicæ Honestatis.

130 Quod si postea Titius actu consummato ac perfecto carnaliter cognoscat unam e sororibus dictæ Berthæ, tunc neutram earum habere poterit in uxorem; non Bertham, ob impedimentum contractæ Affinitatis: non ejus sororem, ob impedimentum justitiæ publicæ Honestatis. Si vero fornicatio ejusmodi accidisset ante sponsalia cum Bertha celebrata, posset Titius illam ducere, quam carnaliter cognovit; nam sponsalia cum Bertha forent de jure invalida, ob impedimentum contractæ Affinitatis; sicque, juxta novum Decretum Concilii Trid. non inducerent Impedimentum Justitiæ publicæ Honestatis, invenies fusius adhuc delaratum supra *Quæst.* 3.

Additio.

* Unum adhuc restat, quidnam nimirum in sequenti casu sit resolvendum? Bertha Cajo Amasio suo, cum quo etiam sæpius habuit commercium carnale, copula tamen semper imperfecta, promittit tandem Matrimonium, cum expressa hac conditione: *Si parentes ejusdem Berthæ consenserint.* Interea temporis Cajus ante requisitum Parentum Berthæ consensum: majorem instituit familiaritatem cum Titia Sorore Berthæ, quam etiam, non invita ipsamet Bertha ducere intendit. Quæritur, an absque dispensatione Apostolica id facere queat. Ratio dubitandi est; *partim* quia Cajus ob commercium carnale, prævie cum Bertha habitum, videtur contraxisse impedimentum *Affinitatis* cum Titia; *partim* insuper impedimentum *publicæ Honestatis* ob promissionem Matrimonii præcedenter Berthæ datam.

Respondeo tamen, Cajum posse Matrimonium inire absque dispensatione Apostolica cum Titia. Ratio est, quia *imprimis* cum eadem non contraxit *Affinitatem*, cum copula præcedenter cum Bertha habita non fuerit perfecta, & completa: deinde neque cum eadem Titia contraxit *impedimentum publicæ Honestatis*; quia promissio Matrimonii mutua, præcedenter Cajum inter & Bertham facta, non erat absoluta, sed tantum conditionata, & quidem pendente adhuc conditionate: ad contrahendum autem impedimentum *publicæ Honestatis* requiritur, ut præcedentia Sponsalia, vel sint absoluta, vel si conditionata, transierint per impletam conditionem in absoluta; uti non obscure colligitur ex *cap. un. De Sponsalibus in* 6. *v: Ille vero.* *

§. XIII.

De Præsentia Parochi, ac duorum Testium

SUMMARIUM.

131 *Ratio Ordinis.*
Matrimonium clandestinum, quod?
132 *Denuntiationes trinæ Matrimonio celebrando præmittendæ.*
133 *Matrimonia clandestina olim valida, sed illicita. Malaque irremediabilia ex ipsis orta.*
134 *Verba Concilii Tridentini, quibus anullat Matrimonia clandestina.*
Quo tempore Decretum ipsius obligare incipiat?
135 *Ecclesia quomodo potuerit irritare Matrimonium clandestinum, etiam ut Sacramentum.*
136 *Qualis Præsentia Parochi juxta Concilium Trident. requiratur ad valorem Matrimonii?*
137 *An sufficiat Præsentia Parochi vi detenti, aut inviti & contradicentis.*
* *Vel si is sit præsens in aliena Parochia?*
138 *Requiritur præsentia proprii Parochi contrahentium.*
* *Vel saltem ejusdem Cappellani, aut ab ipso Substituti.*
139 *Quid, si sponsus, & sponsa sint diversarum Parochiarum.*
* *Quid de vagis? Addit. I.*
* *Quid de militibus contrahentibus? Additio II.*
* *Quid de existente in duplici parochia? Addit. III & IV.*
140 *Quot testes requirantur, & qualis eorum præsentia?*
141 *Quales Testes sufficiant.?*

131 Absolutis Impedimentis, quæ, vel Jure naturali, vel saltem Jure Ecclesiastico antiquo annullant Matrimonium, superest, ut explicentur duo impedimenta jure novissimo Concilii. Trid. adjecta, & continentur versiculis illis. *num.* 49. relatis.

Si Parochi, aut duplicis desit præsentia Testis,
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ.

Porro Matrimonium illud, in quo deest præsentia Parochi, aut duorum Testium, defacto communiter appellatur *Matrimonium clandestinum*: quamvis olim etiam illud dicebatur matrimonium clandestinum, quod fiebat non præmissis denunciationibus; uti patet ex *c. Cum inhibitio, de clandestina Desponsat.* Ibi siquidem in Concilio Generali (scilicet Lateranensi, sub Innocentio III. celebrato) statutum fuit sub gravibus pœnis ibidem expressis, ut cum Matrimonia fuerint celebranda, ea in Ecclesiis per Presbyteros publice proponantur, sive denuncientur, competenti termino præfixo, ut infra illum, qui noverit, & sine gravi suo incommodo potuerit legitimum inpedimentum opponat, atque ipsi Presbyteri interim pariter investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat.

132 Et hinc saluberrimo Decreto inhærens S. Conciliũ Trid *Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reform. Matr.* ulterius decrevit. *ut imposterum, antequam Matrimoniũ contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus Festivis* (inter quos etiam computatur Dominica) *in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuncietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum. Nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ Denunciationes remittantur: quod ipsius prudentia, & judicio Sancta Synodus relinquit.* Quinimo, ut pia Sanctæ Matris Ecclesiæ intentio, in dictis Generalibus Conciliis abunde manifestata perfectius adimpleatur, solent Ritualia Diœcesana exigere, ut si vir & mulier, inter quos Matrimoniũ est celebrandum, diversæ sint Parochiæ, in utraque Parochia, ubi habent, vel proxime habuerunt diutius ibi versati domicilium, vel quasi domicilium, fiant ternæ illæ Denunciationes, adjectis insuper optimis cautelis, in praxi merito observandis, quas in proprio singularum Diœcesium Rituali, uti & in Jure Canonico *lib.* 4. *Decret. tit.* 3. §. 1. videre licebit: ubi etiam *num.* 19. inveniri poterunt causæ, ob quas Episcopus dispensare potest, & *num.* 39. *ac n.* 40. casus in quibus Parochus ob periculum in mora, & dum Episcopus ad impetrandam dispensationem amplius adiri nequit, declarare valet, hic, & nunc non adesse obligationem quoad denunciationes. Ceterum impræsentiarum per *Matrimonia clandestina* intelliguntur illa, in quibus deest præsentia Parochi, duorum Testium jure novissimo Concilii Tridentini ad valorem Matrimonii requisita, ut mox amplius dicetur.

133 Et quidem ejusmodi Matrimonia clandestina justissimis de causis Sancta DEI Ecclesia semper detestata fuit, atque prohibuit: nihilominus tamen eadem, libero contrahentium consensu facta, ante Decretum Concilii Trid. mox allegandum, rata, & valida fuerunt. Quia vero solæ prohibitiones Matrimonii clandestini propter hominum inobedientiam jam non proderant, & gravia peccata ac mala, per auctoritatem Ecclesiæ amplius irremediabilia, ex ejusmodi Matrimoniis oriebantur, dum quidam priori uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, postea cum alia contrahebant, sicque in statu damnationis, ac perpetuo adulterio remanserant; imo & lite desuper mota per sententiam Ecclesiæ, cui de priori Matrimonio constare non poterat, remanere compellebantur, huic malo Sancta Mater Ecclesia haud amplius efficax remedium adhibere potuit, nisi ejusmodi clandestina Matrimonia prorsus irritando, & cassando.

134 Quare Concilium Tridentinum *Sess.* 24. *c.* 1. *de Reform. Matr.* inter alia provide sic decrevit: *Qui aliter, quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus Testibus Matrimonium contrahere, attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat.* Hæc Concilium, varias pœnas in transgressores statuens, & infra subjungens. *Decernit insuper, ut hujusmodi Decretum in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, a die primæ publicationis in eadem Parochia factæ, numerandos.* Occasione quorum.

135 Quæritur I. Quomodo Ecclesia potuerit irritare Matrimonium contractum clandestine, hoc est, sine Parocho, & Testibus? Resp. cum Pirrhing *tit. de Clandestina Desponsat. num.* 4. & aliis, Ecclesiam potuisse irritare, & defacto irritasse tale Matrimonium, etiam ut Sacramentum est, non quidem per se ac directe, seu immediate, ut Sacramentum, sed per accidens, ac mediate, annullando videlicet ipsum contractum Matrimonii humanum, seu civilem, unde consequenter irritum redditur ipsum Sacramentum. Desumitur hoc ex verbis citati Concilii Trident. ibi: *Eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & ejusmodi contractus irritos & nullos esse decernit.* Confirmatur: quia hac ratione etiam invalidum est Matrimonium inter consanguineos, vel a persona Ecclesiastica contractum, eo quod tales personæ sint inhabilitatæ ad sic contrahendum, ipsique contractus auctoritate Ecclesiæ fuerint irritati & annullati.

136 Quæritur II. Qualis præsentia Parochi juxta Concilium Tridentinum requiratur ad valorem Matrimonii? Resp. I. Præsentia Parochi in Matrimoniis per se, vel per alium Sacerdotem deputatum necessaria non tantum requiritur corporea, sed etiam moralis, seu habita cum intelligentia & advertentia actus. Ita Barbosa *part.* 2. *de Offic. & potest. Episc. allegat.* 23. *num.* 78. Sanchez *lib.* 3. *de Matr. disp.* 39. *num* 1. & communis. Ratio est: quia non intelligens nequit dici præsens *arg. l. Coram ff. De Verb. signif.* ibi: *Coram Titio aliquid facere jussus non videtur præsente eo fecisse, nisi is intelligat.* atqui Concilium Tridentinum irritavit eorum cõtractum matrimonialem, qui aliter quam præsente Parocho, & duobus vel tribus Testibus, Matrimonium contrahere attentabunt; ergo requiritur Parochi præsentia, non tantum physica, sed & moralis, sive humana, ita ut intelligat, quid agatur. Unde, si Parochus esset plene ebrius, vel dormiens, non valeret Matrimonium coram eo celebratum: nam dicta præsentia ejus exigitur pro forma actus.

137 Resp II. Sufficit tamen hujusmodi præsentia Parochi & Testium, quamvis vi detenti, aut dolose illuc adducti intersint, dummodo probe intelligant verba, & consensum contrahentium: quinimo etiam validum est Matrimonium coram Parocho invito, & contradicente contractum, quamvis tunc peccent contrahentes. Ita citati Doctores, & Fagnanus *in cap. Quæsitum num.* 7. *De Pœnitent. & remiss.* qui adducit etiam Declarationem Cardinalium ita sentientium. Et merito hoc dicitur: quia Parochus assistens Matrimonio proprie non exercet jurisdictionem, sed ut Testis auctorizabilis nudam exhibet præsentiam, quæ etiam exhibetur ab invito. Fagnanus *c. Quod nobis n.* 54. *De clandest. Despons.*

Additio.

* Ex quo ipso fundamento (quia nimirum Parochus qua assistens Matrimonio non exercet proprie jurisdictionem, sed potius est testis auctorizabilis) infertur, quod dictus Parochus non necessario debeat actu esse Sacerdos, quamvis quoad Substitutum id requirat Concil. Trid. superius *num.* 134. Item ex eadem ratione potest *de Jure communi* loquendo assistere tali Matrimonio etiam extra suam Diœcesin, differendo interim solemnem benedictionem, usque dum cum Sponsis redeat ad propriam Parochiam. Attendatur tamen in hoc ad propria Ritualia Diœcesana, & emergente casu consulatur præsens Auctor *Lib.* 4. *Decret. Tit.* 3. *num.* 63. *& seqq.*

138 Quæritur III. Cujus Parochi præsentia requiratur ad validitatem Matrimonii? Resp. I. Certum est, vi Concilii Tridentini, ubi illud receptum est, requiri præsentiam proprii Parochi contrahentium, vel alterius Sacerdotis, de ipsius, seu Ordinarii licentia assistentis.

Additio.

* Dicitur notanter I. *Proprii Parochi*, nam quod non sufficiat præsentia cujuscumque, sed requiratur præsentia Parochi NB. *proprii*, patet ex eo; quia juxta dicta *num.* 132. etiam ad præcedentes Matrimonium denunciationes exigitur, ut eæ fiant a Parocho contrahentium *proprio*; ergo multo magis requiritur ad ipsum Matrimonium præsentia Parochi *Proprii*. Dicitur notanter II. *Vel alterius Sacerdotis de ipsius proprii Parochi, aut Ordinarii licentia*; nam etiam talis præsentia sufficit. Censetur autem similem licentiam ordinarie habere Cooperator illic constitutus, qui regulariter loquendo potest quoque in absentia Parochi alium loco sui, ut Matrimonio assistat, constituere; cum sit delegatus (uti supponitur) ad universitatem causarum, sic autem delegatus alias juxta jura possit subdelegare. Econtra vero ille Subdelegatus nequit iterum novum nomine sui substituere; quia delegatus ad causam particularem juxta jura absque speciali licentia nequit iterum subdelegare. Videatur Elbel *De Sacram. part.* 3. *Conferent.* 12. *num.* 285.

139 Resp. II. Quando Sponsus & Sponsa sunt diversarum Parochiarum, sufficit assistentia alterutrius proprii illorum Parochi, vel licentia ab eo alteri Sacerdoti concessa. Ita Barbosa *loc. cit. num.* 98. cum plurimis aliis, atque decisum a Sac. Congregatione testatur Fagnanus *cit. c. Quod nobis, n.* 33. *& seqq. de Clandest. Desponsat.* In praxi tamen observetur ordinatio proprii Ritualis Diœcesani.

Additio I.

* Resp. III. Quando Sponsus, vel Sponsa computantur inter personas vagas, sufficit ad validitatem Matrimonii præsentia Parochi loci illius, in quo contractus matrimonialis instituitur, ubicumque demum locus iste existat, & quamvis alter contrahentium alibi habeat fixum habitationis domicilium, atque exinde proprium distinctum Parochum. Ita communis, & ratio est: quia ex una parte juxta jam dicta sufficit ad valorem Matrimonii præsentia unius Parochi ex Sponsis contrahentibus: ex altera autem quoad personas vagas congruentior Parochus nequit assignari, quam loci illius, in quo pro tunc, quando contractus instituitur, similis persona vaga invenitur; ubi etiam Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis recipit, si ibidem infirmetur. Atque ita apud Reiffenstuel *lib.* 4. *Decr. tit.* 3. *n.* 86. *& seqq.* sæpius declaravit Sac. Congregatio testibus Cardinali de Luca, & Fagnano. Solummodo hic incidentaliter adhuc notetur I. vagum dici illum, qui nullibi tenet domicilium, vel quasi domicilium habitationis. Notetur II. Parochum similem, etsi valide, non tamen licite posse, ordinarie loquendo, assistere Matrimonio vagorum sine licentia Ordinarii ob periculum multiplicis fraudis. *

Additio II.

* Ex hac triplici responsione resolves, cujusnam Parochi præsentia sufficiat, si Matrimonium contrahant milites. Etenim, etsi, supposito, quod eorum Sponsæ habeant proprium domicilium, vel quasi domicilium, possint etiam in præsentia illius Parochi contrahere, ad id tamen non obligantur, sed vel hi milites habent præsentem Capellanum Castrensem speciali legitima facultate præditum administrandi hisce Sacramenta, vel non habent talem Capellanum præsentem? *Si prius*: ille simili Matrimonio omnino poterit assistere, supposito, quod hanc facultatem legitime valeat ostendere. *Si posterius*: Parochus loci, in quem pro tempore contractus matrimonialis se talis miles, non habens alibi domicilium, vel quasi domicilium, confert, valide assistet. Ratio est: quia milites annumerantur vagis NB. quod tamen intellige, si morantur in castris, vel transeunt ab uno loco in alium, vel existunt quidem in præsidiis, ast sine stabilitate, & animo per magnam, vel majorem anni partem subsistendi, sed ad nutum Ducis avocandi ad exercitum.

Econtra vero ponamus, quod milites isti, non habentes Capellanum Castrensem speciali facultate præditum, ex professo a suis præfectis mittantur ad præsidium, vel hybernandum, ut illic per notabilem anni partem vel ultra sese detineant, ita, ut ibidem saltem quasi domicilium acquirant: in hoc casu requireretur ad valorem Matrimonii assistentia Parochi loci, in quo degunt, nec possent ex hoc loco exire ad vicinum Parochum, & ibidem contrahere Matrimonium. Ratio est: quia in eo casu jam non essent amplius vagi, sed habentes quasi domicilium: atqui habentes domicilium, vel quasi domicilium habitationis debent contrahere coram Parocho loci illius, in quo domicilium, vel quasi domicilium fixum est; ergo. Excipe tamen, *si Sponsa esset vaga*: nam tunc etiam in tali casu ratione Sponsæ posset miles præsidiarius valide contrahere, exeundo extra locum præsidii cum sua futura Sponsa, & post aliquale tempus finito contractu iterum redeundo. Quid de licititate statuendum foret in simili casu, colligitur ex præcedenti Additione. Videantur Reiffenstuel *loc. cit. num.* 94. *& seqq.* & Pichler *lib.* 4. *Decret. tit.* 3. *n.* 21. quibus adde recenter Patrem Apollonium Holzman *Tom.* 2. *part.* 5. *Tract.* 4. *n.* 758. ubi refert Indultum in forma Brevis ab Innocentio XIII. anno 1721. 23. Decembris emanatum, vi cujus Capellano Majori, & aliis a se deputatis exercituum Imperatoris Caroli VI. novissime defuncti Castrensibus Capellanis, præter plura alia, quoad præsentem materiam conceditur, quod militum, & personarū ad hos spectantantiū, & cum ipsis commorantium Matrimoniis assistere, atque cum præviis denuntiationibus, si expediens videbitur, dispensare possint, sive fuerint in actuali expeditione bellica, sive etiam accidentaliter in hybernis, vel æstivis, aut præsidialibus stationibus *temporalibus*, dummodo non fuerint milites præsidiarii tales, qui continuæ arcium, vel aliorum locorum custodiæ sunt adscripti. Illud etiam

quoad milites, respectu quorum tale indultum viget, est singulare, quod, si in loco accidentalis, ac temporaneæ stationis contrahunt cum aliqua ibidem domicilium, vel quasi domicilium habente, tunc præter Capellanum Castrensem etiam Parochus loci præsens esse debeat, cum quo æqualiter emolumenta stolæ dividere debet. *

Additio. III.

* Quæritur IV. An possit contingere, ut idem sit sub duobus Parochis, ita, ut coram utrolibet eorum, prout placuerit, valide Matrimonium contrahere possit? Ante Responsionem Nota I. quod, sicuti respectu vagorum in ordine ad assistendum Matrimonio Parochus censeatur ille, qui est Parochus loci, in quo tales vagi, & nunc se detinent, ita respectu aliorum debitus dicatur Parochus is, ubi hi habent domicilium, vel quasi domicilium habitationis. Nota II. quod quis in loco aliquo censeatur figere domicilium, si habeat animum in illo loco constanter permanendi; e contra vero, si tantum ibidem statueret persistere per majorem anni partem, reputaretur in tali loco figere quasi domicilium. Nota III. ex Reiffenstuel *lib.* 4. *Decret.tit.*3.*n.*60. uti ad acquirendum verum domicilium sufficit unius diei habitatio cum animo constanter ibidem permanendi, ita etiam ad acquirendum quasi domicilium sufficere unum, alterumve diem cum animo per majorem, vel saltem quasi æqualem alicujus anni partem ibidem persistendi. Nota IV. domicilium originis, seu illius loci, quo quis natus est, non tribuere Parocho illius loci jus assistendi Matrimonio, nisi simul fuerit conjunctum domicilium, vel quasi domicilium habitationis, uti recte observant Pignatel. *Tom.* 5.*Consult.*79. & Guttierez *Tract. de Matr. cap.*62.*n.*29. Nota V. domicilium originis in dubio præsumi conjunctum cum domicilio habitationis, si talis in loco originis adhuc, etsi aliquot annis absens, retineat majorem partem suorum bonorum, uti advertit Konig *lib.* 2. *Decret. tit.*2.*n.*13. & in simili casu adducit decisionem Rotæ Pignatellus *tom.*7. *Conclus.* 63. *n.* 3. Nota VI. domicilium habitationis semel electum non debere illico inferri, quasi iterum fuisset derelictum ex eo, quia talis aliquo tempore illic non fuit, nisi simul aliæ circumstantiæ derelictionis intervenerint. Friderich *Tract. de Foro compet. part.*2.*cap.*1.*per totum.* Nota VII. liberos necdum emancipatos censeri habere domicilium habitationis ipsorum Parentum, & uxorem viduam domicilium mariti defuncti *L.*22. §.1.*ff. Ad Municipal.* & *L. fin. C. De Incolis.* H. N. *

Additio IV.

* Respondeo. Potest contingere non raro casus, ut quis existat sub duobus Parochis, ita, ut quilibet eorum valide possit assistere Matrimonio. Ratio est: quia potest esse, ut talis contrahens Matrimonium habeat duplex domicilium habitationis, vel in uno loco domicilium habitationis, in altero quasi domicilium, ubi utique talis est sub utroque Parocho, & a quolibet eorum Sacramenta (si Sacramentum Ordinis excipias, de quo specialia suo loco dicta fuere) recipere valet.

Exemplificatur magis, sic e. g. studiosus in loco studii habet quasi domicilium, & ubi degit parens, sub cujus patria potestate est constitutus, verum domicilium habitationis, nec in Germania declarabitur Matrimonium invalidum, sive unus, sive alter Parochorum astiterit. Item Nobilis Officialis potest tam in civitate, quam in suo castro duplex domicilium instituere *argum. L.* 6. §. 2. *ff. Ad Municipalem*, puta, proponendo utrobique æqualiter æqualitate saltem morali (e. g. tempore hyemali in civitate, & æstivali in castro) permanere. Pro quo præter Glossam & Rotam vide plures DD. apud Illustriss. L. B. D. Zeller *Tom.* 1. *Consil.* 6. *n.* 52. & apud Guttieres *Tract. de Matr. cap.* 64. Non equidem me latet, quod Antonius Clingensperg. *de Judiciis in genere cap.* 2. *Assert.* 28. *n.* 8. ex Illustriss. D. L. B. de Schmid afferat casum, quo Parochus domicilii cujusdam Nobilis noluit admittere, ut filia præfati Nobilis coram Parocho Hoffmarchiali, seu sui castri Matrimonio jungatur, sed nihil obtinuit. *

140 Quæritur V. Quot, & quales Testes præter proprium Parochum requirantur ad valorem Matrimonii jure novo Concilii Tridentini? Resp. I. Certum est, requiri saltem duos aut tres Testes, prout exprimit idem Concilium *loc. cit.* ibi: *Et duobus vel tribus testibus.* Et quidem hi testes simul cum Parocho debent adesse, neque sufficit successiva eorum præsentia, prout notat Barbosa *loc. cit. n.* 120. cum aliis. Debent insuper iidem esse præsentes non tantum physice, sive corpore, sed etiam moraliter, seu cum advertentia ac usu rationis, ita ut intelligant quid agatur, prout in simili supra *n.* 136. dictum est de præsentia Parochi.

141 Resp. II. Testes quicumque rationis compotes, quamvis impuberes, consanguinei, domestici, Religiosi, feminæ, vel infames sufficiunt ad valorem Matrimonii. Ita Barbosa *loc. cit.* cum aliis. Ratio est: quia Concilium simpliciter requirit duos Testes, neque exigit in ipsis specialem aliquam qualitatem; ergo nulla alia requiritur præter eam, quæ Jure naturæ est necessaria ad testificandum; nempe ut quis sit compos rationis. Accedit, quod Decretum Concilii Tridentini sit correctorium Juris communis; ergo non est extendendum, sed quantum patitur verborum proprietas, restringendum; eo præsertim, quod sit irritans Matrimonium, cujus causa est favorabilis, *cap. ult. De Sentent. & re judicat.*

§. XIV.

Solvuntur varia dubia circa præsentiam Parochi ac Testium.

S U M M A R I U M.

142 *In loco non recepti Concilii Trid. valide contrahunt incolæ inter se, & cum aliis sine solemnitatibus ejusdem.*
143 *Idem est, si sponsus & sponsa illuc veniant animo transferendi domicilium.*
144 *Vel ibidem figendi quasi domicilium.*
* *Quænam in specie sint illa loca, in quibus non est receptum Concil. Trid? Add. I. & II.*
145 *Quid si illuc pergant solo animo contrahendi sine Parocho & testibus? Rationes dubitandi.*
146 *Non est validum tale Matrimonium, si habitatio non mutetur.*
147 *Solvuntur rationes in contrarium.*
148 *Valet autem, si transferatur domicilium.*
* *Alius notabilis casus. Addit. I. & II.*
149 *Valent Matrimonia hæreticorum, si apud ipsos Tridentinum non est promulgatum.*
150 *Corollarium.*
151 *Quid juris si Catholici & Hæretici eodem templo utantur?*
Sententia stans pro valore Matrimonii.
Sententia negativa
* *Amplificatio dictorum.*
152 *Quid, si Parochus metu Infidelium absit, vel lateat?*
* *Praxis revalidandi Matrimonium ex defectu Parochi nullum.*

142 Quæritur I. Quid sentiendum sit de Matrimonio contracto in loco, ubi Concilium Tridentinum in puncto Reformationis Matrimonii non est receptum? Resp. I. Non tantum a duobus incolis talis loci, sed etiam si quis e loco recepti Concilii ibidem contrahat cum incola illius loci non servata forma Decreti Tridentini, valide a talibus ibi contrahitur Matrimonium. Ita communis doctorum. Ratio primæ partis habetur ex verbis Concilii Tridentini *n.* 134. relatis, quibus declaravit, Decretum suum non obligare, nisi post triginta dies a publicatione ejus, facta in Parochia; & consequenter, ubi talis publicatio non est acta, valet adhuc Matrimonium clandestinum inter

incolas

incolas illius loci, sicut olim valuerat. Altera pars probatur ex eo: quia contractus matrimonialis est individuus; ergo, cum incola illius loci valide contrahat sine dictis solemnitatibus, etiam vicissim advena cum ipso ibidem contrahens valide contrahit: siquidem contractus Matrimonii non potest claudicare, sive valere ex parte unius, & non alterius.

143 Resp. II. Si etiam utraque pars, id est, tam Sponsus, quam Sponsa, a loco recepti Concilii emigraverint ad locum non recepti Concilii ex causa transferendi verum domicilium, & ibidem contrahant, valebit Matrimonium sine dictis solemnitatibus. Ita rursum communis. Ratio est, quia tales hoc ipso, quod illuc veniant animo figendi verum domicilium, ibidemque perpetuo manendi, jam fiunt incolæ loci illius, ejusque legibus obstringuntur; ergo valide contrahunt juxta morem illius loci, neque amplius astringuntur legibus prioris domicilii, ubi Decretum Tridentinum viget, cum inde recesserint.

144 Resp. III. Insuper valide contrahitur Matrimonium sine dictis solemnitatibus, si quidem sese conferant ad locum non recepti Concilii animo ibidem figendi dumtaxat quasi domicilium. Ita rursum Doctores communiter. Ratio est: quia Decretum Tridentinum non obligat in Parochia, in qua non est promulgatum, atqui per solam translationem quasi domicilii efficitur quis Parochianus alicujus loci, ita ut ab Ecclesiæ illius Parocho possit recipere Sacramenta *arg. c. Significavit. De Parochiis*, juncta Glossa *in Clem. 2. De Privilegiis*, ergo. Et sic v. g. Matrimonia Christianorum apud Turcas captivorum, vel commercii causa ibi degentium, sunt valida, quamvis contrahant non servata forma Tridentini, supposito, quod hoc ibi non fuerit promulgatum.

Additio I.

* Ut autem magis noscatur pro praxi in specie, ubinam fuerit Concilium Tridentinum promulgatum, vel non, volui ex variis Auctoribus, Wex, Kugler, Pichler, Neuffer, la Croix &c. apponere similia loca: sic enim promulgatum est in Suecia, Saxonia, Prussia, Anglia, Scotia, Hybernia, Turcia, Dania, Pomerania, in aliis Provinciis Septemtrionalibus, quæ a fide Catholica defecerunt ante annum 1563. quo Concil. Trident absolutum est, vel saltem ante annum 1564. quo confirmatum, ac promulgatum fuerat. Econtra vero ante defectionem promulgatum est in Hollandia, ac Provinciis confœderatis; similiter censetur promulgatum sufficienter in Parochiis illis, in quibus equidem Catholici cum Hæreticis permixti vivunt; ast Catholici dictarum Parochiarum actu receperunt memoratum Concilii Tridentini Decretum post ejusdem debitam promulgationem. Item in Hungaria, & Silesia, imo etiam in Germania magna saltem ex parte, prout testis est Card. Pallavicinus apud Holzmam hic *num.* 403. Quoad Poloniam, & Galliam saltem in aliquibus Locis dicitur non promulgatum. *

Additio II.

* Ponamus autem tales Germaniæ urbes, ubi in eadem civitate diversæ Parochiæ existunt, aliquæ Catholicæ aliæ Acatholicæ: censebiturne hoc Decretum Concilii Trid. irritans Matrimonia clandestina, afficere etiam Parochias Acatholicas? Respondeo: in talibus circumstantiis esse respiciendum ad tempus, quo defecerunt dictæ Parochiæ; nam, si factum esset ante illud Decretum, non obligaret id tales Acatholicos: secus, si primum postea, & facta jam memorati Decreti in simili Parochia promulgatione defecissent. Ubi, ut tacite præveniatur alicui objectioni, notandum ex Fagnano, & Barbosa apud Reiffenstuel *Lib. 4. Decret. tit. 3. n.* 118. ad hoc, ut dictum Decretum obliget in aliqua Parochia, non æque, uti in aliis Legibus Pontificiis, sufficere, quod in Diœcesi sit promulgatum, sed requiri etiam promulgationem in illa ipsa Parochia, in qua prætenditur obligatio, ob specialem dispositionem Concilii Trid. *Sess. 24. cap. 1. De Reform. Matr.* *

245 Quæritur II. An, si illi, qui non sunt vagi, sed incolæ loci, in quo Tridentinum Concilium in puncto Reformationis Matrimonii est promulgatum, se conferant ad locum non recepti Tridentini solo animo ibidem sine Parocho, & Testibus contrahendi, valide contrahant Matrimonium? Ratio dubitandi, & Affirmativam tenendi est; quia *ratione contractus sortitur quis regulariter Forum*, ut habetur *cap. ult. De Foro competent.* & consequenter valide contrahit secundum leges illius loci, v. g. Matrimonium sine Paroho & Testibus. Accedit, quod talis videatur uti jure suo; atqui *nullus videtur dolo facere, qui suo jure utitur, l. Nullus ff. De Reg. Juris.* ergo. Tandem, quamvis hujusmodi intentio mala reddat actum illicitum, non tamen statim sequitur, eum esse invalidum; nam *multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem arg. c. Ad Apostolicam. De Regularibus.* Et ob has, atque alias hujusmodi rationes non desunt, qui absolute censent cum Sanchez *lib. 3 de Matr. disp.* 18. *num.* 29. tale Matrimonium valere. Nihilominus

146 Resp. I. Præfati incolæ, si cum fraude, ac solo animo sine Parocho & Testibus contrahendi illuc se transferant, habitationem vero non mutent, invalide contrahunt Matrimonium. Ita a Sacra Congregatione Cardinalium Concilii Trident. Interpretum fuisse responsum; dictamque responsionem ab Urbano VIII. anno 1627. confirmatam, refert Lugo *Lib. 1. Respons. Moral. Dubio* 36. Engel *tit. de Clandest. desponsat. n.* 20. & Barbosa *cap.* 21. *de Offic. Parochii n.* 93. citant alias Declarationes Sac. Congregationis, & plures Doctores. Ratio est: quia *fraus, & dolus alicui patrocinari non debent c. sedes. De Rescriptis*, qualis fraus vel ideo hic intervenire censetur; quia egressus præcise ad subterfugiendam Legem Tridentini factus, specialiter est conformiter Declarationibus prohibitus. Adde, quod Concilium Tridentinum tales personas ex dicto fine exeuntes *ad sic contrahendum omnino inhabiles reddat*, & consequenter, quamdiu manent Parochiani prioris loci, neque mutarunt habitationem, ubicumque reperiantur, nulliter sic contrahunt: nam inhabilitatio personæ comitatur ipsam, sicut umbra corpus.

147 Nec urgent rationes in oppositum *nu.* 145. allatæ. Nam *cap. ult. de Foro compet.* procedit *regulariter*: fallit autem inter alia, quando persona est inhabilitata ad sic contrahendum. Ad alterum respondet Barbosa ibidem, ly *Nullus videtur* indicare, quod lex illa loquatur stante dubio: quia tunc juris præsumptione nemo censetur quid in fraudem, sive dolo facere. Ad ultimum dicitur, Regulam illam non semper procedere, ac præsertim tunc non habere locum, quando aliquid est præceptum tamquam pertinens ad formam actus.

148 Resp. II. Si vero incola talis transferat suam habitationem, seu domicilium solo animo, ut ibi absque Parocho & Testibus contrahat, valet Matrimonium sic contractum. Ita subditur in citata a Lugone Cardinalium responsione. Ratio est; quia per talem translationem habitationis censetur quis fieri Parochianus alterius loci in ordine ad Sacramenta recipienda.

Additio.

* Ast pones casum, quod quis exeat, ad locum non recepti Concilii Tridentini neutiquam ex fine, ut illic occulte Matrimonium contrahere valeat, sed ex alio motivo, puta ratione mercaturæ; uti tamen per accidens invenit occasionem occulte absque Parocho contrahendi cum alia, e. g. cum sua ancilla pariter illuc cum ipso egressa; quæritur, an tale Matrimonium sit invalidum, supposito, quod non simul habeat animum transferendi in talem locum domicilium, seu quasi domicilium sed tantummodo aliquot diebus ibidem subsistendi, ac præterea nec compars ex contrahentibus sit vaga, aut inquilinus loci illius, in quo Concil. Trid. receptum

non

non est? Respondeo tale Matrimonium adhuc probabiliter fore validum: Ratio fundamentalis est; quia ex una parte egressus e loco domicilii ex hoc motivo non legitur specialiter prohibitus: nec propter hoc motivum egrediens specialiter ad contrahendum alibi inhabilitatus, sicuti præcise ex motivo contrahendi egrediens; ex altera vero parte generaliter quis ratione contractus in loco, quo contrahit, forum sortitur, quando persona specialiter non est inhabilitata illic contrahendi. Videantur Reifenstuel *l.* 4. *Decret. tit.* 3. *n.* 123. & Pichler ibidem *n.* 14. *.

Additio II.

* Dices in contra. Illud Matrimonium juxta dicta *n.* 138. non est validum, quod contrahitur absque præsentia Parochi NB. *proprii*: sed Matrimonium in casu fuisset tale; cum proprius Parochus respectu habentium aliunde domicilium vel quasi domicilium sit Parochus loci, in quo fixerunt tales dictum domicilium, aut quasi domicilium *arg. c. fin. De Parochiis.* & ubi alias etiam Sacramenta (puta Viaticum, & Extremam Unctionem) recipiunt: ergo. Ad hanc satis efficacem objectionem, ut defendatur sententia præsentis Auctoris in Jure Canonico *loc. cit.* probabiliter responderi potest, quod in materia contractuum Parochus *proprius* dici posset non solum Parochus *Domicilii* vel *quasi Domicilii*, sed etiam Parochus *loci*, in quo contrahitur; cum juxta juristas *ratione contractus* quis fortiatur forum, nisi specialiter inhabilitetur persona ad ponendum ibidem contractum, sicuti juxta Declarationes Cardinalium apud Auctores inhabilitantur illi, qui eo fine exeunt ad locum non promulgati Concilii, ut ibidem Matrimonium contrahere possint. Videantur Schmalzgrueber *l.* 3. *Decret. Tit.* 3. *n.* 110. *

149 Quæritur III. Quid dicendum de Matrimoniis Hæreticorum? Resp. I. Certum est, Matrimonia Hæreticorum esse valida, si in ipsorum Parochia Concilium Tridentinum numquam fuit promulgatum, & præterea aliunde non interveniat aliquod impedimentum dirimens. Ratio patet ex verbis Concilii Trid. relatis *n.* 13; utpote, quod ad obligationem & robur sui Decreti requirit publicationem in unaquaque Parochia faciendam, simulque addit, ante lapsum triginta dierum a die primæ publicationis in Parochia factæ dictum Decretum non obligare: & consequenter ibidem Jure antiquo valide contrahitur Matrimonium etiam sine præsentia Parochi ab incolis illius loci.

150 Infertur proinde cum Gobat *tr.* 9. *Theol. Experim. n.* 458. & aliis, quod respective seu comparative loquendo valeant pleraque Matrimonia Hæreticorum, si aliud non desit, quam præsentia Parochi. Etenim in plerisque respective Parochiis saltem in partibus Septemtrionalibus omni ex parte hæreticis, non fuit ulla publicatio illius Decreti; quia pleraque illa loca jam defecerant ab Ecclesia, & Romano Pontifice, priusquam lucem aspiceret illa Constitutio Tridentina.

151 Resp. II. Utrum in locis & Parochiis, in quibus inter Catholicos & Hæreticos, eodem Templo utentes, datur *Simultaneum* (ut vocant) estque a Catholicis promulgatum, atque receptum Decretum Concilii Tridentini, valide contrahant Matrimonium Hæretici coram suo Pseudo-Pastore, variant Theologi. Et quidem valere hujusmodi Matrimonia, sustinent Tannerus *tom.* 4. *disp.* 8. *q.* 3. *n.* 122. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *part.* 2. *c.* 4. *n.* 7. Dicastillo, & alii. Tum quia *error communis jus tribuit*; *arg. l. Barbarius §. De Offic. Prætorum*: tum quia ad validitatem Matrimonii juxta formam Concilii Tridentini sufficit assistentia Parochi, etiam putativi; tum tandem, quia in dicto casu videntur quoad effectum esse duæ Parochiæ, una Catholicorum sub proprio Parocho Catholico viventium, altera Hæreticorum, in qua non fuit promulgatum neque receptum Decretum Concilii Tridentini.

Econtra sententiam negativam tenent multi alii Doctores. Siquidem certum est, Hæreticos, velint, nolint, Legibus Ecclesiasticis de jure obligari, quamvis de facto resistant: ergo etiam obligantur quoad Legem irritantem Matrimonium sine Parocho contractum, supposito, quod hæc Lex jam fuerit in illa Parochia ante introductam hæresin recepta. Deinde, ut taceantur aliæ rationes, Sacra Congregatio Concilii, prout refert Gobat *loc. cit. n.* 464. Nuntio Apostolico in Belgio respondit, *Hæreticos quoque ubi Decretum c.* 1. *Concilii Trident. est publicatum, teneri talem formam observare, & propterea etiam ipsorum Matrimonia, absque forma Concilii, quamvis coram Ministro hæretico, vel Magistratu loci contracta, nulla atque irrita esse.*

Additio.

* Scio quidem, quod R. P. Pichler qui *l.* 4. *Decr. tit.* 3. *n.* 15. cum Staleno *in Dissertat. Theologo-Politica c.* 4. & *seqq.* aliisque Germaniæ scriptoribus defendit affirmativam, nimirum talia Hæreticorum Matrimonia adhuc valere, quod, inquam, dictus Auctor *loc. cit. n.* 17. respondeat, Declarationem allegatam nec Belgium, quo missa est, amplius stringere ob varias circumstantias intereà emergentes. Ego vero, cum multo plures adhuc similes Declarationes uniformes a Matthæucio *in Cautela Confessarii lib.* 4. *c.* 8. *n.* 101. ac ab aliis Auctoribus adducantur, & quidem novissime apud Thenhaven, Bockhen, & apud Appollonium Holzman *Tom.* 2. *de Matrim Tract.* 2. *n.* 489. una recentissima die 4. Augusti, anno 1725. emanata, lectu sane dignissima; hinc vix credo, Romæ contrariam approbari sententiam; quinimo S. Pœnitentiaria anno circiter 1718. contra eamdem resolvit, similia Matrimonia esse invalida, uti testatur Elbel *de Sacramentis part.* 3. *Conferent.* 12. *n.* 299. Profecto a pari alia Ecclesiastica impedimenta dirimentia videntur ex mente Pontificis similiter afficere Hæreticos Germaniæ: ad quid enim alias Episcopi Germaniæ) juxta dicenda *Dist. seq. qu.* 1.) peterent specialem facultatem a Curia Romana dispensandi in iisdem, posito, quod Hæretici ad fidem convertantur, si dicta impedimenta Hæreticos non afficerent? Interea illud in hac controversia magnis partium studiis pro & contra in Germania agitata indubitatum esse videtur, in his partibus similia Matrimonia sua valere quoad certos effectus civiles ob bonum publicum v. g. ut filii reputentur legitimi, & ut possint, sicut alii in Feudis, Fidei Commissis, Majoratibus, Hæreditatibus succedere &c. Idem non solum in superiori Germania, sed etiam in ditionibus Regi Hispaniarum subjectis procedere testatur Henno *Tr. De Matr. disp. ult. qu.* 3. *art.* 7. quod credo potissimum ab allegato Auctore intelligi de Germania inferiori pro tempore, quo is scripsit adhuc magna ex parte Regi Hispaniarum subjecta. Ceterum quoad Matrimonia Hæreticorum cum Catholicis adhuc multa utilia videri possunt præcedenti §. 8. *

152 Pro coronide hujus materiæ de præsentia Parochi, & Testium restat notandum pro illis locis seu Parochiis, in quibus Decretum Concilii Trident. *Sess.* 24. *c.* 1. *De Reform. Matr.* aliquando fuit receptum, & publicatum, postea vero per potentiam Hæreticorum, aliorumve Infidelium expulsis Catholicis Sacerdotibus amplius observari non potest. Tunc enim, quando talis locus seu Parochia Episcopo, & Parocho caret, aut saltem utroque horum, nullo constituto Vicario, ob metum Hæreticorum latet, ut tuto adiri non possit, si alius Parochus, vel Sacerdos in loco propinquo existat, coram isto, & Testibus contrahatur Matrimonium. Quod si etiam hoc commode fieri nequeat, contrahatur coram duobus Testibus, &, si fieri potest, coram Notario, servatis ceteroquin de jure servandis; sicque validum erit Matrimonium. Et ita respondisse Summum Pontificem ad relationem Sac. Congregationis Concilii, refert Fagnanus *in c. Si Clericus n.* 58. *De foro compet.* concordat Declaratio ejusdem Sac. Congregationis *de die* 19. *Januarii* 1605. cujus verba allegat Diana *part.* 11. *tr.* 6. *resol.* 1.

Additio.

Additio.

* Ceteroquin pro praxi, si tu Confessarie in Confessionali invenias aliquos, quorum Matrimonium deprehendis, ac ex dictis eruis ob defectum Parochi debiti esse nullum, ne miseros hosce, & coram sæculo reputatos adhuc tamquam veros conjuges, qui modo tuum in sua perturbatione implorant officium, desolatos relinquas, sed alterutrius putatitiorum conjugum debitum Parochum accedas rogando, ut tibi det facultatem nomine suo assistendi alicui certo Matrimonio nulliter celebrato, nullatenus tamē manifestando huic ipsas personas invalide ex defectu Parochi contrahentes. Quod si Parochus hanc facultatem recuset, aut ipsi manifestare nolis, timendo, ne deveniat in notitiam personarum, scribe Episcopo, aut Vicario Generali alterutrius contrahentium, specificando casum, & motiva dandi facultatem, non autem nominando personas; ubi pro zelo suo haud dubie tibi tribuet facultatem assistendi, si expediens judicaverit. Hac igitur facultate impetrata tales in Nomine Domini in occulto de novo conjunge in præsentia duorum Testium Religiosorum, vel alias silentio deditorum, qui strictissime obligantur ad servandum Secretum. Quod si nullitatem hujus Matrimonii haberes ex ipsa Confessione, deberes prius a Confitente petere licentiam assumendi ad ratificandum Matrimonium duos Testes silentiosos, nisi ipsimet conjuges putatitii velint tales denominare: alias enim frangeres Sigillum, cum assumpti a te Testes devenirent in notitiam nullitatis Matrimonii, quam nullitatem tu non aliunde, nisi ex Confessione rescires. Ceterum, si quæ circa totam hanc materiam adhuc forsan deesse viderentur, *l.* 4 *Detretalium Tit.* 3. fusius poterunt reperiri. *

§. XV.

De Impedimento Raptus.

SUMMARIUM.

152 *Raptus, quid?*
154 *Raptus est impedimentum dirimens Matrimonii.*
155 *Et quamdiu?*
Quid, si femina rapiat virum?

153 PEr *Raptum* hoc loco intelligitur violenta puellæ extractio e domo parentum, & potestate, in ordine ad Matrimonium contrahendum. Dicitur, *violenta puellæ extractio*: quia ad Raptum requiritur, violentia, vel physica per manuum injectionem, vel saltem moralis per minas, aut metum gravem illata: unde non sufficiunt solæ blanditiæ, vel preces, quibus puella educitur e domo paterna. Et additur *ad Matrimonium contrahendum*: quia, si ob alium finem quis violenter abduceret puellam, non fieret talis Raptus, qui est impedimentum dirimens Matrimonium inter raptorem & raptam.

154 Porro Raptus sic commissus non solum tunc est impedimentum dirimens Matrimonii inter raptorem & raptam, quando puella per vim abducta revera non consentit in Matrimonium (sic enim Jure naturæ Matrimonium foret nullum defectu consensus ad ejus valorem necessario requisiti) sed etiam tunc, quando puella postmodum quidem vere ac libere consentit, adhuc tamen manet in potestate raptoris. Ratio est: quia novissime in Concilio Tridentino *Sess.* 24. *c.* 6. *de Reform. Matr.* decretum fuit, inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris permanserit, nullum posse consistere Matrimonium.

155 Dicitur notanter, *quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit*, nam, si post raptum commissum puella rapta iterum separata fuerit a raptore; & in loco tuto ac libero constituta, ac postmodum raptorem in virum habere consenserit, posse inter eam & raptorem consistere Matrimonium, docet ibidem citatum Concilium. Insuper, si femina rapiat virum in ordine ad Matrimonium secum ineundum, non orietur inde impedimentum dirimens Matrimonii, si postea vir consentire voluerit: quia Concilium Trident. *loc. cit.* loquitur solum de raptore & rapta, ac proinde Decretum ipsius, utpote correctorium Juris antiqui, simulque pœnale, non est extendendum ad feminam raptricem viri. Sanchez *l.* 7. *disp.* 13. *n.* 16.

QUÆSTIO V.

De dispensatione Impedimentorum Matrimonii.

SUMMARIUM

156 *Dispensatio, quid?*
(*k*) Videatur Tr. 2. Dist. 4. n. 12. & seqq.
157 *Papa, in quibus impedimentis possit dispensare?*
158 *An Episcopus possit aliquando dispensare in impedimentis Matrimonii?*
159 *Quibus stantibus conditionibus id fieri valeat?*
160 *Fundamentum dictæ assertionis.*
161 *An etiam quoad Matrimonium contrahendum dicta procedant? cum Additione.*
162 *Quid observandum sit in procuranda dispensatione impedimentorum Matrimonii?*
263 *I. Proponatur impedimentum rite in sua specie.*
164 *An exprimendum nomen ejus, pro quo petitur dispensatio?*
165 *II. Si plura concurrant impedimenta, omnia exponantur.*
166 *III. Impedimenta Cognationis, Affinitatis &c. explicentur in proprio gradu. Seq. Additio.*
167 *IV. Et unde sit contracta Affinitas &c.*
168 *V. Quæ alia sint aperienda?*
(*l*) Supra n. 159. citati.
169 *Quid consilii cum iis, qui post Matrimonium contractum sibi conscii sunt alicujus impedimenti?*
(*m*) Adde dicta Dist. 13. n. 86.
170 *Dispensatio, per quem petenda?*
171 *Et a quo, & quomodo?*
172 *An obtenta dispensatione Matrimonium coram Parocho & Testibus renovandum sit?*
173 *An ambo conjuges debeant scire nullitatem Matrimonii, ut renovent consensum?*
174 *An aliquando sufficere possit consensus sub conditione?*
* *Extenditur magis dicta mnteria ponendo notabiles Additiones quinque.*

156 DIspensatio proprie dicta est Juris communis relaxatio, facta cum causæ cognitione ab habente legitimam potestatem. (*k*) Dicitur *ab habente legitimam potestatem*: quia dispensatio est actus jurisdictionis, ad quam requiritur legitima potestas. In proposito igitur nomine *dispensationis* intelligitur ablatio impedimenti dirimentis Matrimonii, seu relaxatio legis illud imponentis, facta pro certis personis & casibus in particulari. Dico notanter: dispensatio ad propositum est *ablatio impedimenti dirimentis*; in præsenti enim tantum tractamus de dispensatione circa impedimenta dirimentia Matrimonii: nam de præcise impedientibus (qualia sunt vota præcedentia perpetuæ castitatis, vel ingrediendi Religionem &c.) jam egimus *Tr.* 6. *Dist.* 3. *qu.* 4. & *seq. Appendice.* Hoc prænotato, sit

157 CONCL. I. Papa nequit proprie, & stricte loquendo dispensare in impedimentis Jure naturali, ac Divino Matrimonium dirimentibus; potest tamen dispensare in omnibus impedimentis solo Jure Ecclesiastico illud dirimentibus. Ita omnes Doctores Catholici. Ratio primæ partis est: quia Papa non habet potestatem relaxandi Jus naturale, aut Divinum, cum inferior non possit dispensare in lege Superioris. Ratio secundæ partis est: quia, ut habetur *c. Proposuit. De Concess. Præbend.* Papa *secundum plenitudinem potestatis de jure potest supra jus dispensare.*

158 CONCL. II. Quamvis jure ordinario non possit Episcopus, nisi specialiter impetret Romæ facultatem, dispens-

dispensare in impedimentis Jure Ecclesiastico dirimentibus Matrimonium, tamen in casu extraordinario, seu magnæ necessitatis, & concurrentibus certis conditionibus potest in ipsis etiam Episcopus pro Foro conscientiæ dispensare. Ita Sanchez *lib. 2. de Matrim disp. 40. num. 3.* Fagnanus *in c. Nimis num. 33. & seq. de Filiis Presbyt.* Gobat *Tract. 9. Theolog. Experim. num. 576.* Barbosa *de offic. & potest. Episcop. allegat. 35. num. 3. & seq.* Perez *disp. 44. de Matrimonio sect. 6.* Engel. *tit. de Matrimonio contra interdictum &c.* §. 3. *n.* 11. & alii.

159 Porro conditiones illæ, quæ requiruntur ad hoc, ut Episcopus secluso speciali privilegio possit dispensare saltem pro Foro conscientiæ in impedimentis, Matrimonium dumtaxat Jure Ecclesiastico dirimentibus, & ceteroquin dispensari solitis, sunt sequentes. I. Ut Impedimentum sit occultum. II. Ut Matrimonium jam sit contractum publice, sive in facie Ecclesiæ, simulque præmissis denunciationibus. III. Ut sit contractum bona fide, id est, absque scientia impedimenti: & hoc propter Concilium Trid. *Sess. 24 de Reform. Matrim. c. 5.* quod contrahentes scienter inter gradus prohibitos vult separari, & spe dispensationis consequendæ carere: sufficit tamen, si unus ex conjugibus in bona fide fuerit. IV. Ut subsit gravis causa dispensandi, sive urgens necessitas: utpura, quod neque conjuges separari possint absque scandalo, neque propter paupertatem, aut distantiam loci, & magnum periculum incontinentiæ pateat recursus ad Summum Pontificem.

160 Et quidem stantibus præfatis conditionibus posse Episcopum dispensare pro foro conscientiæ, est communis, & propemodum certa sententia. Ratio est: quia hoc videtur exigere Pastorale Officium Episcoporum, ne alioquin oves subjectæ destituantur necessariis remediis, si Episcopus in casu tantæ necessitatis, & concurrentibus dictis conditionibus non posset eisdem opportune subvenire, & dispensare saltem pro Foro conscientiæ. Unde tum Summus Pontifex præsumitur ejusmodi potestatem Episcopis tacite concedere, idque ad evitandum manifestum periculum animarum: tum etiam hoc ipsum comprobare censetur ipsamet consuetudo, quæ est optima legum interpres, ac sufficit ad acquirendam jurisdictionem.

161 Quinimo in casu urgentissimæ necessitatis posset Episcopus, quando adessent reliquæ tres præcedentes conditiones, jure ordinario, seu citra novam specialem facultatem, ac pro solo Foro interno dispensare in impedimentis non solum quoad Matrimonium jam contractum, verum etiam quoad contrahendum; uti cum aliis docent Basilius Pontius *l. 8. de Matr. c. 13. num. 6.* & Palao *part. 5. tr. 28. disp. 4. punct. ult.* §. 1. *n.* 9. Non enim est credendum, Conditorem Canonum fuisse adeo strictum, ut urgentissimæ simili necessitati noluerit per tale medium succurrere. Sic fieri posse videtur, quando quis morti proximus ad legitimandos liberos &c. cito deberet contrahere, & obstaret impedimentum occultum. Item, quando quis mane confitens reperitur habere occultum impedimentum, cujus manifestatio infamiam pariat, & ceteroquin jam omnia sunt parata ad nuptias, sine gravi diffamationis periculo haud differendas &c.

Additio

* Advertte tamen insuper, quod Episcopis Germaniæ præter hanc facultatem soleat Pontifex Supplicantibus aliam adhuc extraordinariam juxta dicenda *Dist. seq. nu.* 1. concedere potestatem dispensandi in quibusdam impedimentis Matrimonii dirimentibus, & quidem circa nonnullas personas quoad revalidandum Matrimonium jam antea contractum, quod alias vero etiam quoad contrahendum, idque non solum, uti præcedenter, pro solo foro interno, sed etiam pro externo; ubi insuper (uti recte notat Karg *in suo Manuali p. 1. §. 5. n. 59.*) non requiritur tanta necessitas, ut dispensari valeat, quanta in priori, sed sufficit quævis rationabilis causa talis, ob quam alias ipsemet Papa dispensare solet, quales causæ plures enumerantur a Reiffenstuel *lib. 4. Decret. in Appendice §. 3. n. 69. & seqq.* *

162 Quæres I. Quid observandum sit in procuranda dispensatione impedimentorum Matrimonii? Resp. Petens dispensationem impedimentorum Matrimonii ante omnia attendat, ne in sua supplicatione exprimat falsum, aut occultet verum, quod in Jure præcipitur exprimi. Ratio est; quia alioquin dispensatio taliter obtenta foret nulla ac ob- vel subreptitia. Ne autem talis error committatur, erunt cumprimis sequentia observanda.

163 I. Impedimentum, de quo petitur dispensatio, proponatur rite in sua specie: nam, si unum exprimeretur pro alio, nulla foret dispensatio, v. g. si impedimentum Affinitatis ponatur pro impedimento Consanguinitatis, aut econtra, non valebit dispensatio desuper obtenta.

164 Petatur autem ejusmodi dispensatio tacito nomine ejus, pro quo petitur, si hæc pro solo Foro Conscientiæ petatur. Quod si vero postuletur dispensatio pro Foro externo, necesse erit exprimere & nomen, & cognomen, & Diœcesin, imo plerumque, & Parochiam, conditionemque petentium, prout in sequenti Distinctione aliqua similia exempla quoad praxim adducentur.

165 II Si plura simul impedimenta concurrant, omnia sunt in specie exponenda: quia si unum solum impedimentum, quamvis fortius, exponatur, vel de nullo (ut vult Sanchez *l. 8. disp. 23. n. 2.* citans alios) vel ad summum de solo expresso habebitur dispensatio, non de altero. Et hoc intellige, etiamsi plura illa impedimenta sint ejusdem speciei: unde, quando quis est affinis alteri ex duplici capite, utputa quia cognovit duas ejus consanguineas, debet utraque affinitas explicari. Sanchez *loc. cit. disp. 24. n. 5.*

166 III. Impedimenta Cognationis, Affinitatis, ac publicæ Honestatis debent explicari in proprio gradu, id est, num petentes dispensationem sint conjuncti in primo, secundo, tertio aut quarto gradu; item, an conjunctio consanguinitatis, seu affinitatis sit in Linea recta, vel transversali; & si in transversali, an sit in gradu æquali, vel inæquali: hæc enim omnia reddunt dispensationem magis vel minus facilem, ac pro ipsa obtinenda requiritur major vel minor causa.

Additio.

* Ubi tamen ex hoc ipso Auctore *l. 4. Decret. in Appendice n. 181.* bene notandum est, quod, si dispensatio non petatur pro foro etiam externo, sed præcise pro solo foro interno, necesse non sit, ut in Linea transversali inæquali præter remotiorem exprimatur quoque gradus propinquior; cum in Linea transversali inæquali alias juxta Regulam universalem jam assignatam duo inter se plus non distent, quam distat remotior a stipite communi ex una parte; ex altera autem assignari nequeat, quod SS. Pontifex pro solo foro interno requirat in simili casu expressionem alterius gradus propinquioris. Nihilominus tamen, si dispensatio peteretur quoque a Dataria pro foro externo, omnino requireretur, ut similí casu in Supplica vel fiat mentio quoque de gradu propinquiori, vel, si ea facta non fuerit, saltem ante executionem dispensationis obtineatur aliud a Sac. Congregatione Decretum, declarans, gradum propinquiorem non obstare. Videatur de hoc fusius præsens Auctor *l. 4. Decret. in Appendice n. 163. & seqq.*

167 IV. Exprimatur, utrum Affinitas sit contracta ex copula conjugali, vel fornicaria: item, an publica honestas orta fuerit ex sponsalibus de futuro, vel ex Matrimonio rato.

168 V. Si petitur dispensatio impedimenti post Matrimonium jam contractum, est addendum, ac explicandum, an Matrimonium illud fuerit scienter contractum cum impedimento dirimente, vel cum spe sic facilius impetrandæ dispensationis, aut non servatis trinis denunciationibus, nec ne. Et hoc ratione Decreti

Concilii

Concilii Trident. *Seß.* 24. *De Reform. Matr. c.* 5. (*l*) Insuper, si in casu urgentis necessitatis petatur dispensatio ab Ordinario loci, addendum est, atque ostendendum, hic revera adesse urgentem necessitatem, & alias conditiones superius recensitas, ut sic eidem constet, se hic & nunc dispensare posse pro Foro conscientiæ. Notetur tamen hic, uti jam *n.*161. fuit annotatum, quod in Germania Episcopi juxta dicenda *qu.* 1. *subsequentis Dist.* soleant Romæ impetrare in certis impedimentis facultatem dispensandi etiam independenter ab allegatis supra conditionibus; hæ enim solummodo intelliguntur requisitæ in casu, ubi Episcopus ceteroquin non est prædictus aliqua speciali facultate dispensandi.

169 Quæres II. Quid consilii sit cum iis, qui post Matrimonium jam publice contractum sunt sibi conscii alicujus impedimenti dirimentis? Resp. I. Si impedimentum dispensabile est, petendum esse dispensationem vel a Papa, si ad ipsum patet aditus, vel ab Episcopo sive Ordinario loci, si is vel ex speciali privilegio Apostolico facultatem dispensandi obtinuerit, vel saltem hanc habeat pro Foro conscientiæ in casu urgentis necessitatis, atque periculo incontinentiæ. Interea tamen putativi conjuges, & conscii talis impedimenti tenentur abstinere ab omni actu conjugali; utpote cum alioquin ob nullitatem Matrimonii committerent grave peccatum fornicationis. (*m*) Proinde interim vel debent cohabitare, & vivere tamquam frater & soror in vera continentia, vel (ob periculum incontinentiæ) sub specie cujusdam peregrinationis, aut alterius negotii peragendi ab invicem sequestrari, donec obtenta sit dispensatio.

170 Resp. II. Quando impedimentum est occultum, ac præsertim, si oriatur ex aliquo crimine, petiturque dispensatio pro Foro conscientiæ, ordinarie consultum est, ut ipsemet Parochus, vel Confessarius de licentia pœnitentis, ejusdemque expensis in mittendo nuntio faciendis hujusmodi dispensationem procuret, tacito tamen nomine eorum, qui tali impedimento laborant, vel fingendo aliud nomen, v. g. Stichii, Berthæ, aut litterarum *A. Vir. B. Fœmina*; sic enim non periclitabitur bona fama indigentium dispensatione.

171 Resp. III. Quando est dispensatio pro Foro conscientiæ petenda a SS. Pontifice, non est necesse litteras inscribere ipsi Summo Pontifici, sed (nisi habeatur qualificata persona intermedia, v. g. Procurator Generalis Ordinis, vel Agens Romæ causas sui Ordinarii, per quam melius possit negotium expediri) sufficit eas dirigere ad Majorem Pœnitentiarium, in hunc modum: *Eminentissimo & Reverendissimo Domino, Domino S. R. E. Cardinali Majori Pœnitentiario Roman.* Is enim pro sua humanitate, charitateque libenter omnes audiet, & litteras jubebit expediri, dummodo in ipsis litteris rite apponatur locus, in quem sint remittendæ litteræ, v. g. in hæc verba: *Dignetur Emmentia Vestra rescribere mihi N. N. per Mantuam, Ratisbonam, & dehinc in Oppidum N.* Et specificetur locus ultimatus bene. Quod si vero pro Foro conscientiæ sit petenda dispensatio ab Episcopo loci, ordinarie litteræ dirigendæ sunt ad Reverendissimum Dominum Vicarium Generalem, sive Officialem p. t. existentem, qui earumdem expeditionem postmodum jam rite ordinabit, dummodo & ipse moneatur in litteris de loco, quorsum, & ad quem responsio sit dirigenda. Vide etiam, & cum grano salis applica dicenda *Dist. seqq. n.* 24.

172 Resp. IV. Quamvis Matrimonium antea ratione occulti impedimenti nulliter contractum a conjugibus per novum mutuum consensum, post impetratam dispensationem habendum, necessario sit renovandum: tamen quando illud coram Parocho, ac duobus Testibus jam semel est initum, non obstante, quod fuerit invalidum ob occultum impedimentum, ejusmodi Matrimonium ablato postmodum impedimento per legitimam dispensationem non est iterum in facie Ecclesiæ, seu coram Parocho ac duobus Testibus necessario celebrandum. Ita cum aliis Sanchez *l.* 2. *de Matr. disp.* 37. ubi etiam ex Navarro refert, ita declarasse S. Pium V. Et merito: nam tale Matrimonium revera non est clandestinum, hoc ipso enim, quod parochus & Testes ignorent ejusmodi impedimentum, utpote occultum, Matrimonium illud sufficienter probatur in facie Ecclesiæ, quamvis postea sublato per dispensationem impedimento clam revalidetur. Sufficit proinde, quod ambo putativi conjuges denuo renovent mutuo consensum suum matrimonialem, etsi nemo alius adsit.

173 Dicitur notanter, *ambo conjuges*; nam non sufficit consensus unius duntaxat partis, cum Matrimonium non nisi mutuo consensu contrahatur. Hinc, si illud fuit nullum ob occultum impedimentum, ordinarie & quando commode id fieri poterit, oportet conjugem impedimenti ignarum reddere certiorem de nullitate prioris Matrimonii (etsi non sit necesse, causam hujus nullitatis manifestare) ut mutuus denuo consensus præstetur. Nam alioquin conjux ignara prioris nullitatis non censetur per solam copulam & cohabitationem juxta valde probabilem sententiam renovare consensum pro convalidando Matrimonio, cum persona ignara impedimenti faciat omnia in virtute prioris consensus, qui nullus fuit. Scotus 4. *dist.* 35. *q. un. §. Respondeo, primus consensus*, & alii.

174 Quod si vero dicta notificatio fieri nequeat ratione scandali, vel infamiæ, ut quia alter conjux putativus, si foret conscius nullitatis Matrimonii non amplius esset consensurus, aut gravem suspicionem de occulto alterius crimine conciperet, tunc sufficere poterit renovare mutuum consensum sub simili forma: *Volo tecum ex nunc ita contrahere, ut, si jam non esset validum inter nos Matrimonium, illud nunc inire velim.* Et altera pars respondeat: *Volo & ego similiter.* Sanchez *l.* 4. *disp.* 36. *n.* 5.

Additio I.

* Alium adhuc modum in suo Jure Canonico suggerit Reiffenstuel *l.* 4. *Decret. in Appendice de Dispensat. n.* 603. & ex ipso Pichler *l.* 4. *Tit.* 17. *n.* 55. ut nimirum dictante necessitate, & circumstantiis ipsemet Confessarius subinde hoc negotium in se suscipiat, & conjugi nullitatis ignaro exageret, quam necessariæ, & utiles sint gratiæ Sacramentales ad onera Matrimonii facilius sufferenda, quæ tamen non ita a Deo dantur, quando Matrimonium, uti facile contingere potest, fuisset nulliter contractum. His præmissis conjugibus forsan intra se non adeo convenientibus (nam alias non foret magnum periculum eliciendi consensum expressum & explicitum ex parte ignorantis impedimentum) suadeat, ut inter se de novo contrahant uno e. g. dicente: *Si ex aliqua causa Matrimonium nostrum non esset validum, volo tecum ex nunc contrahere*, altero autem respondente: *volo pariter & ego tecum contrahere.* Quod si taliter faciant, Matrimonium censetur de novo contrahi, & præterea gratiæ Sacramentales conjugibus adeo salubres conferuntur. Notetur autem bene, quod altera compars ignara impedimenti debeat dicere, *volo tecum contrahere*: non autem NB. *vellem contrahere. si Matrimonium esset nullum* Nam ly *vellem* potius indicaret consensum de futuro, quam de præsenti Matrimonio. *

Additio II.

* Ponamus autem, quod uxor, quæ ante Matrimonium e. g. cum fratre sui mariti perfecta copula carnali peccaverit, sicque ob impedimentum affinitatis Matrimonium contraxit nullum, ponamus [inquam] quod uxor talis habeat virum astutum, qui jam noscit, quod similes modi loquendi occulte tendere soleant ad revalidanda Matrimonia ob præcedens quodpiam latens impedimentum nulliter contracta, hincque, cum alias non multum amet uxorem, ac præterea sit zelotypus, valde grave exinde periculum immineat ingentium scandalorum, suspicionum, jurgiorum, ac etiam forsan dissensus positivi in revalidationem. Quid in his angustiis uxori, quæ Romæ suum impedimentum super occul-

occultum impetravit a Pœnitentiaria dispensationem, ulterius, ut Matrimonium revalidetur, erit agendum, præsertim si putatus maritus facta per dispensationem prioris impedimenti ablatione adhuc ante revalidationem petierit ab uxore debitum conjugale, utpote ignarus impedimenti? Respondi ad hoc in *Theoria & Praxi Ingolstadii anno 1710. edita Disp. 2. Cas. 5. n. 53.* in tantis angustiis, & difficultatibus posse tandem juxta Bonacinam, & Gobat admitti in praxi contrariam sententiam Ledesmæ, Soto, & Henriquez, ut nimirum sola pars conscia impedimenti eliciat expresse novum consensum: nam altera pars inscia impedimenti saltem adhuc juxta probabilem sententiam (quamvis quamplures DD. cum Reiffenstuel doceant contrarium) censetur in facto, & actu exercito habere sufficientem consensum ad Matrimonium; quia is petendo debitum exercet copulam affectu maritali, non autem fornicario, consequenter vult adhuc Matrimonium. Et ita in tanta necessitate hanc praxin etiam admittit noster Syrus Placentinus Pœnitentiarius Lateranensis in sua dilucidatione Romæ anno 1699. ex voluntate Summi Pontificis impressa, & per substitutum a Reverendissimo Magistro Sacri Palatii plurimum commendata, quam vide *parte 2. cap. 2. fol. apud me 228.* Similiter in tantis angustiis concedit noster Tiburtius Navarrus pariter Pœnitentiarius Apostolicus in sua *Manuduct. ad praxin part. 2. c. 3.* prope finem, quem libellum Carolus Stradiotti S. J. Pœnitentiarius Apostolicus ad S. Petrum jussu Reverendissimi Magistri Sac. Palatii deputatus Censor magnis laudibus deprædicat. Accedit novissime R. P. Pichler *l. 4. Decr. Tit. 17. n. 55.* ad finem.*

Additio III.

* Dices I. Juxta Innocent. XI. quando agitur de valore Sacramenti, non licet sequi opinionem probabilem relicta tutiore: atqui illa sententia, quæ docet revalidari Matrimonium, etsi altera pars explicite per verba de novo non consentiat, solummodo ad summum est probabilis, & contraria tutior; ergo. Resp. disting. maj. non licet sequi sententiam probabilem in materia Sacramentorum relicta tutiore, regulariter, conced. in casu tali extraordinario, emergente gravissima necessitate, nego. Et ita sentiunt etiam post Propositiones damnatas scribentes AA. Cardenas in *Crisi. Theolog. Dissertat. 2. c. 8. art. 13. q. 3.* Banholzer in Ethica Christiana *art. 11. n. 109.* Illsung *Tract. 1. Theolog. pract. Distinct. 1. art. 7. § 1. nu. 77. & 78.* la Croix *l. 6. Theolog. Moral. p. 1. n. 119.* Nec credo, sententiam Syri Placentini & Tiburtii Navar. utriusque Pœnitentiarii Apostolici a Magistro Sac. Palatii fuisse toleratam, si contineretur sub Propositionibus damnatis Innocentii XI. Illud tamen ex hoc fundamento gratis admitto, quod altera pars conscia impedimenti teneatur in revalidatione elicere consensum expressum, cum id facere possit faciliter, sicque debeat in hoc puncto, ubi agitur de valore Sacramenti, se accommodare sententiæ tutiori, & simul probabiliori.*

Additio IV.

* Dices II. Sententia, quæ tenet, ad revalidandum Matrimonium sufficere copulam affectu maritali exercitam, est tantum tenuiter probabilis: sed sententiam tantum tenuiter probabilem neque in necessitate quoad præsentem materiam sequi licet; ergo, min. prob. quamvis enim in extrema necessitate, & absente alia materia liceat quempiam conditionate baptizare in. materia, quæ tantum tenuiter probabiliter est valida, id tamen non licet in casu, quo talis sententia tenuiter probabilis habet sibi annexum alium actum intrinsece malum, prout est copula carnalis, quæ non est conjugalis: etenim, si tantum est tenuiter probabile, adesse hic & nunc verum conjugium, pariter erit tantum tenuiter probabile, copulam exinde exercitam esse conjugalem nam copula est talis, quale est ipsum conjugium. Quis autem dicet, licitam esse copulam, quæ nullam gravem rationem pro se, sed tantum tenuiter probabilem habet, quod sit conjugalis; econtra gravissimas rationes contra se, quod nimirum sit fornicaria? Resp. Si major hujus Syllogismi esset vera, argumentum efficacissime urgeret, prout patet rem intimius consideranti, ego autem ob rationes superius allegatas nego major. nam illa sententia non solum tenuiter, sed vere est probabilis, quamvis minus tuta, qualem etiam in materia Sacramentorum in extrema quasi necessitate sequi licet juxta jam dicta.+

Additio V.

* Instabis. Quando dispensatur Romæ in impedimento occulto, solet ordinarie hæc clausula addi, ut, antequam de novo Matrimonium contrahatur, pars ignara impedimenti de nullitate prioris consensus certioretur, ita tamen caute, ut latoris delictum numquam detegatur: ergo non licet praxis sententiæ proxime allegatæ, ubi pars ignara non certioratur de nullitate Matrimonii. Respond. inprimis hoc argumentum probare nimium, nempe quod neque licerent formulæ quoad revalidandum Matrimonium superius *n.* 174. & subsequenti Additione I. adductæ; cum nec ibidem proprie pars ignara impedimenti de eodem certioretur, uti consideranti patet. Respondet II. Tiburtius Navarr. *p. 2. c. 3.* declarando hanc clausulam, nimirum quod ea non ponatur tamquam conditio necessaria sine qua non, sed ad meliorem instructionem Confessarii, ut nimirum ille elicere curet ex utroque conjugum consensum positivum per verba expressa, ... citra gravia exinde mala subsecutura fieri possit. De... Sanchez *l. 8. disp. 24. n. 61,* Sæpe enim (pergit ulterius Navar.) dispensationes suo valore frustrarentur, si esset conditio necessaria, quia sæpe contingit, non posse nullitatem detegi absque periculo detegendi delictum, maxime si impedimentum sit ex parte fæminæ, ut multoties contigisse ipsa experientia demonstrat.*

DISTINCTIO XV.

Additionalis, in qua continetur Praxis obtinendi Dispensationes quoad impedimenta Matrimonii.

* Equidem tota hæc Distinctio meras continet Additiones; quia tamen sub hac forma jam posui in quarta Editione, ac taliter sub numeris marginalibus primo dicti Auctoris inserui, volui in præsenti nihil immutare ad vitandam confusionem.*

QUÆSTIO I.

Quomodo practice ab Episcopis possit impetrari Dispensatio etiam pro Foro externo,

SUMMARIUM.

1 *Quandonam dispensare queant tam pro Foro interno quam externo Episcopi?*
2 *Enumerantur facultates dispensandi in specie.*
* *Declaratur facultas dispensandi cum pauperibus in tertio, & quarto gradu. Addit. I. & II.*
3 *Quid in executione dispensationis pro Foro externo Episcopi observare debeant?*
4 *Formula talis dispensationis.*
* *Formula Dispensationis pro solo Foro interno in casu necessitatis quoad impedimenta, in facultate extraordinaria dispensandi non comprehensa.*

1 PRæsupponendum ex dictis præcedentis Distinctionis *Additione post n.* 161. quod, quando Reverendissimi Ordinarii Germaniæ ad præviam eorum supplicationem impetrant specialem facultatem dispensandi circa certa impedimenta Matrimonii, eamdem potestatem

tem non solum pro Foro interno, & cum certis conditionibus, de quibus in ultima Quæstione præcedentis Distinctionis mentio facta est, sed etiam pro externo exercere valeant, & quidem etiamsi tale impedimentum foret publicum, atque pateret ceteroquin recursus ad Summum Pontificem. Ratio est: quia hæc potestas est absolute concessa: verba autem generalia generaliter sunt intelligenda, maxime in beneficio supremi Principis, & in materia favorabili, qualis est facultas dispensandi concessa a Summo Pontifice Reverendissimis Ordinariis Germaniæ.

2 Sunt autem facultates, quæ Reverendissimis Ordinariis Germaniæ plerumque ad Eorum supplicationes circa præsentem materiam concedi solent, sequentes.

Primo. Potestas dispensandi in 3. & 4. gradu simplici & mixto tantum cum pauperibus in contrahendis, in contractis vero cum Hæreticis conversis etiam in 2. simplici & mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum, & in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam.

Secundo. Dispensandi super impedimento publicæ honestatis Justitiæ, ex Sponsalibus proveniente.

Tertio. Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen conjugum machinante mortem, ac jus petendi debitum amissum restituendi.

Quarto. Dispensandi super impedimentis cognationis Spiritualis præter levantem & levatum.

Quinto. Hæ vero dispensationes matrimoniales non concedantur, nisi cum clausula, *dummodo mulier non fuerit rapta, &, si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat*; & in dispensationibus hujusmodi declaretur expresse, illas concedi tamquam a Sedis Apostolicæ Delegato, ad quem effectum etiam tenor hujusmodi facultatum inseratur cum expressione temporis, ad quod fuerint concessæ: alias nullæ sint.

Sexto. Conceditur potestas communicandi has facultates in toto, vel in parte, prout opus esse secundum ejus conscientiam judicaverit, Sacerdotibus idoneis in conversione animarum laborantibus, & præsertim tempore sui obitus, ut Sede vacante sit, qui possit supplere, donec Sedes Apostolica certior facta, quod quamprimum fieri debebit, per Delegatos, aut per unum ex eis alio modo provideat.

Septimo. Utendi eisdem facultatibus in Civitate, & Diœcesi N. tantum.

Octavo. Ac prædictæ facultates gratis, & sine ulla mercede exerceantur &c. His præsuppositis, & præscitis, si quis simili impedimento laborare dignoscatur, & habeat gravem causam dispensandi, refugiat, per se, vel Confessarium ad suum Ordinarium tali facultate præditum, & instruat debite Supplicam conformiter dictis præcedentibus.

Additio I.

* Quæres I. Dum Episcopis conceditur potestas dispensandi etiam pro Foro externo *cum pauperibus*, in gradu tertio vel quarto ad invicem consanguineis quoad contrahendum Matrimonium, quid per ly *pauperes* intelligatur? Resp. intelligi non solum mendicos, verum etiam alios, qui attento suo proprio statu, & consideratis aliis circumstantiis vere indigent, & difficulter transigunt vitam decenter & statui suo conformiter. Ratio est; quia etiam isti sunt vere pauperes. Attendendum tamen, ne in præsenti mentiatur iniquitas sibi, quando nimirum alias pro luxu, & pompa non desunt media talibus. Notandum ulterius, quod, dum conceditur hic Episcopis Germaniæ facultas dispensandi cum pauperibus, non inveniatur huic gratiosæ concessioni inserta tamquam necessario conditio *sine qua non*, ut nimirum dispensandi sint simul *miserabiles personæ*, prout tamen desideratur, si Romæ dispensatio a Dataria impetratur *in forma pauperum*, uti videri potest in Jure Canonico hujus Auctoris *Lib.* 4. *Decr. in Appendice* §. 8. *

Additio II.

* Quæres II. An, dum in ordine ad contrahendum Matrimonium datur Episcopis potestas dispensandi cum pauperibus *in tertio & quarto gradu simplici & mixto*, an (inquam) vi dicti privilegii Episcopi dispensare possint in gradu *tertio* mixto cum *secundo?* Ratio affirmandi videtur esse; quia vi hujus Concessionis, & vi verborum in facultate dispensandi allegatorum, videtur æqualiter potestas concessa respectu *tertii* ex una, & respectu *quarti gradus* ex altera parte: ergo, cum vi horum verborum in facultate expressorum Episcopi possint dispensare in gradu *quarto* simplici aut mixto cum gradu *tertio*, poterunt pariter dispensare in gradu *tertio* simplici, aut mixto cum gradu *secundo.* Et ita quidem sentit Pichler in Decisionibus casuum *Part. poster. l.* 4 *Casu* 137. ac præter hanc etiam alias affert rationes plane non spernendas. His tamen non obstantibus Resp. Obesse huic sententiæ stylum Curiæ Romanæ nolentis dare facultatem dispensandi in gradu *secundo*, nisi id explicite exprimat prout facit, quando tribuit facultatem dispensandi cum hæreticis in revalidatione Matrimonii antea invalide contracti. Et ita mihi, desuper consulenti, responderunt duo Viri valde docti, atque in stylo Curiæ Romanæ plurimum experti ex duabus distinctis Diœcesibus, testaturque novissime Apollonius Holzman *in sua Theolog. Moral Tom.* 2. *Tr.* 2. *De Matrim. n.* 683. eodem modo Roma responsum fuisse Reverendissimo Suffraganeo & Vicario Generali Coloniensi ad annum 1694. Haud dubie autem S. Sedis est, interpretari mentem suam. Quare in Diœcesi Frisingensi Charta Visitationis edita anno 1733. fol. apud me 52. v. *Ulterius advertendum*, similes pauperes remittit ad Nuntium Viennensem, cum Nuntiis Apostolicis soleat concedi facultas dispensandi saltem in gradu 2. affinitatis provenientis ex copula illicita, prout similem formulam cum suis limitationibus refert la Croix *l.* 5. *p.* 3 *n.* 832. *puncto* 36. Imo etiam subinde in Consanguinitate, prout dicitur, fuisse concessum Internuntio Bruxellensi teste Holzman *loc. cit.* *

3 Quæres III. Quid in executione similis dispensationis, pro Foro etiam externo dandæ, observari debeat! Resp. Postquam se prævie Episcopus informavit de veritate precum (uti est necessarium, si dispensatio datur etiam pro Foro externo) dicta dispensatio formanda erit in scriptis; ubi quoque inseri debent I. Potestas delegata. II. Tenor hujus facultatis. III. Tempus, quod usque se extendat dicta facultas: uti omnia ista requisita patent in ipsa Bulla, seu Brevi concessionis, ubi ordinarie hæc reperientur inserta: qualiter adjungitur formula quædam, quomodo soleat eadem quoad pauperes v.g. in 3. vel 4. gradu consanguineos ab Episcopo dispensandos in scriptis dari: quæ formula cum grano salis, & omittendis omissis applicari quoque poterit, si ab Episcopo concedatur dispensatio in impedimento criminis notorio, vel in impedimento publicæ honestatis etiam pro Foro externo.

4 *N. N. DEI & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Diœcesis N. Sacri R. I. Princeps* (specificentur hic nomen & cognomen Episcopi, item ipsa Diœcesis, in qua Episcopus existit) *Universis & singulis præsentes visuris, lecturis, & audituris notum facimus, quod N. & N. pauperes humillime nobis supplicaverint, ut cum eis in tertio consanguinitatis gradu simplici, quo conjuncti existunt, ob defectum dotis ipsius sponsæ, in ordine ad contrahendum Matrimonium dispensare clementissime dignaremur. Nos igitur, quia Sanctissimo Domino Nostro Papa Clemente* XII. [si alius Pontifex concesserit, ille specificetur] *speciali facultate delegata desuper anno, Die Mensis ad quinquennium Nobis concessa muniti existimus tenoris, ut sequitur:* Damus etiam licentiam dispensandi in tertio & quarto gradu consanguinitatis simplici & mixto tantum cum pauperibus in contrahendis &c. *Vi delegatæ Nobis potestatis Apostolicæ allegatæ cum memoratis N. & N. utpote pauperibus, ex causa Nobis satis cognita, & probata, in Domino dispensamus, & dispensatum declaramus, dummodo mulier non*

non fuerit rapta, vel si rapta fuerit, in raptoris potestate non existat, servatis in reliquo servandis de Jure. In quorum fidem &c. Datum &c.

Additio.

* Quæres ultimo. Quid agendum, si impedimentum dirimens fuerit tale, quod non continetur in facultate illa dispensandi vi specialis Privilegii Apostolici; bene tamen ob periculum in mora propter incontinentiam &c. necdum censetur extra sphæram Juris ordinarii ejusdem Episcopi, de quo actum erat *Dist. præced. n.* 158. & *seqq.* E. g. ponamus, quod Titia uxorata ante Matrimonium copula perfecta peccaverit cum fratre mariti sui, & ignorans latere impedimentum exinde *Affinitatis in primo gradu* respectu mariti moderni, bona fide, & in facie Ecclesiæ contraxerit Matrimonium; ubi ex longiori dilatione dispensationis, primum Romæ impetrandæ, oriretur periculum diffamationis, aut certe incontinentiæ ex parte mariti, vel etiam ex parte uxoris. Quo casu equidem nequiret dispensare Episcopus vi extraordinarii privilegii; cum inibi in facultate non contineatur, bene tamen jure ordinario in Foro interno, & post contractum jam bona fide Matrimonium, ac ubi est periculum in mora. Qua data hypothesi, dum aliquis Confessarius misertus Titiæ, scripsit ad Reverendissimum Vicarium Generalem Diœcesis ipsius Titiæ, sequens tulit

Responsum.

C*ommittitur Confessario ex approbatis ab Ordinario, per Titiam specialiter eligendo, potestas dispensandi circa impedimentum Affinitatis, cum marito suo contractæ ob præcedentem copulam, cum fratre ipsius habitam: in Foro tamen conscientiæ tantum, ac dummodo impedimentum sit occultum, & adsit periculum incontinentiæ. Injungatur tamen Pœnitentia gravis & salutaris.* Signatum &c.

Ita erat Responsio. Subinde tamen in respondendo ad similes Supplicas Reverendissimi Ordinarii solent se accommodare Stylo S. Pœnitentiariæ. Nota autem, quod in Pœnitentiaria per Pœnitentiam *salutarem* intelligatur injunctio illius boni operis, quod est valde proportionatum *personæ* dispensandæ & fini, ob quem imponitur: per *gravem* vero talis, quæ suo modo aliqualiter premit delinquentem; ubi tamen vel maxime opus etiam est prudentia, & discretione Confessarii. Videatur circa modum explicandi similes pœnitentias noster Syrus Placentinus Pœnitentiarius in sua dilucidatione jam superiori Distinctione *Additione II. post. n.* 174. allegata. *

QUÆSTIO II.

Quomodo practice circa impedimenta Matrimonii possit Dispensatio obtineri a Sacra Pœnitentiaria pro Foro interno?

SUMMARIUM.

5 *Quandonam Supplica Dispensationis ad Pœnitentiariam, & quando ad Datariam dirigi debeat?*
6 *In quibus casibus Sacra Pœnitentiaria dispenset?*
6 *Ob quas causas dispenset?*
8 *Ponitur Casus dispensationis.*
9 & 10 *Prævia interroganda, antequam fiat Supplica.*
11 *Formula petendæ Dispensationis in consanguinitate.*
12 *Rescriptum ad talem Formulam expeditum.*
* *Supplica seu formula petendi dispensationem quoad Affinitatem, & Rescriptum ad eamdem expeditum. Ad. I.*
* *Observanda ab Executore talium Rescriptorum, præsertim quoad Legitimationem prolis. Add. II. & III.*
13 *Quoad alias Formulas, vel clausulas Rescriptorum, remissive.*
14 *Explanatio Abbreviaturarum.*

5 SCiendum I. Quod juxta jam aliqualiter dicta duplex Tribunal Romæ erectum sit a Summo Pontifice, ad quod pro impetrandis Dispensationibus recurri potest. Primum solummodo pro Foro interno & conscientiæ, vocaturque *Sacra Pœnitentiaria.* Alterum pro Foro externo, & appellatur *Dataria.* Quod notandum Confessariis; nam, si quoad solum Forum internum pro suo pœnitente vellent petere Dispensationem, ad illud primum Tribunal litteras supplices dirigere oportet, nec debent exprimere vera nomina & cognomina dispensandorum, sed solummodo ficta, aut litteras A. B. C. vel N. &c. in quo Tribunali etiam omnia gratis expediuntur. Quod si autem ea dispensatio etiam pro Foro externo postuletur, necesse est, eamdem a Dataria expetere, ubi partim ratione taxæ, partim ratione compositionis, pecuniariæ expensæ aliquæ, & nonnumquam non exiguæ (præsertim, nisi Rescriptum expediatur *in forma pauperum*) fieri debent, quæ pecunia dein ad alias Ecclesiæ Catholicæ utilitates applicatur. Nos loquemur hic de facultatibus Sacræ Pœnitentiariæ.

6 Sciendum II. Quod facultas huic sacro Tribunali concessa possit, & soleat subinde ampliari a Summo Pontifice, vel etiam restringi. Certe aliquando, teste Cardinale de Luca in sua Relatione de Curia Romana *Discursu* 12. *n.* 2. Officialibus Sacræ Pœnitentiariæ valde magna fuit data potestas, ita ut non exigua pars illorum negotiorum, quæ hodie per Datariam, atque per Secretariam explicantur, tunc per hoc Tribunal fuerit expedita. In præsenti Sacra Pœnitentiaria (quantum constat) in ordine ad dispensationes matrimoniales.

I. Quoad Matrimonia invalide jam contracta ob occultum impedimentum Consanguinitatis hoc Tribunal eadem revalidat; dummodo non agatur de gradibus primo & secundo Consanguinitatis.

II. Quoad Matrimonia primum contrahenda in nullo gradu Consanguinitatis dispensat.

III. Quoad impedimenta Affinitatis pro Foro interno dispensat tam in contrahendis, quam in contractis, etiam quoad primum gradum.

IV. Pariter dispensat quoad impedimentum criminis occultum. Item quoad simile impedimentum publicæ Honestatis, ac in omnibus aliis impedimentis occultis, & jure dumtaxat Ecclesiastico dirimentibus. Ita Vincentius de Justis *l.* 1. *c.* 8. *n.* 29. Vide Jus Canonicum *l.* 4. *Decret. in Appendice* §. 9. *n.* 418.

7 Sciendum III. Quod sine justa causa in Supplicatione expressa Sacra Pœnitentiaria vel etiam Dataria regulariter nullatenus impertiatur dispensationem. Causæ autem frequentiores, ob quas solet dispensare, sunt sequentes. I. Prærogativa dignitatis Regiæ vel Principalis. II. Conservatio Illustrissimæ cujusdam Familiæ. III. Extinctio litis vel gravis inimicitiæ. IV. Confirmatio, vel conservatio pacis. V. Evitatio scandali, vel periculi incontinentiæ, aut alterius gravis damni. VI. Angustia loci. VII. Defectus competentis dotis. VIII. Ætas mulieris vigesimum quartum annum jam excedentis, & necdum honestas, statuique competentes nuptias invenientis. IX. Copula cum aliqua impedimentum adhuc apud alios occultum habente, quæ tamen ipsa copula ceteroquin jam est nota v. g. ex prole inde acquisita; vel saltem ex impprægnatione. X. Infamia mulieris ex nimis familiari & suspecta Oratorum inter se conversatione orta absque copula. Et demum ultimo ipsum Matrimonium cum ignorantia impedimenti bona fide contractum, maxime si jam est consummatum, & proles subsecuta &c. Vide de his omnibus Jus Canonicum *l.* 4. *Decr. in Appendice* §. 3.

8 His præscitis ponamus (majoris claritatis gratia) casum, quod Sejus Cum Diana in tertio simplici gradu lineæ transversalis sibi consanguinea contraxerit de præsenti Matrimonium bona fide, & in facie Ecclesiæ, ac præmissis debitis denunciationibus. Postquam autem septem annis ad invicem ut conjuges convixerunt, & liberos exinde adepti sunt, deveniunt in notitiam nullita-

nullitatis Matrimonii. Et quoniam ex una parte citra scandalum, & prolium detrimentum separari nequeunt, ex altera autem in cohabitando adest ex jam expertis periculum incontinentiæ, hinc supplicant pro dispensatione ad effectum revalidandi Matrimonium; quid suadendum talibus a Confessario desuper interrogato?

9 Resp. supposito, quod bona fide (secus enim si factum fuisset, deberet in Supplica v.g. per verba *conscius impedimenti* exprimi mala fides) contraxerint, & impedimentum adhuc sit occultum, oportet ulterius interrogare, an sint pauperes, vel non? Quod si forent tales, juxta jam dicta præcedentis Quæstionis potest etiam etiam Episcopus, præsertim Germaniæ, si haberet tale speciale privilegium, dispensare. Quando autem non essent pauperes,

10 II Indagare debet (NB. nisi ex ipsa Confessione, aut aliis circumstantiis jam appareat contrarium) an saltem prudenter judicent, se posse continere, usque dum veniat dispensatio Roma? Quod si reponant negative, vel id ipsum ex Confessione (puta, quia etiam post notitiam impedimenti ob nimium amorem intra breve tempus sæpius peccaverunt, si non copula, saltem tactibus lascivis &c.) valde probabiliter deduci posset, ac præterea nec interim citra periculum ab invicem separari valerent, denuo pro Foro Conscientiæ ob impedimentum occultum, periculum in mora, & vi taciti consensus Papæ patet recursus ad Episcopum de jure ordinario, supposita bona fide, prout jam dixi superius.

11 Quando autem videtur, non adesse verum periculum incontinentiæ intra id tempus, vel saltem interea facile ab invicem separari possent, v. g. si una pars interim institueret peregrinationem, usque dum veniat dispensatio Roma, nec dispensandi sunt pauperes, dirigatur Supplica ad Curiam Papalem, nimirum ad Sacram Pœnitentiariam, & in ea instituenda observentur illa, quæ adduximus *Quæst.* 5. *n.* 162. *præcedentis Distinctionis*, rogando etiam pro legitimatione prolium, si aliquæ extent. Ubi eadem quoque suo modo, & mutatis mutandis applicari poterunt, si petatur Dispensatio ab Episcopo &c.

SUPPLICA

Pro dispensatione super impedimento Consanguinitatis.

Sejus cum Diana consanguinea sua in tertio gradu simplici Lineæ collateralis contraxit Matrimonium, bona tamen fide, ac publice in facie Ecclesiæ, & præmissis trinis denunciationibus (NB si hæ fuissent intermissæ, deberet addi: item an id contigerit ex dispensatione, vel ex culpabili negligentia) *quod & simul consummavit. Post septem vero annos, educatis jam quibusdam liberis, cognoverunt, inter eosdem intercedere impedimentum dirimens ratione consanguinitatis præfatæ. Et quoniam ex una parte sine gravi periculo magni scandali separari ab eadem domo nequeunt, ex altera vero in cohabitatione periculum imminet incontinentiæ, hinc pro majori conscientiæ suæ quiete humillime petunt dispensationem super hoc impedimento adhuc occulto, ut etiam proles tam susceptæ, quam suscipiendæ legitimentur. Pro qua gratia &c.*

RESPONSIO.

12 N.N. (Hic major Pœnitentiarius ponit suum nomen) *S. R. Ecclesiæ Cardinalis N. N. &c. discreto viro Confessario ex approbatis ab Ordinario, sive proprio latorum Pœnitentium Parocho Salutem in Domino. Ex parte viri & mulieris latorum nobis oblata petitio continebat, quod ipsi alias a septennio Matrimonium inter se publice in facie Ecclesiæ bona fide & præmissis denunciationibus contraxerint, id successive consummantes; nunc vero resciverunt, se tertio Consanguinitatis gradu simplici Lineæ collateralis esse conjunctos. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, dicti latores ob impedimentum ex tertio gradu hujusmodi proveniens, quod a septennio, ut præfertur, nullum remanet, in dicto Matrimonio remanere nequeant absque Sedis Apostolicæ dispensatione: ideo ad vitanda scandala, quæ, si divortium fieret inter eos, exorirentur, ac pro suæ conscientiæ quiete cupiunt per ipsam Sedem Apostolicam absolvi, secumque desuper dispensari. Quare supplicarunt humiliter, ut sibi super his de opportuno remedio providere dignaremur. Nos igitur, qui Pœnitentiariæ D. Papæ curam gerimus, hujusmodi Supplicationibus inclinati, Auctoritate Apostolica specialiter Nobis concessa discretioni tuæ committimus, quatenus, si ita est, dictos latores audita prius eorum Sacramentali Confessione, a quibusvis sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrerunt, incestu & excessibus hujusmodi absolvas in forma Ecclesiæ consueta, injuncta eis pro modo culpæ pœnitentia salutari, & aliis injunctis de jure injungendis. Demum, dummodo impedimentum ex prædicto tertio Consanguinitatis gradu occultum huc usque remanserit, & nunc remanet, & separatio fieri nequeat absque scandalo, aliudque Canonicum non obstet, cum eisdem, quod prædicto impedimento non obstante Matrimonium inter se de novo secrete ad vitanda scandala contrahere, & in eo postmodum remanere licite valeant, misericorditer dispenses, prolem sive susceptam, sive suscipiendam exinde legitimam decernendo in Foro Conscientiæ, & in ipso actu Confessionis Sacramentalis tantum, & non aliter, nec alio modo, nullis super his adhibitis testibus, seu datis litteris, sed præsentibus statim sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ per te laceratis. Datum Romæ sub Sigillo Pœnitentiariæ &c.*

Additio I.

* Alia Supplica pro dispensatione quoad impedimentum Affinitatis ex Jure Canonico Libro IV. Decretalium dicti Auctoris deprompta.

Exponitur humiliter pro parte devoti illius Oratoris, (ponitur N. N. vel fictum nomen v. g. *Caji Laici*) *quod ipse alias conscius impedimenti* (si impedimentum ignoravit, uti multi simplices ignorant, loco *conscius*, dicatur *ignarus impedimenti*) *Matrimonium per verba de præsenti in facie Ecclesiæ contraxit, & successive consummavit cum muliere, cujus sororem antea carnaliter cognoverat. Cum autem dictus orator ob Affinitatis impedimentum ex prædictis proveniens* [*quod occultum est*] *in eo Matrimonio remanere non possit absque Sedis Apostolicæ dispensatione, & si divortium inter eos fieret, scandala exinde verosimiliter orirentur, cupit a præmissis, de quibus summe dolet, absolvi, & secum super impedimento ad remanendum in dicto Matrimonio dispensari* (si proles ex eo jam est suscepta, addatur, *prolemque susceptam legitimari.*) *Quare humillime supplicat, ut super his de opportuno remedio Auctoritate Apostolica provideatur.*

RESPONSIO.

Ad eamdem Supplicam.

N. N. Sacræ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis discreto viro Confessori Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori, ex approbatis ab Ordinario, per latorem præsentium ad infrascripta specialiter eligendo. Ex parte latoris præsentium nobis oblata petitio continebat, quod ipse alias Matrimonium cum muliere, cujus sororem antea carnaliter cognoverat, publice in facie Ecclesiæ contraxit, & successive consummavit. Cum autem, sicuti eadem petitio subjungebat, lator prædictus ob impedimentum ex præmissis proveniens in dicto Matrimonio remanere nequeat absque Apostolicæ Sedis dispensatione, ad vitanda scandala, quæ, si divortium fieret inter eos, verosimiliter oriri possent, ac pro suæ conscientiæ quiete cupit a præmissis, quæ sunt occulta, & de quibus plurimum dolet, absolvi, secumque desuper dispensari. Quare supplicavit humiliter, ut sibi super hoc de opportuno remedio providere dignaremur. Nos itaque, qui Pœnitentiariæ Domini P. P. curam gerimus, hujus-

hujusmodi supplicationibus inclinati auctoritate Apostolica specialiter nobis concessa discretioni tuæ committimus, quatenus, si est ita, dictum latorem audita prius ejus Sacramentali Confessione, ac sublata occasione, si qua adhuc extat, amplius cum dicta sorore peccandi, a quibusvis sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit incestu, & excessibus hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesiæ consueta, injuncta inde ei pro tam enormis libidinis excessu gravi pœnitentia salutari, ac Confessione Sacramentali peccatorum suorum singulis scilicet mensibus, ut minimum semel, aut quoties tibi videbitur, & aliis quæ de Jure fuerint injungenda. Demum, dummodo impedimentum præfatum sit occultum, & separatio inter latorem, & præfatam mulierem fieri non possit absque scandalo, ex cohabitatione vero de incontinentia probabiliter timendum tibi visum fuerit, aliudque Canonicum non obstet, cum eodem latore, & dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute, ut latoris delictum nusquam detegatur, Matrimonium cum eadem, & uterque inter se de novo secrete ad vitanda scandala, præmissis non obstantibus contrahere, & in eo postmodum remanere licite valeant, misericorditer dispenses; prolem susceptam, si quæ sit, & suscipiendam exinde legitimam decernendo in Foro conscientiæ, & in ipso actu Sacramentalis Confessionis tantum, & non aliter, neque ullo alio modo. Ita quod hujusmodi absolutio & dispensatio latori in Foro judiciario nullatenus suffragentur: nullis super his testibus adhibitis, aut litteris datis, seu processibus confectis, sed præsentibus laniatis, quas sub pœna excommunicationis latæ sententiæ laniare tenearis, ita ut nullum earum exemplum extet, neque eas latori restituas; quod si restitueris, nihil ei præsentes litteræ suffragentur. Datum Romæ apud S. Petrum sub Sigillo Officii Pœnitentiariæ &c.

Additio II.

* Quæritur. Quidnam Executor talium Rescriptorum seu dispensationum in ipsa executione debeat observare? Resp. *Inprimis* videat superinscriptionem talis Rescripti, ad quemnam illud sit directum: nam si titulus foret sequens: *Discreto Viro Confessario ex approbatis ab Ordinario, per latorem (vel latricem) pœnitentem eligendo*, tunc juxta declarationem aliquam Cardinalium relatam a Justis *l.* 1. *c.* 8. *n.* 99. Confessarius a pœnitente electus, omnino posset, dummodo alias sit approbatus ab Ordinario illius loci, in quo fit actualis dispensatio, dictum Rescriptum executioni mandare, quamvis non sit Doctor Theologiæ, vel SS. Canonum, nec specialiter privilegiatus. Secus vero, si titulus sit talis: *Discreto Viro Confessori Magistro in Theologia vel Decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario &c.* tunc enim Executor deberet esse in aliqua Universitate vel SS. Canonum, vel SS. Theologiæ Doctor, aut (uti alibi vocatur) Magister; nec sufficeret, fore Licentiatum. Interim tamen nostris Lectoribus Jubilatis Innocentius XI. in Bulla *Exponi nobis.* edita 27. Novemb. anno 1679. dedit specialiter facultatem exequendi simile Rescriptum, etsi superinscriptio foret directa ad Doctorem Theologiæ, vel SS. Canonum, uti videri poterit apud Kerchove in Commentariis &c. *c.* 7. §. 6. *n.* 22. Quinimo Gregorius XIII. idem absolute concessit Patribus Societatis JESU, & consequenter etiam participantibus in eorum privilegiis; dependenter tamen a deputatione immediata, vel mediata ipsius Generalis.

Secundo. Confessarius ille pœnitentem, pro obtinenda dispensatione suum Confessionale accedentem, interroget, utrum impedimentum sit adhuc occultum, & causa motiva dispensandi in supplica allegata a parte rei vera? nam utrumque requirit Summus Pœnitentiarius ad valorem dispensationis, uti patet legenti simile Rescriptum. Vide de hoc in Jure Canonico *l.* 4. *Decr. in Appendice* §. 2. *n.* 44. & §. 9. *n.* 435. *ac seqq.* Item Syrum Placentinum *loc. cit.* folio apud me 238. *Tertio.* Ejusdem Sacramentalem Confessionem excipiat. *Quarto.* Si adsit adhuc occasio proxima peccandi cum altera persona propter quam impedimentum contraxit, præcipiat, ut eamdem tollat, ante cujus sublationem differatur dispensatio, uti recte monetur in Jure Canonico, *loc. cit. n.* 462. & 463. *Quinto.* Pœnitentiam in Rescripto specificatam injungat illi ex putatitiis conjugibus, qui post contractum bona fide Matrimonium deveniens in notitiam nullitatis ejusdem, hoc non obstante copulam peccaminosam continuavit, cui haud dubie etiam pro se particularem ob alia peccata, in Confessione detecta, poterit proportionaliter superaddere. *Sexto.* Admoneat, ut consensum matrimonialem dictæ personæ, supposito, quod antecedenter Matrimonium jam fuerit contractum, modo superiori Distinctione *n.* 172. *ac seqq.* indicato renovent; ubi tamen non amplius necessarium erit adhibere de novo assistentiam Parochi, & duorum testium, si id jam contigerit in primo contractu matrimoniali. *Septimo.* Prolem susceptam ex tali Matrimonio in hoc Tribunali Sacramentali legitimam decernat. *Octavo.* Moneat pœnitentem, quod hæc dispensatio ei prosit tantum pro foro interno. *Nono.* Demum a censuris, & peccatis absolvat modo alias consueto; subjungendo tamen post illa verba: *Ego te absolvo a peccatis tuis*, similem, si placuerit, formulam e. g. in Impedimento Criminis: *Insuper Auctoritate Apostolica dispenso tecum super Impedimento Criminis, ut cum priori putativo tuo conjuge Matrimonium prævia renovatione mutui consensus contrahere & consummare valeas. In Nomine Patris &c. Passio Domini nostri JESU Christi &c.* Vel in Impedimento Consanguinitatis, aut affinitatis taliter: *Insuper Auctoritate Apostolica mihi specialiter quoad hoc delegata dispenso tecum super Impedimento Consanguinitatis* (vel Affinitatis) *ut illo non obstante prævia renovatione prioris consensus, Matrimonium secrete contrahere, ac consummare valeas. Pariter eadem Auctoritate Apostolica prolem susceptam, si qua sit, vel suscipiendam legitimam esse, & fore declaro. In Nomine Patris &c. Passio Domini &c.* *

Additio III.

* Porro circa clausulam legitimationis sequentia bene sunt notanda. *Inprimis*, quod proles, ex tali Matrimonio invalido genita, tam quoad effectus Canonicos (puta quoad Ordines, & Dignitates Ecclesiasticas) quam quoad effectus civiles (puta quoad successionem in bonis temporalibus ac similibus) censeatur etiam absque tali clausula legitimationis legitima, quando utraque pars, vel saltem una bona fide contraxit Matrimonium in facie Ecclesiæ, nec devenit in notitiam invaliditatis ante susceptam hanc prolem; prout facile hæc bona fides intervenire potest ex parte innocentis, si altera pars contraxit impedimentum Affinitatis ex copula fornicaria. *Secundo*, si a parentibus etiam in mala fide constitutis proles nascatur post executionem dispensationis, ea pro foro interno foret legitima tam quoad effectus civiles, quam Canonicos, quamvis dicta clausula legitimationis Rescripto dispensationis non foret inserta, & licet memorata proles concepta fuisset ante executionem dispensationis. *Tertio*, quoad prolem autem jam ante executionem dispensationis susceptam a parentibus, invaliditatem Matrimonii ante tempus copulæ non ignorantibus, clausula ista legitimationis habet hunc effectum, ut pro foro interno, ac conscientiæ talem prolem legitimet quoad Ecclesiastica; imo etiam valde probabiliter quoad civilia, uti contra Sanchez *Lib.* 8. *De Matrim. disp.* 7. *nu.* 23. defendunt Basilius, Pontius, Garzias, Justis, & Corradus *De Dispensat. Matrim. l.* 8. *c.* 3. *n.* 50. & *seqq.* cum Rota Romana ab ipsis citata. Ratio est; quia per similem facultatem legitimandi absolute datam videtur Pontifex dispensare in ipsa radice Matrimonii. *Quarto*; quoad prolem a talibus, impedimento dirimente laborantibus progenitam jam ante contractum putatitium Matrimonium, dicta clausula legitimationis id operatur, ut talis proles exinde tantum legitimetur quoad effectus Canonicos seu Ecclesiasticos, & quidem pro solo foro interno, nullo autem modo

modo ſaltem extra territorium temporale Summi Pontificis quoad effectus civiles: ratio eſt, quia in illo concubitu non adfuit illa figura Matrimonii apparentis, & conſequenter nec radix Matrimonii, in qua alias diſpenſando, & retrotrahendo Pontifex legitimaret prolem quoad temporalia; conſequenter talis proles neque in foro conſcientiæ poſſet ab inteſtato æqualiter ſuccedere, ſi extarent alii liberi legitimi, puta ex aliquo præcedenti legitimo Matrimonio. De hoc egi fuſius in libello *Theoria & Praxis impetrandi diſpenſationes* intitulato, & anno 1610. Ingolſtadii edito *Diſp.* 1, *qu.* 5. §. 3.*

13 Quod, ſi plures alias formulas ſupplicandi apud S. Pœnitentiariam in diſtinctis materiis deſideres, vel tibi quoad diverſas alias clauſulas in Reſponſoriis contentas, ſive quoad modum exequendi cauſetur dubium, recurrere poteris ad *IV. Decretalium in Appendice* §. IX.

14 Ceterum, quoniam Reſcripta a Sacra Pœnitentiaria miſſa plerumque inſertas continent varias Abbreviaturas, quas inexperti legere nequeunt, conſultum duxi, ex noſtro Tiburtio Navar. Pœnitentiario Lateranenſi harum aliquam explicationem apponere.

A

Archiepus	*lege*	Archiepiſcopus.
Alr		Aliter.
Als		Alias.
Abſolvo		Abſolutio.
Aplica		Apoſtolica.
Appatis		Approbatis.
Autre		Auctoritate.

C

Cardilis	Cardinalis.
Canice	Canonice.
Ceñ	Cenſuris.
Circumpeoni	Circumſpectioni.
Xſtus	Chriſtus.
Confeoñe	Confeſſione.
Confeōri	Confeſſori.
Coioñe	Communione.
Conſciæ	Conſcientiæ.
Conſtituonibus	Conſtitutionibus.

D

Diſcreoni	Diſcretioni.
Diſpenſao	Diſpenſatio.
Dnus	Dominus.

E

Ecclæ	Eccleſiæ.
Effus	Effectus.
Exit	Exiſtit.
Ecclis	Eccleſiaſticis.
Epus	Epiſcopus.
Excoe	Excommunicatione.

F

Fr	Frater.
Frum	Fratrum.

G

Gnli	Generali.

H

Humoi	Hujuſmodi.
Humilr	Humiliter.

I

Infraptum	Infraſcriptum.
Irregulte	Irregularitate.
Igr	Igitur.

L

Lia	Licentia.
Ltima	Legitima.
Lræ	Litteræ.
Lite	Licite.

M

Mrimonium	*lege*	Matrimonium.
Magro		Magiſtro.
Miraone		Miſeratione.
Mir		Miſericorditer.

N

Nulltus	Nullatenus.

O

Ordio	Ordinario.
Ordinaoni	Ordinationi.

P

PP.	Papa.
Pr.	Pater.
Pontus	Pontificatus.
Ptus	Præfatus, ſ. prædictus
Ptur	Præfertur, ſeu prædicit
Pntium	Præſentium.
Pbyter	Presbyter.
Pbyricida	Presbytericida.
Pœnia	Pœnitentia.
Pœniaria	Pœnitentiaria.
Poe	Poſſe.
Pror	Procurator.

Q

Qtnus	Quatenus.
Qmlbt	Quomodolibet.
Qd	Quod.

R

Relari	Regulari.
Relione	Religione.
Roma	Romana.

S

Sntæ, vel Stæ	Sanctæ.
Saluri	Salutari.
Sentia	Sententia.
Spealr	Specialiter.
Supplionibus	Supplicationibus.
Spualibus	Spiritualibus.

T

Tn.	Tamen.
Tm.	Tantum.
Thia, vel Theolia	Theologia.
Tli	Tituli.

V

Venebli	Venerabili.
Vræ	Veſtræ.

QUÆSTIO III.

Quomodo practice Diſpenſatio in cauſis Matrimonialibus obtineri queat a Dataria tam pro foro interno, quam ſimul etiam externo?

SUMMARIUM.

15 *Quotupliciter in Dataria obtineatur Diſpenſatio?*
16 *Ob quas cauſas?*
17 *Quomodo debeat inſtrui ſupplica?*
18 *Formula ſupplicationis ob anguſtiam loci.*
19 *Declaratio ſupplicæ.*
20 *Si duo a communi ſtipite inæqualiter diſtant, qualiter id debeat exprimi in ſupplica?*
21 *Formula ſupplicæ ob contractum jam bona fide Matrimonium &c.*
22 *Reflexio ad II. ſupplicam.*
23 *Qualiter in ſupplica intelligatur illa Clauſula:* Si Oratoribus vitæ periculum immineat?

24 *Quomodo supplica rite concepta dirigatur Romam?*
25 *Quid facere debeat ille, qui nescit supplicam concipere juxta stylum Curiæ?*
26 *Corollarium I. pro Parocho.*
27 *Corollarium II.*
28 *Quid consulendum Oratori pauperi, qui nequit solvere taxam?*
29 *Ad quemnam recurratur pro Executione Dispensationis?*
30. 31. 32. *Qualia Rescripta Dispensationum soleant expediri a Dataria ad Executorem?*
33 *Qualiter Clausulæ Rescriptorum sint intelligendæ? Remissive.*

15 Sciendum I. Quod in Dataria, seu pro foro externo, & dum impedimentum est publicum, quoad Matrimonia proprie non dispenset Datarius, seu Pro-Datarius, sicuti in Pœnitentiaria Pœnitentiarius, sed potius ipsemet Summus Pontifex, quamvis is Datario utatur tamquam instrumento, & informante, atque per manus Officialium Datariæ dicta Dispensatio transeat. Hinc pariter ob eamdem rationem in supplica ad dictum Tribunal directa non scribitur, sicuti in Pœnitentiaria, *Eminentissime Domine*, sed *Beatissime Pater*. Porro hæc dispensatio obtinetur vel *in forma ordinaria*, vel *in forma pauperum*, quando nimirum dispensandi sunt pauperes & miserabiles &c.

16 Sciendum II. Quod ob illas causas, superiori Quæstione adductas, ob quas Sacra Pœnitentiaria dispensat pro solo foro interno, & quando impedimentum est occultum, pariter dispensetur in Dataria pro foro externo, & dum impedimentum est publicum. Quinimo in Dataria potest sub fide peti Dispensatio sine allegatione in supplica alicujus specialis & determinatæ causæ, ac cum sola hac clausula generali: *Ex certis rationabilibus causis*, in quo tamen ultimo casu supplicantibus imponitur major compositio, seu taxa pecuniaria, quæ pecunia dein ad usus pios pro bono communi applicatur, v. g. in redemptionem Captivorum, in auxilium pro Missionariis Apostolicis &c. ut vel exinde sit causa rationabilis dispensandi.

17 Sciendum III. Quod Supplica ad hoc Tribunal directa debeat concipi verbis propriis, usitatis, claris, ac sine ambage, superfluitate, ac quæsito ornatu. Et quidem I. in eadem exprimantur vera nomina ac cognomina Oratorum, una cum expressione Diœcesis, quod si Oratores seu supplicantes forent ex distinctis Diœcesibus, quælibet specificetur, & si ob angustiam loci dispensatur, deberet quoque locus Oratorum denominari. II. Postea ordinarie ponitur causa motiva dispensandi. III. Ipsum impedimentum. Et IV. Demum sit conclusio, in qua supplicant humiliter Oratores, ut cum ipsis in dicto impedimento dispensetur. Quod si causa motiva dispensandi foret *copula præcedens*, aut *contractum jam Matrimonium*, ipsum impedimentum poneretur in supplica secundo, & causa motiva tertio loco, prout in utroque casu adducitur majoris claritatis gratia Exemplum præter plures formulas circa diversa impedimenta fusius videndas in Jure Canonico, *lib. 4. Decret. in Append. §. VI.*

SUPPLICA I.

In qua petitur super tertium & quartum Consanguinitatis gradum in Dataria Dispensatio, quoad Matrimonium contrahendum ob angustiam loci.

BEATISSIME PATER.

18 *Exponitur humiliter Sanctitati Vestræ pro parte devotorum illius Oratorum Titii N. Laici, & Berthæ N. amborum Diœcesis N. Oppidi N.* (hic specificentur verum nomen, cognomen, Diœcesis, etiam Oppidum Oratorum) *quod, cum illa Oratrix in dicto loco propter illius angustiam virum non consanguineum vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, hi duo Oratores cupiant matrimonialiter invicem copulari; sed quia tertio & quarto a communi stipite provenientibus gradibus ad invicem conjuncti sunt, desiderium suum hac in parte adimplere non possunt absque Sedis Apostolicæ dispensatione. Supplicant igitur humiliter Sanctitati Vestræ Oratores præfati, quatenus cum eisdem, quod impedimento quarti Consanguinitatis gradus hujusmodi non obstante Matrimonium inter se publice, servata forma Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, & in eo postmodum remanere libere, & licite valeant, dispensare, distantiam vero tertii gradus non obstare, declarare, prolemque exinde suscipiendam legitimam denunciare clementissime dignetur. Pro qua gratia &c.*

19 Vides, quomodo in hac supplica I. ponatur nomen & cognomen Oratorum &c. II. causa motiva dispensandi, ibi: *propter illius angustiam.* III. ipsum impedimentum, ibi: *sed quia tertio & quarto a communi stipite provenientibus &c.* ac demum IV. conclusio, in qua exponitur desiderium dispensandi sub his terminis: *Supplicant igitur* &c.

20 Illud etiam in præsenti supplica specialiter nota, quod, si duo affines, vel Consanguinei inæqualiter distant a communi stipite (prout hic) debeat uterque gradus in supplica exprimi, sub hoc modo, ut pro remotiori (puta in præsenti pro quarto) petatur dispensatio, & pro propinquiori (puta in præsenti pro gradu tertio) declaratio *non obstare*, uti in ipsa formula supplicationis poteris videre circa conclusionem ejusdem. Quando vero dispensandi æqualiter distant a communi stipite, non apponitur similis petitio declarationis *de non obstare*, sed absolute petitur dispensatio, exprimendo in supplica, quod æqualiter distent, uti illico formula seu supplica II. tibi monstrabit.

SUPPLICA II.

In qua super secundum gradum Affinitatis petitur a Nobilibus in Dataria dispensatio ob jam contractum bona fide Matrimonium, & periculum gravis scandali ex divortio subsecuturi.

BEATISSIME PATER.

21 *Exponitur humiliter Sanctitati Vestræ pro parte devotorum Oratorum NN. Nobilium Diœcesis N. quod ipsi alias ignorantes, aliquod impedimentum inter eos existere, quo minus possent invicem matrimonialiter copulari, Matrimonium inter se per verba de præsenti adhibitis omnibus Solemnitatibus adhiberi solitis* (quod si aliqua Solemnitas fuisset omissa, v. g. Denunciationes &c. deberet addi v. g. *Omissis denunciationibus*) *nulloque detecto, neque denunciato impedimento contraxerint, illudque in facie Ecclesiæ solemnizarint, & carnali copula consummarint. Postmodum vero ad eorum pervenit notitiam, quod se secundo Affinitatis gradu in Linea æquali, & a communi stipite ex copula licita proveniente, invicem attingant, & nihilominus in eadem copula carnali persliterunt.* (NB. si post notitiam impedimenti a copula abstinuissent, deberet apponi) *Cum autem, sanctissime Pater, si divortium inter eos fieret, gravia exinde scandala* (quando alia esset causa motiva petendi dispensationem, illa hoc loco inseratur) *possent verisimiliter exoriri, hinc humiliter supplicant Sanctitati Vestræ præfati Oratores, quatenus eos ab Excommunicationis sententia, si quam propter præmissa quomodolibet incurrissent, incestus reatu & excessibus hujusmodi in utroque foro absolvere, ac cum eisdem Oratoribus, quod impedimento secundi gradus Affinitatis hujusmodi non obstante in dicto Matrimonio libere ac licite remanere valeant, clementissime dispensare dignetur, prolem susceptam vel suscipiendam exinde legitimam declarando. Pro qua gratia &c.*

22 In ista secunda supplica videre potes, quod conformiter dictis *n. 17. quoad copulam vel Matrimonium* prius adducatur impedimentum, ibi: *postmodum vero ad eorum pervenit notitiam*. Deinde ponitur primum causa dispensandi, ibi: *Si divortium inter eos fieret, gravia scandala &c.*

23 Id præterea observant hic Practici cum Vincentio de Justis *de Dispens. lib. 3. cap. 1. n. 116.* Quod, si in hoc altero casu, pro gradu nimirum secundo Affinitatis, aut Consanguinitatis peteretur dispensatio non *pro Nobilibus*, sed *pro Ignobilibus*, ex stylo Curiæ inseri soleat formulæ supplicæ, *Oratoribus imminere periculum vitæ, si non dispensetur.* Quinimo dicta clausula poneretur in litteris dispensatoriis, seu in Rescripto Pontificis *apud Ignobiles*, etsi eadem non fuisset posita in ista supplica. Ubi posset oriri dubium, cur præfata clausula sic ponatur, cum defacto saltem in Germania, teste Schmalzgrueber *in 4. Decret. tit. 16. n. 239.* nec ignobiles amplius, committentes incestum in secundo gradu, afficiantur pœna mortis, adeoque memorata clausula videatur superflua, & frustranea. Ad hoc dubium reposuit Reverendissimus Abbas Josephus Melchiori, vir styli, quem Curia Romana tenet, ex longissimo tempore peritissimus: taliter: *Esto, in Germania Pœna ista a Tribunalium usu recesserit, legibus tamen sancita est, & eadem in incestuosos animadverti assolet in aliis Provinciis: ob quam causam formulæ istius Rescripti antiquissimæ etiam mortis addiderunt periculum, non quod Pontifex semper periculum istud supponat, sed quia a conceptis ab antiquo formulis Sacra Sedes recedere non solet nec debet; cum enim rerum pœnarumque olim statutarum circumstantiæ mutentur identidem, nec idem omnibus Provinciis mos sit, si itidem Sacra Sedes mutaret suorum Rescriptorum formulas, quorsum tandem, & in quod chaos deveniretur? Adde, quod etiam in Germania intercedere præsumatur periculum mortis saltem æquivalenter; cum enim honor & vita pari passu ambulent, ita contrahentes autem in secundo gradu ob suspicionem incestus se exponant periculo infamiæ, eo ipso censebuntur etiam se saltem æquivalenter exponere periculo vitæ.* Ita ille. His præscitis,

24 Quæres I. Quomodo Supplica rite concepta secure Romam dirigatur? Resp. ex Jure Canonico sub iisdem formalibus, nimirum, quod securissima via sit recurrere ad Reverendissimum Ordinarium, vel ejus Vicarium Generalem, aut Concilium Ecclesiasticum, vel practicum Consiliarum, aut Secretarium ejusdem, rogando, ut supplicationem Romam dirigere, & per Reverendissimi Ordinarii Agentem (quivis enim Episcopus Roma longe distans Agentem ibidem habere solet) supplicationem in loco debito porrigere, atque Dispensationis litteras, earumque expeditionem urgere dignetur. Quod si quis ob rationes sibi notas hac via incedere nolit, potest per se ipsum, vel per tertium media posta ordinaria supplicationem rite conceptam mittere Romam ad aliquem Agentem vel Episcopi, vel Principis territorialis, vel ad Procuratorem Generalem alicujus Ordinis per Religiosum talis Ordinis, vel ad alium notum amicum ibidem existentem, rogando, ut eam in loco debito porrigere, & expeditionem urgere dignetur, addendo, quod taxam consuetam non tantum solvere, sed labores quoque solicitatoris realiter recognoscere velit. Notandum etiam hic, quod Domini Itali & Germani, nisi sufficientem de necessaria solutione habeant assecurationem, aut personam alias satis notam, cui fidere possint, non facile credant, ac propterea nec quid laboretur ibidem, nec obtineatur pro foro externo. Neque id eis vitio vertendum ob plures fraudes ex parte Oratorum jam commissas, & facile adhuc committendas. Notandum ulterius, quod Procuratores Generales Ordinum non libenter suscipiant munus procurandi Dispensationes matrimoniales pro foro externo, nisi concernant præcipuos Benefactores Ordinis, & necessaria solutio taxæ per cambium, aut alia via certe ac secure ita ordinetur, ut semper ad manus haberi possit: idque procedit præcipue in Procuratore Generali Ordinis nostri Seraphici, utpote qui negotia Ordinem non concernentia, ubi pecunia intervenire solet, illibentissime suscipit.

25 Quæres II. Quid facere debeat Parochus v. g. vel aliquis Religiosus, qui ignorat, aut saltem sibimetipsi non fidit, talem formulam juxta præscriptum stylum Curiæ instruere, & tamen libenter vellet Parochianum, vel Oviculam, ne desperet, juvare? Respondeo denuo per formalia Juris Canonici *loc. cit.* quod talis alio doctiori viro ad hunc finem utatur, cui necessario exprimenda breviter exprimat. I. Nomen & cognomen utriusque Oratoris contrahere volentis. II. Speciem, & gradum impedimenti, addendo etiam propinquum, si inæquali gradu distant, ac copulam, si eadem, tamquam præcedens, & propterea subsecuta impregnatio, vel saltem apud alios diffamatio fuerit motivum petendi dispensationem etiam pro foro externo: item, an hæc fuerit præhabita cum vel sine spe facilius exinde obtinendi dispensationem. III. Si matrimonium jam est contractum, an bona vel mala fide, præmissis denunciationibus, vel sine illis, sub spe facilius consequendi Matrimonium, vel sine tal spe. Et tandem IV. exprimat causam Dispensationis. Casum sic expressum mittat ad Reverendissimum Ordinarium, vel ad aliquem Romæ jam existentem ex dictis præcedentibus, rogando, ut ipse Dispensationem juxta stilum Curiæ apud Sedem Apostolicam procurare dignetur pro Oratoribus paratis ad solvendam taxam consuetam. Habito siquidem casu rite explicato, talis Romæ existens bonus amicus, vel Agens supplicationem juxta stylum Curiæ vel ipsemet faciet, vel per alium peritum Romæ fieri curabit, & in loco debito porriget, expeditionem urgebit, atque impetratas Dispensationis litteras ad Oratores diriget. Sic v. g. Parochus aliquis scribendo ad suum Ordinarium, vel ejus Generalem Vicarium, aliumve styli Curiæ expertum potest casum venientium ad se Parochianorum, Dispensationem super impedimento desiderantium, breviter statim ita proponere.

REVERENDISSIME &c.

Petrus N. Laicus, & Anna N. Diœcesis Frisingensis adhuc soluti cupiunt matrimonialiter copulari; quia vero laborant impedimento Consanguinitatis in tertio & quarto gradu, rogant humillime, & ego cum ipsis, dignetur Reverendissima Dominatio Sua &c. pro eis Dispensationem juxta stylum Curiæ in forma ordinaria etiam pro foro externo procurare. Causa Dispensationis allegari potest copula ob imprægnatam Oratricem jam publica, quæ tamen absque spe facilius consequendæ Dispensationis fuit habita. (Sic potest etiam alia causa adduci, si adest, v. g. pro causa dispensandi servit incompetens dos Oratricis) *Taxam consuetam, & alias expensas cum gratiarum actione, & debita recognitione exacte solvent &c.*

26 Notetur tamen bene a Parocho. I. Ne facile ipsemet ad interim, forsan a dispensandis requisitus, solvat taxam pecuniariam, quamvis Oratores promittant certam recompensationem hujus mutuatæ pecuniæ. Scio enim similem casum, dum aliquis ab Oratoribus ad invicem consanguineis ita persuasus, mutuos interim aliquot centenos florenos de sua pecunia loco Oratorum ad Datariam misit pro Dispensatione tamquam taxam debitam, ubi tamen postmodum Oratores, cum ante executionem litterarum Dispensationis actualem amor eorum ad invicem remisisset, ac quælibet pars ex mutuo consensu ad alias nuptias transiisset, prædicti ex eo, quod non amplius indigeant hac Dispensatione, persuaderi haud potuerunt, ut mutuatas Parocho restituerent pecunias, quamvis antea nescio qualem fecerint assecurationem verbalem &c.

27 Notetur II. Valde provide agere Parochum, vel alium, ad quem Oratores confidentiam habent, si per Agentem Romanum, antequam ipsum Rescriptum Pontificium Romæ actu expediatur, prius copiam ejusdem procurare tentet, ut exinde videatur, num dictum Rescriptum sit conformiter supplicæ debite instructum, sicque minus periculo sub vel obreptionis, quando postmodum Executor illud examinat, subjectum. Etenim sciendum, quod, non obstante, rem totam in supplica claris & perspicuis verbis fuisse explicatam, sæpius tamen ob molem negotiorum &c. varii errores a Scriptoribus Curiæ Romanæ committantur, ponendo v. g. pro gradu *Consanguinitatis*

gradum

gradum *Affinitatis*, vel loco *Officialis*, e.g. *Frisingensis* denominando *Executorem Augustanum &c.* Et licet non omnis error in Rescripto commissus vitiet ipsum Rescriptum, dummodo omnia bene fuerint exposita in ipsa supplica præcedenti, attamen tale Rescriptum erroribus repletum sæpius non carebit sua difficultate apud Executorem.

28 Quæres III. Qualiter Pauper, qui nequit solvere tantam taxam pecuniariam Datariæ, possit obtinere Dispensationem etiam pro Foro externo? Respondeo, talem adhuc posse juvari, si laboretur, ut a Dataria obtineat Rescriptum Dispensationis in *forma pauperum*; ubi tamen Nota I. Quod hæc dispensatio in forma Pauperum non concedatur, nisi ambo Oratores sint Pauperes, & simul etiam miserabiles, ita, ut tantum vivant de labore, & sua industria. Vidi equidem bina vice, quod certis Nobilibus, qui simul testimonium de sua respectu status paupertate ab Ordinario datum miserunt ad Datariam, aliqua pars taxæ, seu compositionis pecuniariæ fuerit remissa, sed non ex toto, uti apud pauperes simul miserabiles. Nota II. Quod illi, qui petunt Dispensationem *in forma Pauperum*, debeant prius habere authenticam attestationem quoad paupertatem ab Ordinario domicilii habitationis. Quæ tamen ipsis a Reverendissimo Ordinario non dabitur, nisi simul afferant legitimum testimonium a suo Parocho, quod sint pauperes, & miserabiles, ac simul adducant duos testes ab Episcopo sub juramento examinandos de veritate dictorum, ac subsistentia. Nota III. Quod in Curia Romana hæc Dispensatio *in forma Pauperum* non concedatur, nisi ob præcedentem copulam, aut suspicionem illius &c. Unde, si adsint talia impedimenta, in quibus Nuntii Apostolici, vel Episcopi per specialia privilegia possunt cum Pauperibus dispensare, melius est, ad ipsos recurrere, ubi tot conditiones non requiruntur, modo dispensandi sibi vere Pauperes, & habeant justam causam dispensandi. Vide Jus Canonicum *loc. cit. §. VIII.*

29 Quæres IV. Ad quemnam Oratores, seu dispensandi, posito, quod Romæ in Dataria obtineant Dispensationem, debeant recurrere pro executione? Respondeo, ordinarie esse recurrendum ad Ordinarium unius ex Oratoribus, vel ad ejus Vicarium Generalem, cui ultimo plerumque committitur dicta executio, & quidem cum hac inscriptione.

Dilecto Filio Officiali Diœcesis N.

Ubi nomen illius Diœcesis solet exprimi, & per Officialem intelligi Vicarius Generalis. Quod si Oratores existerent diversæ Diœcesis, ordinarie solent litteræ Dispensationis committi Ordinario, vel Vicario Generali ipsius Oratricis. Pyrrhus Corradus *de Dispens. lib. 7. c. 5.*

30 Quæres V. Qualiter sonent Rescripta Pontificia, quæ ab Oratoribus in Dataria quoad causas matrimoniales obtinentur? Respondeo, hoc quæsitum fusius resolvi *lib. 4. Decretalium Juris Can. in Append. §. VII.* quorsum Lectorem remitto, & interea duas formulas conformes duabus supplicis prius positis adjungo, addendo adhuc tertium Rescriptum *in forma Pauperum*, ex quibus formulæ reliquorum Rescriptorum facile intelligi queunt.

RESCRIPTUM I.

AD primam Supplicam in causa dispensandi inter Consanguineos *ob angustiam Loci.*

CLemens Papa XII. Servus Servorum DEI. Dilecto filio Officiali Venerabilis Fratris Nostri Episcopi N. salutem & Apostolicam Benedictionem. Oblata Nobis nuper pro parte dilecti Filii Titii N. Laici, & dilectæ filiæ Berthæ N. ex Diœcesi N. Oppido N. ortorum petitio continebat, quod, cum dicta Bertha in dicto loco propter illius angustiam virum sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, cupiat Titius & Bertha præfati invicem matrimonialiter copulari; sed quia tertio & quarto a communi stipite provenientibus Consanguinitatis gradibus invicem sunt conjuncti, desiderium eorum hac in parte adimplere non possunt absque Sedis Apostolicæ dispensatione. Quare iidem Titius & Bertha, asserentes se ex dicto loco ortos existere, nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus eis in præmissis de opportunæ dispensationis gratia providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem Titium & Bertham & eorum quemlibet a quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & Pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, ac certam de præmissis notitiam non habentes, hujusmodi Supplicationibus inclinati, discretioni tuæ, de qua in his specialem in Domino fiduciam habemus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus, deposita per te omni spe cujuscumque muneris, aut præmii etiam sponte oblati, a quo te omnino abstinere debere monemus, te de præmissis diligenter informes, & si per informationem eamdem preces veritate niti repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, tunc cum eisdem Titio & Bertha (dummodo illa propter hoc rapta non fuerit) quod impedimento quarti Consanguinitatis gradus hujusmodi, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus Matrimonium inter se publice, servata forma Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, & in eo postmodum remanere libere & licite valeant, Auctoritate nostra dispenses. Distantiam vero tertii gradus præfati ei non obstare declares. Prolem suscipiendam exinde legitimam nunciando. Volumus autem, quod, si spreta monitione nostra hujusmodi aliquid muneris aut præmii occasione dictæ dispensationis exigere, aut oblatum recipere temere præsumpseris, Excommunicationis latæ sententiæ pœnam incurras. Datum Romæ &c.

RESCRIPTUM II.

31 AD II. Supplicam in causa dispensandi inter Nobiles secundo gradu ad invicem affines ob contractum jam bona fide Matrimonium &c.

CLemens Papa XII. &c. ut supra. *Oblata Nobis nuper pro parte Nobilium dilecti filii N, Diœcesis N. & dilectæ in Christo filiæ N. Diœcesis N. Provinciæ N. petitio continebat, quod ipsi alias ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere, quo minus possent invicem matrimonialiter copulari, matrimonium inter se per verba de præsenti, adhibitis omnibus Solemnitatibus adhiberi solitis, nulloque detecto, neque denunciato impedimento contraxerunt, illudque in facie Ecclesiæ solemnizarunt, & carnali copula consummarunt. Postmodum autem ad eorum pervenit notitiam, quod se secundo in Linea transversali æquali affinitatis gradu ex copula licita proveniente ad invicem attingant, & nihilominus in eadem carnali copula persistunt. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, in hujusmodi Matrimonio sine dispensatione nostra remanere non possint, &, si divortium inter eos fieret, gravia exinde scandala possent verisimiliter exoriri. Quare iidem, qui orthodoxæ fidei Cultores vere existunt, & sub obedientia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ vivunt, vivereque & mori intendunt, Nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus eis in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem, ac eorum quemlibet a quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & Pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus deposita per te omni spe cujuscumque muneris aut præmii, etiam sponte oblati, a quo te omnino abstinere debere admonemus, de præmissis te diligenter informes, & si per eamdem informationem preces veritate niti repereris, super quo conscientiam tuam oneramus, imposita*

eis pro modo culpæ arbitrio tuo pœnitentia salutari, & recepto prius ab eis juramento, quod talia deinceps non committent, neque committentibus præstabunt auxilium, consilium vel favorem, ipsos ab incestus reatu & excessibus hujusmodi hac vice dumtaxat in utroque Foro Auctoritate nostra absolvas in forma Ecclesiæ consueta, & quatenus contra ipsos causa super præmissis in judicium quoquo modo deducta fuerit, pariter judicato. Demum, si tibi expediens videbitur, quod dispensatio hujusmodi sit eis concedenda, nec scandalum sit ex ea oriturum, super quo conscientiam tuam oneramus, tunc cum ipsis, dummodo orthodoxæ fidei Cultores vere existant, ac sub obedientia S. Romanæ Ecclesiæ vivant, vivereque, & mori intendant, ac ignorantia hujusmodi probabilis fuerit, quod impedimento secundi affinitatis gradus hujusmodi, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, Matrimonium inter se de novo publice, servata forma Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, & in eo postmodum remanere, libere & licite valeant, dicta Auctoritate dispenses, declarantes prolem susceptam, si quædam sit, & suscipiendam exinde legitimam decernendo. Volumus autem, quod, si spreta admonitione nostra hujusmodi aliquid muneris, aut præmii occasione præmissorum exigere, aut oblatum recipere temere præsumpseris, Excommunicationis latæ sententiæ pœnam incurras. Datum Romæ &c.

RESCRIPTUM III.

32 IN simili causa, excepto, quod dispensandi in secundo Affinitatis gradu fuerint Ignobiles (atque hinc in Rescripto etiam fit mentio de periculo vitæ conformiter jam dictis *num.* 23.) & Pauperes, atque Dispensationem petierint primum ad Matrimonium contrahendum, non quidem quasi præcessisset copula, bene tamen suspectum consortium & exinde infamia. Quod si copula, & exinde imprægnatio, vel saltem infamia subsecuta fuisset, deberet in Supplica desuper mentio fieri, & an cum, vel sine spe exinde facilius impetrandi dispensationem, ubi subsecuturum Rescriptum aliqualiter immutabitur: in præsenti autem casu fuit sequens:

CLemens PP. XII. Dilecte fili, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Oblata Nobis pro parte dilectorum filiorum N. Laici, & N. Mulieris, Diœcesis N. petitio continebat, quod ipsi alias scientes, se secundo in Linea æquali affinitatis gradu invicem attinere, non quidem peccandi data opera, vel crimine admisso hæc causa foret, Nos & Sedem Apostolicam ad misericordiam & gratiam erga ipsos faciliores reddendi, in simul conversati sunt, carnali tamen copula minime subsecuta. Et nihilominus orta est gravis suspicio, licet falsa, quod se carnaliter cognoverint. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, nisi Matrimonium inter ipsos exponentes contrahatur, dicta mulier N. graviter diffamata, & innupta remaneret, graviaque exinde scandala orirentur, dictisque exponentibus vitæ periculum immineret, cupiunt exponentes præfati, qui, ut ipsi asserunt, orthodoxæ fidei Cultores vere existunt, & sub obedientia S. Romanæ Ecclesiæ vivunt, vivereque, & mori intendunt, invicem matrimonialiter copulari, sed stante impedimento hujusmodi desiderium eorum hac in parte adimplere non possunt, absque Sedis Apostolicæ dispensatione. Ideo Nobis humiliter supplicari fecerunt exponentes prædicti, ut eis in præmissis de absolutionis beneficio & opportunæ dispensationis gratia providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui Salutem quærimus cunctorum, & scandalis, quantum cum Domino possumus, libenter obviamus, ipsosque exponentes specialis gratiæ favore prosequi volentes, nec non eorum quemlibet a quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, alisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris & Pœnis a Jure vel ab homine quavis præterquam præmissorum occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum, earum serie absolvendos & absolutos fore censentes, certam tamen de prædictis notitiam non habentes, hujusmodi Supplicationibus inclinati, discretioni tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam habemus, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus abjecta per te omni spe cujuscumque muneris, aut præmii, etiam sponte oblati, a quo te omnino abstinere debere monemus, de prædictis diligenter te informes, &, si per informationem eamdem preces veritate niti reperaris, super quo conscientiam tuam oneramus, exponentes præfatos, qui, ut ipsi asserunt, pauperes, & miserabiles existunt, & ex suis labore & industria tantum vivunt, inprimis ab invicem separes, deinde, si veniam a te petierint humiliter, injuncta eis pro malo culpæ arbitrio tuo gravi pœnitentia salutari, & recepto prius ab eis juramento, quod sub spe facilius habendæ dispensationis hujusmodi prædicta non commiserint, & quod talia deinceps non committent, neque committendis præstabunt auxilium, consilium aut favorem, ipsos ab excessibus hujusmodi in utroque Foro, imposita etiam eis propter prædicta arbitrio tuo gravi pœnitentia salutari, Auctoritate nostra hac vice duntaxat absolvas in forma Ecclesiæ consueta. Demum si tibi expediens videbitur, quod dispensatio ejusmodi sit eis concedenda, neque scandalum sit ex ea oriturum, super quo conscientiam tuam etiam oneramus, eisdem exponentibus, ut, postquam in separatione præfato arbitrio tuo perseveraverint, & dummodo dicta mulier N. propter hoc rapta non fuerit, ipsique exponentes pauperes & miserabiles existant, & ex suis labore & industria tantum vivant, ac orthodoxæ fidei Cultores vere existant, & sub obedientia S. Romanæ Ecclesiæ vivant, vivereque, & mori intendant, impedimento secundi in Linea æquali affinitatis gradus hujusmodi, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque non obstantibus, Matrimonium inter se publice, servata forma Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, & in eo postmodum remanere libere & licite valeant, dicta Auctoritate Nostra dispenses, prolem suscipiendam exinde legitimam nunciantes. Volumus autem, quod, si tu spreta monitione nostra hujusmodi aliquid muneris aut præmii occasione absolutionis & dispensationis prædictarum exigere, vel oblatum recipere præsumpseris, Excommunicationis sententia tamdiu innodatus existas, donec a Sede Apostolica absolutionis beneficium per satisfactionem condignam merueris obtinere. Et nihilominus absolutio & dispensatio a te facienda perpetuo nullius sint roboris vel momenti. Datum Romæ &c.

33 Ceterum, si circa intellectum clausularum, sive circa modum exequendi talia Rescripta novum aliquod apud Executorem emergat dubium, Auctores in Curia Romana practicos, uti Pyrrhum Corradum, Vincentium de Justis de Dispensationibus, Thomam de Rosa de Executoribus Litterarum Apostolicarum, & Theodorum Ameyden de Stylo Datariæ consulere poteris, præsertim vero Appendicem Libri IV. Decretalium Patris Anacleti Reiffenstuel, cujus Auctoris Commentarios in Jus Canonicum etiam alibi intelligo, quoties hinc inde in his Additionibus apposui remissive sequentia, aut similia verba: *Vide Jus Canonicum.*

Nobis hæc tum de sanctissimis Legis Evangelicæ Sacramentis, tum de tota Theologia Morali dicta sufficiant, quæ sint humillime subjecta Censuræ, ac Judicio Sanctæ Matris Ecclesiæ, ac cedant ad perennem DEI Gloriam.

TRACTA.

TRACTATUS XV. ET ULTIMUS DE BULLA CRUCIATÆ.

TANTI universim facta est hæc *Moralis Theologia* R. P. Fr. ANACLETI REIFFENSTUEL, ob tantæ soliditatem, claritatem, & universalitatem doctrinæ, qua Theologicum mare ostiis videatur clausisse, ut merito, quod de Aristotele in ejus vita decantarit Guarinus, optime tanto quadret Auctori: *Discere* (verba sunt Guarini) *qui volunt hunc amplectantur oportet, cujus Libri* (Tractatus) *ita scripti sunt, ut, & Parvulos instituere, & Mediocres alere, & Robustos exercere ac perficere voluisse appareat.* Hac igitur Theologis omnibus attenta operis hujus (in duos nunc partiti tomos) indigentia, non dubitarunt quidam illiterati, ea permoti, adhuc post multas impressiones, novæ impendere sumptus editionis, denuo typico prælo subjicere mandantes; qua occasione, tractatus Bullam Cruciatam exponens additus est, ne truncum foret opus hic (illic enim integrum e manibus evasit Auctoris, eo quod non sit tantum a S. Sede donum) difficultatibus, quæ circa ejus tot, tantaque privilegia sortiuntur, enodatis, pro possibili servato operis ordine.

EXCELLENTISSIMUM quidem donum est hoc Bullæ Cruciatæ Summarium; sed quid mirum? Si procul dubio non est aliud, quam scriptura illa a Christo Domino in Sinagogam Nazareth ingredienti lecta in libro Isaiæ sibi tradito, *Spiritus Domini* (Luc, 4. 18. 19.) *super me: evangelizare Pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare Captivis remissionem,* (Isai. 61. 1 indulgentiam) *& Cæcis visum, dimittere confractos* (Isai. v. eod. clausis apertionem) *prædicare annum Domini acceptum : : : hodie* (subjunxit) *impleta est hæc scriptura in auribus vestris.* Cum in hac Bullæ Cruciatæ Scriptura, qua, illa Christi Domini impleta est, Captivis promittatur remissio, Clausis apertio, Cæcis visio, promptaque salus corde contritis, quibus tot tantisque gratiis pro omnimoda gratia in ea contentis specialiter Dominus Deus ostenditur *misericors* (Exod. 34. 6.) *clemens, patiens, & multæ miserationis.* Misericors; dum per suum Vicarium in terris nobis contritis Indulgentiarum Bulla (hoc est 1. seu vivorum appellata) conceditur, obtenta quotannis, & per totum annum, ut quotidie sit indultum. Clemens: dum confractis essus lacticiniorum (scilicet 2. aut lacticiniorum nominata) permittitur, quo jejunatur, & non jejunio, ut David (cum aliis) *jejunavit jejunio.* 2. Reg. 12. 16. Multæ miserationis; dum Cœci, seu peculiaribus flammis detenti (3. seu Defunctorum vocata) ab iis liberantur, visionemque intuitivam, seu claram Dei nanciscuntur. Patiens: dum ære alieno Captivis remissio elargitur (4. scilicet compositionis dicta) non dimidio, neque quadruplo, si defraudatum fuerit [de quo Luc. 19. 8. 9.] sed parva eleemosyna collata a jugo Captivitatis redemptis. Tanto ergo dono illustramur Hispani, quod necdum nobilitatis sit vexillum teste Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 6. unde Propertius lib. 4. eleg. 1. v. 130. succinit:

Mox ubi Bulla rudi dimissa est aurea collo
Matris, & ante Deos libera sumpta toga.

Sed & libertatis ut ait Persius Satyr. 5. v. 30. ubi

Cum primo pavido Custos mihi purpura cessit
Bullaque subcinctis laribus donata pependit.

Et triumphi, in quem certe Nobis datum est, ut sublimior indicaretur gloria. Super quo Consule Pier. Valerian. lib. 41. cap. 6. Hispaniæque salus facta est, quapropter. ne stetis Hispani tota die [toto anno] otiosi deprecor, cum potestis, vobis [una hora, paribus factis, cum per totam diem laborantibus Matt. 10. 12.] brevi, levique opere, & vestris in pace quiescentibus. quod alias; & alii annis plurimis consequi; ita ut qui dici, & queat;

In brevi explentes sæcula multa.

DISTIN-

Jac. Isteræ.

DISTINCTIO I.

De Bulla Vivorum.

QUÆSTIO I.

Prolegomena.

SUMMARIUM

1 *Etymologia Bullæ.*
2 *Cur dicitur Cruciata? exponitur.*
3 *Aliaque Ratio assignatur.*
4 *Diffinitur Bulla, ejusque causæ: nempe efficiens; finalis, formalis, & materialis traduntur, & declarantur.*
5 *Finalis, & aliarum prosequitur expositio.*
6 *Bulla in quatuor partitur partes seu Bullas parvas.*
7 *Sum. Pontifex est Author Bullæ.*
8 *Quis fuerit primus, qui Hispaniæ eam concesserit, inquiritur.*
9 *Posse eam concedere Sum. Pontificem certissime tenendum est.*
10 *Imo, & ipsum solum ostenditur.*
11 *Prosequitur probari alium à Pontifice non posse eam concedere.*
12 *Firmatur prohibitio omnibus inferioribus ejus intimata.*
13 *Solis Fidelibus potest concedi Bulla.*
14 *Indulgentiæ in ea contentæ sunt multæ.*
15 *Dupliciter interpretari queunt privilegia ejus, binoque modo considerari; qui modi explicantur.*
16 *Secundo modo attenta ample sunt interpretanda.*
17 *Pariter privilegia secundæ classis assignata* num. 15

1 COmplures sunt hujus nominis *Bulla* etymologiæ; quæ tamen magis notæ, ac certæ habentur ab AA. traduntur. I. Enim significatur per dictum nomen tumor ille inanis, qui flante spiritu, vel aqua desuper impetu cadente, uti in pluvia, seu ex ipsomet æquæ ferventis fervore ab igne causato, rotundæ figuræ, non tam difficulter evanescente, quam facile enascente: hujusque tam improvisi dilapsus particeps homo, etiam *Bulla* dictus est, quia vapor ad modicum parens Jacob. 4. Insuper exprimitur per tale nomen figura quædam aurea ad modum cordis formata, quam olim Magistratus, Victores, & Patriciorum Romanorum filii ad collum appensam gestare solebant, ut habetur in Calep. Alex. ab Alex. Zaz, & communiter AA. Demum intelligitur sigillum illud a litteris Apostolicis pendens; imo, & ipsas litteras Apostolicas Bullas appellari ex quadam Glossa colligitur vers. *Aurea in clem.* 1. *de jur.* & communiter docent Canonistæ *in cap. ad. aud. de crim. fals.*

2 Cruciata nominatur; quia indulgentiæ in ipsa contentæ similes sunt illis, quæ elargitæ fuerunt ab Urbano II. præliantibus pro acquisitione Terræ Sanctæ, ad eamque expeditio Cruciata nuncupata: non ex minori numero quam sexcentis millibus militum juxta quorundam sentire constans: potito, vi perorationis ipsius Urbani II. veluti acuti gladii animos omnium Fidelium ferientis in Conci'. Claromon. convocatis, ad hunc finem Præsulibus, & Principibus, sub Ecclesia stantibus: Recolentis gaudium desiderii sui Prædecessoris Gregor. VII. ob perturbationes, & varia schismata in Ecclesia suborta, impediti.

3 Etiamque, quia similes illis, quæ in Conc. Lateran. sub Innoc. III. Militibus contra Infideles pugnaturis, signumque Crucis in vestibus deferentibus; causa cujus cruciati vocati fuere. Tandem, quia sic ii milites, quibus conceditur, ab aliis distinguuntur per signum Crucis appositum eorum vestibus, ut ita fieri præcepit Pius IV. In Bulla Romæ data 5. Idus Martii 1559. his verbis: *Quodque ad bellum proficiscentibus in eorum vestibus vivificæ Crucis, pro qua pugnaturi sunt signum imponant, ut ab aliis cognoscantur, & discernantur.* Hæc sat sint Nobis de etymologiis, seu explicatione vocum; cum ad earum significata noster sit transire scopus. Qui tamen plura cupiat, Alphonsum Perez de Lara in compendio trium gratiarum. Ægidium Trullenc in expositione Bullæ Cruc. Andream Mendo, &c. inspiciat.

4 CONCL. I. Est Bulla: *Pontificium Diploma Catholico Regi concessum in subsidium belli contra infideles, magna offerens indulta, appositis præscriptis in eo oneribus.* Hujus descriptivæ definitionis bonitas patet; in ea enim adhuc semi, vel non dialecticus generis, & differentiæ rationes inveniet: harum igitur assignatione omissa, in ipsa, causam efficientem, finalem, formalem, & materialem inveniri dicimus, quarum ergo prima est, Bullam concedens. Secunda est duplex, extrinseca nempe, & intrinseca; hæcque adhuc duplex pariter est, seu duplici modo considerari potest. *Primo*, finis quem intendit Pontifex in omni communicatione thesauri Ecclesiæ, utpote salutis spiritualis augmentum Fidelium distributivè, vel conjunctivè, hoc est eorum per modum unius, aut communitatis, huncque habet Pontifex ex vi Bullæ præcise, seu sub conceptu Bullæ.

5 *Secundo*, qui est sub conceptu Cruciatæ, est infidelium ruina, & recuperatio Terræ Sanctæ: hicque merito vocari potest finis intrinsecus, eo quod fuerit primarius, ob quem concesserunt Pontifices dictum Diploma. Qui autem alium haberet finem, qualem habuit Leo X. fabricam nempe Sancti Petri, mediis eleemosynis in acceptione Bullæ erogatis, qui est extrinsecus finis Bullæ, vel causa finalis extrinseca, non videretur concedere Bullam Cruciatæ; sed quamdam particularem Bullam gratias varias offerentem, Fideles excitantem, ad eleemosynas impertiendas, quibus expleretur pium opus intentum. *Tertia*, est præscriptio onerum sub quorum positionis conditione contenta indulta, gratiæ, &c. in Bulla dispensantur, quæ sub hoc respectu rationem privilegii non sortiuntur; quia potius odia quam favores sunt; bene vero sub conceptu modificatorum, sub quo formalisata, ita causæ formalis obtinent rationem: ipsaque per modum aggregati, præscissa formalisatione, causæ materialis, quartæ nempe, rationem videntur sibi vendicare.

6 Quadruplex est Bulla, vel melius integra Bulla IV. præcipuas amplexatur partes, quarum *Prima* vivorum Bulla appellatur, estque summarium indulgentiarum, & facultatum ad vivos Fideles spectantium. *Secunda* lacticiniorum, præbens utpote licentiam Ecclesiasticis omnibus Sæcularibus, & Præsulibus omnibus, comedendi lacticinia in Quadragesima, majori heb lomada excepta. *Tertia* est Defunctorum, summarium nempe etiam indulgentiarum, pro ipsorum animabus, per modum suffragii concessarum; facultasque sepeliendorum in loco sacro, præscripto modo tunc, tempore interdicti. *Quarta* compositionis Bulla est, casus continens in quibus, de bonis alienis, Domino ignoto, fieri potest compositio. Qui tamen aliquas facultates tribuit Pontifex Commissario Gen. Cruc., de illis in fine agemus, postquam Seriatim de dictis Bullis tractarimus.

7 Procul dubio Caput militantis Ecclesiæ visibile, Pontifex, vicarius nempe Christi in Terris, Auctor est hujus Bullæ, ut notanter in data Bullæ definitione nomine illo *Pontificium*. Et hoc fit satis interroganti, Quisnam sit dictæ Bullæ auctor, si ly *Quisnam* sit in ordine ad dignitatem: cum vero de singulari dignitatis Persona inquiritur, dico communiter tenere AA. fuisse Urbanum II. qui anno 1095. concessit dictum Diploma.

8 Disserunt hic AA. quis fuerit primus Pontifex qui Hispaniæ Bullam concesserit; sed cum ad invicem non conveniant, dico certum esse non posse facile assignari: tamen non fuisse Julium II. sentiendum est, ut aliqui tenent: quia ante ipsum fuit Alexander VI. per quem Romæ expeditum fuit quoddam Breve anno 1497. quo constituebat Commissarium Gen. Cruc. pro Regno Siciliæ, & Insulis adjacentibus Fr. Raynaldum de Montauro, vel Montoro, & Landolina Ordi-

Ordinis Prædicatorum, Episcopum Cephalædensem, ut patet ex tabula ejusdem Ecclesiæ Cephalæditanæ, & refert Abbas Don Rocco Pirro *in lib.* 3. *Episcopatuum Siciliensium notitia* 5. *num.* 3. Cupidus autem notitiæ Seriei Pontificum, qui concesserunt Hispaniæ Bullam adeat P. Bardi *in explic. Bull. Cruc. part.* 1. *tract.* 1. *cap.* 3. emendantem ordinem Ægidii Trullenc, recitantis ad verbum seriem datam ab Alphonso Perez de Lara.

9 Posse concedi Bullam negotium est indubitatum, consequenterque à Summo Pontifice: qui enim divisim facultates, & gratias plures concedere potest, pariter, & simul, stante causa, in quo stat Bulla: cum ergo potestas illa, apud universalem Ecclesiæ Pastorem resideat; à Christo data, ut in locis propriis summæ, verbis ipsius ostenditur, ut in *tract. de Indulg.* de hac potestate; inde votis, de potestate commutandi, dispensandi, &c. igitur, &c. Deinde actu ad potentiam optimam esse consequentiam hucusque Philosophi docuere; si ergo Pontifex tot per vices concessit, nec liceat in re tanti momenti tenere errasse, certum est omnimodis certum. Ex dictis sit

10 CONCL. II. Solus Papa Bullam concedere quit, si loquatur de prædicta Bulla, quoad omnia privilegia. Ratio est: quia alteri ab ipso non est tam ampla facultas concessa. Ita intellecta conclusio indubitabilis venit, ut patet ex *sum. loc. cit.* si autem investigetur de Bulla continente solum privilegia, super quibus inferiores Pontifici habent potestatem, qualis foret Bulla præbens facultatem absolvendi à casibus, & censuris Episcopo reservatis; seu dispensandi in votis, & juramentis Pontifici non reservatis; offerens indulgentias, quas elargiri valent, &c. sub obligatione solvendi moderatam taxam eleemosynæ, subveniendi causa, e. g. necessitatibus pressis urgentibus; posthabitis limitationibus à Trull. adductis, quia ad nihil nobis servire videntur, adhuc est

11 CONCL. III. Negativa de quocumque Inferiori Pontifici Probatur. In Constitutione Pii V. quæ habetur *in.* 2. *tom. Bullarii*, estque 99. & incipit *Quam plenum &c.* prohibetur cuicumque Præsuli recipere aliquid, pro indulgentiis publicandis: pro facultate eligendi Confessarium, qui absolvat à reservatis; aliisque privilegiis concedendis, &c. dans ibi Pontifex rationem: Quia hæc redolent simoniæ labem: ergo neque pro Bulla, quæ est copiosarum gratiarum concessio.

12 Roboratur hæc prohibitio ex Trid. *Sess.* 22. *cap.* 5. *de refor.* ubi scribitur, quod gratis fiant ab Episcopis dispensationes, ut alii actus ab Ecclesiastica, & spirituali potestate provenientes; non vero cum onere pretii, sed adhuc titulo eleemosynæ; quia titulo pretii certum est non prohibuisse Concil. eo quod sufficienter à jure naturæ, & divino vetitum sit. Præterea *in cap. ad nostram de simonia*, *& cap. ult. de pactis.* habetur ut pro ministerio spiritualis potestatis pecunia non exigatur. Demum, quod requiratur ob pias causas eleemosyna taxata non obest; est ratio; quia adhuc stat motivum prohibitionis, nempe sapor labis simoniæ; eo quod viget prohibitio, qua stante simoniaca redditur actio talis exigendi: Papæ vero, nec saporem habet; quia ipsa non ligatur prohibitione: adeoque ab hac inferiores ejus soluti, licentia ab ipso præstita, vel à consuetudine, in qua illa involvitur, vel altitisse ab initio, præsumitur, dictas Bullas valebunt concedere: & ita evenisse fateor in Bulla Confraternitatis concessa ab Episcopo Siguntinensi anno Domini 1570.

13 Bulla quoad omnes ejus partes, gratias, & privilegia solis Fidelibus concedi valet (quoad omnes ejus partes; gratias, & privilegia dixi ob inferius dicenda). Ratio est: quia hæc est potestas jurisdictionis, quæ cum sit relativa, superiorem, tamquam fundamentum, & subditum tamquam terminum correlatum expostulat: ob quod ni in subditos exerceri non valet; cumque hi solum per baptismatis receptionem, Ecclesiæ tales fiant: hinc ipsis unice tale Diploma concedi valet. Proinque, quia non est Ecclesiæ de iis qui foris sunt judicare ad Corinth. 5.

14 Copiosissimæ sunt indulgentiæ in Bulla concessæ, consequenterque satisfactiones oblatæ, quæ emanant à Thesauro Ecclesiæ ad modum montis pietatis formato, cujus summa capitalis, ex operibus Christi Domini satisfactoriis, Virginis Mariæ, componitur; etiamque ex superabundantibus aliorum Sanctorum, qui pro se ipsis habuerunt quid luerent. Non erant tamen necessariæ aliæ satisfactiones à Christo, quia infiniti valoris, (quamvis extensive, & objective tantum, ut tenet Scotus *in* 3. *d.* 19. cum omnibus suis) hoc est valde superabundantis, & excedentis pro peccatis omnibus generis humani, ut citatus Scotus tenet *loc. cit.* §. *In ista quæst. litt. B.* in ordine tamen ad debitum, vel ad offensam, & in ordine ad præmium, ex sua intrinseca dignitate, seclusa acceptatione, seu extrinseco favore Dei: additæ tamen sunt ob rationes datas *tom.* 1. *tract.* 12. *d.* 3. *q.* 1. *n.* 6. quibus addo, quod originem duxerunt à Christo, de cujus plenitudine omnes accepimus Joan. 3. ideoque oportebat, ut redirent in locum unde fluxerunt, veluti flumina *Ecclesiastes* 1. 7. in locum revertentes unde exeunt.

15 Duplex est interpretatio, ut dicitur *tom.* 1. *tract.* 2. *d.* 4. *q.* 1 *num.* 2. ibi ergo dictis præsuppositis, De secunda interpretatione ibi exposita, quæ tantum probabilitatem affert, & à quocumque litterato tradi potest; ad differentiam primæ, quæ à solo Legislatore, habetque vim legis, agetur in præsenti. Pro quo duplici classe veniunt consideranda privilegia Bullæ. Quædam enim sunt contra jus commune, & afferunt præjudicium tertio; alia, quæ non sunt contra jus. Præterea utraque inspici possunt, ut dicunt actualem dispensationem, vel juris relaxationem; vel ut solum dicunt potestatem dispensandi. Primæ classis, & primo modo inspecta, stricte impetranda sunt, est ratio quia dispensationes exorbitantes à jure sunt odiosæ, itaque restringendæ, ut habetur in *cap.* 1. *de Filiis Presbyt. in* 6. *in fine.* colligitur ex *cap. cum Dilectus de consuet.*

16 *Secundo* autem modo considerata, ample veniunt interpretanda; quia cum hæc potestas nulli afferat præjudicium, ni soli concedenti; sitque beneficium Principis jus commune non volvens, nullo ex capite apparet odiosum; potestas enim dispensandi directe non tendit ad lædendum jus, sed ad favendum alteri, in quantum Princeps suam potestatem communicat, cujus communicatio primario intenditur, dum potestas dispensandi confertur: hocque potius juri conforme est, quatenus præbetur medium facilius subveniendi necessitatibus occurrentibus: ad distinctionem actualis dispensationis; qua licet non intendatur alterius præjudicium, tamen ipsa lædit tertium. Ita P. Bardi *in explic. Bull. Cruc. tract.* 1. *de natura*, *& causis cap.* 5. Ægidius Trull. *in expos. Bull. dub.* 4. *proæmiali n.* 3. Diana *tom.* 3. *tract.* 2. *resol.* 50. *fol. mihi* 205. & alii à se citati.

17 Privilegia secundæ classis utcumque attenta ample pariformiter interpretanda sunt: quia nec jus commune vulnerant, nec tertium damnificant, cum solum ad privilegiantem, & privilegiatum dicunt respectum, & in conspectu *Primi* patet; quia ejus est intra limites rectæ rationis liberaliter agere; præjudiciumque ejus nil obesse potest, quia essentialiter imbibitum in favore concesso, adeoque volitum: *Et secundi*, utpote privilegiati respectu multo magis, quia major ampliatio in commodum ipsius vertitur: igitur, &c. ita citat. AA. sup.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

De locis, & Personis quibus concedatur Bulla.

§. I.

In quo de locis, & Personis Sæcularibus tractatur.

SUMMARIUM.

18 *Quibus locis concessa est Bulla.*
19 *Corollarium.*
20 *Privilegia Bullæ non sunt pure localia, nec personalia, sed mixta.*
21 *Utilis acceptio ejus exigit subjectionem Personæ Catholico Regi, aut loci in quo accipitur.*
22 *Corollarium.*
23 *Illata ex verbis Bullæ conclusio.*
24 *Bulla gaudent qui ad Hispaniæ loca se conferunt causa accipiendi eam.*
25 *Objectio de matrimonio clandestino, & responsio.*
26 *Corollarium.*
27 *Objectio de eo qui mandat sibi accipi Bullam in Regno Hispaniæ.*
28 *Solutio.*
29 *Alia objectio de eo qui præcipit sibi accipi Bullam, Hispaniam egressus.*
30 *Solutio prima & secunda.*
31 *Tertia responsio.*
32 *Accessus fictus rejicitur.*
33 *Quod temporis spatium gaudeat Hispanus privilegiis Bullæ extra Hispaniam.*
34 *Cathechumeni dupliciter considerantur, quæque privilegia ipsis congruere possunt, & quæ non.*
35 *Non gaudent Bulla quoad commutationem votorum, & juramentorum.*
36 *Objectio Novitiorum soluta.*
37 *Nec gaudent privilegio se componendi de bonis alienis, quorum Dominus ignoratur.*
38 *Nec privilegio indulgentiarum remissive.*
39 *Corollarium.*
40 *Demum nec sepeliri possunt in loco sac. Tempore interdicti.*
41 *Qualis debeat esse Fidelium status, ut privilegiis Bullæ frui valeant.*
42 *Excommunicati non gaudent privilegiis quæ requirunt statum gratiæ, ut indulgentiæ: nec unionis Fidelium; quia ea sunt privati; bene vero iis, quæ neutrum dictorum exigunt: ut compositio incertorum, &c.*
43 *Instantia de nullitate impetrationis litterarum Apostolicarum ab excommunicato, cum responsione.*
44 *Bullam accipientes in peccato lethali, vel cum confidentia, privilegiis ipsis non repugnantibus, & non exceptis gaudent.*
45 *Objectio, & solutio. Corollarium.*
46 *Non fruuntur ea hæretici externi.*
47 *Bene vero si actum attritionis supernaturalis, abjurato errore, habuerint.*
48 *Similiter non gaudent interni, quia absolute Fideles non sunt.*
49 *Objectio de excommunicatione Ecclesiæ contra hæreticos externos, & non internos, satisfacta.*
05 *Advertentia circa hoc.*
51 *Cum roboratione conclusionis.*
52 *Schismatici etiam Bulla participant in iis privilegiis cum quibus schisma non habet oppositionem.*
53 *Usu rationis carentes privilegiis quorum sunt capaces gaudent.*
54 *Non possunt sepeliri in loco sacro vi acceptionis Bullæ à Parentibus post mortem eorum.*
55 *Bene tamen si sumpta fuerit eis vivis.*
56 *Nec adulti si antequam moriantur non accipiatur pro eis Bulla. Corollarium.*
57 *Ea non fruuntur, qui ejus promulgationem impediunt*

18 Loca quibus conceditur Bulla sunt Regna Hispaniæ, Insulæ adjacentes, Sicilia ultra Pharum, Sardinia; tum etiam Indiæ, tam Terræ firmæ, quam Insularum Maris Oceani, Regi Catholico subjecta, ut ita habetur in Bulla: *Primo concedunt prædicto Philippo Regi, &c.* Etiam terris noviter Catholicis telis assecutis, datur Bulla: quia jam sunt dominii Catholici Regis, utque talis eas possidet; quod opus est; nam si ipse eas successit ratione sanguinis, vel alio ex capite, non ipsum ut Dominum, titulo Regis Hispaniarum, tangentem, non fruentur ipsa Bulla. Est ratio: quia Summ. Pontifex unice Hispanico Regi illam annuit.

19 De Insulis autem circa Siciliam jacentibus, tum ex parte Septentrionali, in qua præcipua earum est Liparis, Sede Episcopali insignita; tum occidentali, in qua quatuor sunt majores, quæ hodie nominantur Panthellaria, Maretimus, Levantus, Favognana, aliter antiquitus vocata, sentio ipsis esse concessam Bullam in quantum Gubernii Siciliæ sunt; quia hoc modo, seu formaliter inspectæ sunt partes, aut veluti membra Regni Siciliæ, quod est unum politicum totum; suum habens in Insula Siciliæ immediatum caput (licet materialiter consideratæ, Insulæ Siciliæ adjacentes sint). Nec opus est Papam dicere in Bulla, Siciliæ, & ejus Insulis (quod est enim fundamentum contrariæ sententiæ)ut dicat de Hispania; & Insulis adjacentibus: hæ enim non constituunt unum Regnum cum Hispania: illa vero equidem. Qui cupiat notitiam locorum individualem, quibus conceditur, adeat Trull. *in exposit. Bull. lib.* 1. §. 1. *dub.* 1. transcribentem ex P. Alphonso Perez de Lara in compendio trium Gratiarum *lib.* 1. *fol.* 103.

20 Bullæ indulta non sunt pure localia, nec personalia, sed mixta. Est ratio: quia non unice locis; nec Personis (quamvis ipsis principaliter detur) absque ordine ad loca; sed solum his in determinatis locis (utpote dictis) elargitur. Ex his,

21 Præhabito; quod non requiritur subjectio Personarum Catholico Regi, ad fruendum Bulla, præmitti debet, quod locus in quo publicatur, & sumitur, ipsi subjiciatur: ut ita sonat tenor ejus: *Primo concedunt prædicto Philippo Regi, &c.* Et infra: *Terris, oppidis, tam mediate, quam immediate, & alias quomodocumque, & qualitercumque subjectis, consistentibus, & ad illa declinantibus.*

22 Hinc si Rex aliquam Provinciam alteri donaret, jam non esset pro ipsa Bulla concessa: uti nec pro illa, quæ se eximeret ab obedientia ejus, ut accipiens contra ipsum arma (& in hoc casu Bulla accepta, post publicationem, usque dum hujus impleatur annus frui poterunt, qui acceperint: esu lacticiniorum excepto, uti de Hispanis extra Hispaniam commorantibus dicitur, quia expresse excipitur in Bulla) eo quod jam non est dominii ejus, primo modo per alienationem. Et secundo per effugium: non tamen si capta fuerit ab injusto invasore, & retentore; nam in eo tunc possessio, non dominium foret amissum; sicque posse illic publicari certum est.

23 CONCL. I. Necesse est accipientem Bullam tempore quo eam accipit in locis in quibus publicata est adesse quantumvis subjectio Personarum non sit conditio necessaria requisita ad utilem acceptionem. Conclusio patet ex verbis Bullæ supra positis *num.* 21.

24 Quæ si perpendantur apparebit Bullæ conformior opinio dicens frui posse Bulla ad terras Catholici Regis venientes (adhucque ad Portus Civitatum, vel Locorum ejus, quia Portus est pars Civitatis cui contiguus, vel proximus est, ut tenent utriusque juris. D D. Felin. *cap.* Rodulphus *de rescript. num.* 7. *concl* 2. his verbis: *Apellatione Civitatis venit etiam Portus, & Mare illi adjacens.* quod probat Glos. *cap. ubi periculum. ver. Territorium de elect. in* 6. ponens ibi casum in quo Pontifex moreretur in Mari, inquit: *Cardinales deberent convenire in Civitate, per quam locus ille Maris distringitur.* Ita Pisis com-

commissum delictum in ejus Portu punitum fuit. Casum referens Bartholus *in l. Cæsar. ff. de publicanis tenens: Portum insulæ esse insulam*) causa unice accipiendi Bullam: quia verbum declino non significat ire in aliquem locum, causa ibi morandi, vel negotiandi, ut male putant aliqui, & videri potest in Calepino. Sentitque ita Ludov. à Cruc. *dub.* 3. *in exposit. Bullæ.* Mendo *in Bull. disp.* 3. *cap.* 3. *n.* 11.

25 Objicies: non valet Matrimonium clandestinum celebratum in loco ubi est publicatum, si celebrandi causa illuc se contulerunt, contrahere volentes, ut tenet A. *in Jure Canonico lib.* 5. *decret. tit.* 33. *num.* 185. ergo pariter, nec valebit Bulla ei, qui accipiendi solum causa, ad Hispaniæ loca venit: cum æque sit fraudulenta acceptio. Respond. Matrimonium hoc esse nullum; quia illud irritavit Sac. Congreg. Card. Concil. Trid. Interpretum; approbata declaratione ab Urbano VIII. anno 1627. ut dicitur etiam *in Sum. tom.* 2. *tract.* 13. *d.* 14. §. 14. *num.* 146. *vide ibi.* Hic autem nulla stat prohibitio; quinimo consideranti utrumque casum certe non occulta erit disparitas; eo quod tam nota. Hinc ergo dicendum est cum Rodriguez §. 1. *de exposit. Bullæ n.* 7. Gom. *in Bulla cap.* 3. *n.* 1. & aliis.

26 Non gaudet Bulla, qui extra dominia Regis Catholici habitat, mittitque ad ea pro illa sibi sumenda: Quin obsit dicere, adesse, tunc finem præcipuum Bullæ (quod plurimum habetur à contrariis) subsidium nempe pro Rege Catholico: deficit enim præfata conditio indispensabiliter apponenda, qua quamplurima argumenta omissa evanescunt; quæ cum multa sint, majoris claritatis gratia aliqua adducuntur.

27 *Primo* valet Bulla ei, qui habitans in dominiis Hispaniæ mandavit accipi sibi illam in suomet Regno (in suomet dixi Regno, quia commissarius Generalis anno 1705. authoritate Apostolica declaravit, & promulgavit Bullas pro uno Regno impressas e. g. Cathaloniæ, pro alio utpote Castellæ non valere; ut annis superioribus ita declaratum fuerat: & hoc fine vitandi fraudum occasiones, quibus cessantibus, prodesse censeo, ut casu quo in proprio Regno, seu Provincia publicari non posset Bulla belli, vel alterius impedimenti causa) e. g. Auditore, Barcinone orto in Cervariensi Universitate, qui ipsa Bulla uti poterit post publicationem Barcinone factam, pro certo habens Patrem suum accepisse, ex motivo ductus, quod soleat quotannis pro singulis Familiæ tam præsentibus, quam absentibus accipere. Idem dico, de illo, qui per Amicum fidelem præcepit accipere; ut contra Vegham, & Rodriguez tenent Diana *tom.* 4. *tract.* 3. *resol.* 7. Escobar, Mendo, Soria, & alii, putans cit. Diana *tom.* 9. *tract.* 7. *resol.* 122. practice non esse consulendam, neque sequendam contrariam opinionem licet improbabilis non habeatur à pluribus: ergo saltem valebit extra Hispaniam commoranti, quando conscio per litteras, sibi acceptam jam esse Bullam.

28 Respondeo: concedo antecedens, & nego consequentiam. Ratio discriminis est: quia omnes mittentes antecedentis sunt in dominiis Hispaniæ, quod requiritur; (ut diximus) sicque valet his quod per alios faciunt juxta regulam 72. juris in 6. non vero alteri extra Catholici Regis Regna commoranti; ubi adesse debere saltem tempore acceptionis indicatur verbis quibus præcipitur: & frustra signaretur locus cui conceditur, si aliqua Personalis præsentia non requireretur in accipiente. Convincit demum conclusionis veritatem consuetudo, quæ est in ejus favorem.

29 Objicies contra datam responsionem, & conclusionem. Ex hoc sequeretur, quod Hispanus, qui negotiorum causa, è dominiis Catholici Regis egressus est tempore publicationis Bullæ, cum intentione quamprimum redeundi, licet omnimode certus foret de eo, cui mandavit, sibi accepisse Bullam, eam accepisse, non posset ipsa frui; & consequenter, nec indulgentias lucrifacere, visitando quinque Altaria, nec jejunando diebus non præceptis; nec eligere posset Confessarium, qui eum à reservatis absolveret, si fors iis ligatus incideret &c. quæ omnia videntur absurda releganda: ergo Bullam accipiens non tenetur personaliter adesse ubi datur Bulla. Respondeo *Primo*, omnia dicta nec esse, nec apparere absurda, sicque nulla est objectio.

30 *Secundo*, concesso antecedenti negatur consequentia. Ratio tamen est; quia Hispanus propositi casus jam est in Regnis Hispaniæ per fictionem juris ut tenet Diana *tom.* 9. *tract.* 7. *resol.* 105. Angel. *consil.* 270. Gonzal. *super reg.* 8. Cancel. aliique apud Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 18. *n.* 7. patetque ex Trid. *Sess.* 23. *cap.* 1. *de reform.* ubi habetur quod parva absentia pro præsentia reputatur, loquendo de præsentia adhibenda ab Episcopis, & Parochis in suis Diœcesibus, & Parochiis. Liquet etiam *ex leg. Postliminii.* §. *Captivus,* & *l. Nihil ff. de Captivis & postliminio reversis. ex l.* 3. *ff. de divor. ex cap. divor. de Pœnit. distinct.* 1.

31 *Tertio*, & conformiter dictis *num.* 13. (præmisso; quod non gaudebit dictus Hispanus privilegiis edendi ova, & lacticinia, quidquid dicat Diana *loc. immediate cit.* & *in tom.* 4. *tract.* 3. *resol.* 161. maturius considerans casum testetur tutam in praxi contrariam opinionem cum aliis à se citatis; nam saltem est scandali periculum, quod junctum cum diligenti exceptione à Summis Pontificibus facta super hoc privilegio) clare in contrarium est mens ipsorum. Idem dic de Navigantibus, qui sunt extra districta dominiorum Hispaniæ; quando vero ignoratur, (quod facile enim sciri nequit, consuetudini est recurrendum) uti poterit privilegiis quæ amplam patiuntur interpretationem, qualia sunt, quæ non sunt contra jus commune, ut facultas eligendi Confessarium, qui absolvat a reservatis, & similia; iis vero, quæ sunt contra jus commune; ut concessa tempore interdicti, vescendi cibis prohibitis &c. non fruetur, quia cum solum stricte possint interpretari, realem, & non fictam commorationem in dominiis Hispaniæ requirunt.

32 Dices: ergo pariter ibi sufficiet accessus fictus, per alium utpote accessus ad Hispaniam, & ita mittens ad ipsam pro Bulla, ipsa gaudebit. Respondeo negando suppositum, non enim datur talis accessus, sed solum realis; nam qui accedit, realiter, vel personaliter accedere dicitur; qui autem non, nullo modo accedere asseritur: commoratio tamen, vel præsentia duplex est: quia cum hæc fundetur in domicilio, & hoc duplex sit, nempe domicilium, & quasi domicilium secundum jura, hoc est, verum & fictum, pariformiter duplex præsentia, seu commoratio, vera nempe una, & ficta alia optime agnoscitur.

33 Si autem inquiras quantum tempus dictus Hispanus frui poterit Bulla extra dominia Catholici Regis, dico: certe asseri non posse, quia non est determinatum tempus, quo quis censetur præsens, vel commorans loco domicilii ubi non est; adeoque metiri debet judicio prudentum, attenta subjecta materia; duratione nempe anni Bullæ intentione redeundi: Per 6. autem aut 8. menses frui posse teneo, si inopinata negotia de die in diem eum detinerent extra Hispaniam; ita P. Bardi *part.* 1. *tract.* 2. §. 4. *n.* 46.

34 Cathecumeni sunt in duplici differentia. *Primi* sunt, qui baptizati jam baptismo flaminis, fluminis petunt, cupiuntque baptizari, & sufficienter instructi in rebus fidei Fideles baptizati, & competentes, quasi cum instructione baptisma simul petentes, antiquitus vocabantur. *Secundi*, Qui non sufficienter edocti in rebus fidei Cathecumeni, & Fideles non baptizati. Ita Isidorus explicans distinctionem inter Cathecumenos, & competentes *lib.* 2. *de orig. Eccles. offic. cap.* 20. In præsenti autem utrique intelligendi veniunt Fideles nempe non baptizati. Hoc præhabito, advertendum est, quamplura esse privilegia in Bulla, quorum incapax est Cathecumenus, utpote privilegii eligendi Confessarium: quia non est capax Sacramenti Pœnitentiæ uti nec aliorum, eo quod Fluminis baptismo careat, qui est omnium janua: nec

nec facultate comedendi cibos vetitos; nec assistendi divinis Officiis nec audiendi sacrum, & recipiendi Eucharistiam, quia Ecclesiæ prohibitio solum extenditur, & ligat subditos ejus, similiterque ejus præcepta: & dictæ facultates concessæ ratione status ipsi nequeunt convenire ut patet: igitur non quæritur in præsenti an quoad dicta privilegia prosit eis Bulla nec ne: Solum ergo de aliis, nempe commutatione votorum, juramentorum; compositione incertorum bonorum; indulgentiarum acquisitione; Sepulturæ Ecclesiasticæ gaudio si vere contriti decesserint, differitur; ideo sit

35 CONCL. II. imprimis quoad commutationem votorum, & juramentorum non gaudent Bulla Cathecumeni. Et ratio: quia quæcunque hæc facultas est actus ecclesiasticæ, & spiritualis jurisdictionis, quæ solum inter subditos, & superiores exerceri valet, (ut dictum est *num.* 11.) Ecclesiæque subditi non sunt Cathecumeni, cum adhuc ei non se subjecerint per externam professionem media receptione baptismi: esse autem talem commutationem actum Ecclesiasticæ spiritualis jurisdictionis est indubitatum; quia soli Præsules Ecclesiæ ut vicem Dei gerentes illam exequi valent, vi potestatis datæ sibi à Christo verbis à se Apostolis dictis per Matth. 16. 19. *quodcumque solveritis super terram, erit solutum & in Cælis.*

36 Obj. Novitii non comprehenduntur sub nomine *Religiosus*, adeoque directe, & per se præceptis Religionis non ligantur; sed hoc non obstante in favorabilibus, sub dicto nomine veniunt: ergo pariter Cathecumeni non comprehendi debent sub nomine *Fidelis* quoad præcepta, bene vero quoad privilegia. Respondeo conc. maj. min. & negata consequentia, disparitas est, quia subjectio Novitiorum suis Prælatis unice pendet ab eorum voluntate, sicque cum fiant capaces, ut Præsules, possint super eis cognoscere, veniunt sub nomine *Religiosus* in favorabilibus. Cathecumeni autem unice per receptionem Sacramenti Baptismi fieri possunt subditi Ecclesiæ, & ita cum absque illa nec active, nec passive apti sint ad jurisdictionem Ecclesiasticam, ideo nec in dictis privilegiis sub nomine *Fidelis* comprehendi queunt.

37 CONCL. III. nec frui possunt privilegio se componendi de bonis incertis, Domino inscio, ut dicetur d. 4. de Bulla compositionis *quæst.* 1. *num.* 156. est ratio: quia est privilegium odiosum, & afferens præjudicium tertio. Disponit enim jus Canonicum bona illicite acquisita, Domino ignoto, pauperibus fore eroganda, *cap. cum tu de usuris, & cap. cum sit de Judæis.* Præterea etiam est actus jurisdictionis, qui a solo Pontifice exerceri valet, & non ab aliquo Principe temporali. Ita Ludovic. à cruce *disp.* 3. in expo. Bull. Cru. *dub.* 3. *n.* 4.

38 Quoad *Tertiam* facultatem nempe lucrifaciendi indulgentias supposita divisione applicationis earum per modum scilicet absolutionis vivis, & suffragii Defunctis negative pariter respondeo: ut habetur in sum. *tract.* 12. *d.* 3. *q.* 4. *n.* 39. (*ubi num.* 41. dicitur esse earum per modum suffragii, vel solutionis oblatæ capaces Cothecumenos Defunctos (ratio est à nobis, & ibi data: quamvis ut membra viva Christi per fidem, & charitatem, frui possint aliis operibus Fidelium per modum solutionis applicatæ, & à Christo acceptæ.

39 Sacrificium autem Missæ non pro iis utiliter offerri, probabilius est, ut constat ex Concil. Bracchurensi *cap.* 1, *num.* 33. his verbis. *Item placuit ut Cathecumenis sine redemptione baptismi defunctis simili modo, neque oblationis Sanctæ commemoratio, neque psallendi impendatur officium, nam, & hoc per ignorantiam usurpatum est.* Et S. Chrisostomus in morali digressione *Serm.* 3. *in epist.* ad Philippen. *cap.* 1. asserit expresse non adjuvari Cathecumenos per Sacrificium Missæ. Item August. de anima, & ejus orig. *lib.* 1. *cap.* 9. *ut in sum. tract.* 13. *d.* 5. *quæst* 7. in fine dicens solis membris Christi applicari posse Missam, quæ postea explicans ait: *Nemo fit membrum Christi, nisi aut baptismate in Christo, aut morte pro Christo.* Item tenet S. Thomas 3. *part. quæst.* 19. *art.* 7. ad secundum. Ut impetratorium tamen sacrificium Missæ pro iis vivis, vel mortuis offerri potest. Patet ex eo; quod Ecclesia pro eis consuevit antiquitus orare in missa, ut aliqui Patres cit. à Vazques *tom.* 3. *in* 3. *p. dup.* 227. *cap.* 2. clare testantur; etiamque ex lib. inscripto ordo Romanus cit. in confirmationem hujus opinionis à Cardinali De Lugo de Sac. Euchar. *dub.* 19. *sect.* 10. *n.* 174.

40 Demum nec privilegio sepulturæ Ecclesiasticæ gaudere possunt. Est ratio, quia istud indultum est contra jus commune insertum in corpore juris: prohibetur enim *in cap. quod in te de pœnit. & remis.* Et alibi consequenter expresse exponendum. Nec dicas privilegia modificantia leges pœnales esse ample interpretanda, eo quod favorabilia, & leges odiosæ sint, ut patet. Nam respondeo præsentem legem de interdicto non esse pure pœnalem (quidquid sit de hac) sed medicinalem etiam statutam in bonum commune Religionis, uti leges aliæ decernentes alias cēsuras tamquam salutiferas medicinas spirituales, ut rebelles à sua contumacia recedant, & Ecclesiæ obediant; adeoque odiosæ non sunt, sicque nec stricte interpretandæ, bene vero privileg. modificativa ipsarum.

41 De excommunicatis loquendo. Advertendum est. *Primo*, quod hic loquatur de excommunicatione majori, quæ licet extrahere videatur absolute ea ligatum ab Ecclesia, ut fatentur Ricciul. de jur. & Person. *lib.* 4. *cap* 1. *num.* 2. Bellarm. *lib.* 3. *de Eccles. milit. cap.* 6. stantem in sua contumacia; tamen hoc est, quoad communicationem solum cum Fidelibus, tum in spiritualibus, tum in temporalibus; non autem esse extra quoad omnia; quia retinent fidem, quæ est forma uniens omnes fideles sub uno communi capite, spem, forteque charitatem quibus nec vult Ecclesia, nec potest quemquam privare: ut dicitur *tract.* 13. *dist.* 2. *quæst.* 2. *num* 13. *Secundo*, quod privileg. Bullæ diversimode statum Fidelium respiciunt; nam quædam in Privilegiato sanctificantem gratiam requirunt, qualia sunt indulg. quia hæ supponunt amicitiam cum Deo. Quædam præsupponunt unionem seu communionem inter ipsos Fideles, quæ unio per ipsam excommunicationem aufertur. Alia quæ nec gratiæ habitualis statum, nec Fidelium communionem exigunt. Ut compositio incertorum bonorum; comestio lacticiniorum; commutatio votorum extra confessionem, &c. his præjactis, sit

42 CONCL. IV. Excommunicatis non prodest Bulla quoad *Primæ*, & *secundæ* privilegia speciei. De *Primæ* est ratio: quia sunt in peccato mortali. De *secundæ* speciei privilegiis, quia aliunde impediti; utpote sacris assistere, sepeliri in loco sacro, quod impedimentum incapaces reddit excommunicatos, ut ipsis possint dicta privilegia suffragari. *Tertiæ* autem frui valent: quia hæc non sunt incompatibilia cum excommunicatione; aliundeque ipsi Fideles sint Christiana fide; cumque Bulla, à Pontifice, Christi Fidelibus concessa sit nec alio detineantur obstaculo, quoad hæc ipsa ipsi frui valebunt. Ita Henriquez in sum. *lib.* 7. *cap.* 18. *num.* 2. Navarr. de indulg. *notab.* 19. *num.* 19. Villalob. in sum. *part.* 1. *tract.* 27. *claus.* 1. *num.* 6. Vincen. Riccio. in addit. super Rodriguez §. 1. *n.* 17. & alii quamplures.

43 Objicies *Primo in cap. primo de rescriptis in* 9. statuitur litteras applicas non valere, si ab excommunicato impetrentur, ut in sum. *tom.* 2. *tract.* 13. *d.* 2. *quæst.* 2. *num.* 28. nisi pro articulo excommunicationis, vel appellationis: ergo cum Bulla non sit impetrata pro ullo duorum, non valebit quoad aliqua privilegia. Respondeo *Primo* Bullam non impetrari ab excommunicato, sed à Catholico Rege. *Secundo* dato hoc, non esset mirandum: quia si in multis casibus litteræ applicæ impetratæ per excommunicatum, ill prosunt, ut notavit Geminian. verb. rescrip. §. 1. & refert. Aug. in cap. illud de rescrip. à P. Bardi, & Ludovic. à Cru. citati, (non obstante cit cap.) multo magis

magis quoad privileg. à nobis dicta Bulla frui poterunt.

44 Occaſione præmiſſorum quæres, an gaudeat Bulla eam accipiens in peccato mortali; & peccans in confidentiam ejus. Ad quod reſpondeo utrumque, privilegiis Bullæ ipſis non repugnantibus gaudere: (ut dictum eſt, de indulg. ſupra opponi peccato lethali) exceptis, privilegio indulgentiarum pro articulo mortis, ſi fuerit negligens in confitendo ſacramentaliter peccata, tempore debito, ſeu ab Eccleſia ſtatuto, (hanc tamen circumſtantiam non tenetur quis Confeſſario aperire, quia non apparet ad hoc ratio, & ita ſentit Diana *tom.* 1. *tract.* 7. *reſol.* 162. & alii à ſe citati,) & componendi ſe de bonis incertis Domino inſcio, ſi ipſa ſurripuerit, ex Bullæ fiducia: exceptio enim firmat regulam in contrarium: quæ cum expreſſa ſit in Bulla, rata haberi debet data reſolutio.

45 Objicies *Secundo*. Bulla habet vim tollendi excommunicationem, qua oblata omnibus gaudebit excommunicatus privileg. ergo. Reſpondeo concluſionem eſſe de excommunicato perſiſtente in ſua contumacia, vel ipſa ligato, illa ceſſante, nam ſi accipiatur Bulla ut ab excommunicatione quis abſolvatur certum eſt, poſſe poſtea uti omnibus aliis privilegiis, quod non eſt contra concluſionem. Idem dices de ſuſpenſo, interdicto, depoſito, & degradato, hos enim frui poſſe illis privilegiis cum vinculis, quibus detinentur, non pugnantibus, firmiter aſſero. De Hæreticis autem ſit

46 CONCL. V. Hæretici externi in ſua hæreſi permanentes non poſſunt frui Bulla. Eſt ratio: quia ſunt extra Eccleſiam ut tenet Commune AA. probatque Bellarm. *tom.* 1. *lib.* 13. in ſuis controverſ. de Eccle. milit. *cap.* 4. quamvis ab ipſa Eccleſia puniri queant, eo quod teneantur eſſe intra ipſam ſpecialiori modo, quam Gentiles, & alii qui extra eam ſunt: ſeu quia conceſſa eſt Bulla ſolum iis, qui abſolute dicuntur Chriſti Fideles, (ut ſæpe dictum eſt) ipſique tales non ſint nec dicantur, ut fuſe primum probat cit. Bellarm. *lib.* 2. de Eccleſia milit. *cap.* 4. ideo, &c. Nec dicas cum Trull. virtualiter jam eſſe Fideles: quia non carent charactere, licet habitu fidei; nam character baptiſmalis non eſt principium conſtitutivum Fidei: imo compoſſibilis cum infidelitate; nec ipſe ſufficit ex ſe ad conſtituendum aliquem intra Eccleſiam, nam ſi ſufficeret, foret in inferno Eccleſia, quia ibi plures reperiuntur characteres, eo quod plures Chriſtiani damnati, equidem character indelebilis eſt, quod eſt omnimodis relegandum. Licet ergo per ipſum fiat quis Eccleſiæ ſubditus, non tamen inter Eccleſiæ membra connumerandus eſt, eo ſignatus; ut etiam colligitur ex cap. damnamus de ſum. Trin. & fide Catholic. quia caret unitate fidei, utpote nexu, quo membra fiunt unum corpus ſub uno capite, de quo eſt ſermo *Joan.* 10. *unum ovile*, & ad *Rom.* 12. *multi unum corpus ſumus in Chriſto.*

47 Si tamen hæreticus externus abjurarit errorem, habueritque attritionem ſupernaturalem, quo ſolum fidem actualem conſequatur, Bulla gaudebit: eſt ratio: quia jam Fidelis eſt, eo quod verum actum fidei habeat, ipſum credentem, ſeu Fidelem denominantem, uſque dum non retractat illum. Forma enim qua homo Fidelis conſtituitur eſt fides divina ſive habitualis, ſive actualis. Idem reſpective de Apoſtata dices. De hæreticis autem internis ſit datæ ſimilis.

48 CONCL. VI. eis non prodeſt Bulla: eſt ratio: quia æque non ſunt Chriſti Fideles abſolute, & ſimpliciter ſed cum determinatione diſtrahente, & ſecundum quid, utpote Fideles ſimulati, ſeu ſecundum faciem hominum, & non Dei: cum ergo prærequiſita forma à Pontifice, nempe fide divina careant, Bulla gaudere nequeunt.

49 Objicies: Eccleſia non fulminat excommunicationes contra hæreticos formaliter internos, ſed externos: ergo quando Eccleſia Bullam concedit Chriſti Fidelibus, eam dat iis quos tales ipſa agnoſcit, ſicque hæreticis internis eam elargitur. Reſpondeo conc. ant. & nego conſeq. eſt ratio: quia Eccleſia non poteſt punire peccatum, quod cognoſcere non poteſt (de occultis enim non judicat) ſi autem hoc faceret, fors innocentem puniret, & delinquentem ſolveret quæ in contemptum flagrorum ejus, ſcilicet cenſurarum deſervirent. In gratiis vero concedendis, nil obeſt, ut eas elargiatur tantummodo acquirendas, ſub poſitione quorundam onerum præſcriptorum, quæ non noſcit, hocque quotidie practicari experimur, cum concedit indulgentias, & jubilæa vere contritis, & confeſſis; de qua vera contritione, & confeſſione, nec certa eſt Eccleſia, nec cognoſcere poteſt.

50 Nota quod non concedendo Eccleſia eis Bullam non punit eos: quia non denegat ipſis privilegium ipſis debitum; ſed non debitum, ad quod fidei divinæ carentia, quia forma exigita, inhabiles reddit. Præterea, quod licet dicti hæretici interni, ſeu mentales non veniant intelligendi nomine *hæreticus* in ordine ad pœnas Eccleſiaſticas, bene tamen in ordine ad incapacitatem utendi privilegiis gratuitis; quia vere ſunt hæretici.

51 Roboratur, cum magis explanatur veritas concluſionum ultimarum. Privilegia Bullæ, vel relaxationem juris involvunt, & ita quia odioſa, preſſe ſunt exponenda; vel ratione ſtatus hæreticis dictis congruere nequeunt, electio confeſſarii, abſolutio à reſervatis: indulgentiæ, durante præcipue eorum pertinacia: igitur quæcumque ſint privilegia Bullæ, iis nequeunt gaudere hæretici interni; & externi.

52 Schiſmatici autem, ſchiſmate puro aſtricti, qui ſunt ab obedientia Rom. Pontificis abſtracti: ut dicitur in *ſum.* 10. 1. *tract.* 4. *diſ.* 7. *quæſt.* 3. *num.* 34. capaces ſunt Bullæ, ejuſque privilegiis frui poſſunt, iis exceptis cum quibus habet ſchiſma oppoſitionem, vel obſtat ratione mortiferæ noxæ ut indulgentiæ de quibus ſæpius dictum eſt: qualia ſunt Sacramentum Pœnitentiæ concernentia, cujus incapaces ſunt, ſchiſmate perdurante: nec non beneficiis tempore interdicti conceſſis circa divina officia: Euchariſtiæ ſumptionem &c. quia excommunicationis ratione ſchiſma eis opponitur: lacticiniis tamen vetitis diebus veſci valebunt: de bonis incertis illicite acquiſitis Domino inſcio ſe componere: votorum commutationem extra Sacramentum factam accipere, &c.

53 Uſu rationis carentes, ſive Pueri, ſive Adulti amentes vel fatui Bulla gaudere queunt; quia Chriſti Fideles ſunt. Infantes tamen ratione ætatis compluribus privilegiis non poſſunt frui. Non dicas hos non acceptaſſe Bullam; nam falſum eſt, eo quod illam acceptarint per Parentes, vel Amicos. Et hoc ſufficere certum, pie, de mente Pontificis, tenendum eſt: cum Deus voluntatem Parentum, vel ſuſcipientium in baptiſmate, pro infantium accipiat.

54 Si quæres an ſepeliri poſſint in loco Sacro Tempore interdicti, vi Bullæ acceptæ à Parentibus poſt mortem. Reſpondeo negative, ut dicetur *num.* 208. Eſt ratio: quia juxta Bullæ tenorem, ſolum corporibus iis conceditur Eccleſiaſtica ſepultura, de quibus verificatur aliquid contuliſſe in ſubſidium belli. Ita enim tenet Bulla: *Item conceditur iis, qui nec ibunt, nec mittent, ſi ex bonis ſibi à Deo collatis erogaverint:* ſed de mortuis corporibus hoc nequit verificari: ergo. Ita Trull. *de expoſit. Bull. Cruc. lib.* 1. §. 3. *dub.* 10. *pag.* 115. ibi alios citans.

55 Objicies ergo neque valeret, ſi acciperent Parentes pro infantibus adhuc vivis, quia nil ex bonis ſic contuliſſent. Reſpondeo paritatem non tenere: quia licet phyſice æqualiter incapaces ſint infantes mortui ac vivi; moraliter tamen non ita, quia quamvis vivi non ſint capaces conferendi aliquid ex bonis ſuis in ſubſidium belli; tamen ſunt capaces ut eis tribuatur talis actio: uti, licet Pupillus phyſice non emat e. g. civiliter tamen emere dicitur, & dominium acquirere. Valet enim in his. Reg. 72. *juris in* 6. *num. ſeqq.* in mortuis autem omnis capacitas mortua eſt.

56 Si

56 Si autem Adultus Defunctus, adhuc vivens præcepisset sibi accipi Bullam vivorum, sentit Mendo ei prodesse, sicque accepta, post mortem ejus, sepeliri posse in loco Sacro Tempore interdicti: & Trull. tenet non esse improbabile adhuc quod accipiatur pro Defuncto, qui vivus non significavit hanc esse suam voluntatem, citans *loc. cit. sup. pag.* 116. Henriquez hanc sententiam expresse tenentem. Licet ergo ille talis voluntatem interpretativam videatur habere Bullam accipiendi, quæ stat in hoc, quod judicent prudentes, quod interrogatus Defunctis de ea, pro ipso, accipienda assertive responsum daret. Contrarium tamen est constanter tenendum: quia dicta voluntas non sufficit. Est ratio: *Primo* qui hoc privilegium est odiosum ut dictum est: supra *num* 40. consequenterque presse interpretandum adeoque eo tantum fruetur, qui vel realiter, aut personaliter accipiet, seu capax erit, ut ei tribuatur actio realis accipiendi: hæc enim capacitas est conditio necessario requisita, & indicata per traditam Reg. 72. *juris in* 6. *Qui peralium facit perinde est, ac si per se faceret*: ubi supponit jus, posse Principalem per se agere, saltem potentia remota, consequenterque habere capacitatem, seu aptitudinem ad agendum. *Secundo* ex hoc, quod non prosit ei qui præcepit sibi accipi, si revera accepta non fuit eo vivente: nam cum intentio illam accipiendi, destinatio eleemosynæ &c. non sint acceptio Bullæ, sed quædam applicatio mediorum; & aliunde quando sumatur, jam mandans sit subjectum incapax, seu inhabile, ut ei talis actio tribuatur, deficit adhuc illa conditio expostulata à Pontifice, conferendi nempe &c. Sicuti (diximus *sup. num.* 26.) non valet Bulla Italo pro quo accepta est, quia deficit conditio exigita, nempe, præsentialiter essendi in loco ubi publicatur Bulla. Valebit ergo, si postquam legarit stipem, seu mandarit, eo vivo accipiatur; quoad dictum privilegium indulgentiarum tamen non gaudebit, quia Defunctis est alia Bulla specialiter concessa; nec aliis privilegiis quia incapax est.

57 Non gaudent demum Bulla, qui malitiose contra ejus expeditionem peccant, ejus promulgationem impedientes, & usum: quia in Bulla expresse veniunt excepti.

§. II.

In quo de Regularibus agitur.

SUMMARIUM.

58 *Breve notabile.*
59 *Religiosi licite frui possunt Bulla.*
60 *Tenentur tamen licentiam postulare à suis Superioribus.*
61 *Hi nequeunt eis eam denegare absque noxa incursu.*
62 *Itaque illa irrationabiliter negata, utiliter eam accipient.*
63 *Firmatur hæc veritas.*
94 *Franciscani curare possunt, ut Parentes, vel Amici tribuant eleemosynam Bullæ pro eis.*
95 *Rejicitur opinio sentientium posse Regulares eligere Confessarium, qui vi Bullæ eos absolvat à reservatis, & censuris.*
66 *Et statuta conclusio negativa probatur, fortiterque Urbano VIII. aliis adductis Pontificibus.*
68 *Responsio super ipsius dictis confutatur.*
69 *Ratione.*
70 *Et paritate.*
71 *Corroboratur conclusio ex Trident.*
72 *Altera conclusionis evasio refutatur.*
73 *Objectio de Jubilæo solvitur.*
74 *Alteri propositæ objectioni fit satis.*
75 *Rejicitur quædam responsio.*
76 *Altera pariter refutatur.*
77 *Nec possunt eligere extraneum Confessorem, qui eos à mortiferis non reservatis absolvat.*
78 *Exponuntur verba*: Quoad sibi reservata *Brevis Urbani VIII.*
79 *Corollarium firmans intelligentiam datam dictorum verborum.*
80 *Objectio cum longa responsione.*
81 *Amplius ostenditur.*
82 *Eis tamen privilegiis frui queunt de venia Prælatorum.*
83 *Objectio solvitur.*
84 *Quis possit talem facultatem præstare, quaque licentia sufficiat.*
85 *Prælati, sive mares, sive fœminæ sub nomine Religiosorum non veniunt.*
86 *Veniunt Monachi sub nomine Fratrum. Multiplex fraternitas exponitur.*
87 *An Equites Ordinum militarium, sub nomine regularium comprehendantur.*
88. *Licet acceperint Bullam absque Superiorum permissu à censuris extra Sacramentum Regulares queunt absolvi.*
80 *Objectio solvitur.*
90 *Minime vero si sunt Sanctæ Sedi reservatæ. Corollaria.*

58 ADvertendum est, quod sub nomine Religiosorum, vel Regularium, hic, comprehenduntur, viri æque, quam fœminæ religiosam vitam ducentes, Religiosi nimirum, & Moniales: quia hæ secundum jura Sæculares non sunt: similiter ac nomine Monasteriorum intelliguntur tam virorum, quam mulierum Monasteria. Itaque quidquid de viris Religiosis statuetur, de Monialibus pariformiter intelligendum est respective. His datis, sit

59 CONCL. I. Regulares, seu Religiosi licite frui valent privilegiis Bullæ, quamvis non omnibus, ut videbitur conclusione sequenti. Est ratio, quia concessa est omnibus Christi Fidelibus; in Hispaniarum Regnis, & Insulis adjacentibus commorantibus, inter quos sunt Religiosi præcipui Christi Fideles, qui omnibus sæculi posthabitis, secum Crucem tollentes Christum sequuntur. Liquet etiam ex contextu ipsiusmet Bullæ, ita sonantis. *Capitula Ecclesiarum, Monasteria, & loca etiam Regularium, etiam mendicantium, & tam fœminarum, quam masculorum, si pro decem Personis eorundem Capitulorum, & locorum unum, nec pauciores suis expensis mittantur.* Et paulo infra: *Insuper quoque tam prædictis omnibus, quam illis, qui nec in hanc expeditionem ibunt, nec alios, ut prædictum est, mittant, si infra biennium prædictum ex bonis sibi à Deo collatis in hanc causam liberaliter pro defensione contulerint, &c.* ergo.

60 Verumtamen debent Religiosi veniam petere sumendi Bullam, à suis Superioribus. Ratio est: quia Pontifices non aliter volunt eis concedere. Ita colligitur ex eo, quod in Bulla Pii V. in Regnis Hispaniarum anno 1563. publicata, concedebatur expresse Religiosis, ut eam absque Prælatorum licentia accipere possent, quæ clausula omissa fuit in Bulla anni sequentis, & in aliis omnibus dempta: quo videtur nolle Pontifices tantam libertatis ansam Religiosis præbere, cum observantiæ Regularis conservationem, & augmentum summa diligentia curent atque exoptent.

61 Dictam tamen veniam postulatam nequeunt abnuere Præsules, aut Superiores; quia solum retinent jus præcipiendi, quod est bonum, sive in genere entis, sive in genere moris: cum ergo talis negatio nullo ex dictis sit modo bona, *Primo* quia non entis non sunt qualitates, in tali enim genere, seu physice nihil est, consequenterque nec bona est (bonitas enim proprietas entis) *Secundo* patet: quia privare quemque gratiis per Bullam concessis, est impedimentum boni, sicque malum,) quanto minus bonum morale) tamque ut noxa lethali inquinentur tales Prælati, qui eam inficiantur. Ut sentit Villalob. *in Sum. tom.* 1. *tract.* 27. *claus.* 12. *num.* 29. Acost. *quæst.* 106. *in Bullam*, cum Diana *tom.* 4. *tract.* 3. *de Bulla Cruc. resol.* 5. in quo ita loquitur: *Mortaliter peccat qui Subditis prohibet Bullæ susceptionem nisi id faciat legitima caus-*

(ut supponitur) *imo*, & *conscientia prohibentis*; *sicut Reipublicæ Christianæ est scandalum*, *ita mihi suspecta semper erit*, *quin potius si Generali Commissario constiterit*, *nullo alicuius familiæ Religionis suscipere Sacram Bullam*, *deberet super hoc diligenter inquirere*; & *si Prælatos illius in hujusmodi prohibitione culpatos inveniret*, *contra illos authoritate Apostolica procedere*: ergo.

62 Hinc non delinquent illi Religiosi, qui accipient Bullas contra voluntatem irrationabilem Superiorum certo cognitam (si enim dubitatur de legitima negationis causa, sine culpæ reatu eam sumere nequibunt: obedire siquidem tenentur: quia possessio stat pro Superiore in obligando, ut tenetur in *Sum. tom.* 1. *tract.* 2. *dist.* 1. *quæst.* 3. *num.* 32.) quinimo privilegiis ejus gaudebunt. *Prima* pars, quam aliquantulum suadet injustitia negationis absque causa, ostenditur ex hoc, quod voluntas immediati Superioris nequeat obesse, gaudio privilegii oblati à Superiori supra immediatum, præcipue Pontifice, cui primo subjiciuntur Religiosi, ut alii Fideles, & à quo videntur extrahi ab obedientia suorum Superiorum, ut dicta Bulla fruantur, in judicio Prudentum. *Secunda* autem patet: quia obligatio illa licentiam petendi, non præcipitur, tamquam forma, vel conditio necessario apposita, cum effectu, utputa concessione, sed, ut ordinate, adhibita subjectione statui Religioso annexa, procedatur.

63 Convincitur hæc veritas, ex illo, quod indubitatum habetur, nempe non posse iis scilicet Religiosis limitare privilegia: quia inferior non valet restringere concessionem Superioris, ni aliter ipse dispusuerit, uti fecit Greg. VIII. anno 1575. die 3. Maii cum Societate Jesu: quo privilegio uti posse per communicationem Religiones omnes communicationis privilegium habentes censet Tamburinus *de jure Abbatum. tom.* 1. *disp.* 16. *q.* 9. *n.* 1.

64 Seraphici Patriarchæ Filii, dominium super pecuniis non habentes, ab Amicis, vel Parentibus curare possunt, ut eleemosynam Bullæ elargiantur, pro Bulla eis sumenda de licentia Prælatorum. Si enim hoc licet eis pro vehendis equo, necessitate stante, vel in mari, quod est necessitas corporalis; quanto magis pro lucrandis indulgentiis aliisque privilegiis acquirendis? cum sit necessitas spiritualis. Ita Rosel. Joan. Marier. Ludovic. à Cru. Rodrig. Villalob. Sorb. & alii. Si tamen aliquis Religiosus absque sui Prælati licentia curarit pecuniam, quæ non in ejus potestate, sed Amici, vel Parentis transierit, qui pro ipso Bullam acceperit, nomenque ejus inscripserit, ei valebit, licet peccarit non quoad dominium pecuniæ; quia tale non habuit; sed quia licentia non postulata, Bullam accepit. Ita Valerius, Cordub. Salas in Diana *tom.* 4. *tract.* 3, *de Bulla Cruc. resol.* 28.

65 Regulares absque licentia Prælatorum vi Bullæ Cruciatæ posse eligere Confessarium, quemcumque, qui absolvat à reservatis, & censuris, tenet Joan. de la Cruz *de stat. Relig. lib.* 1. *cap.* 6 *dub.* 12. tamquam probabiie, uti etiam Sancius *in select. disp.* 44. *num.* 10. *circa finem*, & *num.* 13. Joan. Valerus, Sotus, Lopez, insinuatque Pontius *de matrim.* innixi fundamento quod Clemens VIII. in sua Bulla solum declaravit suam intentionem pro Bullis, & indultis particularibus à se concessis, & concedendis; non vero fuisse absolutam, & generalem declarationem (prohibentem nempe Regularibus Confessarii absolutam electionem) pro concedendis á suis Successoribus: Cæterum quidquid sentierint prædicti AA. difficile mihi est ad finem inveniri nunc, qui audeat talem sententiam sustinere: nam ex ipsa equidem universa Regularis corrueret observantia; Religiosi namque ob facilitatem obtinendi veniam à reservatis, verecundiam amitterent religiosam, quemlibet extraneum Confessorem eligendo; sæpeque sæpius in gravia, & scandalosa crimina laberentur, cum magno Religionis præjudicio, infamiæ causa, quæ ex tali vitam gerendi modo orietur. Insuper graviter læderetur potestas, & jurisdictio ordinaria Regularium Prælatorum, in quibus secundum jura est facultas approbandi, & designandi Confessarium pro suis subditis, si hi, quoties vellent, independenter à voluntate eorum Confessorem, sive Regularem proprium, vel extraneum, sive Sæcularem ad libitum eligere possent. His ergo datis, sit

66 CONCL. III. Regulares vi Bullæ Cruciatæ nequeunt eligere Confessarium, qui absolvat eos à reservatis. Conclusio probari potest ex immediate dictis sic. Bulla quoad hoc privilegium non includit Regulares: ergo. Antecedens probatur. Sub generali concessione non veniunt ea, quæ quis in specie non esset verosimiliter concessurus. *ex Reg. jur. in* 6. verisimilitudo enim negationis concessionis in specie facit, ut verba generalia sint insufficientia ad se extendendum ad casus illos particulares in quibus est specialis ratio, quæ si non foret, verba illa essent sufficientia ad comprehendendum casus dictos; sed ob supra dicta inconvenientia Summus Pontifex non concederet tale Privilegium in particulari Regularibus: ergo tenendum est Bullam non eos includere quoad hoc privilegium, sed exclusos venire juxta Pontificum mentem.

67 Quæ, qualis sit, certius ex narrandis collige. Leo X. ita declaravit pro minoribus Alexander III. pro Cistercienfibus, & pro omnibus VI. & VIII. Pius IV. cum anno 1561. expediisset Bullam hac clausula, *quod Regulares etiam Mendicantes possent absque suorum Prælatorum facultate gaudere cunctis privilegiis illius*, eam anno sequenti voluit auferri, deincepsque nec ipse, nec Successores eam scripserunt. Pius V. pro Prædicatoribus. Gregor. XIII. pro Societate Jesu. Insuper Paul V. Innocent. VIII. Sixtus IV. Julius II. Clemens VII. & Urb. VIII. declaravit nusquam Regularibus concessum fuisse tale privilegium his verbis: *Bullam Cruc. in ordine ad eligendum Confessarium*, & *absolvendi à casibus reservatis cum Regularibus locum minime habuisse*, *neque habere*, *nec illis ullo modo suffragari potuisse*, *neque posse*, & parum infra: *Sed nostræ intentionis fuisse*, & *esse*, *quod iidem Fratres*, & *Moniales*, *quantum ad Sacramenta Pænitentiæ*, *seu Confessionis administrationem ordinariæ dispositioni suorum Prælatorum*, & *Sedi Apostolicæ quoad sibi reservata subjecti sint*, *earundem tenore præsentium perpetuo declaramus*. Ergo mens Pontificum non est includere Regulares quoad hoc privilegium, consequenterque ipsa quoad hoc privileginm eos non includit.

68 Respondebis verbis Urban. VIII. (quæ sunt Achilles nostræ opinionis) solum concludi, quod tempore dicti Urban. (fel. mem.) non suffragium tulisse Regularibus; post autem obitum ejus suffragari; quia Pontifices absque ulla exceptione, seu limitatione Bullam concedunt: nec poterat dictus Pontifex suis Successoribus ligare manus. Sed quam frivola sit hæc evasio, patebit ratione, & paritate.

69 *Primo* ratione: quia licet nunc Pontifices nullam apponant quoad hoc privilegium limitationem pro Regularibus, tamen adhuc urget supra tradita probatio, & doctrina, ipsos nempe nusquam fuisse quoad hoc privilegium inclusos in Bulla: sicque nulla est ludificatio. Dein per generalem concessionem non derogatur speciali declarationi: ergo concessio generalis dicti privilegii: in Bulla intelligenda est cum dicta implicita limitatione intelligenda; quin ex hoc valeat inferri Urban. VIII. ligasse suorum Successorum manus: quia non necessario (quod requireretur) sed libere declarationi ejus stant (quamvis aliqua attentione sit dignum hoc, quod ipse Urban. non ut Doctor particularis, sed ut Summus Ecclesiæ Pastor certa scientia, & motu proprio declaravit declaratione perpetuo duratura; quod ante ipsum Clem. VIII. (fel. rec.) fecerat); quando enim aliquis Pontifex declarat quomodo aliquod privilegium sit intelligendum, Successores ejus postea illud concedentes, juxta Antecessoris mentem, qui intelligentiam exposuit, videntur concedere, licet in concessione utantur iisdem verbis quibus, ante expositionem, concedi solebat:

opus

opus unde enim est, quod exprimant aliam esse suam mentem, ut cognoscatur mutare intentionem, seu intelligentiam Prædecessoris exponentis.

70 Patet hæc doctrina (& paritate) paritate decreti Alexandri VII. in quo ipse declarat hæresim occultam pertinere ad solos Dominos Inquisitores, taliter quod etiamsi in Jubilæo concedatur facultas absolvendi ab omnibus casibus Bullæ Cœnæ, quin excipiatur hæresis occulta, adhuc manet excepta (ut etiam pro Hispania videtur pro certo haberi *in Sum. tom.* 2. *tract.* 12. *d.* 3. *quæst.* 10. *num.* 129. ratumque tenet Massæus Chestingerus immediate ibi adducens dictum decretum, licet *num.* 125. loci immediate citati statuatur in tam generali concessione dari etiam potestatem absolvendi ab hæresis crimine, ut probabilius; sed hoc ubi hæreses grassantur ut *num. seqq.* explicat). Ejusque absolutio solum ad Dominos Inquisitores spectat, unde communiter tenetur non venire concessam talem facultatem, etiam dum Pontifices amplam potestatem tribuunt absolvendi ab omnibus casibus in Bulla Cœnæ contentis; sed hoc non alia causa, ni, quia præbent generalem facultatem absolvendi Successores Alexandri (fel. rec.) implicita illa limitatione ab ipso Alexandro posita: ergo similiter Successores Urban. concedunt illud privilegium Bullæ cum limitatione imbibita, seu declaratione ipsiusmet Urban. VIII.

71. Firmatur Concilio Trident. *Sess.* 25. *c.* 10. ubi scribit: *Bis, vel ter in anno ab Episcopo, &c. offeratur extraordinarius Confessor Monialibus*: Si ergo taliter censet Concilium, quomodo de Pontificum mente prudenter præsumi poterit velle, posse quotidie ad libitum eligere? Præterea ponderentur hæc verba Urbani VIII. *Religiosos de Monte Carmelo facultate dicta uti præsumebant.* Et legitime inferri poterit; ergo absque fundamento Confessarios eligebant, sicque confessiones irritas perpetrabant: nam quod vera potestate intenditur, non præsumptio dicitur. Deinde ait: *Cum prætendant prætextu Bullæ nonnulli Ordinis Prædicatorum Confessarium eligere, &c.* Si ergo prætextu, non vero privilegio, sed apparenti, & falso conabantur: ergo.

72 Simili alio quodam profugio evadere conclusionem intendunt contrarii, dicentes: intervenisse, inter Catholicum Regem, & Pontificem, contractum quemdam, quo Rex se obligavit solvere singulis annis duodecim mille aureos pro fabrica Sancti Petri Romæ, & Pontifex in gratiam Regis, & levamen, Bullam Cruciat. qua ergo concessa, jam non potest neque ex toto, neque ex parte, ratione contractus derogari. Sed quam facile tale aufugium rejici possit aperte ex dictis patet. Præterea falsum dotalem contractum, usque dum ostendatur. Qui autem hoc optet examinare, adeat P. Bardi *in explicatione Bull. Cruc. part.* 1. *tract.* 2. *cap.* 5. *sect.* 2. §. 1.

73 Objic. I. In Jubilæo datur Regularibus hæc facultas, saltim si in ipso involvuntur clausulæ derogatoriæ omnium privilegiorum, ac si in individuo de illis fieret mentio: ergo pariter in Bulla. Respond. quod ex Jubilæo non sequuntur inconvenientia, quæ in Bulla, si in hac præberetur talis facultas, uti in illo; & hoc patet: quia illud breviter expirat; hæc autem semper durat per novas & continuas publicationes.

74 Objic. II. Quando in privilegiis apponitur hæc clausula *pro expressis habentes*, juxta stylum Curiæ derogantur privilegia præcedentia, ita, ac si de verbo ad verbum ibi insererentur, ut tenent Casiod. *de* 10. *Regul. Cancell.* Passarell. *lib.* 2. *de privileg. Minimorum c.* 8. 12. *&* 13. Ang. Sylv. Compendium Mendicantium, & alii; Sed in Bullis sequentibus ad Clem. & Urban. habetur dicta clausula: ergo privilegium hoc Religionibus concessum vere derogatur per novæ Bullæ expeditionem. Respond. quod dicta clausula tenet modo dicto, quando non petitur expressa mentio privilegii antecedentis: cum autem hoc privilegium Religionibus concessum expressam mentionem expostulet: eo quod cum omni Religioni sit concessum est favor, & jus, ac jus non minus, ac si insertum foret in corpore juris; ut habetur in Compendio Mendicantium verbo privilegium ad finem: ad differentiam privilegii concessi Personæ particulari, vel Monasterio cuidam, quod quia contra jus, odiosum est, facileque derogatur. Deinde dicta clausula ponitur, ad hoc ut derogentur privilegia ignorata: namque non est facile Pontifici omnia memoria retinere, de ipsisque mentionem facere; ut ait Reginaldus: quis tamen dicet hujus privilegii inscium esse Pontificem? cum singulis annis de novo promulgetur Bulla in qua adest.

75 Nec dicas: ergo jam tempore Leo XI. Paul. V. & Greg. XV. qui fuerunt inter Clem. VIII. & Urban. VIII. (fel. rec.) potuerunt dicta facultate uti Regulares; quia in ejus brevi non invenitur dicta clausula. Nam hoc nihil concludit: quia ut dictum *sup. num.* 66. Regulares nusquam fuerunt inclusi in dicto privilegio Bullæ. Dein suffecit sat, quod Clem. declarasset Bullam non habere locum quoad hoc privilegium in Religiosis. Nec iterum replices, expresse exclusos fuisse Regulares, quoad hoc privilegium, si non includerentur quoad hoc privilegium in Bulla: uti excepti sunt in ordine ad lacticinia comedenda in Quadragesima Sexagenarii: nam hoc privilegium continet dispensationem juris communis, sicque nil mirum, quia necesse fuit, excipiendos exprimere: privilegium autem Confessarium eligendi non ita est; adeoque non indiget expressa exceptione. Forsque ab initio non apparuit inconveniens, quod imposterum expertum est, ex libertate Regularibus concessa quemcumque eligendi Confessarium; non enim fuit abusus talis facultatis usus, quo excrescente in dies, & reclamantibus Superioribus per expressam doctrinam variorum Pontificum (ut relatum est *num.* 67.) fuit cautus: quod abunde est, quamvis expressè in Bulla non excipiatur.

76 Demum: si dicatur constitutiones dictas Clemen. VIII. & Urban. non esse juridicè promulgatas (relictis opinionibus circa promulgationem legum Pontificiarum in sua vi, quæ habentur in *Sum. tom.* 1. *tract.* 2. *d.* 1. *q.* 3.) Respond. quod ad hoc ut Brevia Pontificia censeantur juridicè promulgata, satis est, ut promulgatio procedat ab habente potestatem, & deveniat in notitiam moraliter certam subditorum: cum ergo hoc habeant dicta Brevia: ideo inexcusabiliter eorum Conscios obligant.

77 CONCL. III. Regulares vi Bullæ non possunt eligere Confessarium, qui eos absolvat à culpis lethalibus non reservatis. Est ratio: ultra, quod Pius V. Religioni Prædicatorum, Gregor. XIII. Societati Jesu, aliique Pontifices ex relatis *num.* 67. aliis particularibus Religionibus præceperunt, subditos earum quoad Sacramentum Pœnitentiæ dispositioni suorum Prælatorum stare debere: quia Urban. VIII. ita declaravit pro omnibus Religionibus, ut habetur *num. immed. cit.* Præterea talis facultas foret in magnum detrimentum Religionum; ut expresse tenent citat. Pius, Greg. XIII. & XV. & Urban. eo quod magnam pareret peccandi libertatem; facilitas enim obtinendi veniam, incentivum administrat delinquendi, ut dicitur *in cap. est injusta* 23. *quæst.* 4. *& cap. ut Clericorum. de vita, & hon. Cler.* Contrariæ quidem ante adhærebam sententiæ, fortiorque tamen ratio, quæ in contrariam me movit abire opinionem est finis Urban. VIII. in Brevi à se dato, qui fuit Sacros Regulares Ordines instaurare, eos astringendo ad regularem observantiam, quæque removent ab hac, penitus eradicando, ut ipse inquit; quæ attendens, censui ejus mentem, nedum quoad reservata fuisse, velle Regulares suis subjici Prælatis, verum etiam quoad non reservata. Accedit, quod hæc fuit mens Clem. VIII. expresse tenens subjici debere Regulares absolute quoad Sacramentum Pœnitentiæ suis Superioribus.

78 Nec obstat dicere Urban. VIII. *quoad sibi reservata*: quia hæc limitatio refertur unicè ad Sedem Apostolicam, cui immediatè subjungitur; minimè vero Prælatis Religionum Ita. Cardinalis de Lugo dicens

dicens dictam clausulam hunc reddere sensum; Religiosos subjici debere dispositioni suorum Superiorum, atque etiam Sedis Apostolicæ quoad reservata eidem Sedi: voluit igitur dictus Pontifex addere dicta verba non ut limitativa decreti Clem. VIII. sed ne daretur occasio errandi; forsitan dum dicebatur absolutè Religiosos dependere absolutè à suis Superioribus, quoad Sacramentum Pœnitentiæ, posset aliquis putare eos ita dependere; ut sicut sine licentia suorum Prælatorum à nulla lethali noxa absolvi possunt, ita ab iisdem, obtenta licentia, possent ab omnibus absolvi, quod revera de jure communi falsum est, ob aliqua Papæ reservata, à quibus Religiosi absque speciali licentia ipsius nequeunt à Prælatis absolvi; ad quod erroris periculum tollendum addita fuit dicta clausula, *& Sedi Apostolicæ quoad sibi reservata*, huncque fuisse sensum, & intelligentiam Urban. VIII. testatur D. M. A. Maraldus à quo fuit composita hæc constitutio, subscripta, & à quo fuit dicta clausula apposita.

79 Patet ex hoc hanc intelligentiam fuisse in decreto Clem. VIII. cum implicite sit à jure. Religiosi enim quoad peccata reservata Sanctæ Sedi, ipsi sunt subjecti, & non suis Prælatis; & in Urban. VIII. explicite, ut videntur convincere verba illa posita *num. 67. Nec ullo modo suffragari potuisse, neque posse.* Pro hac sententia sunt P. Bardi, Cardinalis de Lugo, Marcus Serius, Leander a Murcia, & alii.

80 Quia tamen posset quis objicere solum esse demptam facultatem eligendi Confessarium ad absolvendum à reservatis, ut constat ex verbis Urban. VIII. *num. 67.* positis. Respond. quod ly *Et*, ubi fundatur objectio, nedum sumitur conjunctivè, sed etiam divisivè. Hoc ultimo modo sumi posse non est dubium; nam electio Confessarii ipsi præbens jurisdictionem, fieri potest absque reservatis in eligente, ut patet in Regulari habente solum peccata mortalia non reservata, eligenteque Confessarium unicè approbatum, quo in casu, confertur ei jurisdictio quam antea non habebat; & cum reservatis, quando eligit Confessarium approbatum omnimodè ab Ordinario, & expositum à Prælato, carentem tamen jurisdictione absolvendi à reservatis. Probatur igitur taliter sumi ly *Et*, (præmisso quod conjunctivè sumatur); nam motivum Urban. VIII. ad hoc decretum promulgandum fuit unicè Regularis disciplinæ exacta observantia [ut dictum est *num. 77.* pariformiterque Clemen. VIII.) & remotio eorum, quæ obesse poterant, ad damnum spirituale vitandum; sed sola electio Confessarii est tam perniciosa disciplinæ Regulari, forsque magis; ergo conjunctio illa, *Et* Urban. VIII. divisive sumitur, consequenterque nedum prohibetur Regularibus posse eligere Confessarium, simul, ei conferendo facultatem, electione, vi Bullæ; absolvendi à reservatis; sed etiam posse præcise eligere Confessarium. Minor patet: nam si Religiosi haberent dictam facultatem, sæpe sæpius eligerent Sacerdotem Sæcularem inexpertum: præcipue de moribus, & consuetudinibus Religionum, à quo certe non possent dirigi, & in spiritu adjuvari, quod non sequeretur ex electione Confessarii ordinis expositi. Conseq. probatur. Nam quoties plures casus in eodem principio radicantur, lex quæ intuitu talis principii instituitur, omnes illos comprehendere debet, licet non exprimantur, juxta illud juris-peritorum principium, *quoties vitium ex una eademque radice oritur eadem lege tolli debet* 1. *ultim. in fine. C. de Nuptiis, & Glos. cap. Fratern. ver. Novis de testibus*; sed mala quæ præcavere volunt Pontifices, & signanter Urbanus VIII., & Clemens VIII. ex libera electione confessarii originem ducunt; ergo hæc ut sic prohibetur; adeoque ly, *Et*, divisive accipitur.

81 Demum convincitur probatione 3. conclusionis, & Clem. VIII. qui enarrans factum electionis confessarii, & absolutionis à reservatis, sibi propositum à Procuratore Generali Fratrum S. Mariæ de Monte Carmelo, super quo opportunum remedium expostulabatur, declaravit absolute suis superioribus, Regulares quoad Sacramentum Pœnitentiæ teneri fore subjectos; ergo. Ita Diana *tom. 3. tract. 3.* de Bulla Cruc. *resol.* 31. Ludovic. à Cruc. *disp. 1. cap. 1. dub. 12. num. 2.* hanc putans veriorem sententiam. Et alii.

82 CONCL. IV. Regulares quoad hæc duo privilegia, facultate præstita suorum Prælatorum, eligere possunt confessarium vi Bullæ, qui absolvat à reservatis. Hæc concl. ex se liquet. Nam cùm præcise non includantur in Bulla quoad hæc privilegia; quia potestas designandi confessarium est Prælatorum, his cedentibus juri suo, præstando licentiam, indubitatum venit, non posse jam illos ad libitum confessarium eligere virtute Bullæ. Ita communiter.

83 Non dicas impedimentum esse Pontificum declarantium Bullam non habere locum in Regularibus quoad hæc. Nam hæ delarationes non sunt aliud impedimentum à jure, ut dictum est *num. 65.* sed meræ hujus expositiones, in quibus nititur tradita conclusio, quia ut diximus, cum Pontifices dixerunt, Regulares debere subjici quantum ad hæc, dispositioni suorum Prælatorum, visum est indicare ipsos non includi in Bulla quoad hæc: quia inclusio illa foret præjudicialis Prælatis, & regulari disciplinæ, si confessarii electio indepedenter ab eis fieret. Ex hoc ergo patet, posse Regulares confessarium eligere facultate ad hoc à suis præstita superioribus. Tum etiam ex Pio V., qui vetans Fratribus Ordinis Prædicatorum, vi Bullæ prohibet, quod electio fiat absque licentia Superiorum; posteaque præcipit iis, ut in facultate concedenda, benigni, & faciles se exhibeant suis subditis. Idem Societati Jesu Gregorius XIII. quod ergo in decretis Clementis, & Urbani prohibetur, est modus, qui conceditur sæcularibus, utpote pro sua voluntate eligere confessarium: Dein prohibere Pontifices Cruciatum quoad hoc privilegium, inutile foret: cum possint Superiores pro suo libito facultatem conferre, ut eligere valeant confessarium, qui absolvat ab iis reservatis: ergo semoto præjudicio jurisdictionis Prælatorum, stante licentia horum, includit eos Bulla, consequenterque, &c.

84 Si quæras qui possit licentiam præstare; Respondeo: Prælatos valentes absolvere à reservatis potestate ordinaria, quales sunt Generales, Provinciales, & vice-Generales, vice-que Provinciales, Generalibus, & Provincialibus non stantibus; vel quibus data est potestas subdelegandi. Etiam Congregatio Generalis, & Provincialis. Et aliqui Prælati locales quibus de jure competit potestas absolvendi à reservatis. Ita Ludovic à Cruc. de exposit. Bullæ Cruciatæ *disp. 1. cap. 1. dub.* 13. in fine. Sufficit tamen adhuc tacita, sed per ratihabitionem de præsenti, non vero de futuro: ratio secundi est: quia quærequiruntur ad validitatem actus debent adesse in positione ejus; cum ergo necessaria licentia Prælatorum necessario stare debeat in acceptione Bullæ quoad effectus, & licentia per ratihabitionem de futuro non adsit in illo tunc; ideo, &c. Excipiuntur Religiones in quibus est specialis constitutio, ut minorum: vel Pontificium decretum, ut in Bernardis, de licentia expressa habenda. Pro tacita vero per ratihabitionem de præsenti, stare debet aliquod signum sensibile, alias non sufficit: quia Decreta Clementis, & Urbani tenent debere subjici dispositioni suorum Prælatorum: ergo constare debet eorum consensus, quem nisi per sensibilia non cognoscere valemus.

85 Quæres etiam: an Prælati sub nomine Religiosorum & Abbatissæ aliæve Superiores sub nomine Sororum in dec. Clementis, & Urbani intelligantur. Respondeo, minime intelligit: quia decreta ita sonant: *Sed nostræ intentionis esse, quod ii Fratres, & moniales quoad Sacramentum Pœnitentiæ ordinariæ dispositioni suorum Prælatorum subjecti sint.* Ex quibus apparet non comprehendi; sed suditos tantum alligare. Deinde Superiores habent jam facultatem delegandi potestatem absolvendi à reservatis: ergo frustra comprehenderentur cum subditis. Demum Panorm. in cap. quoniam *num.* 2 de Simonia. asserit sub nomine sororum non venire Abbatissam.

86 Insuper

86 Insuper inquires: an sub nomine Fratrum veniant monachi. Respondeo venire: quia hic per Fratres intelliguntur habentes Religionem ut matrem communem sub qua, sub eadem connexione, & vinculo ejusdem instituti, vitam degunt, qui merito Fratres vocantur; sicque in Sac. canon. indifferenter Religiosis tribuitur qui monachalem vitam ducunt: ut patet, in cap. causam 1. de judiciis ubi Religiosi Albani nunc monachi, nunc Fratres appellantur. In stricta tamen acceptione soli mendicantes nomine Fratrum veniunt: quia in prima sui institutione sibi dictum nomen tribui voluerunt. Ast hic nec tam stricte sumitur; nec tam late, ut omnes Filii Dei intelligantur; quali Fraternitate usus fuit Christus Dominus Discipulos suos Fratres vocans; nec omnes Filii ipsius Dei per baptismum, uti, in primitiva Ecclesia baptizati, Fratres vocabantur, & habetur ex Paul. ad Rom. *cap.* 12. & 16. ex Chrysostom. *hom.* 80. in Matt. Hyeron. epist. ad Helvidium *cap.* 8. adducens *ibi* 4. capita ex quibus connexio oriri potest, consequenterque Fraternitas, utpote ex natura, gente cognatione, & affectu, ut & dicitur *tom.* 2. *tract.* 14. *d.* 14. *quæst.* 4. §. 10 *num.* 111. tradi à D. Thoma. Solum ergo accipitur in præsenti modo dicto, hoc est claudente omnes illos, qui sub regulari observantia vivunt; & clare liquet ex contextu ipsorum decretorum exprimentium mendicantes, & non mendicantes, cujuscumque ordinis, in quo certe monachi continentur.

87 Religiosi ordinis militaris, ut Equites Hierosolymitani, qui absque controversia pro Religiosis reputantur, & alterius cujuslibet, si tales habentur, sub nomine Regularium comprehenduntur, sicque idem de his, ac de aliis est tenendum Religiosis subditis; quidquid dicat Egidius Trull. contrarium tenens, sed ratione innixus infirma, ut ostendit P. Bardi in explic. Bull. Cruc. *part.* 1. *tract.* 2. *cap.* 5. *sect.* 2. *n.* 76. citans ille *lib.* 1. §. 7. *cap.* 1. *dub.* 8. *nu.* 3. *pag.* 222. pro se Henriquez. Quidem tamen ex loco à se ibi citato non auderem in contrarium adducere: quia ibi ait *permissu Prælatorum*. In principio *num.* 4. quæ certe nova est difficultas, dicit inde in suæ esse favorem sententiæ Rodriguez §. 9. *num.* 24. sed merito dicam falso: nam ibi seqq. tenent verba: *Digo lo tercero, que tomando los Subditos la Bulla sin licencia de sus Prelados, aunque es contra la regular observancia, pueden gozar de todo lo que en ella se concede, que no es contra la regular observancia, como son de las indulgencias, que se ganan visitando los Altares, &c.* vide ibi, & videas quam male citetur, igitur. Si tamen Hierosolymitani accipiunt Bullam; omnibusque ejus gaudent privilegiis, quin eam acceperint de licentia Magni Magistri, dico fieri, ob consuetudinem legitime introductam; cumque aliunde ille videns non prohibeat, tacite consentit.

88 CONCL. V. Regulares vi Bullæ acceptæ, adhuc absque licentia Prælatorum possunt absolvi à censuris extra Sacramentum Pœnitentiæ; est ratio, quia Regulares fruuntur omnibus privilegiis Bullæ: excepto eligendi confessarium pro absolutione Sacramentali obtinenda, ut sæpe supra dictum est; sed hoc est valde diversum ab eo, quod absolvantur extra Sacramentum Pœnitentiæ à censuris, ut ex se liquet: ergo cum à diversis non fiat illatio ex L. Papinian. ff. de minor. ideo, &c. Præterea declaratio summorum Pontificum circa potestatem eligendi confessarium cum licentia Superiorum est restrictiva: igitur non est ad alia privilegia extendenda. Dein exceptio firmat regulam in contrarium pro casibus non exceptis, dum pro iis non stet specialis ratio: ergo cum ex privilegiis in Bulla concessis solum Regularibus excipiatur illud eligendi confessarium, & absolvendi sacramentaliter; non stante aliunde speciali ratione, pro electione ejus, & absolvendi extra Sacramentum à censuris: ab his procul dubio absolvi valent.

86 Objicies: ex hac conclusione sequeretur perturbatio disciplinæ regularis, quam vitare conati sunt Pontifices, hocque motivo statutæ sunt supra positæ conclusiones: ergo. Ant. patet: posset enim Prælatus excommunicare subditum, subditusque per Bullam invito Superiore absolutionem recipere; sicque disciplina corrueret Religiosa. Respond. neg. Ant. dicendo, quod Religiosus ille non posset absolvi quin satisfaceret parti, quæ cum sit Superior, ipsi debetur condigna satisfactio; sique alias læsus fuerit, huic præstita satisfactione subditum excommunicatum absolvet Superior, nullaque sic ei fiet injuria si in foro tantum conscientiæ absolutio detur; non ita est ex aliis privilegiis, nempe absolvendi à peccatis, ut ostensum est.

90 CONCL. VI. A censuris sedi Apostolicæ reservatis, adhuc præstita absolutione extra Sacramentum, non possunt Regulares absolvi vi Bullæ, absque debita licentia. Ratio est; quia hoc modo corrueret quidem regularis disciplina, possent enim se fieri absolutos à censuris ablataque jam peccatorum reservatione, cuicumque exposito confessario ea subjicere; quo facto proculdubio subjectio à suis Prælatis tolleretur. Adest insuper Urbani VIII. decretum in quo licet Pontifex loquatur de absolutione Sacramentali explicite; implicite tamen absolutionem extra sacramentalem prohibet, si per eam tollitur à Regularibus subjectio immediata Sanctæ sedi in casibus ei reservatis, itaque necessarium est fateri; alias inutile fuisset, quoad hæc, dictum Decretum, eo quod nusquam obtineret finem, ut patet modo dicto. Idem sentio de censuris in Religione reservatis, quia alias jam non forent subditi dispositioni suorum Prælatorum, qualem commendant, cum mandant dicti Pontifices. Religionum Novitii vere quoad hæc privilegia Bulla gaudent, absque licentia Prælatorum: quia sunt Christi Fideles; aliundeque doctrina Clementis, & Urbani non declarat eos exclusos, neque excludendos fore: igitur, &c. ita communiter D. D.

QUÆSTIO III.

De gratiis concessis euntibus ad bellum contra Infideles, & operibus ad consecutionem earum præstandis pertractans.

Summi Militantis Ecclesiæ Pastores, defensione, & expeditione belli contra Turcas, aliosque infideles, Catholico Regi, singulisque promoventibus, aliquove modo juvantibus in Exercitu, contra Sanctæ fidei hostes, inter alias gratias omnium suorum peccatorum indulgentiam plenissimam, sub quibusdam conditionibus, hoc est, certis operibus patrandis concessere. De quibus in præsenti.

SUMMARIUM.

91 *Ratio ordinis.*
92 *Rex Catholicus consideratur ut talis, & ut privata Persona.*
93 *Indulgentia plenaria ei oblata toties quoties lucrari potest, conditionibus requisitis appositis.*
94 *Ut privata Persona dictam indulgentiam potest lucrifacere.*
95 *Solvitur objectio.*
96 *In bello stantes non debent summarium accipere, Toties quoties frui possunt indulgentia plenaria; non tamen alio privilegio.*
97 *Participes illius efficiuntur Ecclesiastici Sæculares, sive Regulares pia opera in exercitu exercentes cum licentia suorum respective Prælatorum.*
98 *Milites ibi occupati, à jejuniis, & servilium abstinentia diebus præceptis deobligantur.*
99 *Alii à militibus, à jejuniis non excusantur.*
100 *Requisita apponenda, ut fruantur dictis privilegiis indulgentiaque, declarantur.*
101 *Mittentes ad bellum, modo præscripto mittere debent, ut indulgentiam oblatam consequantur.*

103 ***Explicatur, quid facere debeant Communitates non attingentes numerum denarium ter, bis, nec adhuc semel.***

91 Merito primi sunt ordine intraneæ tractationis euntes ad bellum contra Fidei Catholicæ hostes: quia primi sunt, qui hoc indultum merentur; eo quod impleant ipsi finem ultimatum Pontificis in concessione tanti Diplomatis; & quia longe Christianiores se præbent, quam mittentes, ac longe plus difficiliora media applicantes, quam eleemosynam erogantes; etiamque, quia primo de illis fit mentio in Bulla, ut videri potest. Omnia hæc liquent ex se, & antecedentiæ causam præstant motiva; cumque his omnibus in suo capite Rege Catholico concedatur, placet de isto, priusquam euntibus, de hisque quam mittentibus; pariformiterque de istis, quam eleemosynam contribuentibus, ut seriatim omnimodis procedatur, pertractare. Ideo præmittendum est Catholicum Monarcham dupli-ci fore considerandum respectu:

92 Et ut Regem; & ut particularem Personam. De ipso secundo modo considerato erit sermo *num.* 127. dum primo modo attento investigatur, quid agere teneatur, ut indulgentiam oblatam consequatur; de qua in primo §. Bullæ habetur. *Primo concedunt (id est Gregor. XIII. ejusque Prædecessores) Philippo prædicto Regi huic defensioni, & expeditioni contra Turcas, & Infideles assidua cura, & diligentia incumbenti plenam omnium suorum peccatorum indulgentiam, & remissionem &c. consequatur.* Ad quod respond. tueri teneri Christianum Populum à Sanctæ Fidei hostibus; curareque diligenter pro expeditione sacra, conformiter citatis Bullæ verbis; taliterque, quod si de ea curam omitteret, indulgentiam oblatam non lucrifaceret: apponere deinde suorum peccatorum omnium contritionem eorundemque confessionem. De his tamen infra, quia communia ad bellum euntibus.

93 Nec semel tantum hanc lucrari valet, quinimo toties quoties voluerit, conditionibus prædictis adhibitis. Est ratio: quia eodem tenore, seu modo, quo hæc plenaria indulgentia euntibus ad bellum, & mittentibus, qui per alios in bello existunt, conceditur, & ipsi Catholico Regi; sed ex verbis quibus mentionatis conceditur tenent P. Bardi, Rodriguez, Villalob. Trull. aliique ab his citati, toties quoties velle posse dictam lucrifacere indulgentiam, appositis præscriptis conditionibus; & optime; quia indulgentia indefinite concessa, toties potest lucrifieri, quoties signatum opus ponitur: concessio enim indefinita æquivalet universali (in iteratione). Accedit, quod exceptio firmat regulam in contrarium: cum ergo à Pontifice exprimatur indulgentiam plenariam bis tantum concedi, eleemosynam elargientibus semel nempe in vita, & semel in articulo mortis, clare deducitur, quod euntibus, & mittentibus, non bis tantum, sed toties, quoties præfixas conditiones apponant: igitur Regi Serenissimi toties quoties concessa est indulgentia. Accedit adhuc, quod ipse est primus mittens: igitur.

94 CONCL. I. Rex ut privata Persona lucrari potest indulgentiam plenariam, licet negligens fuerit in procuranda expeditione Sac. Summario accepto, etsi non soluto, ut dicetur *num.* 117. Hujus conclusionis est ratio: Et primæ partis; quia non debet esse ipse deterioris conditionis, ac reliqui Hispani, quibus ita concessa est. Secundæ autem ibi.

95 Objicies; finis adæquatus concessionis Bullæ, est assidua cura promissa à Rege Catholico, sed cessante causa adæquata finali alicujus gratiæ, & gratia ipsa cessare videtur: ergo si Rex negligens fuerit in procuranda sacra Expeditione, nec ut privata Persona plenariam indulgentiam concessam lucrifacere valebit. Respond finem proximum Pontificis in concessione Bullæ esse subsidium Regis, contra Infideles; hoc est Regem statuere aptiorem ad sacram Expeditionem, finemque ultimum esse ipsam actualem efficacem expeditionem, ut dicetur *n.* 109. hujus dist.; cum ergo ille remanet, permanet & Bulla, sicque ipse Rex, uti aliæ privatæ Personæ appositis debitis conditionibus lucrifacere poterit dictam indulgentiam; quantumvis non ei oblatam ut Regi: quia conditionem sub qua ei est concessa non ponit. Nota quod ibi, in Exercitu pugnantes, vel quodvis aliud servitii genus præstantes gratis in belli subsidium, dictam indulgentiam consequentur, licet pluribus titulis ibi teneantur adesse, ut aliqui Proceres, & Equites habitibus insigniti: unico enim actu pluribus potest fieri satis obligationibus.

95 Hi tamen nec tenentur ad hoc eleemosynam impendere, nec summarium accipere. Patet prima pars in initio §. 8. Bullæ, ubi Pontifex, postquam de euntibus, & mittentibus loquutus fuerit, dicit, quod alii ab his, ut consequi privilegia Bullæ valeant ex bonis sibi à Deo collatis debent contribuere: ergo signum est quod illi non tenentur. Secunda pars, quæ est fundamentum primæ, patet etiam ex dictis verbis: Pontifex enim non astringit istos, uti alios contribuentes. Toties ast quoties illos gaudere privilegio absolvendi à reservatis, commutationis votorum, &c. tuetur Ægidius Trull. *lib.* 1. *de expositione Bull. Cru.* §. 2. *dub.* 1. *n.* 6. *citans* ibi Rodriguez §. 2. *num.* 15. sed male, quia hic A. loco citato de indulgentia plenaria loquitur, ut videri potest. Placet hæc opinio P. Bardi quoad commutationem votorum etiam, &c. non vero quoad absolutionem à reservatis S. Sedi, ratione nixus, quod in §. præsenti in quo conceditur indulgentia plenaria indefinite euntibus de sola ipsa fit mentio; & licet in §. 8. omnia Bullæ dona concedantur, tamen id intelligitur (ait dictus P.) in ea forma sub qua reliquis eleemosynam erogantibus Pontifex elargitur. Sed eademmet ratione probatur, nec à privilegio commutandi vota, &c. toties quoties frui posse; uniceque tantum indulgentiam toties quoties lucrifacere posse tenendum sentiendum; quia cum Pontifex de aliis privilegiis, quoad eorum gaudium ad libitum, silentio præterierit; de indulgentia plenaria mentionem faciens, signum evidens est, voluisse, quod quoad illa cum eleemosynas tribuentibus, uniformarentur. Accedit: quod privilegia omnia concessa in Bulla, intra ipsam sunt dispersa: igitur si in primo §. solum concedit Pontifex indefinite indulgentiam plenariam; nec aliunde inveniatur clausula aliqua in ipso, in qua nec explicite, nec implicite concedantur privilegia commutationis votorum, &c. firmiter tenendum est euntes toties quoties his privilegiis non frui posse. Ita sentire videtur Rodriguez *loc. cit.*

97 Hac indulgentia, (quæ per modum suffragii Defunctis applicari potest, ex Bulla) & privilegiis gaudent Clerici Sæculares, adhuc solum prima tonsura initiati Clericalibus gaudentes privilegiis, & regulares, sub quibus comprehenduntur omnes, qui in favorabilibus sub tali nomine venire solent; habita suorum respective Superiorum facultate, qui in Exercitu verbum Dei prædicaverint, confessiones audierint, Missas celebraverint; aliave Ecclesiastica; piaque ministeria exercuerint, ut mortuos sepelire, aquam lustralem benedicere, &c. Dein possidentes beneficia regularia, vel sæcularia per idoneos substitutos regere possunt: curata autem beneficia habentes à Summo Pontifice licentiam habere debent, ut prævenit Bulla. Si dicta opera pia non exerceant, & pugnent, necdum dictis privilegiis, & gratiis non fruentur; quinimo irregularitatem incurrent, si dispensationem non obtinuerint. Dictas consequentur gratias alienis sumptibus euntes, ibique morantes: quia non eis præcipit Pontifex suis accedere expensis, uti de aliis euntibus significatur, cum de Missis loquitur Bulla non frui posse, si pauperes non sint, (de quibus *num.* 135. Accedit quod æque loquitur Pontifex de Regularibus per votum paupertatis nil proprium habentibus. Demum patet, quia si aliis spiritualia seminant, non est mirandum ut eorum carnalia metant. 1. *Ad Corinth. cap.* 9. *v.* 12.

98 Mi-

98 Milites in bello occupati a jejuniis tum votivis, tum Ecclesiæ sunt excusati; etiamque dispensati quoad servilia ad bellum pertinentia diebus festis. Cujus causa concessionis, etiam solutos fore ex votis jutamento firmatis, & jejuniis juramento contractis sentio. Pro prima parte est ratio: quia accessorium sequitur principalis naturam; adeoque a voto deobligatos, quod est principale, etiam a juramento illud firmante, sicque accessorio, necesse est liberatos haberi. Pro secunda vero est: quia juramentum æquiparatur voto; ideoque dispositum de uno, etiam de altero dispositum censeri debet: *ut dicit. tom.* 1. *tract.* 6. *q.* 4. *num.* 52. a jejuniis tamen injunctis a Confessariis in Sacramento Pœnitentiæ minime veniunt, dispensati: quia eorum obligatio ex ipso oritur Sacramento, quod est ab assignatis a Bulla diversa radix; & a diversis non fit illatio ut habetur *l. ultima in fine. ff. de calumn. l. Papinianus. ff. de min. l. Inter stipulantem. ff. de verb. oblig.* & ibi scribentes, cumque his communiter Juristæ: Tamque diversa, ut jejunium tale sit pars integrans Pœnitentiæ Sacramentum, ex quo nequit a Pontifice remitti nisi mediis indulgentiis, quibus satisfaciat Pœnitens pro pœna debita; cum aliâ potest, ab ipso immediate, & directe pendentia remittere absque commutatione aliqua. Excusari tamen poterit tali gravatus jejunio, admittens opinionem probabilem, quod indulgentia plenaria, quam toties quoties nanciſci potest, satisfit peccatis omnibus remissis, ni jejunium impositum sit tamquam medicina, & præservatio futurorum delictorum.

99 Alii a militibus, non pugnantes, licet varia bello servitia exequentes, non liberantur a jejuniis: quia hi non sunt veri milites; eo quod nec adscripti sunt in militum numero; nec ense cingantur; neque militis tesseram gestent; quæ militiæ signa sunt in usu. Ita P. Bardi *part.* 1. *tract.* 2. *cap.* 1. *sect.* 2. *num.* 27. idem tenens de Rege; non tamen si non ingrediatur ad campum, & pugnet, sed quoad hanc limitationem ipsi non adhæreo: quia si hæ conditiones in veris militibus (non ab actu, sed posse militare constituendis, aliquo signo insignitis) necessariæ non sunt; proculdubio enim in aliis ad bellum pertinentibus occupari possunt, nusquamque pugnare, occasione non oblata: quo in casu, certum est tali fungi privilegio, ut sonat Bulla. *Item milites in bello occupati, a jejuniis votivis, vel Ecclesiæ excusentur.* Quanto magis de Rege, vero, & primo militum omnium, nempe capite, asserendum est? non est igitur cur obligetur ad campum ingredi, & pugnare. Accedit, quod venit nomine *Milites*, eo quod sit materia favorabilis. Demum si magis pugnat ipse Rex suo suavi, & affectuoso vocis præcone animosiores reddendo suos debellatores; ut evenit, practicantque Exercituum Duces, cur dicta exemptione non fruetur, si ense non pugnet? in quo forsitan non cogitabit, gentem animandi suam conatus causa. An adhibendo medium minus utile, utiliori relicto ad victoria potiendum, offert ei Summus Pontifex dictum privilegium? certe nequit dici: igitur restat concludendum contra citat. A. Regi non obesse, non pugnare; quinimo sufficere in Castris adesse ordinando, & disponendo congruentiora, ad talis privilegii gaudium, quantumvis campum non ingrediatur: Ut probatum est.

100 Ut vero ad bellum euntes indulgentia, & privilegiis eis oblatis frui possint, opus est, tamquam conditio in Bulla præscripta, ut ad illud pergant fidei zelo moti; si enim odii, vel vindictæ causa irent, gratiis dictis non gauderent. Ratio hujus est: voluntas Pontificis in Bulla expressa. Requiritur insuper indispensabiliter, quod bellum sit contra Infideles, Hæreticos nempe, Paganos, Schismaticos, Judæos. Nam si sit contra Fideles, non subsistunt dictæ gratiæ. Etiam confessio actualis præcipitur, si commode fieri potest. Ratio quæ supra. Ore a valentibus fieri debet; ita ut his non sufficiat nutibus, vel signis eam facere: quia Ecclesiæ consueta confessio jubetur. Ast si Confessarius solum signis Pœnitentem carpere possit, nutibus hujus facta confessio proderit: quia de Pontificis mente præsumendum est, dicentis *ore confessis*; eo quod hic est modus solitus confitendi in Ecclesia; utque constaret mentem ejus esse, aliter confitentes absque rationabili causa, vel ignorantia invincibili, dictis privilegiis, & gratiis non gaudere: ita non se præbentis rigidiorem, quam Ecclesia in confessionem præcipiendo. Tandem ut complementum onerum spiritualium contritio exigitur, sub qua attritionem venire certum est, cum, & contritio, quamvis imperfecta, appelletur a Trid. *Sess.* 24. *cap.* 4. sufficiatque ad justificationem cum Pœnitentiæ Sacramento; aliundeque quia non facile illa quit consequi. Ex temporalibus autem oneribus injunctis *primum* est, propriis sumptibus, & expensis ad bellum accedere, ibique pugnare, quando opus fuerit, quique aliquod genus servitii faciant (stantibus supradictis) præstare gratis tenentur. *Secundum*, permanere in Exercitu usque ad complementum anni publicationis Bullæ, (ni mors contigerit in Exercitu, vel in via ad illum intra ipsum annum, ut declaratur in Bulla; vel aliunde ante expeditionis finem, vel ob infirmitatem, vel aliam supervenientem necessitatem recesserint) qui ille computabitur, a die quo quis militiæ adscribitur; vel ad aliquod servitium præstandum. Ita habetur in primo §. Bullæ seqq. verbis: *Qui intra annum a die publicationis præsentium, in singulis locis prædictis faciendæ inchoandum fidei zelo moti ad Exercitum Serenissimi Regis Hispaniarum contra Turcas, & alios Infideles in illos pugnaturi, aut aliud genus servitii gratis facturi suis sumptibus accesserint, & ibidem usque in finem hujus expeditionis ejusdem anni permanserint, &c.* etiam in Italica ubi post verba dictis conformia, dicitur: *per tempo d'un anno*, & in Hispanica: *por tiempo de un anno.*

101 Mittentes ad bellum suis impensis, modo præfixo in Bulla mittere tenentur, si indulgentiam, aliasque oblatas gratias, impetrare conantur; modus ergo ibi signatus est, ut S. R. E. Cardinalis, Primas, Patriarcha, &c. mittat quot commode possit homines usque ad decem inclusive, nec pauciores quam quatuor, si plures non possit: Alterius vero conditionis, Laicus, vel Clericus Sæcularis, nisi tenues habeant facultates; duo, vel tres, aut etiam quatuor simul, prout singulorum facultates commode patientur, stipendium uni persolvant: hinc frustra quinque, multoque minus sex, septem, &c. contribuent in unius stipendium: quia Summus Pontifex ad summum numero quaternario mittentibus indulgentiam, aliasque gratias concessit; ut exprimitur clare ex verbis citatis duo, tres, aut etiam quatuor: ly enim, *aut etiam quatuor* ad majorem numerum non posse procedi ostendit, Tales ergo contenti sint eo, quod frui possunt gratiis talibus, media Bullæ acceptione, eleemosynam erogantes, siquidem non valent, ut mittentes. Titulares inferiores, de quibus in Bulla non fit mentio, non tenentur mittere milites, uti citati in Bulla, Duces, Marchiones, Comites, &c. quia sæpe nec sunt æque divites, neque excelsi; hisque de causis, ad obligationem Superioris excellentiæ, noluit Commissarius adstringere.

102 Dicta indulgentia, fruentur missi si veri pauperes sint, ut dicitur in Bulla, his verbis: *Eandem indulgentiam assequantur etiam omnes qui mittentur, si pauperes fuerint.* Hinc, si pauperes non sint, quando mittuntur (quando mittuntur dico, quia licet postea divites fiant quacumque de causa, nil obest, ut ita prudenter præsumendum est de Pontificis mente) ea non gaudebunt: sed ad hoc, vel propriis expensis ire, vel mittere; vel summarium accipere, eleemosyna elargita, tenentur. Hi ad bellum missi si effugerint, adhuc ipsa indulgentia, & gratiis potientur mittentes: qui ex se postulata a Pontifice apposuerunt. De militibus, partem stipendii sibi ex justitia debiti remittentibus Regi, ut accrescere Exercitium valeat, sentiunt Vidal, & Ibannez gaudere, per hanc condonationem, Bulla, ratione innixi: quia plus præstant, quam qui eleemosynam erogant; tamen resolutioni ut sic assentiens

assentiens, rationis infirmitatem ostendo: nam ad quatuor solum classes reducuntur omnes, qui Bulla diversimodis frui possunt, vel aliquibus gratiis ejus: euntes scilicet, mittentes, missi, summariumque accipientes eleemosyna præstita: in quorum primis non veniunt dicti milites: quia non propriis expensis ad Regis Catholici Exercitum se conferunt; nec mittentium: qui licet ex pecuniis ab ipsis remissis alii mittantur; non tamen modo præfixo: nec eleemosynam erogantium: quia deficit eis summarium. Igitur in Missorum classe collocandi suat, ratione assistentiæ personalis ibi, consequenterque dicta stipendii condonatio non juvat, ut Bulla gaudeant; sed gratiis quibusdam ejus, utpote indulgentia plenaria toties quoties; excusatione a jejuniis, tum votivis tum Ecclesiæ; dispensatione quoad servilia prohibitis diebus, ad bellum tamen pertinentia, &c.

103 De numero militum quem mittere tenentur Communitates: hæc formalia tenet Bulla: *Item Capitula Ecclesiarum, Monasteria, & loca etiam Regularium, & Mendicantium, & tam fœminarum, quam masculorum, quæ pro decem Personis eorundem Capitulorum, & Locorum præcedentes Capitulari, seu Conventuali deliberatione si unum miserint* (*indulgentiam* supple) *aliasque mittentibus oblatas gratias consequentur.* Hæc disponit Bulla; sed cum taceat quid agendum sit quando dictæ Communitates (etiamque Parochiales, in quibus Communitates sunt, Capitula, Celebrantes, quæ quamvis in Bulla non nominentur, rationabiliter de mente Pontificis judicandum est intelligi posse; eo quod talis inclusionis intelligentia, eisdem, & Regi Catholico sit proficua, ut discurrit Mendo) denarium numerum plures non complent, sed remanent aliqui Communitatis, denariis aliquibus completis; etiamque quando adhuc semel denarium non pertingunt, ideo ipsi conformius statuimus, dicendo: quod individua denarium numerum non attingentia quocumque ex dictis modis pro rata partium contribuere debent; hoc est, si adsint vigintiquinque Clerici, vel Religiosi, pro vicenario, seu duplo denario, duo mittere debent milites; aliique quinque remanentes, debent erogare partem, quæ unicuique ex decem ad unius missionem militis contribuenti, spectat, correspondentem. Ita Rodriguez §. 3. Villalob. *clauf.* 2. *verf. Esta clausula.* Trull. *lib.* 1. §. 2. *num.* 3. Bardi 1. *part. tract.* 2. *cap.* 1. *sect.* 3. *num.* 7. & Ludovic. a Cruc. (si est supra denarium Communitas, quæ si non excedat, verbum non facit) *disp.* 1. *cap.* 8. *dub.* 11. Ratio utriusque partis est: quia dicit Bulla *pro decem Personis unum miserint*: qui modus loquendi, ita indicare videtur: Idem enim est, ac iste: *pro singulis centenariis ex capitali, quinque solvantur.* ex quo certe intelligitur, pro minori quantitate ratizari debere, ita ut ex quinquaginta, duo supra dimidium solvantur; & ita respective. Ad differentiam istius diversi modi loquendi: *Monasteria in quibus decem sunt*; qui æquivaleret huic: *Omnes quorum bona æstimantur valore mille aureorum teneantur equum unum ad militiam paratum subministrare.* quo in casu illi cujus bona tanti non fierent ad nil tenerentur: sed cum alio modo in Bulla expressum sit, concludendum est, quod adhuc denarium unum non attingentes, pro rata solvere teneantur, indulgentiæ, cæterarumque gratiarum acquisitionis causa.

QUÆSTIO IV.

De Summario Bullæ accipiendo ab iis qui aliqualiter contribuunt pro expeditione Sac. eleemosynarum taxis.

Non sufficit eleemosynis coadjuvare ad augendum exercitum Cath. Regis contra Turcas, aut infideles, ad fruendum privilegiis in Bulla oblatis; sed insuper opus est Summarium accipere, ipsumque retinere, quod adeo præcipitur, ut sciant fideles quibus privilegiis gaudere possint, ostendereque quo titulo iis utantur; utque ne alii sibi illa usurpent; forsque ne illud non servantes, & privilegiis non concessis uterentur, & concessis minime gauderent; quia inscii.

§. Unicus.

De concernentibus ad Bull acceptationem.

SUMMARIUM.

104 *Ut valeat Bulla in foro conscientiæ non opus est quod sit scripta.*
105 *Bene vero ut prosit in foro externo.*
106 *In nullo casu tenetur quis Bullam accipere.*
107 *Pura intentio eam accipiendi nil prodest.*
108 *Accipiens per errorem Bullam veterem, vel aliam papyrum Bulla fruetur.*
109 *Requiritur applicatio cum acceptione, ad valorem.*
110 *Non sufficit distributorem promittere, se missurum Bullam cui stipem dedit, ut gaudeat ejus privilegiis.*
111 *Inscriptio nominis proprii in ea non est necessaria ad valorem.*
112 *Sufficit scribere cognomen; non tamen nomen alterius a possidente Bullam.*
113 *Non est necesse eam secum ferre, vel manu tangere; cum objectione soluta.*
114 *Amissio ejus inculpabilis nil nocet, bene tamen culpabilis.*
115 *Object. solvitur.*
115 *Duæ Bullæ tantum accipi possunt.*

104 BUlla ad ejus valorem non exigit necessario scripturam. Ita octo supra quinquaginta, qui numerantur AA. pro hac sententia tum Theologi, tum Canonistæ. Patetque ex jure Canonico *cap. institutionis* 25. *quæst.* 2. *ibi*: *sive quæ scripto decrevimus, sive in nostra præsentia videntur esse disposita.* Ex quibus verbis *Gloss. verb. præsentia* colligit privilegium Principis posse esse sine scriptura. Dein non est aliquod jus scripturam eam requirens ad ejus validitatem: pendetque adæquate a principis voluntate: igitur.

105 Ut autem in foro externo valeat, opus est scriptura, tamquam publicum instrumentum, quo probet privilegiatus gratiam sibi a Principe concessam; ni aliqua excipiantur a jure; Principe; vel aliter super iis disponatur. Ergo ad valorem, Bulla Cruciata non requirit redactam esse in scriptis; simulque nulli proderit, quin sub tali forma eam accipiat, ob Pontificis dispositionem his verbis: *qui eleemosynam obtulerint, &c. Receperint, receptumque penes se retinuerint præfatum typis excusum Bullæ Summarium.*

106 Nusquam se offert casus in quo quis teneatur Bullam accipere, quantumvis fortiter urgens: privilegiisque ejus facile foret remedium adhibere. Ita Trull. Bardi, Henriquez *lib.* 7. *cap.* 13. *n.* 2.; est ratio, quia nullum extat præceptum eam accipiendi, sufficiuntque aliunde remedia juris communis in quocumque urgenti casu.

107 Pura intentio eam sumendi, non sufficit ad obtinenda ipsius privilegia, sive non acceptio illius sit culpabilis sive non. Ita Rodrig. Henri. Trull. *lib.* 1. §. 1. *dub.* 2. *n.* 3. est ratio quia disponitur a summo Pontifice. Accedit, quod privilegium nequit sortiri effectum, ni acceptetur; quæ acceptatio sola intentione accipiendi stare non potest.

108 Qui per errorem invincibilem accepit Summarium antiquum, vel aliam papyrum, Bulla gaudebit. Ita Trull. loc. ultimate citat. in fine *num.* 3. & aliqui recentiores. Est ratio: quia ita debet præsumi de mente Pontificis. Dein: cum talis acceptio fit per modum contractus *do, ut des*, accipiensque ex parte sua apposuerit, quod debebat; tenetur Pontifex ponere

quod

quod suum est, elargitionem nempe gratiarum promissarum, non per veram, & physicam Summarii receptionem taliter accipienti; sed moralem, ut sic stet promissis, accipiensque non maneat defraudatus, quod si advertat, veram Bullam tenetur accipere; quæ si non foret, adhuc privilegiis ejus gauderet.

109 Necesse est, quod accipiens sibi applicet, & acceptet dictum Summarium, ut ipsius privilegiis frui queat. Ratio est quæ supra: quia privilegium non acceptatum non sortitur effectum, sicut donatio, & cujuscumquam beneficii collatio efficax non est. Insuper voluntas Pontificis.

110 Non gaudebit Bulla, qui eleemosynam dedit, eam non accipiens, eo quod distributor, ubi stipem recepit, non habeat, etsi promiserit se illico daturum eam, suam perventus domum, seu ubi habet. Ita Acosta, Henriquez, Bardi, Castropalaus *part. 4. tract. 25. dup. unica part. 3. dicens: Requiritur realis susceptio: quia sic cavetur; quare non sufficit habere animum illam sumendi, nec nomen scriptum apud Depositarium, si Bullam cum effectu non suscipias.* Est ratio: quia ita disponit Commissarius Gen. qui non tantum præcipit Bullam accipere, ad fruendum privilegiis ejus, sed etiam excommunicationis pœnam imponit, eleemos. nam eroganti, si summarium relinquat in potestate Thesaurarii, seu Distributoris; hocque ad vitandas fraudes; quarum causa, stante lege Pontificis, quod accipiens, secum auferat summarium e manibus Distributoris, nequit dici moraliter illum talem summarium habere, uti dicitur de accipiente per consanguineum, vel Amicum.

111 Inscriptio nominis proprii in Bulla non est necessaria ad valorem ejus, licet in fine ipsius Bullæ plumbeæ sub eodem verborum tenore videatur præcipi receptionem, retentionem, & inscriptionem, verbis positis in primo a capite hujus quæst. in fine, quibus adde ex eademmet Bulla: *descripto ibidem uniuscujusque nomine proprio, &c.* ita communiter AA. est ratio: quia verba quibus commissarius statuit nomen esse scribendum consilium important, ut notat Trull. Dein: quia dispositio intelligenda est juxta subjectam materiam, quæ, quoad nominis scriptionem non videtur præcipi cum tanto rigore, ac receptio, & retentio. Insuper: quia ad hoc nequit assignari finis adeo necessarius, ut valeat inferre talem dispositionem esse formam, qua deficiente non veniant concessa Bullæ privilegia. Inferes ex his: quod si per errorem nomen, vel cognomen falsum scribatur, poterit deleri, & scribi nomen verum: verumque erit consequens, quamvis mala consequentia: quin dicatur de tali falsificare litteras Apostolicas: hæc enim summaria eæ non sunt, sed transumpta. Accedit cum Henriquez, & aliis quod licet quis mutet litteram in Bullis Apostolicis ad correctionem ignorantiæ, non incurreret Falsarii culpam, sicque nec excommunicationem Bull. Cœnæ.

112 Sufficiet tamen scribere cognomen; mutare vero nomen proprium, vel cognomen; ut vult Pater Bardi *part. 2. tract. 8. c. 2. sect. 1. in fine*, causa, ut alii illud ignorent; non placet; quin potius, supposito, quod illicite fieret; eo quod contra expressam voluntatem Pontificis, & commissarii dicentis uniuscujusque nomine proprio scribi; non temere asseri posset, & obesse valori: quia non difficulter præsumi potest, Pontificem nolle fovere agentes expresse oppositum contra dispositum.

113 Non est necesse ad privilegiorum gaudium, summarium secum ferre, minusque manu tangere; sed sufficit habere in certo loco, ex quo dicatur habere Bullam, ut si habeatur in domo propria, vel amici, &c. ratio est; quia vere habet Bullam. Nec dicatur: opus esse gestare grana secum, quibus concessæ sunt indulgentiæ, ut eæ lucrifiant: ergo pariformiter de Bulla sentiendum est. Nam ly *habere* Bullæ significat possessive; itaque cum secum non adducta dicatur eam possideri, ideo. At vero *granorum* conjunctive, hoc est quicumque contractus inter lucrifacientem indulgentias, & granum ei concessas. Accedit congruentia, quod grana sunt benedicta, minime autem, Bulla; ex quo sequitur per ly *habere* non posse intelligi delationem summarii.

114 Amisso inculpabiliter, non opus est novum accipere ad fruendum privilegiis ejus; bene vero si culpabiliter amittatur. Ita communiter. Est ratio: quia solum præcipitur accipi Bullam, & retineri, ut sonat Hispanica Bulla. *Y declaramos, que los que la tomaren ayan de recibir, y guardar este Sumario, y Bulla, que va impresso de molde y sellado, y firmado de miestro nombre, y sello, porque de otra manera no ganan, ni gozan de la dicha Bulla ni gracias della*: ergo cum ad novas conditiones non sint dictæ extendendæ, non est, cur exigatur, quomodocumque eam habere; taliter, ut inculpabiliter amissa, privilegiis ejus non fruatur; ita vero, culpabiliter amissa: quia jam non dicetur eam retineri; nec ratione culpæ excusabitur, qui eam amiserit.

115 Objicies: ille talis nullo modo retinet Bullam, uti præscribitur in ipsa ob fines ibi, & supra traditos, qui æqualiter ruunt ex amissione inculpabili, ac culpabili ejus, ergo. Respond. diversimode negotium se habere; nam quando negatio retentionis moralis provenit sine culpa, congruum est ex Pontificis benignitate, ut qui eam amisit, privilegiis non privetur; secus autem est præsumendum, quando culpabiliter amittitur, uti statuit Ecclesia irregularitatem pro peccaminose occidente, minime autem, si cum moderamine inculpatæ tutelæ; igitur semel accepta, non continuatio observantiæ materialis præcepti nocebit culpabiliter, minime vero inculpabiliter eam amittenti etiamsi aliquod inconveniens venire posset ex talis carentia physicæ retentionis.

116 Unusquisque valet accipere duas Bullas vivorum in eodem anno, consequenterque potest frui bis gratiis concessis pro determinatis vicibus, ut indulgentia plenaria oblata semel in vita, & semel in articulo mortis; absolutione a reservatis publicis; indulgentia concessa visitationi altarium; in opinione dicente toties quoties non concedi: licetque ad quæ per totum annum conceduntur non deserviat secunda, ut ad privilegium comedendi carnes de utriusque medici consilio, vescendi ovis, & lacticiniis diebus vetitis, &c. prodest tamen pro expressis.

QUÆSTIO V.

De quantitate eleemosynæ tribuenda pro receptione Summarii Bull. Cruc.

SUMMARIUM.

117 *An aliqui frui queant Bulla, quin præbeant eleemosynam. Solvitur objectio.*
118 *Indulgentias suspensas a commissario lucrifaciunt veri Pauperes sine Bull.*
119 *Notabilia.*
120 *Largitio eleemosynæ pro summario Bull. non est simonia.*
121 *Necessario debet fieri illa ex bonis super quibus habet quis dominium.*
122 *Corollarium de accepta Bull. ex bonis furatis exponitur.*
123 *Rejicitur Sent. P. Bardi dicentis valere acceptionem Bull. a fure, si aliunde habuerit ad solvendum, licet ex pecuniis furatis non mixtis cum propriis.*
124 *Solvitur objectio.*
125 *Corollarium ex clausula Bullæ. Ut fiat ex bonis a Deo collatis.*
126 *Objectio soluta.*
127 *Valet Bulla accepta bonis turpiter acquisitis.*
128 *Objectio soluta.*
129 *Valet pariter credita pecunia.*
130 *An si soluta non fuerit tempore præfixo; & quid si factus fuerit impotens solvendi.*

131 *Prodeſt, credita pecunia, cum voluntate non ſolvendi, licet non mutarit accipiens pravam intentionem.*
132 *Inſuper credenti, ſe dediſſe minorem taxam, cum ita non ſit.*
133 *An illa gaudeat, accipiens eam, ab illo qui Bullas a Depoſitario furatus fuerit.*
134 *Solvitur objectio.*
135 *Alteri inſtantiæ fit ſatis.*
136 *Eleemoſynæ taxa aſſignatur pro Hiſpanis.*
137 *Pro Indis remiſſive.*
138 *Eleemoſyna non multiplicatur ad multiplicationem dominiorum Titularium.*
139 *Quid quando plures ſunt Domini inſolidum alicujus tituli.*
140 *Solvitur objectio contra reſolutionem.*
141 *Viduæ Dominorum Vaſſallorum non adſtringuntur taxa majori. Bene vero ſi ſint uſufructuariæ; ſed*
142 *Non ejus Filii primogeniti.*
143 *Ad dictam majorem taxam tenentur uxores titulares, ratione dotis, non adminiſtrantes bona.*
144 *Similiter titulares non nuptæ.*
145 *Eadem eſt taxa ſecundæ Bull. ac primæ.*
146 *Nec tenetur ad ſuperiorem, qui inferiori ſoluta, intra annum evectus eſt ad titulum obnoxium Superiori.*
147 *Etiam Superiori non ſubduntur titulares ſolo nomine; & renuntiantes tituli dominium Primogenito.*
148 *Bene tamen, qui de feudo cum titulo a Rege inveſtiti ſunt.*
149 *Non tamen Barones, ſi in ipſo juriſdictionem non exercent, & carent vaſſallis.*

117 NUllus quamvis pauperrimus Bulla frui poteſt abſque eo quod elargiatur eleemoſynæ taxam in Summarii acceptione. Ita comm. AA. & licet Henriquez contrariæ inclinatus videatur Sententiæ dicens *lib. 7. c. 20. in com. lit. Y pag. 361. in Bulla magna originali monet Papa, ne exigant ſtipem a paupere: cui proinde commiſſarius deberet gratis dare,* a communi non eſt recedendum, eſtque ratio: quia nullus frui Bulla poteſt, quin eam accipiat, ut præcipitur in illa; ſed nulli datur abſque eleemoſynæ erogatione, ut aliunde conferri aſſignatam in ipſa Bulla jubetur, ſine perſonarum exceptione: igitur. Inſuperque nullibi conſtat de monitione Pontificum ab Henriquez allata, conſequenterque nullum eſt pro tali opinione fundamentum. Nec dicas Regem Hiſpaniæ frui poſſe Bulla ut particularem Perſonam abſque elargitione eleemoſynæ: ergo pariter potiori ratione idem ſentiendum eſt de veris pauperibus; nam certum eſt; eo quia quamvis Rex conſideretur ut talis, & ut Perſona particularis: eleemoſynæque ipſi ut Regi conferantur, tamen, cum ipſe in foro judiciali rationem non ſit redditurus de acceptis, uti tutor, ſimul creditor ſui Pupilli, ſuperfluum omnino foret: adeoque antecedenti conceſſo, negataque conſeq. reſpondetur diſparem eſſe rationem: quia Bulla eſt conceſſa in favorem Hiſpanici Regis, pro contra infideles belli ſubſidio; ſicque nil mirum de exemptione ejus; cum alias ejus incluſio in obligatione eleemoſynæ ſolvendæ, foret certe imprudentiale velle Pontificis, ut patet ex dictis.

118 Pauperes tamen impoſſibilitatem moralem ſolvendi eleemoſynæ taxam habentes, indulgentias conceſſas extra Bullam ſuſpenſas a Commiſſario Gen. Cruc. lucrifaciunt, abſque Bulla. Ita tenent docti recentiores, pro hacque Sententia adduci poſſunt AA. tenentes poſſe lucrari indulgentias conceſſas ſub obligatione erogandi aliquas eleemoſynas, adhibitis autem vice harum, aliis piis operibus, in quæ ſunt illæ commutatæ, ut Sanctarell. de jubilæo extraord. *cap* 7. *dub.* 1. ver. il confeſſore. Alphonſus de Leone de Poteſt. Confeſ. temp. jubil. *quæſt.* 10. *ſec.* 6. *quæſt.* 7. Lavorius. Adhucque magis, ſentientes lucrifieri ab illis, abſque alterius pii operis erogatione, ut Henriquez, Felinus, Fernandez, Graff. Fauſtus Navarr. in Diana citati *tom.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 31. ut probabilem tenente hanc ſententiam; eſtque ratio: quia alias eſſent pejoris conditionis, ac extra dominia Catholici Regis commorantes; conſequenterque ita de mente Pontificum, & commiſſarii præſumi debet: contrarium enim non eſt conforme Chriſtianæ pietati; itaque frequens publicatio indulgentiarum, & jubileorum, cum conditione Bullam habendi, unice operatur, reſpectu eorum, qui commode accipere valentes, non eam ſumunt.

119 Præmittendum eſt *Primo*, quod dato, quod ad validitatem conceſſionis hujus Bullæ in qua indulgentiæ copioſiſſimæ continentur, ut dictum eſt *n.* 14. præſentis diſt. requiratur juſta cauſa ex parte concedentis, ut habetur *tom.* 1. *tract.* 12. *diſt.* 3. *quæſt.* 3. quia Papa non eſt Dominus, ſed diſpenſator, ut tenet Paul. 1. Corinth. 4. cauſa hæc debet eſſe proportionata liberalitati indulgentiarum, aliarumque gratiarum conceſſarum; quanto enim largior eſt gratia oblata, tanto majorem adeſſe piam cauſam, opus eſt, tenent communiter Theologi, & Canoniſtæ; quia diſpenſator debet eſſe Fidelis. *Secundo*, quod cauſa pia non eſt ſola utilitas Perſonæ, cui gratia conceditur; ſed honor Dei, & Sanctorum, utilitas ſpiritualis, aut corporalis Eccleſiæ, propagatio fidei, promotio cultus divini, Hoſtium Eccleſiæ ſubactio, vel converſio, devota Eccleſiæ viſitatio, major reverentia S. Sedis, Sacramentorum frequentatio, &c. *Tertio*, quod eleemoſynæ taxæ erogatio, etiam eſt cauſa pia, quatenus deſervit, ſeu ordinatur ad Eccleſiæ commodum, per Infidelium ruinam. His præhabitis, patet, non eſſe mirandum, duobus drachmis, tot indulgentias, gratiaſque conſequi; præterquam quod, quamvis parva ſit eleemoſyna uniuſcujuſque Bullam accipientis; tamen aliis juncta, ſummam facit conſiderabilem, hæcque eſt cauſa finalis, movens Pontificem, ad conceſſionem tot gratiarum, qua ſumma conatur Catholicus Rex, Infidelium evellere genus, ad pacem Eccleſiæ perfectam adipiſcendam.

120 Nec eſt ſimonia, elargitio eleemoſinæ ſignata pro Bulla; quia non datur temporale pro ſpirituali, in quo ſtat, quæ de jure divino dicitur, ſed temporale ordinatum ad ſpirituale, pro ſpirituali; quod eſt dare ſpirituale pro ſpirituali; medium enim ut tale naturam finis ſortitur, cujus eſt medium; cumque aliunde, quæ de jure humano dicitur, ab eo qui eſt ſupra jus, qualis eſt Summus Pontifex concedens hanc Bullam, nequeat incurri; hinc ſatis liquet ablatam eſſe hanc malitiam, conſequenterque omnino immunem a labe ſimoniæ eſſe talem eleemoſynæ elargitionem. Dein dici poteſt, dari dictam eleemoſynam, non ut ſolutionem, ſed per modum eleemoſynæ, uti in Miſſæ Sacrificio, aliiſque actionibus ſpiritualibus.

121 Hanc eleemoſynam debere fieri ex bonis a Deo collatis, ad validam acceptionem, certum eſt: quia ita exigit Bulla. Hoc eſt bonis propriis ipſius accipientis Bullam, ſeu ſuper quibus habet dominium. Nititur hæc voluntas Pontificum expreſſa in Bulla, in hoc, quod velint unumquemque accipientem Bullam, gaudentemve tot gratiis, concurrere per aliquem influxum ſaltem moralem ad ruinam Infidelium, quem non præberent, ſi ex bonis propriis non conferrent eleemoſynam adeoque talis hæc exigitur, ad ejus utilem receptionem.

122 Hinc acceptam ex bonis furatis communiter tenent AA. non valere, ut in Diana *tract. de Bull. cruc. reſol.* 12. *pag.* 72. Trull. Lodovic. a Cruc. Acoſta, Nugnus, Vega, Rodriguez, & alii, ſuprapoſito innixi fundamento; quia non ſunt bona a Deo collata, a quibus non eſt recedendum, *ſi ita eſt.* dico, *ſi ita eſt*; hoc eſt, ſi non ſunt bona a Deo collata; nam ſi Fur miſcuerit pecunias furatas cum propriis, Bullæ acceptio ex illis utilis erit; eo quod fiet ex bonis a Deo collatis; quia per mixtionem acquiſivit dominium furatæ pecuniæ, ut *n.* 123. oſtendetur.

123 Licet ergo non miscuerit Fur pecuniam furatam cum propria, Bullam ipsa acceptam prodesse, dummodo habuerit aliunde unde solvat, tenet P. Bardi *in explic. Bull. Cruc. part.* 2. *tract.* 1. *cap.* 1. *sect.* 3. *n.* 18. dans ibi rationem: quia cum pecunia sit de illorum bonorum genere, quæ in ordine ad restitutionem non sunt determinata, ut triticum, oleum, vinum, &c. sed solum in specie perinde est, restituere eandem, vel diversam numero pecuniam, ejusdem tamen valoris: sicque æquivalenter perinde est furata vel propria solvere pecunia, & ita solvet ex bonis furatis ille Fur materialiter: ex propriis tamen formaliter, vel æquivalenter. Ast contrarium dici debere mihi probat sequens syllogismus: Eleemosyna eroganda pro acceptione Bullæ, debet esse necessario ex bonis a Deo collatis, hoc est sub dominio vero formali, & reali accipientis; sed conferens eleemosynam ex pecuniis furatis, cum propriis non permixtis, non solvit ex bonis, super quibus habeat dominium verum formale, & reale: ergo non solvit ex bonis a Deo collatis; itaque inutilis est ejus acceptio Bullæ. Probatur minor; *ex leg. Si alicui. ff. de solutionibus: Si alieni nummi inscio, vel invito Domino, soluti sunt, manent ejus, cujus fuerant* (*hoc est ante mixtionem*) *sed si mixti aliis sunt, ita ut discerni non possint, ejus fieri qui accepit; in libris Cassii scriptum est.* (refertur *in* 1. *tom. tract.* 7. *disp.* 5. *quæst.* 3. *n.* 29.) ergo pecuniæ furatæ, cum propriis non permixtæ, manent Domini cujus erant antequam acciperentur: cumque tantum unum habeant, ut supponitur, Dominum; furis non erunt: igitur non solvet Fur ille ex bonis a Deo collatis; consequenterque non proderit Bulla tali pecunia accepta. Præterea idem foret dicendum de Fure alia carente pecunia, tamen debitorum creditore, quod certe nefas est. Demum: ex eo quod idem sit restituere eandem furatam, aliamve, ejusdem tamen valoris, pecuniam; quod est dicere, eodemmet valore pecuniæ Dominum fieri contentum, infert dictus Pater Bardi solvere ex bonis a Deo collatis Furem, præstantem eleemosynam pecunia furata: sed pessimam esse illationem ostenditur: nam idem certe est, furem restituere Domino ipsummet triticum surreptum, ac aliud tantum numero distinctum: ergo triticum furatum transiit in Dominium Furis, si aliud ejusdem speciei, & bonitatis habeat? mala quidem illatio: igitur. Idem sentio adhuc quod Fur habeat intentionem restituendi. Si tamen ex pecuniis furatis, super quibus non habet dominium, solvat, cogitans ex propriis, quæ habet, solvere, valebit ei Bulla ex præsumpta Pontificis voluntate, non tam stricte accipi volentis dictam clausulam *ex bonis a Deo collatis.*

124 Objicies contra *Idem sentio*, *&c.* Pecunia furis ablata cum intentione illam restituendi videtur esse sub dominio Furis; eo quod apparet eam accepisse vi mutui saltim virtualis pecuniæ dominium transferentis: ergo prodest Bulla illa accepta. Respondeo. Non dari ibi contractum mutui; quia deficit mutua obligatio, quæ de mutui essentia est; cum ibi ex parte Domini pecuniæ nullus detur consensus ad mutuum præstandum; quod si prudenter judicaret Fur sibi facile mutuo præbendam esse pecuniam Bullæ accipiendæ causa; capta utiliter acciperet; quia foret in eo tunc virtuale mutuum, vel implicitus mutuandi consensus.

125 Si dicta clausula, nempe: *ex bonis a Deo collatis*, non poneretur in Bulla adhuc eleemosyna ex bonis furatis collata foret utilis acceptio Bullæ. Ita Bardi, Ludovicus a Cruce, & alii.

126 Objic. *ex cap. non est putanda*, ubi dicitur: *Male accipiens, ut bene dispenset potius gravari, quam juvari:* ergo sive stet, sive non dicta clausula in Bulla, ipsa accepta pecuniis furatis inutilis erit. Respond. quod mens Pontificis in dicto *cap.* est nobis significare, quod eleemosyna ex bonis simoniace acceptis, restitutionique obnoxiis, non est existimanda eleemosyna, quia potius simoniacus distrahens illa bona gravabitur, quam juvabitur: cum adhuc ob finem optimum nequeant patrari mala, Apostolo teste; adque hoc *textus cit. canon. juris.* gravatur quidem, qui furatur pecunias ad accipiendam Bullam, sed quid obest, ut postquam furatus, gravatusque fuerit, eleemosynamque dederit pro Bulla, non gaudeat privilegiis ejus, non stante dicta clausula? Certe nil. Licet enim gravetur, aut peccet, adhuc bene illa dispensando, eo quod alienet pecuniam non suam, utiliter tamen Bulla acciperetur; quia Pontifex de licitudine non curaret uti nunc, quæ valde diversa est a validitate: *arg. c. ad Apostolicam de Regularibus.*

127 Valet Bulla ex bonis turpiter acquisitis; juste tamen possessis. Qualia sunt bona meretricum; concurrentium ad furtum; ut muto, non obstanti non manifestanti præstita; quæ licet ante patratum delictum retineri non possint, eo quod ad illicitum excitant, bene tamen post, quamvis illicito labore acquisita; usurariorum pecunias ex usuris acquisitis habentium cum propriis permixtis; nam si solum fœneratitias habent, ipsisque Bullam accipiunt dictum est *n.* 121. non valere eis Bullam, quia illarum non habent dominium: actio enim usuraria dominium non transfert, &c. ita commune DD. ratio est, quia quamvis prave acquisita, sunt bona a Deo collata, sub proprio dominio habentium, ut etiam docet commune DD.

128 Objic. *ex Deuteron. cap.* 23. *Non offeres mercedem prostibuli in domo Domini Dei tui*, *&c.* ergo ex tali lucro non est apta eleemosyna pro Bulla collata. Respond. hanc prohibitionem esse juris positivi, quod in lege Evangelii cessavit; adeoque licet peccent lucrifacientes pecuniam turpi quæstu; tamen ejus dominium acquirunt; ita ut meretrices præcipue habeant jus illam petendi in foro externo; ut colligitur *ex l. Item. si ob stupr. ff. de condit. ob turpem causam;* ubi dicitur *acquirere dominium de his pecuniis.*

129 CONCL. I. Utilis est acceptio Bullæ credita pecunia. Ita communiter AA. Ratio est; quia eleemosyna virtualiter datur: dubium tamen exagitari potest; an si is, qui taliter Bullam accepit non præstiterit eleemosynam tempore præfixo, fruatur Bulla. Affirmative respondet P. Bardi; sed rationem non assignat: colligitur tamen nostra responsio ex danda ad immediatum quæsitum nempe: si præ nimia paupertate nec solvat signato tempore, nec unde solvere queat, spem habeat, ei prodesse: est ratio: quia licet ille talis nusquam præstet eleemosynam, tamen depositarius, vel distributor solvit pro illo; iste enim obligatus est ad solvendum singulas Bullas expeditas; qua de causa in hoc caute procedit, ne ipse gravetur: tenetur tamen depositario eleemosynam pro se præstitam erogare.

130 Utilis est insuper huic Bulla, adhuc, quod non habeat intentionem solvendi, quidquid dicat Bardi Ludovic. a Cruc. & alii: Est ratio: quia non est iste pejoris conditionis, quam accipiens eam in peccato mortali; sed hic ea fruitur: ergo & iste. Major liquet: quia iste talis habet Bullam acceptam eleemosyna, ex bonis a Deo collatis, ut suppono, præstita nomine suo; si ergo peccatum unice superest, nec obest aliis cum ipso accipientibus, pariterque nec, credita pecunia, absque intentione solvendi accipienti. Dein, utilis est Bulla Furi Bullam accipienti ex pecuniis furatis cum propriis mixtis: ut dictum est *n.* 122. quin ei obsit jus quod habet Dominus pecuniæ furatæ, ut ei ablata pecunia reddatur; hocque, quia pecunia illa est sub dominio Furis; ergo cum depositor videatur mutuasse pecuniam, pro Bulla ea, accipienti credita pecunia, procul dubio solvit is ex pecunia, quæ est sub dominio ejus, vi illius virtualis, ac clari mutui; nec debet ei obesse jus, quod habet depositor ad recuperandam ab eo pecuniam pro Bullæ acceptione præstitam.

131 Valet præterea Bulla capta ab eo, qui præstitit eleemosynam taxatam; cogitans tamen esse duplo majorem taxam, quam collata a se sit, sicque credens

credens se furatum fuisse illud duplum a depositario, quem revera non decepit, eo quod falso putabat: est ratio, quia præstitit integram eleemosynam, quæ est conditio a Pontifice expostulata, minime vero voluntas eam adimplendi, ut censet Cardinalis de Lugo: patet hoc in impletione præceptorum, quæ in communissima opinione fiunt satis stante prava voluntate non ea implendi, dummodo subsistat faciendi opera præcepta; quæ ultima voluntas revera excludit, seu non compatitur cum altera prava.

132 Mutata igitur fuerit, vel non prava illa intentio, vel mala voluntas, privilegiis Bullæ gaudebit, taliter eam accipiens; quia ad validitatem ejus nil obest.

133 Non tamen prodest accipienti eam minori, vel taxata eleemosyna, ab eo, qui a Commissario, vel Distributore plures furatus fuerit; quantumvis capiatur bona fide. Est ratio: quia conditio postulata a Pontifice, nempe erogatio eleemosynæ in subsidium belli contra Infideles non ponitur; quæ omnimodis necessaria ad Bullæ indulto fruendum; consequenterque adhuc bona fide stante; cum eleemosyna illa non conferatur in belli subsidium, ob culpam ipsius accipientis; ob culpam accipientis dico: nam si foret ob Commissarii, aut Ministrorum ejus, juvaret bona fides: quia non ita presse exposcitur a Pontifice: alias sequeretur, ut multoties inculpabiliter Bullam accipientes, præstita eleemosyna, privilegiis ejus non fruerentur, e. g. quoties Ministri, Commissarii, furarentur eas, vel quomodocumque amitterent. Quod de mente Pontificis non est præsumendum, tamquam irrationabile: cum hoc non sit in potestate Bullas accipientium.

134 Objicies I. Hoc inconveniens ultimate propositum sequitur ex data resolutione: nam posset quis tempore publicationis Bullæ erronee haberi ut Bullarum Distributor, qui revera foret Fur; sed in eo tunc nec esset culpa ex parte Commissarii, nec Ministrorum ejus; neque aliunde Bullas accipientium, ut ex se liquet: ergo necesse est dicere erogationem eleemosynæ bona fide præstitam valere pro utili Bullæ acceptione. Respond. in hoc casu, esse culpam ex parte Commissarii non providentis tempore debito de Distributore; sicque a Distributore Fure acceptam valere, quin ruat nostra resolutio: tamen si forent duo, vel plures Distributores, quorum unus Fur foret, si dubio stante quisnam Fur sit, aut verus, Bulla accipiatur, non prodesse censeo: quia culpa se tenet ex parte accipientis, certiorari enim debebat de vero Distributore ante acceptionem; quod si omnes veri habeantur, a quo velit accipiat, proderitque Bulla: Commissarii enim erit culpa. Casus isti non facile eveniunt, forsque hac de causa ab AA. non tractantur.

135 Objicies II. Quamvis Hispaniæ Rex eleemosynas non expendat in bello contra Infideles, lucrifaciunt indulgentias, aliisque Bullæ privilegiis fruuntur accipientes Bullas: ergo nil refert quod eleemosyna conferatur, vel non, in subsidium belli, ut Bullam accipiens gaudeat ea. Respond. concedo antecedens, & nego consequent. Ratio est: quia ibi stat finis proximus Pontificis, nempe dare subsidium Regi, pro expeditione contra Infideles; seu posse fieri Catholicum Regem potentiorem ad hunc effectum, taliter quod, quamvis Rex gratis Bullas conferret, adhuc accipientibus ita, prodessent: & adhuc conscio hujus facti Pontifice; vel quod in usus prophanos, vel pios, vel ad libitum aliter, ac contra expeditionem contra Turcas, seu Infideles utatur eleemosynis, non concessisset eam; tamen ex hoc non infertur applicationem eleemosynarum pro tali expeditione esse conditionem postulatam a Pontifice; alias omnes concessiones forent conditionales, nullaque absoluta: quia in omnibus invenitur hæc volitio si scivissem hoc, vel illud, noluissem, non concessissem: Similiter in commerciis humanis nil firmum, & ratum reperiretur, quia semper occurret aliqua circumstantia non præsens tempore contractus, sub qua unus contrahens asseveraret non contraxisse, vel quod contracturus non fuisset: restat ergo ut sit absoluta concessio Pontificis, & non sub conditione, quod erogetur eleemosyna pro expeditione contra Infideles; de materiali, seu accidentaliter in ordine ad utilitatem Bullam accipientium, qui in subsidium belli eleemosynam erogaverint, se habente pro ipsa expeditione, actuali applicatione, quam ut finem ultimatum intendit Pontifex; essente hujus proximo fine; non quod Rex actu fiat ad bellum potentior adhuc; sed quod vi eleemosynarum fieri possit. Accedit, quod sicut male fieri posset Rex potentior ad sacram expeditionem, si non præberentur eleemosynæ; ita nec valde prudenter intenderetur a Pontifice, si non præciperetur eleemosynæ erogatio in belli subsidium ut conditio: unde, &c.

136 Quantitas eleemosynæ elargiendæ in Bullæ receptione, non est omnibus una, & eadem; sed pro Personarum qualitate a Commissario Gen. Cruc. taxata est, cui inter alias facultates hæc communicata est a Summo Pontifice; Pro primæ ergo classis Personis taxata est eleemosyna octo realium argenteorum, duodecim drachmorum, aut viginti, nempe quatuor solidorum in Gotholaunica moneta: nec obest, quod taxa signata a Commissario sonet majorem, quam hic solvatur, quia sic consuetudine interpretatum est. Sunt igitur illæ, Cardinales, Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, Inquisitores contra hæreticam pravitatem, Dignitates Cathedralium, aliique citati a Commissario in sua instructione hujus ordinis videndi in Alphonso Perez de Lara *in lib. trium gratiarum pag.* 220. in Trull. *de expositione Bull. lib.* 1. §. 3. *dub.* 1. *pag.* 74. Bardi *in explic. Cruc. part.* 2. *tract.* 1. *cap.* 1. *sect.* 2. *pag.* 150. & *aliis*. Pro reliquis est taxa trium drachmorum, nempe sex solidorum in nostra moneta.

127 Pro Indis tamen, & Hispanis ibi commorantibus est alia taxa, quam videre poteris in cit. Alphonso *lib. cit. fol.* 253. & 254. ut refert Ægidius Trull. *in sua expos. Bull. loc. ultimate cit. pag.* 74. & 75.

138 CONCL. II. Pluralitas dominiorum, in eadem Persona non parit multiplicitatem obligationum, astringentium eam ad pluralitatem eleemosynarum pro unica Bulla tribuendarum. Hæc veritas firmatur, cum ostenditur alia, nempe ordinatum in sacris, simulque Religiosum, aut Beneficium obtinentem, non teneri plura recitare Officia Divina: quia in eadem Persona multiplicitas titulorum, non arguit multiplicitatem obligationum, quamvis unusquisque divisim obliget, aut Personam adstringat: similiter Princeps simul Marchio, & Comes, ad unam tenetur majorem eleemosynam, quamvis ad eam triplici adstringatur titulo. Ex hoc infertur sequens.

139 CONCL. III. Quando duo sunt Domini ejusdem oppidi invisibiliter, solvenda est ab iis taxa major pro rata. Est ratio insinuata: quia uni titulo una respondet taxa major: cum ergo ibi unus tantum titulus appareat, quia integrum non est dominium respectu utriusque, sed dimidiatum; conforme est rationi, quod si unusquisque est tantum Dominus ex parte, ex parte tantum solvat, taliter ut sufficiat unicuique taxam ordinariam præstare, si plures forent Domini. Ita Trull. *loc. cit. sup. num.* 13. *fol.* 77. dicta firmans, dicens: Dominum pro parte absolute non esse Dominum, nec talem appellatione venire juxta Jurisperitos.

140 Objic. ex hoc sequeretur casus, in quo Titulares partiales minorem ordinariam taxam præstantes Bulla fruerentur: utpote si plures forent unius oppidi Domini titulum habentes super eo; sed hoc non videtur rationi consonum: ergo dicendum est unumquemque octo realibus argenteis astringi. Respond. unumquemque solvere debere taxam ordinariam, quæ licet excedat eleemosynam majorem, quæ ab omnibus conjunctim fieri deberet; hoc erit ratione taxæ communis, ad quam tenentur omnes Bullam accipientes; non vero ratione dominii. Nota tamen, quod in præsenti casu, nempe cum dominium est indivisum, unus-

unuſquiſque Dominus ad integram majorem eleemoſynam adſtringitur, ſi con Domini non ſolverint reſpectivam partem: non vero ita, ſi dominium fuerit diviſum: patet utriuſque caſus diſparitas: quia in primo obligatio eſt in ſolidum, quæ æqualiter ad totam eleemoſynam omnes adſtringit; aſt eam ſolvens jus habet eam repetendi partem reſpectivam ab aliis. In ſecundo autem: quia obligatio eſt diviſa.

241 Viduæ relictæ a Dominis Vaſſallorum non tenentur ad majorem etiam taxam in Bullæ acceptione. Eſt ratio: quia Commiſſarius Generalis ſolum eas, ad illam adſtringit nuptas Ait enim: *viviendo ſus Maridos.* Igitur ſignum evidens eſt, nolle eas Viduas obligare, ad dictam majorem taxam; aſt ſi Dominæ uſufructuariæ manſerint, ad illam eas ligat: quia habent qualitatem obnoxiam tali eleemoſynæ, ſunt enim Dominæ Vaſſallorum; quæ illa, majori taxa ab ipſo Commiſſario onerata eſt. Ita Bardi, & Trull.

142 Harum autem Filii primogeniti, propriis bonis non utentes ad taxam majorem non tenentur. Quia quamvis ſint Domini proprietarii, ſolum habent bona a Matribus collata, eo quod uſufructuarii non ſunt, in qua ultima cauſa nititur Trull. *lib.* 1. §. 3. *dub.* 1. *num.* 12. & Diana ejus recitans verba *tom.* 4. *tract.* 3. *de Bulla Cruc. reſol.* 4. *n.* 2. mihi tamen unice firmior ratio eſt hujuſcemodi praxis.

143 Uxores Titulares ratione dotis, non adminiſtrantes bona, ad taxam Superiorem obligantur; quamvis contrarium teneat Henriquez *lib.* 7. *cap.* 20. *num.* 3. *in Comment. lit.* Z. eſt pro Nobis ratio: quia eſt uxor Mariti, ad dictam aſtricti taxam; ad quam teneretur undecumque ei veniret talis adminiſtratio; quod ſufficit: Commiſſarius enim ait, uxores eorum, qui majorem ſolvunt taxam, ad eam pariter teneri.

144 Marchioniſſæ, Comitiſſæ non nuptæ ad majorem etiam adſtringuntur: quia titulus eſt obnoxius tali taxæ, adhuc fœminei ſexus; quamvis Rodriguez aſſerat contrarium, dicens, ad talem taxam obligatas Perſonas ſemper maſculino genere deſignari; ſed hæc ratio eſt nullius ponderis; quia ſub maſculino genere fœminæum contineri ſtatuitur *in l. Qui duos. ff. de legat.* 8. *& l. Inter ſtuprum ff. de verb. ſignif.* probatque Barboſa *de appellat. verb. appell.* 49. *n.* 49. ita intelligi debere, quando non apponitur nomen ſignificans ſolum maſculos ut *vir, maſculus.* Dein adhuc in diſpoſitionibus odioſis fœmineum ſub maſculino venire docent Tiraquel. *in retract. part.* 1. *gloſ.* 9. *n.* 221. Decius *in regula fœminæ num.* 110. *ff. de Reg. jur.* aliique citati a Merolla *tom.* 1. *diſp.* 1. *cap.* 2. *n.* 536. *ver.* (denique addendum) Demum eſt praxis, ut ſolvant octo reales argenteos.

145 Supradicti omnes ad Superiorem taxam adſtricti in primæ Bullæ acceptione, ad eam tenentur ſi ſecundam capiant. Ita Bardi, & Trull. Eſt ratio: quia adſunt omnia motiva, quibus Commiſſarius ductus fuit ad eos obligandum ad taxam majorem, neque aliunde apparet unde contrarium de ipſius mente præſumi poſſit, ut putat Henriq. *loc. cit. ſup.* adverſario favens ſentire.

146 Poſt acceptionem Bullæ taxæ ordinariæ, ad titulum, ſeu dignitatem evectus, majori obnoxiam, non tenetur majoris aliam accipere intra annum; ſed prima, privilegiis Bullæ frui valebit. Eſt ratio: quia acceptio Bullæ eſt per modum contractus oneroſi, quo quis ſtipe ſoluta acquirit ſibi gaudium privilegiorum ejus per integrum annum, non prohibente lege: dixi non prohibente lege: quia ſi quis ad Sacerdotium ſit evectus aliam tenebitur Bullam accipere lacticiniorum nempe, ut eis veſci poſſit; eo quod tali ſtatui, Presbyteris ſcilicet, denegatum eſt hoc privilegium in Bulla communi; conſequenterque in nihilo præjudicantur, cum ad lacticiniorum Bullam accipiendam obligantur, ſine qua, non Sacerdotes ova, & lacticinia vi primæ edere poſſent. Aſt hoc præjudicium alteris ab his inferretur, quia non tranſeunt ad ſtatum cui negatum ſit aliquod privilegium, ita ut alia indigeant Bulla, ad illo fruendum; mutata enim qualitate Perſonæ, non debet mutari qualitas originalis, & primordialis, quæ erat tempore contractus, ut colligitur *ex l. Pomponius* 2. *de negot. geſt.* & ibi Bartol. Bald. Angel. & alii. Accedit, quod taxa major pro iis, qui in ſtatu ei obnoxio reperiuntur, cum Bullam accipiunt, impoſita eſt.

147 Titulares ſolo nomine, ut titulos capientes ſuper cognomina, vel loca, Vaſſallis actu, habituque carentes, non tenentur majorem eleemoſynam erogare. Eſt ratio: quia in inſtructione Commiſſarii hi deſignantur per hoc; quod eſt habere Vaſſallos, ut ubi dicitur: *y Sennores de Vaſſallos.* Præterea; quia non ſunt veri Titulares, ſed improprie tantum; qualitas autem majori eleemoſynæ obnoxia aſſignata a Commiſſario in ſenſu proprio explicari debet: ut dicitur *in l. Non aliter ff. de legat.* 3. non eſſe recedendum a ſignificatione verborum. Aliundeque patet; quia aliorum nomina proprie accipiuntur, ut Epiſcoporum, Abbatum, &c, *vide ſup.* his P. Bardi *part.* 1. *tract.* 1. *cap.* 1. *ſect.* 5. nec tibi pigebit. Optime inferes ex his Patrem Titularem, qui renuntiavit Hæredi ſuo oppidum cum dominio, ſibi unice titulum retinentem, non majori ligari jam eleemoſyna pro Bulla accipienda; bene tamen Hæres ejus: quia Dominus Vaſſallorum.

148 Qui de feudo cum titulo a Rege inveſtiti ſunt ad octo realia argentea tenentur: quia vere, ac proprie Titulares ſunt, nonque merum titulum, ſed feudum, quo inveſtiuntur habent; quantumviſque Vaſſallis, & juriſdictione actu careant; nihilominus habitu dicuntur illos habere; uti Epiſcopi, qui ſolum loco, Curæ nempe, & adminiſtrationi Eccleſiæ renuntiarunt, minime autem dignitati, vere, & proprie Epiſcopi dicuntur, quamvis actu juriſdictione careant; ſimiliter Eccleſia curata talis nomen retinet, licet actu non ſit talis; etiamque Cathedralis actu Clero carens teſte Gratian. *cap.* 291. *num.* 39. 47. 50. *& ſeq.* Proinde ſi quis in feudo delinqueret, Dominus in illum exercere poſſet juriſdictionem; ex quo pateſit, quod ſi antea Dominus non eam exercebat, non erat, quia non eam haberet, ſed quia Populis, aut Vaſſallis carebat, habitualem retinens actu juriſdictionem circa futuros.

149 Non tamen ita ſentiendum eſt de Baronibus, qui aliquo feudo inveſtiti ſunt, in quo juriſdictionem exercent, Vaſſallis carentes. Eſt ratio: quia in inſtructione Commiſſarii ſolum comprehenduntur Barones vaſſallos habentes, nullaque fit mentio de aliis Baronibus. De marchionibus, comitibus vero, &c. facta eſt mentio, præſcindendo ab eo, quod habeant actu vaſſallos, & ſolum quatenus ſunt veri marchiones, &c. nonque cum nudo titulo. Differentia inter iſtos eſt voluntas commiſſarii, qui forſitan ita diſpoſuit, ut defectus vaſſallorum in his adjuvaretur Superioritate Excellentiæ; hujuſque defectus in illis actualibus vaſſallis ſuppleretur; ut ſic ſuperiori taxa utrique includerentur.

QUÆSTIO VI.

De Duratione Bullæ.

SUMMARIUM.

150 *Publicatio Bullæ ſtat in proceſſione.*
151 *Multipliciter numerari poteſt annus Bullæ.*
152 *Durationis tamen ejus eccleſiaſticus eſt.*
153 *Metiri debet a die publicationis factæ in loco in quo eſt accepta. cum obj. & ſolut.*
154 *Illatio rigida P. Bardi rejicitur.*
155 *Cauſæ inceptæ tempore Bullæ, poſt ipſius annum, vi ejus finiri poſſunt.*
156 *Prodeſt Bulla ſpirata, adhuc malitioſe differenti confeſſionem.*
157 *Obj. Jubilæi ſolvitur.*
158 *Etſi moriatur Confeſſor electus vi ejus.*
159 *Spirata, pro aliis privilegiis non prodeſt: quia nequeunt eſſe cauſæ ſolum inceptæ ante ejus lapſum.*

160 *Per nullum jubilæum revocatur Bulla.*
161 *Nec per Bullam Cœnæ.*
162 *Notabilia multa.*
163 *Obj. cum sol. aliisque notabilibus pro hac con.*
164 *Per mortem Pontificis non expirant privilegia Bullæ.*
165 *Diversimodis potest Papa Bullam revocare.*

150 Bulla oritur utiliter, quando publicatur, seu promulgatur, quæ promulgatio fit per solemnem, & publicam processionem; estque publica ipsius acceptatio, ut tenet Trull. *lib.* 1. §. 1. *dub.* 10. *num.* 2. non ergo stat illa in concione facta ordine commissarii: ante hanc enim jam distribuuntur Bullæ, utiliterque acceptantur. Nec sufficit publicatio in metropoli facta; sed requiritur in ipso loco quantumvis parvo, ut habetur expresse in Bulla; *a die publicationis in singulis prædictis facienda.* Ita communiter AA. quin adhuc leviter hos premat quæcumque objectio de promulgatione legum: eo quod sit quoad Bullam expressa Voluntas Pontificis: Dein: quia nec difficultatis umbram parit quævis talis speciei objectio.

151 Eam durare per integrum annum omnium indubitatum est: quia in ea clare dicitur. Quisnam autem sit annus iste, dubitatur. Ante igitur assertionem conclusionis stabiliendæ: posthabita anni divisione pro præsentibus, a Tosca Valentino optime adducta in suo philosophico cursu *tom.* 3. *tract.* 5. de cœlo, & mundo *lib.* 3. *cap.* 2. *propositione* 33. *pag.* 543. in Solarem, Lunarem, & Luni Solarem. Communiter truncatur in naturalem, (idem ac solarem.) & Ecclesiasticum. Primus dicitur spatium consumptum a solari corpore in revolutione Spheræ tre-centorum sexaginta quinque dierum supra sex horis. Secundus vero est duratio unius termini, utpote promulgationis, in alium, seu promulgationem. Addi etiam potest annus mixtus, quo numeratur Bullæ tempus a promulgatione, in aliam; quando hæc alia fit post annum naturalem lapsum a die promulgationis; & ab illa usque ad diem complentem annum naturalem, anticipata ad hunc secunda promulgatione. Dato ergo insuper annum computari debere a die promulgationis factæ in principali Ecclesia, si plures sint in loco, in quibus publicatio fit: quia Pontifex ad initiandum dictum Bullæ annum solum exposcit, publicationem ejus in tali loco; quæ si fit per primam, potiorique jure, sufficere tenendum est, quia prima Ecclesia loci est. Nonque a die acceptionis; hoc enim ut ait Ludovic. a Cruc. *lib.* 1. *cap.* 1. *dub.* 14. *num.* 3. est intolerabilis error. Est enim commune Fidelium sentire Bullam acceptam post menses aliquos publicationis nova accedente spirare; tamque inutilem reddi, anno naturali, & ecclesiastico lapso, qualis est accepta ante publicationem, & est pura intentio eam accipiendi. Computare annum Bullæ, anno mixto, tamquam fraudulento, & doloso relegandum est; naturali, ut minus probabile, & secutum rejicitur; ecclesiasticusque amplexatur, adeoque sit

152 CONCL. I. Annus durationis Bullæ ecclesiasticus est, cum certum est, quod publicatio novæ Bullæ fiet. Hæc ultima addo verba: quia si nova publicatio non fiat, non habet locum annus ecclasiasticus; consequenterque in eo tunc naturali computandus est. Ita sentiere D. D. Salmaticenses. Bardi, Villa. Trull. Ludovic. a Cruc. aliique varii diversarum Religionum Theologi, ut refert Henriquez *lib.* 7. *cap.* 20. Ratio conclusionis est: quia quoties Ecclesia præcipit aliquid debere fieri de anno in annum, de anno Ecclesiastico loquitur, ut patet in præceptis confitendi, & communicandi, juxta communem receptam opinionem, & praxim Fidelium, ut dicitur *tom.* 1. *tract.* 10. *d.* 3. *quæst.* 2. *num* 19. Similiter præceptum Ecclesiæ recitandi horas Canonicas, ordinibus sacris insignitis injunctum; non intelligitur de die naturali; sed Ecclesiastico juxta omnes AA. Deinde cum in Trid. dicitur. *sess.* 23. de reformat. *cap.* 15. inter unius ordinis, & alterius susceptionem unum annum esse interponendum, de anno ecclesiastico intelligitur communiter. Accedit praxis Fidelium putantium Bullam durare usque ad aliam publicationem certo, ut dixi, habendam; nonque se extendere post publicationem novæ; quamvis annus naturalis non sit completus: alias eodem tempore quis duplici frui posset Bulla. Si quis autem dubius foret de novæ Bullæ publicatione, adhuc triginta supra quinque diebus supra annum solarem, ipsa frui poterit: tale namque tempus censetur prudenter esse anni ecclesiastici: triginta supra quinque dixi diebus; quia Pascha nequit celebrari ante diem vigesimum secundum Martii, nec ultra quinque supra viginti Aprilis, inclusive, quod spatium triginta quinque dies continet: cum ergo hic cum hac majori, & minori latitudine constituatur annus Ecclesiasticus, ideo dubio stante de nova publicatione, tali dierum spatio Bulla gaudere potest. Ita P. Bardi *part.* 1. *tract.* 2. *cap.* 6. *sect.* 2. §. 5. *num.* 55. *& seqq.* qui ut solet pulchre se liberat a dicteriis P. Mendo dicentis hanc opinionem esse contra omnes AA. tenentes opinionem de anno Ecclesiastico, esse contra communem Fidelium persuasionem, contra mentem Pontificis, & contra rationem.

153 CONCL. II. Annus promulgationis Bullæ debet metiri a die publicationis factæ in loco ubi accepta est. Ratio est: quia Bulla non mensuratur per respectum ad locum ut sic, neque ad accipientes; sed per ordinem ad promulgationem in tali loco factam. Patet ex hoc, quod si quis, accepta Bulla hic Barchinone, in novæ Bullæ publicatione reperiatur in alio loco, ubi Bulla publicetur, postquam annus Ecclesiasticus publicationis Barchinonensis completus est, tempore illo intermedio, quo nova Bulla est publicata Barchinone; & quo adhuc non est publicata tali in loco, in quo reperitur: non fruetur Bulla contra Joannem Sanchez. Et e contra si quis acceperit Bullam in tali loco, posteaque Barchinonem venerit, facta hic nova Bullæ publicatione, nonque suo in loco, Bulla fruetur, usque dum nova illic publicetur. Itaque si primus casus est odiosus, quia onerosus. Secundus est favorabilis, quia proficuus: justum & est, quod incommodum experiatur, qui commodum sentit. Nec objicias Peregrinos frui privilegiis locorum in quibus sunt; uti legibus eorum ligantur; juxta communiorem, & probabiliorem opinionem, ut dicitur *tom.* 1. *tract.* 2. *dist.* 3. *quæst.* 3. *n.* 25. nam hoc est: quia sunt illa privilegia pure localia; Bullæ autem minime, ut patet, & dictum est sup. in hoc *tract. quæst.* 2. *num.* 20.

154 Ex hac tamen conclusione non rigide cum P. Bardi inferas, taliter spirare Bullam post novæ publicationem, ut jam non prosit eis, qui ob difficultatem concurrentium, novam accipere non valuerunt: nam de mente Pontificis præsumendum est tali tempore iis utilem esse Bullam veterem: hancque rationem esse fortiorem, quam a dicto P. allatam, censeo, nempe privilegia spirare lapso tempore durationis. Nam hoc est verum de privilegiis continentibus dispensationes contra jus, pro quibus adhuc multum juvat prudens data præsumptio; non tamen de continentibus dispensationes juxta jus, quæ cum pariter sint aliqua in Bulla, non est ratio, cur his non fruantur, præcipue attenta ejus opinione de interpretatione Bullæ a nobis tradita supra in quæst. prolegom. *n.* 15. aliorum causa. Insecutaque doctrina data *tract.* 13. *dist.* 2. *quæst.* 4. *num.* 65 *& seqq.* saltem privilegiis favorabilibus fruentur. Omnibus tamen gaudere, quia mens Pontificis est, ut non expiret Bulla pro iis, qui eleemosynam singulis annis solent expendere, usque dum novam acceperint, supposita difficultate accipiendi, ut dixi: quia cum non deperdatur ex parte ipsorum habere novam, lubenterque eleemosynam offerant, non est prudenter credibile aliam esse Pontificis voluntatem: cum tam liberalis in concessione hujus diplomatis se præbeat. Accedit, quod dies artificiales in quibus tenentur ordine sacro insigniti divinum officium persolvere semper excedant tempore naturales:

si

si ergo anno Ecclesiastico constat Bulla in sententia communiori, & dicti Patris, qui hac paritate suam munit opinionem, quomodo ad duos, tres, vel quatuor dies post publicationem novæ non erit utilis.

155 CONCL. III. Confessio Sacramentalis incepta, Bulla durante, finiri potest adhuc ea spirata, sive per anni lapsum, aut revocationem: ratio est: quia sic disponitur in Bulla seqq. formalibus: *Item declarant, quod expirante anno omnes prædictæ facultates, gratiæ, & indulta expirent, tantumque poterunt causæ pendentes ad finem perduci.* Accedit, quod jurisdictio delegati a delegante non cessat si causa incepta est, usque dum finiatur: sicque a jure communi confessio Sacramentalis incepta, quæ tunc talis dicitur, quando appositum est aliquod signum, quod est sufficiens materia ad conficiendum Sacramentum; qualia sunt confessionis supplicatio; genuflexio, &c. Bulla spirata media absolutione ad finem perduci poterit.

156 Subsistitque hæc conclusio adhuc pro eo, qui malitiose distulit confessionem in finem anni, sicuti uti potest jubilæo culpabiliter non apponens opera ei injuncta antequam tempus ejus finiatur in aliquorum opinione. Ratio est: quia utrique dum se pœnitent, inveniuntur impotentes eo tempore: Ille absolvendi, qua incapacitate jam præviderat intra annum Bullæ, non posse absolutionem obtinere, differens confessionem ad finem ejus; iste opera in jubilæo præcepta apponendi, ut jejunia, quia non sunt dies jam jubilæi. Fruetur ergo iste jubilæo, eo finito, operibus tamen injunctis positis; & ille absolutionis beneficio, anno Bullæ lapso. Ast si invalidam fecerit Pœnitens confessionem ex defectu culpabili sui, ut ex defectu propositi non habendi iterum in delicta, veri doloris, &c. non poterit uti Bulla, anno ejus elapso: quia cum confessio non fuerit vera, causa non fuit incepta. Similiterque si ex parte Confessarii jurisdictionem non habentis sit confessionis invaliditas; juxta P. Bardi Suarez citantem, reddentem rationem: quia confessio illa non potest dici inchoata, eo quod sacramentalis non sit; sed contrarium ut probabilissimum censeo, & deducitur ex dictis in conclusione 3. & ipsa 4.; quia confessionis petitio non debet amittere rationem causæ inchoatæ ob Confessarii culpam, consequenterque prodesse, uti valet ei postulanti, si nollet Confessarius eum audire, vel moreretur, quo in casu, si annus Bullæ compleretur, ipsa quoad reservata uti posset, alium eligendo Confessarium. Si tamen quis post expirationem Bullæ, confessione valida inchoata, in peccatum reservatum inciderit, vi spiratæ absolvi nequibit: quia de illo peccato non est causa pendens; sicque nec ab aliis, si novam Bullam non accipiat: quia cum absolutio debeat esse de omnibus peccatis, & vi spiratæ nequeat absolvi a noviter commisso, hoc impediet, posse frui Bulla spirata, circa peccata; de quibus est causa pendens.

157 Objicies: a dicto peccato potest quis absolvi vi Jubilæi spirati, quando ante ejus expirationem alia reservata subjecit, quorum absolutio dilata est a prudenti Confessario. In quamplurimorum sententia: ergo pariter. Respond. disparitatem stare in hoc, quod licet in Jubilæo opera præscripta sint tempori præfixo allegata, ut communiter dicitur, & ex ipso diplomate clare constat: quia uni, vel alteri hebdomadæ alligantur; tamen non jus percipiendi fructum eorum: in Bulla autem Cruc. nedum opera; sed & jus ad eorum fructus affixa sunt anno durationis ejus. Hujus differentiæ causa est voluntas Pontificis, forteque est: quia Bulla continuo conceditur; non vero Jubilæum: quia tribus gratiis solum constat, utpote indulgentia plenaria, commutatione votorum, & absolutione a reservatis: At vero Bulla alia varia continet privilegia. Accedit in robur disparitatis, Jubilæum respectu illius ita durare, ac si absolute perseveraret pro omnibus. Bulla vero solum durat pro causis pendentibus; quod est prorogari restrictive, & limitate; adeoque cum de tali delicto non fuerit causa pendens, ad illud non extenditur spirata Bulla.

158 CONCL. IV. Potest Pœnitens alium Confessorem eligere, si electus vi Bullæ moriatur. Est ratio: quia per confessionem inchoatam jus habet utendi Bulla spirata, eo quod causa pendeat; perque accidens se habeat, quod iste, vel ille Confessarius sit: ex quo ultimo patet, quod adhuc non mortuo primo electo, ad libitum relinqui potest, & alius eligi; facultas enim hæc, aliunde, juxta naturam fori Poli, cujus est, intelligi debet; adeoque placens Confessor eligi potest, dum causa non est consummata; ad distinctionem fori Fori, in quo Judex semel electus acquisivit jus per electionem causam complendi.

157 CONCL. V. Cæteris omnibus aliis privilegiis, elapso publicationis anno, frui nemo potest. Est ratio: quia in ordine ad illa nulla est causa inchoata; omnes enim circa quas versari queunt alia privilegia spirant spirante Bulla, quia integræ manent; ita ut nec commutatio votorum inchoari possit Bulla durante, & compleri, ipsa spirata, ut sentit P. Mendo: quia moraliter impossibile est, quod repente non fiat commutatio, sequenti saltem modo: *Commuto tibi, hoc votum in materiam a me postea, vel a Petro* (e.g.) *pio, & docto, &c. assignandam*; quo modo declaratio materiæ commutatæ fiet post spirationem Bullæ, quæ quidem a quocumque prudenti fieri potest; quia non est actus jurisdictionis, sed prudentiæ; itaque votum totaliter fuit jam commutatum tempore Bullæ: quod si commutatio postulata fuit, Confessariusque votum non commutarit Bulla durante, nequibit postea illudmet commutare. Est ratio, quia commutationis petitio non est causæ inchoatio, eo quod nullus actus jurisdictionis per ipsam exercitus sit, sicque nec incepta commutatio: ut firmatur hoc discursu. Præsentatio rescripti Judici de legato facta, ipsi confert jurisdictionem, quin sit jurisdictionis exercitium, ut communiter tenent AA. & habetur in textu *cap. relatum. cap. gratum cap. licet undique de Offic. Judic. deleg.* & manifesta est ratio: quia non est usus jurisdictionis, sed solum præparatio ad jurisdictionem exercendam: igitur multo minus privata illa petitio commutationis acceptata; sed ad majus pura præparatio ad jurisdictionem exercendam, consequenterque ipsa non est commutatio incepta, ipsam in sua integritate relinquens; uti rescriptum post ipsius præsentationem nec incipitur, nec desinit esse integrum, ni exerceatur jurisdictio. Accedit, quod causa incipitur per aliquod essentiale ejus, uti intrinsece est confessio sacramentalis, vel signum aliquod externum deserviens ad quasi materiam talis Sacramenti, commutationis autem petitio, nec quid ullo modo essentiale, nec adhuc, ut conditio indispensabiliter requisita exigitur ad commutationem, ut patet de commutatione facta a Pœnitenti vi Bullæ a Confessario conscio, ipsum esse ligatum aliquo voto absque hujus commutationis expostulatione. Juvat doctrina tradita *tom. 1. tract. 12. d. 4. q. 10. n. 123, & 124.*

160 CONCL. VI. Per nullius Jubilæi concessionem revocantur Bullæ privilegia. Ita Villal. Henriq. Bonac. Salas, Castropalaus aliique complures. Est ratio: quia Gregorius XIII. per Breve Romæ expeditum die 19. Novembris anno 1574. adductum ab Alphonso Perez de Lara *in lib. trium gratiarum pag. 27. n. 15.* declaravit, per Jubilæum non suspendi privilegia Cruc. etiamque, quia Bulla conceditur per modum contractus onerosi singulis Personis, ut sonat Bulla Italica, (e perche voi N. havete dato due reali d'argento) & Hispanica (por quanto vos distes &c.) quo acquirunt jus fruendi privilegiis in Bulla contentis, sicque ad illa revocanda requiritur clausula derogans facultates concessas per modum contractus, ut de his privilegiis tenent Azevedo *lib. recopil. tit. 3. leg 4. num, 42.* Thomaz Sanchez *de matrim. lib. 8. disp 33. n. 8.* nec præsumitur intentio revocandi, non stante dicta clausula, ut docent Cassiodorus *decis. 1. de pactis in fine.* Rollandus a Valle *tom. 3. consil. 23. num. 2.* Puteus *lib. 1 decis. 47. n. 3. & alii.* Hacque ratione fiunt satis objectiones, quæ fieri possunt: quia non est præsumendum Pontifices

velle

velle revocare privilegia, quorum suspensio est in præjudicium tertii. Igitur in extravag. Sixti IV. privilegia Communitatibus concessa, minime vero singularibus Personis revocantur. Præterea referunt Trull. & Ludovic. a Cruc. aliam declarationem Clem. VIII. ostendentis in ea nusquam voluisse suspendere privilegia Bull. Cruc.

161 CONCL. VII. Promulgatio Bullæ Cœnæ, non derogat facultatem absolvendi a reservatis datam a Bulla Cruc. ita Sorbus *in annotat. ad compend. privileg. verb. Cruciata.* Duardus *in Bulla Cœnæ lib.* 3. §. 2. *quæst.* 11. *num.* 41. Fernandez *in examine Theol. Moral. part.* 3. *cap.* 9. *sect.* 11. *n.* 5. Rodriguez, Villal. Acosta. Henriq. Riccius Trull. Diana, Ludovic. a Cruc. Alter. Reg. Fagundez, Sanchez, & alii. Probatur hæc conclusio ratione supra posita; quia in Bulla Cœnæ nulla datur clausula per quam derogentur privilegia concessa per modum contractus onerosi, uti est Cruc. Et hac ratione, refutantur contrariæ objectiones, quia requirunt expressam eorum mentionem, ut intelligantur revocata. Accedit, quod concessiones Principum ad invicem factæ, firmæ, & constantes debeant esse, *juxta cap. fin. de offic. deleg. lib.* 6. cum ergo ad instantiam Catholici Regis, ipsi, & Hispanis concessa sit Bulla, ideo. Præterea non est inscius Pontifex hujus opinionis communiter receptæ, sicut annualis publicationis Bullæ, in qua voluntas ipsius continuatur, eo quod per sexcennium jam a S. Pio V. ann. 1571. continuo concedatur: igitur procul dubio declarasset, & non in re tanti momenti Fideles errantes reliquisset. Demum Sixtus V. ann. 1590 revocans omnia privilegia absolvendi a casibus S. Sedi reservatis tenet: *Nisi casus in Bulla Cœnæ Domini reservati in illis præsentibus litteris exprimantur.* Hique saltem in genere (quod sufficit: quia qualem expressionem Pontifex silentio præteriit) exprimuntur his verbis: *Quamvis sint ex contentis in Bulla Cœnæ Domini, &c.* Tamen a casibus occultis S. Sedi reservatis, vi ejus nequit absolvi toties quoties; nec usquam ab hæresi occulta. Est ratio: quia primi casus sunt ita papales, uti in Bulla Cœnæ auferatur potestas absolvendi a quocumque, Pontifici inferiore, taliter ut Sixtus V. Gregor. XIII. & Clem. VIII. quasi expresse revocarint facultatem concessam Episcopis a Trid. *Sess.* 24. *cap.* 6. *de reform.* absolvendi nempe a dictis delictis, adhuc per suos Vicarios, & ab hæresi occulta solum per se, dicentes, (conscii nullum aliud Concilium talem facultatem eis tribuere) ab iis casibus nullum Patriarcham, Primatem, Archiepiscopum, Episcopum, &c. posse absolvere, etiam cujusvis facultatis per quodlibet decretum cujuslibet Concilii, in genere, vel in specie concessum. Et secundus sat comprehensus venit, cum excipitur in Bulla. Accedit quod ita est praxis Curiæ Romanæ. Et pro Hispania plura extant decreta quibus S. Inquisitionis Tribunali reservata est. Vide dicta *tom.* 1. *tract.* 12. Præterea non posse Episcopos de jure communi absolvere ab hæresi dicitur *tom.* 1. *tract.* 4. *d.* 4. *q.* 3. *num.* 29 Et *n.* 30. propositionem illam damnatam ab Alexan. VII. ord. 3. *Sententia asserens, &c.* ibi relatam, reprobare opinionem sentientem vi Bullæ Cœnæ solum prohiberi absolutionem ejus dumtaxat publice. Facultatemque absolvendi ab ea nedum in foro interno, dari continuo a S. Sede, sed etiam pro externo Episcopis Germaniæ, ipsis supplicantibus, ut dicitur in *addit. super tom.* 2. *tract.* 13. *d.* 2. *q.* 4. *num.* 75. §. *Respondeo* 3. remissive respondens Chessingerus ad quæsitum: an post Bullam Cœnæ, singulis annis Romæ promulgatam potestas absolvendi a casibus in ea contentis Episcopis competat.

162 Quæres an per mortem Pontificis Cruciata expiret. Pro hujus difficultatis enucleatione oportet præmittere. *Primo* gratias contentas in ea, solum concessas esse ad annum. *Secundo* dari gratiam factam, estque illa, quæ alicui conceditur independenter ab alterius voluntate; & faciendam, quæ dependenter ab alio elargitur. Placet etiam tradere regulam ad cognoscendum quænam sit gratia facta; quæque facienda, & sequens est: quotiescumque datur potestas Delegato ad exercendam gratiam cum determinata Persona, erit facienda; si vero cum indeterminatis Personis erit facta; mortuoque concedente expirabit hæc; non vero illa. Ita ex *cap. si cui nulla de præben. in* 6. estque ratio; quia gratia illa est in favorem illius, pro quo committitur expeditio, & quia executio a Delegato dependet, facienda dicitur. Ast secunda: quia censetur gratia directe facta Delegato, exercenda, ad quos voluerit; ideo facta nominatur. Vel melius: quando directe intenta utilitate ejus cui conceditur (requisitum de ratione gratiæ; multoties enim, a casu ex offensis, offenso commoda sequuntur, quin gratiæ dicantur) deest aliquid ex parte actus primi, ad gratiam explendam, facienda dicitur: si autem nil desit, consummata, seu facta vocabitur. Patet in Petro e. g. dispensationem aliquam supplicante, quam Papa Paulo e. g. delegat. Nam si Summus Pontifex in tali concessione directe intendat Petri utilitatem resultantem ex actuali dispensatione, dicetur gratia facienda: quia ex parte actus primi deest aliquid, complementum nempe ipsius, utputa actualis dispensatio, vi cujus Petrus gratia potietur: Ast si Summus Pontifex directe intendat utilitatem, seu honorem, Paulo obventurum communicatione talis potestatis, habebit Paulus in actu primo omne, quod requiritur ad dispensandum; nam circa hanc causam particularem constituitur legitimus Judex.

163 Quod si dicas: in dispensationibus solere Pontificem ponere pro conditione examen causæ, & veritatis precum Inquisitionem; sicque licet intendat directe commodum Delegati erit gratia facienda; deerit enim aliquid ex parte actus primi, positio nempe conditionis exigitæ. Respond. dictis non intendi asseri, quod in omni eventu, & casu, collatio potestatis, & utilitas directe intenta resultans, sat sint ad hoc ut gratia dicatur facta; sed quod in pluribus casibus; seu communiter, quando nil deest ex parte actus primi ad complendam facultatis communicationem, concessio talis, gratia facta dicatur. Ad objectionem tamen dico: quod si conditio apponitur ut licite fiat dispensatio, tuncque est modus, qui cognosci valet, atque inferri talis, quando supponitur potestas collata, posteaque modus additur) vel forma ad validitatem actus requisita, (quæ cognoscetur, talisque ita deducetur, quando potestas sub tali forma conceditur) hoc utroque modo gratiam factam dicitur esse, eo quod dicatur potestas communicata ex nunc pro tunc. Sicque nil contra asserta. Insuper est præsupponendum, quod quando gratia facienda est accessoria gratiæ factæ, non expirat morte concedentis: quia ita decisum est *cap. si super gra. de offic. Deleg. in* 6. Accedit sequi accessorium naturam sui principalis. Dein gratiam faciendam concessam nomine dignitatis, morte concedentis non spirare: quia dignitas semper manet. Demum, in Cruc. duo esse genera privilegiorum; quædam, quæ dependent ab alterius voluntate, ut est indulgentia acquirenda semel in vita, & semel in articulo mortis, absolutio a reservatis, commutatio votorum, &c. alia non dependentia ab alterius voluntate, ut indulgentiæ concessæ visitantibus altaria, facultas comedendi ova, & lacticinia &c. omnibus his præhabitis, sit

164 CONCL. VII. Nulla Bullæ Cruc. privilegia spirant per mortem Pontificis. Ita complures AA. citati a Corduba *de indulgentiis qu.* 36. alii citati a Ludov. a Cruc. *disp.* 1. *cap.* 10. *dub.* 3. aliique tum Theologi, tum Jurisperiti a P. Bardi *part.* 1. *tract.* 2. *cap.* 6. *sect.* 7. Est ratio: quia sunt gratia facta. Patet de iis, quæ sunt secundi generis, & de illis, quæ in primo veniunt: quia directe conceduntur in utilitatem Bullam accipientium; Confessarii enim sunt meri executores, facultatem exequendi dicta privilegia habentes, non immediate a Summo Pontifice erga eligentes; sed ab ipso pro, & per ipsos eligentes; quod distinctum est valde a dictis sup.

165 CONCL. VIII. Quamvis annus durationis Bullæ lapsus non sit, potest Papa valide illam revocare,

care, nulla stante causa. Est ratio: quia Summus Pontifex non ita se abdicavit; imo nec potuit a jurisdictione, ut non possit jam obligare quemcumque ad observantiam juris communis, contra quod plura extant in Bulla privilegia; & non valendi revocare pure gratuita, seu non transferentia ullum dominium, mereque consistentia in facultate, faciendi aliquid contra, aut præter jus commune, seu speciale, de quibus ita sentiunt inter alios Sousa *in Bull. Cœnæ cap.* 16. *disp.* 84. *n.* 9. Suarez, Sanchez, Merolla, Bonacina, Salas, Basilius Pontius, Castropalaus. Nec obest quod data sint omnia per modum contractus onerosi; nam imbibitam servat hanc conditionem. Tamen ita, illicite operaretur: quia non staret promissis. Præterquam quod, ut diximus Concl. VII. Principum concessiones firmæ debent esse, & hoc specialissimo motivo. Accedit quod foret abusus potestatis Ecclesiasticæ, ex quo licet revocatio quoad hunc respectum peccatum veniale tantum foret, ratione tamen scandali, non effugeret noxam gravem, quod necessario prævideretur. Legitima autem stante causa, ut publica utilitate licite revocaretur: quia tali in casu, adhuc jure acquisito potest Princeps privare subditum a bonis: bonum enim privatum publico cedere debet, cum simul esse nequeunt: nec solutionem præstitam pro Bullis teneretur in eo tunc resarcire Personis particularibus: quia contractus celebratus fuit cum dicta inclusa conditione: ex quo sequitur, quod nec Rex ipsis teneretur dictas reddere eleemosynas, nam cum ipso non contraxerunt, aliundeque titulo donationis a Pontifice, qui pecuniam talem alienare poterat dominium acquisivit. Accedit quod revocatio non esset a Rege, sed a Pontifice in quo dictam residere adhuc potestatem sciunt sumentes Bullas, vel scire tenebantur. Nec ipsi Regi aliquod teneretur Pontifex compensare, pro pecunia, quæ alias media Bullarum acceptione ei proveniret: quia cum, ut diximus, sit tota Bulla privilegium mere gratuitum, nonque stet in donatione aliqua, sed veluti quædam respectu ejus, sit delegatio, & a voluntate Pontificis dependens, non est præsumendum se voluisse obligare ex rigore justitiæ ad compensationem damni in casu revocationis, cumque ergo aliunde injuria contra justitiam ei non fiat, ad compensationem ei non obligatur. Ipsis vero Personis Bullas accipientibus, si foret revocatio injusta, sarcire teneretur, pro temporis rata, damnum: quia omnia in pristinum reducere tenetur, restituendo dictis Personis id quod ex parte sua posuerunt, pro continuitate contractus; alias manifesta foret injustitia: ut ex se liquet.

QUÆSTIO VII.

De privilegiis tempore Interdicti concessis.

§. I.

De Oratoriis eorumque approbatione requisita.

SUMMARIUM.

166 *Notabilia.*
167 *Supponitur non posse erigi Oratorium vi Bullæ.*
168 *Privilegium celebrandi in Oratoriis est concessum pro tempore Interdicti localis generalis.*
169 *Per Ecclesiam, & Oratorium privatum, quid intelligatur.*
170 *Approbatio ut sit utilis, debet esse proprii Diœcesani.*
171 *Quacumque de causa, illa deficiente, nequit in illo celebrari.*
172 *Compelli tamen potest ille ad dictam approbationem præstandam.*
173 *Si privilegiatus mutet domum, locus in Oratorium erectus non eget nova approbatione, licet contrarium probabile sit, ut ostenditur.*
174 *Non indigent dicta Oratoria benedictione.*

166 Ut quis vi Bullæ, uti possit privilegio celebrandi per se, vel per alium in Oratorio privato opus est. *Primo* quod Oratorium sit deputatum, designatum, & visitatum ab Episcopo, de qua conditione agetur in præsenti. *Secundo* quod non dederit causam interdicto, hoc est, quod non commiserit delictum, ob quod latum sit interdictum, aut particeps ejus fuerit, ut explicatur *in cap. Alma mater de sent. excom. in 6. cap. licet de privileg. in §. ult.* *Tertio* quod per ipsum non stet, quin interdictum amoveatur, si enim ipse est causa culpabilis, ut interdictum adhuc maneat, hoc privilegio minime fruetur; tuncque dicetur, per ipsum stare, ut interdictum perseveret, quando in eo manebit delicto, cujus causa latum fuit interdictum; aut debitam non præbuit satisfactionem, de quibus supra. *Quarto* ut aliquæ fundantur preces, & de hac in §. 3.

167 Tanquam indubitatum præmittendum est pro nunc, vi Bullæ Cruc. non posse erigi Oratorium, ut in eo sacrum celebretur: ipsa namque praxis ita ostendit: cumneque prudentis sit judicare, Pontificem, hanc facultatem unicuique, quantumvis infimæ sortis concedere, uti Bulla conceditur; cum matura consideratione non valde faciliter Nobilibus donetur: hocque ne concessiones tales in irreverentiam tam tremendi Sacrificii, quæ ex illis proculdubio proveniret, cederent.

168 Præhabita dein integra notitia interdicti, effectuumque quos pariat; acquisibile totum ex *tom.* 2. *tract.* 13. *d.* 2. *q.* 6. *per totam.* Est advertendum, quod privilegia quæ conceduntur interdicti tempore, elargiuntur pro tempore interdicti localis generalis, de quo solum fit mentio in Bulla; quamvisque privilegia Personis concedantur, tamen non ipsas ut afficiuntur interdicto, sed ut in ordine ad locum diriguntur; cumque aliunde Bulla nil disponat de interdicto personali, ideo ad ipsas interdicto aliquo innodatas privilegia non sunt extendenda: Et *generalis* dixi: quia in Bulla plumbea monetur hoc privilegium intelligi de Ecclesiis, in quibus alias, durante interdicto; quomodolibet, permissum sit celebrari: cum ergo in Ecclesia specialiter interdicta vetitum sit celebrare, ut notat Glos. *ibid. ver. Eccles.* Filliuc. *de censuris tract.* 18. *cap.* 3. *num.* 65. *aliique.* ostenditque Covarr. *exponens cap. Alma mater*, 2. *p.* §. 4. *n.* 1. non poterit vi Bullæ in ea celebrari: quia stante tali præcepto, non verificatur conditio a Summo Pontifice exigita, nempe si alias permissum fuerat celebrare. Idem dicendum est de Oratoriis. Et ratio est: quia non æqualis; quinimo major militat ratio in his, quam in Ecclesiis, in quibus, si non licet, non obstante quod sunt loca Divino Cultui pro omnibus Fidelibus destinata; quanto minus, in his, quæ secundum jus commune non sunt propria loca celebrandi? nec dicatur in interdicto speciali jam posse celebrari semel in hebdomada, ut constat *ex cap. permittimus de sent. excom.* quia hoc est ratione necessitatis conservandi Eucharistiam pro moribundis.

169 In præsenti privilegio, nomine *Ecclesiæ* intelliguntur Ecclesiæ illæ, quæ manent sub Sæcularium Clericorum Cura, & Episcopi authoritate sunt expositæ, & approbatæ, ut in eis divina celebrentur, uti colligitur optime ex *cap. Alma mater.* Per Oratorium vero privatum locus ille venit comprehensus Deo dicatus, & privatus, in quo nec habetur Campana, nec ostium patens in via publica, ad nutumque Fundatoris Domus in qua est ad usus profanos redire potest, prout docet Barbosa *de jur. Eccles. lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 16. (& traditur in hoc *tom. tract.* 14. *d.* 6. *q.* 10. *in Appendice* 1. *ad n.* 136.) recognitus, & deputatus, adque Divinum Cultum approbatus.

170 Proprii tamen Ordinarii, hoc est Diœcesis in qua erectum est Oratorium, debet esse approbatio. Ita Suarez *in* 3. *part.* S. Thom. *tom.* 3. *disp.* 81. *sect.* 3. Persius *de offic. Sacerd. lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 3. *num.* 22. Vasquez, Fagundez, & alii contra Dianam quatuor in contrarium citantem AA. pro sua parte; nostram tamen

con-

consulentem opinionem. Patet ex *cap. his ergo dist.* 1. *de consec.* ubi statuitur non esse licitum celebrare extra Ecclesiam consecratam nisi in locis illis, in quibus Episcopus proprius jusserit, & ex aliis ipsiusmet *jur. canon. cap.* accedit, quod hæc visitatio, & designatio est actus jurisdictionis, pertinetque ad forum externum judiciale, qui actus nequit exerceri; ni ab Episcopo in proprios Subditos. Liquebit amplius ex approbatione Ordinarii Confessoris vi Bullæ eligendi.

171 Ast si nolit Episcopus proprius, quamvis injuste, approbare, locumque decentem designare, non potest privilegiatus uti Oratorio, ac si approbatum fuisset: quia Bulla hoc concedit privilegium, apposita dicta approbatione, ut conditione. Ita Pelissarius *in Manual. Regular. tom.* 2. *tract.* 8. *c.* 2. *sect.* 2. *num.* 140. Diana *tom.* 4. *tract.* 2. *resol.* 24. *pag.* 42. Bardi *part.* 2. *tract.* 2. *c.* 2. *sect.* 2. *n.* 10. consulentes privilegiatum recurrere ad Episcopi Superiorem, ab illoque licentiam expostulare, vel ut alteri committat, & deleget executionem.

172 Ad quod compelli potest: ut tenent Quintanadvennas *in Theol. Morali tom.* 1. *tract.* 7. *singul.* 23. *n.* 3. Garcias *in Sum. Theol. Moral. tract.* 3. *diffic.* 8. *dub.* 2. *punct.* 2. *n.* 16. Ludovic. a Cruc. *disp.* 2. *cap.* 5. *dub.* 1. *n.* 5. reddens hic rationem: quia nequit Episcopus defraudare subditum a privilegio sibi concesso a Pontifice de habendo domi Oratorium, ex quo Guitart, & alii posse celebrari, si non daret licentiam Episcopus, volunt.

173 Si privilegiatus mutet domum, non tenetur Episcopus denuo approbare, & visitare Oratorium novæ habitationis, ut fruatur dicto indulto. Ita Quintanadvennas *in Theol. Moral. tom.* 1. *tract.* 7. *singul.* 33. *n.* 4. Ratio est; quia utrumque est approbatum, & locus Oratorii, & illius ornatus, tamen pro contraria sententia, quamvis nesciant Patronum, sustineri posse sentio. Est ratio: quia locus materialis secundæ habitationis non est approbatus, quidquid dicat cit. Quintan. & credo intelliget de approbatione loci formaliter ut sic; non tamen de approbatione talis loci; quam illam non sufficere ostendo ex verbis Bullæ: præcipit enim ibi Pontifex, quod Oratorium deputatum designetur, & visitetur, quod procul dubio est, ut eligatur locus decens, tum quoad formam structuræ: tum quoad ornamenta, ad sacrificandum requisita, quæ, ut possit Episcopus licentiam celebrandi concedere, adesse debent: igitur ad implendam Pontificis mentem, necesse erit, locum secundæ domus visitare, & designare: quod non vult Pontifex in potestate privilegiata relinquere.

174 Dicta Oratoria benedictione non indigere, certum est: quia in Rituali Paul. V. ubi offeruntur benedictiones pro Ecclesiis, & Oratoriis publicis, pro privatis nulla adducitur. Nec fit de hoc mentio in Brevibus tum Nuntiorum; tum Papæ. Ita Garcias *in Summa Theol. Moral. tract.* 3 *difficul.* 9. *dub.* 2. *punct.* 1. *n.* 9. Villalob. & alii.

§. II.

De participantibus privilegii audiendi Sacrum in Oratorio privato.

SUMMARIUM.

175 *Omnes qui subduntur privilegiato sive natura, sive servitute, sub nomine Familiarium, & domesticorum veniunt.*

176 *Alii veniunt sub his nominibus unice ne privilegium inutile reddatur.*

177 *Comitantes privilegiatum honoris causa non sunt familiares.*

178 *Qui tales effecti sunt, solo fine fruendi privilegio, eo non gaudent.*

179 *Bene vero si ob supervenientem causam, a privilegiato accipiantur.*

180 *Presbyter potest eligere quemcumque laicum, ut ipsi inserviat in Sacrificio Missæ,*

181 *Sub nomine consanguineorum venit uxor, & parentes usque ad quartum gradum.*

182 *Licet non habitent in eadem domo.*

183 *Affines non veniunt sub dicto nomine.*

184 *Solvitur objectio.*

185 *Ad celebrandum, vel Sacrum audiendum in privato Oratorio, adesse debet privilegium habens.*

186 *Dissolvitur fundamentum contrariæ sententiæ.*

175 Præhabito, quod in Oratorio privato vi Bullæ celebrari possunt plures Missæ: quia illa ad unam, vel determinatum numerum non limitat privilegium: concedit posse celebrare Presbyterum; & facere, Laicum in præsentia familiarium, & domesticorum, & consanguineorum: igitur opus est scire, quæ sub his nominibus veniant Personæ; & primo sub nomine Familiarium, & domesticorum, prout sermo est ad privilegium concessum: veniunt ergo sub dictis nominibus, omnes illi qui habenti privilegium hoc subjecti sunt, sive jure, sive natura; expensisque ipsius vivunt, eique obsequium præstare tenentur. Per familiam enim in præsenti intelligitur, quædam determinata societas plurium degentium sub uno capite, & colligitur *l. Ædiles,* §. *Familiæ. ff. de ædilitio edicto, l.* 1. §. *Familiæ ff. de vi, & vi armata, l. Qui rem rapuit ff. de vi bon. rapt.* & in hac acceptione loquitur Glos. *in l. Si familia ff. de jurisdic. omn. Judic.* & in Lexico Juridico *verb. Familia.* §. *Ad Personas,* dicitur: *Jure proprio familiam dicimus plures Personas, quæ sunt sub unius potestate, aut natura, aut jure subjectæ.* Ex qua explicatione patet, quod nedum veniunt sub nomine Familiarium famuli, qui expensis Domini, cui obsequium præbent, aluntur, in jure familiares nuncupati, ex quo ortum duxit illud proloquium, *Familiaris constituitur corpore, & dente*; hoc est commensalitate, & servitio constitui, quo titulo alitur, & quia mensam Domini intelligitur participare, commensalis vocatur; sed etiam uxor, filii, nepotes, aliique descendentes, de quibus, an veniant necne dicto nomine, acerrime disserere otiosum censeo in præsenti; cum jam expresse veniant nomine consanguineorum ut dicetur infra *num.* 181.

176 Quia tamen hoc privilegium redderetur inutile, si uxor, filii, &c. non venirent sub dicto nomine, in ordine ad Oratoria, ideo, esse ita, asserit Ludov. a Cruc. *disp.* 1. *c.* 5. *dub.* 3. *n.* 3. minime vero in ordine ad Ecclesiam; quia quamvis sit stricte interpretandum juxta textum in cap. Porro de privilegiis, tamen non ita, ut nil operetur: ex quo similiter dicitur, quod si privilegiatus talis sit qualitatis, ut sine aliquibus eum comitantibus ad Ecclesiam ire non consueverat, licet in propria privilegiati domo non habitent nec ab ipso alantur, poterunt, sicut antea privilegiatum associare, sicque tali privilegio gaudere, comprehensi ita illi tales sub familiarium nomine: in Oratorio vero neutiquam: quia non militat dicta ratio; forsque ponitur in Bulla *Familiares, & domesticos* ad excludendum illos, vel illas domum privilegiati frequentantes, ut tenet Trull. *lib.* 1. §. 3. *dub.* 5. *num.* 3. Etiam Magistros privilegio Discipulorum, & e contra, ut probabile censet cit. Trull. *loc. cit. dub.* 4. *n.* 3. Sub domesticorum nomine veniunt, qui aliquam ex supradictis habent subjectionem, vel servitutis, vel patriæ potestatis, ut tenent Felinus *cap. in litteris de testibus n.* 1. Bald. Archidiaconus Joan. Andr. a Sanchez *in opusc. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 20. *n.* 2. *citati.*

177 Inferes ex dictis: quod comitantes privilegiatum, honoris causa, euntem in Ecclesiam, non gaudere privilegio privilegiati ipsius: quia nec sunt familiares; nec domestici ejus; nec est causa, ut sub iis dicantur venire. Ita Trull. *loc. cit. dub.* 5. *n.* 2. Bardi Ludovic. a Cruc. & alii.

178 Multoque minus eum comitantes, solo fine fruendi dicto privilegio, audiendi nempe Sacrum in Ecclesia, interdicti tempore: quia fraudulenter comitantur; etiamsique ad hunc finem sint ascripti servi ejus, ut sentiunt Ludov. a Cruc. Bardi, Trull. Rodriguez, Sotus, Navarrus, Villal. Henri.

179. Si tamen multiplicati forent ob aliquam supervenientem causam, eo gauderent: quia cessaret fraus: cum aliunde sint veri famuli; quibus eget (ut supponitur) privilegiatus in comitatu; qua causa noviter adventa, seclusa, solum fruentur familiares, illi, quos secum solebat adducere privilegiatus in comitatu; hocque, quia limitata significatione accipitur in jure communi cap. licet dictus terminus: quod illæsum manere debet in quantum fieri potest. Itaque sentiunt communiter Bullæ expositores.

180. Si privilegiatus sit Presbyter, ad celebrandum tempore interdicti, quem sibi placeat Laicum eligere valet in Ministrum, qui nec sit familiaris, domesticus, consanguineus, nec privilegiatus. Ita Diana *tom.* 4. *tract.* 2. *resol.* 51. *num.* 5. & Bardi *part.* 2. *tract.* 2. *cap.* 3. *lect.* 2. *num.* 18. dicentes, quod privilegio concesso, veniunt concessa omnia, quæ ad usum illius accessoria sunt & à voluntate illius dependent, ut ex *cap. præterea de offic. Jud. deleg.* & ex Gloss. *ibi.* Concesso enim principali conceditur accessorium; hæcque probant habito adhuc aliquo ex participantibus talis privilegii; qui si non adsit, convincitur, ratione posita *num.* 176. accedit inde: quod habens privilegium recitandi matutinum diei sequentis paulo post meridiem, assumere potest socium, sub obligatione recitandi, qui æqualiter satisfaciet: ergo sicut socius iste non est necessarius privilegiato, & tamen per hujus assumptionem, eodem gaudebit privilegio; ita similiter quicumque assumptus in Ministrum, prohabito familiari, &c. privilegio audiendi Sacrum fruetur.

181. Sub nomine consanguineorum venit uxor, & omnes consanguinei usque ad quartum gradum: quidquid dicat Henri. solum intelligi usque ad primum, non explicans adhuc si in utraque linea, recta nempe, & collaterali, an recta solum, nec ne. Ita Rodrig. Avila, Trull. Villal. Riccius, Bardi, Diana quoad secundam partem *tom.* 4. *tract.* 2. *resol.* 53. *n.* 2. & quoad utramque *resol.* 52. cum Castropalao. Ratio est quia per consanguineos ut sic intelliguntur omnes usque ad quartum gradum inclusive, communiter; nec ultra extendendum est: quia per Trid. usque ad talem gradum ampliatur cognatio, & agnatio, & non ultra. Uxorem venire sub tali nomine non est dubium, cum sit radix consanguinitatis, & una caro cum privilegiato.

182. Quamvis domi privilegiati non habitent hi: quia consanguinei sunt, talisque circumstantiæ non erat inscius Pontifex, ut liquet; sique forte censuit Henriquez hanc esse Pontificis mentem; alias enim ad plures familias extenderetur participatio privilegii; sicque per consanguineos solum in primo gradu esse intelligendos, dico nullibi invenisse vestigium aliquod, in quo possit niti, & sustineri talem fuisse Pontificis sensum, consequenterque in hoc non esse audiendum cit. A.

183. Affinitas vero non venire sub nomine consanguineorum certum est, ut communiter AA. Ratio est: quia affinitas est quid valde distinctum à consanguinitate; cumque hoc privilegium sit odiosum, eo quod contra jus commune, strictè, ut dictum est quæst. prolegomena *num.* 8. est interpretandum. Accedit quod privilegium non operatur ultra verborum significationem, ut colligitur *ex cap. porro de privileg.* nisi nos cogat necessitas ad improprietatem aliquam verborum admittendam, ut e. g. foret si tali remota improprietate aliqua injustitia, vel quid simile consurgeret.

184. Objicies: lex ob identitatem rationis extenditur ad casum non expressum: ergo sub nomine consanguineus, affinis venit, eo quod eadem sit ratio. Respond. verum esse de lege; sed non de privilegio, particularibus Personis concesso, (ut patet discurrendo de casibus particularibus in praxi) quale est Bulla, quæ solum extendi intelligitur ad Personas, quæ in ipsa nominantur; vel saltem sub nominatis contineri queunt: cumque affines, nec nominentur, nec sub consanguineis comprehendantur, ideo, &c. accedit, quod efficacia privilegii, & amplitudo est in voluntate concedentis; nonque in ratione, licet concedens ratione ductus fuerit; adeoque non proderit, ratio ei, pro quo eadem est, si voluntas concedentis non extenditur; lex autem è contra se habet, sicque evidens est discrimen. Nec obest: quod in Bulla italica dicatur *è di suoi Parenti*, & Hispanica *de sus Parientes* sub quibus videntur affines venire; nam hæ regulari debent cum plumbea, in qua *consanguinei* habetur, quo termino debent alii metiri, & non è contra: accedit, quod in lingua Italica affines dicuntur *Parenti per via di Matrimonio*: & in Hispanica: *Parientes Por affinidad.* cumque solum dicatur *Parenti*, & *Parientes*, & presse sint ponendi, non veniunt affines comprehendendi.

185. Hujus privilegii participantes, audiendi scilicet sacrum tempore interdicti nequeunt illo frui, Privilegiato non præsente: est ratio: quia ly *Et* clausulæ concedentis tale privilegium sumitur conjunctive (licetque aliquoties disjunctive accipi possit, ut constat ex jure in L. Sæpe de verb. & rer. signifi.) ut colligitur ex subjecta materia ex qua pensari debet; nam quando ly *Et* est inter duo quorum unum ab alio dependet, sumitur sæpe sæpius conjunctive; si vero inter æquales, independentesve, disjunctive: patet sequenti paritate, nam quando dicitur: Petrus, & Paulus divites possunt expendere centum aureos ob causam piam, sumitur ly *Et* disjunctive quia uterque seorsim erogare tantam valet quantitatem; si vero dicatur Paulus, & ejus familia sunt immunes à tributis, ly *Et* sumitur conjunctive; nam familia per connexionem, & dependentiam immunitate fruitur: cum ergo participantes privilegium Privilegiati, per connexionem, vel dependentiam ab illo frui valeant tali privilegio; ideo conjunctive, & non disjunctive sumenda est conjunctio *Et*; consequenterque adesse debet Principalis, ut participes privilegii, quo ipse gaudet, frui possint. Accedit: esse hoc privilegium odiosum, ut dictum est quæst. prolegomena: igitur præsentia civilis Principalis non sufficiet, sed physica necessaria erit.

186. Nec valet dicere: quod si ly *Et* sumeretur conjunctive, sequeretur, etiam Principalem non posse frui privilegio absque Familiarium, &c. physica præsentia; sed hoc est apertè falsum: ergo. Hæc est vis contrariæ sententiæ; sed certè nulla: quia principalis Privilegiatus cui conceditur privilegium, est Principalis; cæteri tamen ejus privilegio gaudentes accessorii: sed indubitatum est Principalem stare, nec egere accessorio; accessorium tamen nec stare, & egere principali. Ita pro hac sententia Ugolinus apud Franciscum Ancharanum. Gemin. in *cap. licet de privileg. in* 6. Sayrus, Henri. Coninch, Rodri. Trull. Bardi, Riccius. Villal. Guitart, & alii contra Dianam Raphaele Aversa Ludovic. à Cruc. dicente isto *disp.* 1. *cap.* 5. *dub.* 3. *n.* 5. *pag.* 238. *in fine* (etiamque Diana) utrumque esse satis probabile.

§. III.

De onere fundendi preces quando utitur tali privilegio audiendi sacrum, vel celebrandi in oratorio privato tempore interdicti.

SUMMARIUM.

187 *In usu Oratorii debetur fundere Deo preces, quæcumque sint.*
188 *Sed nec ut de essentia, nec conditio sine qua non ad utendum tali privilegio requiruntur.*
189 *Objectio solvitur.*
190 *Obligat sub culpa veniali orandi præceptum.*
191 *Astringit talis obligatio omnes gaudentes tali privilegio.*
192 *Non autem si in Ecclesia celebretur, vel sacrum audiatur.*
193 *Ad quod audiendum tenentur die festo dicti tales, ut ostenditur authoritate, ratione, & paritate.*
194 *Qua efficax habetur contra P. Bardi.*

195 *Tamen non tenemur ad faciendum celebrare, adhuc quod sine stipendio celebretur.*
196 *Bene vero si oratorium sit erectum in Regularium monasterio.*
197 *Hoc privilegium non extenditur ad cessationis tempus.*
198 *Solvitur objectio.*
199 *Moderatio facta tempore interdicti non extenditur ad tempus cessationis à divinis.*
200 *Nequit celebrari vi hujus privilegii in Ecclesia violata.*

187. ORatorio privato utentibus præcipitur, ut fundant Deo preces pro unione, & pace inter Principes Christianos, & Victoria contra Infideles; qualis autem esse debeat hæc oratio non exprimitur; consequenterque vocali, aut mentali satisfieri certum est: positumque erit in arbitrio orantis; uti de oratione ut sic præscripta in jubilæis ad lucrifaciendam indulgentiam tenent Lavorius de jubilæo *part.* 1. *cap.* 18. Alphonsus de Leone *eod. tract. quæst.* 10. *sect.* 2. *& alii.* Quanta autem fieri debeat, respondeo pariter in orantis arbitrio relinqui; quæcumque enim, etsi brevis, sufficiens erit ad hunc effectum: quia in ipsa salvabitur substantia præcepti.

188. Non ita tamen est necessaria hæc oratio, ut non suffragetur tale privilegium ipsa non posita; ut communiter sentiunt AA. & patet ex eo, quod prius sit concessa facultas celebrandi, quam injuncta obligatio orandi; sed posterius nequit esse de essentia, nec conditio sine qua non prioris, ut de se liquet: ergo cum nullo ex his modis necessaria sit, ipsa non posita, operabitur privilegium. Patet ex his non esse necessarium fundere tales preces ante missam; sed sufficere post completam; quo à posteriori veritas asserti sufficienter ostenditur.

189. Objicies ex regula tradita *num.* 163. nempe qua cognosci potest, quando aliqua forma est de substantia actus, & quando non; utpote, quod tunc est de essentia, vel substantia actus, quando à Legislatore datur potestas ad efficiendum ipsum actum cum tali forma; secus autem quando supponitur potestas concessa; sed nunc datur simul cum onere potestas utendi oratorio ad celebrandum: ergo. Respond. *Primò*, quod ibi dictum est, quando potestas conceditur sub forma; quod est aliqualiter distinctum, ac cum forma, ut consideranti discrimen fiet patens. *Secundo*, falsam esse minorem ut constat ex probatione asserti: prius enim concessa est potestas; posteaque onus impositum. *Tertio*, regulam illam intelligendam esse attenta subjecta materia, circumstantiis, aliisque, ob quæ imposita est talis forma, (quod ibi non negavimus) adeoque onus orandi omnibus prædictis attentis indispensabiliter non exigi cum communi AA. censuimus.

190. Dari tamen de talibus precibus fundendis præceptum, dictum est *num.* 187. indubitatumque habetur; eo quod verbis præceptum significantibus jubeat Pontifex orationem fieri: ait enim: *teneri Oratorio utentes, preces aliquas Deo fundere*; at vero non obligat sub gravi noxa; sed solum sub delicto veniali, ut tenet Gallego. Henno. Villal. Rodrig. Bard. Trull. Diana *tom.* 4. *tract.* 2. *resol.* 59. & Expositores Bullæ, præcipue recentiores reddentes rationem supradicti omnes: quia non est materia gravis, (ut liquet) sub qua obligatio gravis cadere non potest, ut communiter tenent omnes AA.

191. Has preces fundere tenentur omnes utentes tali privilegio sive immediatè, sive per participationem. Est ratio: quia verba Bullæ sunt generalia, nullam excipientia Personam: dicitur enim: *Eis tamen, qui privato Oratorio ad præmissa uti voluerint, ut quoties id fecerint, aliquas preces Deo fundere teneantur imponitur*: ergo universaliter omnes tali fruentes privilegio, dicta obligatione ligantur. Accedit quod ly *eis* omnibus quibus supra concessum fuit uti Oratorio privato, nempe Bullam habenti, ejus familiaribus, Domesticis consanguineis, &c. refertur.

192. In Ecclesia autem, vel in loco publico, in quo licitum est sacrificare, celebrantes, vel celebrare facientes, tales preces non tenentur Deo fundere. Est ratio: quia non est obligatio, ubi non viget præceptum; cum ergo hoc solum adsit, quando utitur Oratoriis privatis, non vero quando in Ecclesia jubetur celebrari, vel celebratur, ideo, &c.

193. CONCL. I. dicto privilegio gaudentes sacrum tenentur audire diebus festivis. Pro hac conclusione plusquam septuaginta videbis citatos AA. in PP. Ludovic. à Cruc. *disp.* 1. *cap.* 5. *dub.* 4. *n.* 5. *pag.* 239. Bardi *part.* 2. *tract.* 2. *cap.* 3. *sect.* 6 *num.* 54 *pag.* 179. & Trull. *lib.* 1. §. 3. *dub.* 6. *num.* 2. *pag.* 58. contrariam sentiente probabilem Diana *tom.* 2. *tract.* 3. *resol.* 124. *pag.* 117. pro qua alii à se, & à supradictis citati stant; moti ex eo, quod privilegium non debet retorquere in damnum privilegiati: uti habetur ex *regula* 61. *juris in* 6. *quod ob gratiam* pluries in summa citata. Etiamque: quia nemo tenetur uti privilegio sibi concesso, sed potest illud renuntiare, ut liquet ex cap. si de terra, de privil. Hic tamen his contraria tamquam probabilior, tutiorque amplexatur sententia, cui favet sequens ratio: tali gaudens privilegio, ligatur à præcepto Ecclesiæ ad audiendum sacrum; sed qui est obstrictus aliquo præcepto illud tenetur implere sub transgressionis pœna: ergo. Maj. patet, & parificatur, cum in carcere vincto, qui habita facultate exiendi è carcere ad audiendum sacrum, cum vi illius privilegii, liget Ipsum præceptum, tenetur in communi sententia, ad quod antea non tenebatur: quia non comprehendebat ipsum lex; non enim ligat impotentes, uti stante interdicto, ante habitum privilegium.

194. P. Bardi refutat præsentem paritatem; sed explicatione à se tradita relicta; ipsam magis ostendo, hac in nihilo dissimili à data: nam sicut habens privilegium confitendi cuicumque Sacerdoti, quantumvis non approbato, sua peccata, tenetur ad implendum annuæ confessionis præceptum, si hunc habeat, alium idoneum, & non approbatum ab ordinario, confiteri, non ex vi per se proveniente immediate à privilegio, sed à præcepto Ecclesiæ obligante, ad annuam confessionem confiteri valentes; ita in carcerem conjectus facultatem retinens audiendi sacrum, tenetur sacrum audire, non ex vi, per se & immediate proveniente á tali facultate; sed ex vi præcepti Ecclesiæ, jubentis sacrum audire die festivo, potentes commodè illud implere: Et similiter, cum habens privilegium audiendi sacrum tempore interdicti possit implere præceptum, hoc ipsum obligat; & omnes; quamvis alii tantum in actu primo sint ligati; minimè vero in actu secundo, quia ratione interdicti observandi nequeunt illud adimplere. Licetque aliunde hoc privilegium sit vulnus juris; aliaque neutiquam, quia nullum datur commune præceptum non audiendi sacrum, nec non annualiter confitendi; uti est non audiendi sacrum interdicti tempore (quod posset respondere contrarii, ut ait cit. P.) hoc certè non obest: quia cum hæc prohibitio privilegiatos non astringat, perinde est, ac si non foret; adeoque efficax est paritas in carcerem conjecti, ad demonstrandam statutam conclusionem. Deinde prima ratio contrariæ sententiæ nil urget: quia non est privilegium, quod privilegiatos astringit ad præceptum sacrum audiendi; sed ipsummet præceptum. Nec secunda; quia supposito, quod non id asserant de privilegiis concessis communitatibus, aut statui, quomodo certum est, non posse renuntiari eis (ut patet de clerico, qui non potest renuntiare privilegio fori, permittendo, ut ad Judicem sæcularem adducatur, nec privilegio Canonis, patiendo voluntariè injuriosè percuti) concedo verum esse per se, non autem per accidens, quia per accidens, hoc est ratione alterius, utpote præcepti Ecclesiastici, tenetur uti privilegio, quo semel accepto, non est ei jam integrum implere, vel non; quia

eum jam constringit dictum præceptum: ad modum quo tenetur quis solvere debita justitiæ, ad quæ est impotens solvendo Regi gabellas, si ab isto privilegium obtineat non solvendi eas, quo accepto, non ratione privilegii, sed ratione justitiæ debitorem astringentis, ad solutionem in quantum potest, tenebitur.

195. Tamen tali gaudens privilegio non tenetur facere celebrare sacrum die festi, ad illud præceptum implendum; quamvis absque stipendio adsit, qui celebret, in oratoriis privatis. Ita Merolla Dicastillus, Conradus, Cenedus, Ledesma, & alii, ratio est: quia celebrare in tali loco est indecorum, & minus decens; sacri enim Canones ut habetur in *cap.* 1. & 2. & cap. Missarum de consecrat. *dist.* 1. statuunt celebrandum esse in locis Deo sacratis, & non alibi, sine magna necessitate. Rursumque Sacrificia offerre in domibus per plura Concilia prohibitum est, & novissimè per Trid. *seß.* 22. *cap.* de observandis in celebratione Missæ. Igitur nequit vigere contra hæc obligatio, quamvis sit privilegium, quod cum aliunde omnimodis odiosum, non est talis obligatio sub ipso comprehendenda. Audire tamen tenebitur, si celebretur ibi voluntate, vel præcepto alterius, (uti si celebretur in Ecclesia, in qua tenetur facere celebrare, si adest qui non exigita stipe celebret; nam cessant in eo tunc rationes positæ, ut dicetur respective in hoc 2. *tom. tract.* 14. *dist.* 5. *quæst.* 10. in fine primi appendicis post *num.* 136.) Accedit: esse majoris momenti non celebrare in Oratorio privato, quam sacrum audire: non enim obligat pro eo tunc præceptum, (huicque casui non congruit tradita conclusio) cum leviores sint causæ excusantes ab impletione talis præcepti.

196. Si Oratorium vero sit in monasterio Regularium pariter tenebitur sacrum facere celebrare, si adsit, qui celebret absque stipe; & audire. Est ratio: quia tale Oratorium dicitur erectum intra Ecclesiam; nomine enim Ecclesiæ totum venit monasterium. Indeque totus locus pius, & religiosus est. Idem dico de Oratoriis in Heremitoriis, qui pariter loci pii sunt, & Xenodochiis authoritate Episcopi erectis, quæ nedum pia, sed & Religiosa expresse testantur in cap. ad hæc initio de religios. dom. & communiter tenent AA. in Barbosa citat. dicentes, Hospitalia, Heremitalia, &c. venire sub nomine Ecclesiæ, si ibi licitum est celebrare & ex facultate Episcopi erecta; Oratoria autem in talibus locis erecta non erunt in loco prophano, sed sacro constructa, sicque nulla indecentia foret bis celebrare, consequenter idem discurrendum est de his, ac de Ecclesia.

197. Præsupposita intelligentia interdicti, & cessationis à divinis, sicque eorum differentiæ, traditæ *tom.* 2. *tract.* 13. *quæst.* 6. *n.* 110. dico, quod hoc privilegium non habet vim tempore cessationis à divinis. Ita communiter AA. estque ratio: quia sunt res valde distinctæ, & à diversis non valet illatio.

198. Objicies: quando est cessatio à Divinis locum habet privilegium juris communis, tum antiqui, ut est illud, quod habetur in cap. Quod in te de pœnit. & remis. tum novi ut in cap. Alma mater, & tamen privilegia ista fuerunt concessa pro tempore interdicti: ergo, &c. respond. neg. Ant. cum Suarez tract. de Censuris *disp.* 39. *sect.* 2. *num.* 7. & *seqq.* dicente ibi universaliter, nullam hactenus esse in jure moderationem adhibitam circa privationem divinorum officiorum tempore cessationis. Dein in dictis juribus de solo interdicto est sermo. Insuper si omnes moderationes pro interdicto extenderentur ad cessationem, ipsa omnino tolleretur, quia nil adderet supra interdictum cum his moderationibus, & Pontifices volentes, & interdictum, & cessationem ob temperationem, ut declaraturi Clem. I. de sent. excomm. §. quod etiam, & §. in cessationibus intendunt cessationem non destruere: Per cessationem vero nil addi, si moderationes illæ in ipsa locum haberent, evidens erit utriusque effectus, & adhibitas moderationes consideranti.

199 Ex his inferre potes, quod licet inconvenientia adducta in cap. Alma mater fuerint sufficientia ad moderandas prohibitiones divinorum officiorum; non tamen ad tollendam omnem cessationem totalem; licetque tempore totalis cessationis sit privatio omnium divinorum publicè exercendorum; nihilominus cum hæc cessatio raro fiat ob gravissimam injuriam Ecclesiæ illatam; interdictum vero frequentius, & non ob tantam causam; ideo congruum fuit moderari rigorem interdicti potius quam totalis cessationis, adeoque licet eadem ratio pro utroque militare videatur, nempe incommoda gravia secuta in spirituale detrimentum Fidelium ex non celebratione divinorum officiorum, qua ratione duci poterat Pontifex ad æqualiter se gerendum in interdicto, & cessatione; cum tamen sit aliqua notabilis differentia, non est extendenda moderatio interdicti cessationi, consequenterque privilegium tempore interdicti concessum non est ad cessationem à divinis ampliandum. Similiter censeo privilegium quoad quatuor festivitates, nempe Nativitatis Domini, Paschæ Resurrectionis, Pentecostes, & Assumptionis celebrandi Divina Officia publice, non se extendi ad cessationem, sed coarctari ad tempus interdicti; adeoque nil concludi potest contra nostram stabilitam conclusionem.

200. Supposito quid sit, & quibus modis Ecclesia polluatur, quorum notitiam habes *in tom.* 2. *tract.* 14. *d.* 5. *q.* 10. quæritur: an in Ecclesia violata vi Bullæ possint Divina Officia celebrari Ad quod negative cum communi DD. Respond. Ratio est: quia violatio non est interdicti species, ut constat ex ibi dictis; quæ si talis foret, celebrans in tali Ecclesia, absque urgenti necessitate, & Episcopi licentia irregularitatem incurreret, sicuti si interdicta foret: quia violaret censuram, ut ex ejus violatione habetur *in cap. Is cui eod. in* 6. differentia aliunde inter violationem, & interdictum, cuicumque naturas eorum perpendenti nota erit, licet dicatur violatio causative simplex prohibitio divinorum.

QUÆSTIO VIII.

De privilegio utendi Sacramentis interdicti tempore.

SUMMARIUM

201 *Recipi possunt Ecclesiastica Sacramenta, excepta Eucharistia pro die Paschatis.*
202 *Quid intelligatur per diem Pascha.*
203 *Prohibetur solum tali die communicatio impletiva præcepti.*
204 *Solvitur objectio.*
205 *Possunt etiam recipi Extrema-Unctio, Ordo, & Matrimonium.*

191 Eucharistia, & alia Ecclesiastica Sacramenta recipi possunt, excepto die Paschatis, prohibitio quorum extat per interdictum; eorumque usus nedum in Ecclesiis, sed etiam in Oratoriis conceditur. Ita communiter AA. apud Augustinum Barbosam, ita colligentes ex dictione illa, *Item*, quæ continuare videtur, & repetere qualitates præcedentis orationis: ex quo probatur cum eisdem limitationibus, sub quibus diximus, concessum fuisse privilegium audiendi Sacrum, utpote, quod non sit speciale interdictum; quod privilegiatus non sit innodatus aliqua censura, quod fundantur etiam Deo preces, venire concessum Eucharistiæ usum; & de hac ultima conditione super qua aliqua posset suscitari difficultas expresse præcipitur in Bulla Italica.

202 Per diem Paschæ non intelligitur dies in quo festum Resurrectionis celebratur, sed tempus illud Paschæ præscriptum, in quo Fideles, qui ad annos discretionis pervenerunt, tenentur Sacram Eucharistiam sumere, & quod juxta declarationem Eugenii IV. 15. dierum

dierum continet spatium incipiendo a Dominica Palmarum, usque ad Dominicam in Albis inclusivè; vel totius Quadragesimæ; vel demum, ut melius dicam per verba illa *exceptio die Paschatis* intelligitur prohibitio communionis illius, in Oratorio privato, qua satisfit præcepto *in cap. omnis utriusque sexus de pœnit. & remiss.* ita Navar. Rodrig. Henriq. Cardinalis de Lugo, Ludov. à Cruc. Trull. Bardi, & alii.

203 Hinc, si quis Ecclesiæ præcepto satisfecerit, devotionis causa, Eucharistiæ Sacramentum sumere valebit in Oratorio. Ut sentiunt Bardi, Suarez, Coninch, Fagundez, Layman, Miranda, Peirinio, Guitart, Ludov. à Cruc. Ludovic. de San Juan, Diana, alios citans *in tom. 2. tract. 2. resol.* 57. *pag.* 63. tenens ibi posse quemcumque, dictam Eucharistiam accipere de manibus Regularium in suis Ecclesiis absque Bulla tali tempore, dummodo satisfecerint Ecclesiæ, communione accepta è manibus proprii Parochi; vel parati sint facere satis: Pontifex enim solum intendit in quacumque ex his exceptionibus, ut saltem semel in anno facies ovium aperiatur Pastori, sicque solum excipitur communio formalis hoc est præcepti impletiva, minimè vero materialis, hoc est facta devotionis causa.

204. Objicies cum Sylvio *in 3. part. quæst.* 80. *art.* 11. *quæsit.* 1. *in fine.*; die 23. Januarii anno Domini 1586. à S. Congreg. decisum fuisse non posse in die Paschæ sumi Eucharistiam, sive ex præcepto, sive ex devotione fiat in Ecclesiis Regularium: ergo falsum est dictum cum Diana; etiamque à pari, quod vi Bullæ in Oratorio privato ex devotione sumi possit. Respond. non constare de tali declaratione. Sicque nulla est paritas. Dein praxis est in contrarium.

205. Possunt etiam Sacramenta Extremæ Unctionis, quod tempore interdicti prohibetur in *cap. quod. in te de pœnit. & remiss.* Ordinis, qui venit vetitus sub universali prohibitione Sacramentorum interdicti tempore; etiamque matrimonii, cum solemnitate contrahendi; seu benedictione nuptiarum, quarum prohibitio in dicto tempore probabilis refertur *in tom.* 2. *tract.* 14. *d.* 2. *quæst.* 6. *n.* 100. administrari, & recipi vi Bullæ interdicti tempore, ut expressè constat ex illa clausula ipsiusmet Bullæ. *Item Eucharistiam, & alia Sacramenta, præterquam in die Psachatis recipere conceditur, &c.*

QUÆSTIO IX.

De privilegio Ecclesiasticæ sepulturæ.

SUMMARIUM.

206 *Bulla concedit privilegium sepeliendi in Loco Sacro, tempore interdicti.*
207 *Hoc privilegium est distinctum ab illo assistendi Divinis Officiis.*
208 *Solvitur objectio.*
209 *Quoad hoc privilegium Bulla non prodest Defunctis bene vero Clericis cum moderata pompa funerali.*
210 *Solvitur Objectio.*
211 *Explicatur pompa hæc funeralis.*
212 *Regulari debet consuetudine, vel Episcopi, aut Parochi judicio.*
213 *Privilegium sepulturæ non extenditur ad Ecclesiam specialiter interdictam.*
214 *Quamvis aliæ Ecclesiæ non sint interdictæ.*
215 *Proderit tamen tale privilegium si interdictum speciale generali æquivaleat.*

206. EX dictis in loco supra, & ultimate *cit. Sum. n.* 197. constat per interdictum ibi privari ecclesiastica sepultura, quod est tertius ipsiusmet effectus, cujus illius usus conceditur in Bulla, verbis illis; *Item mortuorum corpora, nisi fortè vinculo excommunicationis innodati decesserint, cum moderata funerali pompa sepeliri conceditur.*

207. Novum igitur procul dubio, & distinctum est hoc privilegium, gaudendi ecclesiasticæ sepulturæ, ab illo assistendi Divinis Officiis. Ita Suarez, Covarruvias, Majolus, Coninch, Hurtadus, Bardi, & alii plures apud Dianam. Est ratio: quia effectus interdicti enumerantur in jure tamquam tres pœnæ inter se distinctæ, ita, ut una non contineatur in alia, ut constat ex *cap. Episcoporum de privileg. in 6. & ex cap. civitas de sent.* consequenterque concessio, seu relaxatio circa ecclesiasticam sepulturam erit novum, & distinctum privilegium ab eo, quo conceditur assistere Divinis Officiis. Accedit, quod *in cap. quod in te de pœnit. & remiss.* conceditur Clericis ecclesiastica sepultura, non obstante interdicto; & tamen non conceditur Divinum Officium: ergo signum est, quod sub concessione hujus non venit concessio illius (quo in contrarium, nempe concessionum concessione contrarii fulciuntur ad suam oppositam propugnandam sententiam.) Insuper *in cap. cum & plantare.* §. *quod si de privileg.* permittitur Divinum Officium quibusdam Templariis, & Hospitalariis, & tamen eis negatur ecclesiastica sepultura: ergo cum hæc in jure separentur, necessario fatendum est, unum esse ab alio diversum, consequenterque unum, in alio non includi, privilegiumque unum concedens ad aliud non extendi.

208. Objicies *ex cap. A nobis de sent. excom.* ubi dicitur: non communicetur mortuo, cui non est communicatum, & vivo: ex quo deductum est hoc axioma: *cui permittitur communicatio vivo, permittitur etiam mortuo:* ergo si vivens habet privilegium communicandi, & assistendi ad Divina Officia, mortuus poterit suo modo communicare, nempe per ecclesiasticam sepulturam. Respond. teneri dictum suo modo, hoc est posse deferri corpus talis Privilegiati in Ecclesiam; ibique stare dum celebrantur Officia, postque extra Locum Sacrum illud sepeliri, hæcque impropria communicatio est in celebratione Divinorum Officiorum mortui cum viventibus, sicut impropria in sepultura viventium cum mortuo, ut notat Suarez.

209. Acceptio Bullæ pro defuncto, qui non mandavit vivens sibi sumi, non prodest ei, ut sepeliri possit in loco Sacro. Est ratio: quia hoc privilegium est concessum vivis Bullam accipientibus, ut post eorum mortem effectum habeat: ut patet ex verbis Bullæ: *Iis qui ex bonis sibi à Deo collatis in hanc expeditionem pro defensione Religionis liberaliter contulerint, &c.* quæ verba ad vivos solum dirigi possunt. Nec dicatur defunctum habere voluntatem interpretativam Bullam accipiendi; nam voluntas hæc nil prodest ad gaudendum privilegiis, sicuti nec sufficit voluntas sola acceptandi in eis: quia unicè vivis utilis est. Adeoque favet quoad hoc privilegium Bulla Pueris, Amentibus, Ebriis pro ipsis ab aliis accepta: quia adest talis voluntas acceptandi, fundata in voluntate non purè interpretativa, sed virtuali accipiendi; ut fusius dictum est *sup. num.* 54. 55. & 56. ibique dicta videas. Clericos aliqualiter fovet etiam hoc privilegium, in hoc scilicet, quod est, sepeliri cum moderata pompa funerali tantum; nam à jure communi ut habetur *ex cap. quod in te de pœnit. & remiss.* solum conceditur ipsis, sepeliri posse in Loco Sacro, cum conditionibus ibi præscriptis, exceptis tamen festivitatibus illis in quibus juxta moderationem per *cap. Alma mater* licitum est celebrare Officia Divina cum solita solemnitate: quia in eo tunc his addi poterit sepultura alias à jure concessa.

210. Obj. per *textum in cap. quod in te* conceditur solum Clericis sepeliri posse in Cæmeteriis; per Bullam vero etiam in Ecclesiis: ergo non tantum eis prodest quoad pompam funeralem, quin etiam quoad sepulturam. Respond. per Cæmeterium significari olim omnem Locum Sacrum ad sepulturam Fidelium destinatum, sub quo venit Ecclesia. Dicitur in Cæmeteriis: quia in primitiva Ecclesia solum Fidelibus permittebatur in ipsis sepeliri, vel in atriis Ecclesiæ communiter; minime vero intra Ecclesiam ut videri potest in *Concil Triburensi cap.* 17. & *Nanatensi,*

ut

ut refertur cap. præcipiendum, §. *prohibentes.* 13. *q.* 2. adeoque licet Ecclesia non veniat nomine Cæmeterii materialiter, tamen venit formaliter quoad intentionem Pontificis, qui assignavit in sepulturam Clericorum Cæmeterium, in quantum vigebat prohibitio sepeliendi in loco sacro: cum ergo nunc omnibus Fidelibus indiscriminatim Ecclesia in sepulturam sit concessa; ideo sub Cæmeterii nomine necessario fatendum est venire.

211. Pompa funeralis de qua loquitur Bulla, non est pompa humana, vel politica, quæ consistit in associatione corporis defuncti ad sepulturam per Amicos, Parentes, Nobiles, &c. sed ecclesiastica; quæ stat in comitatu plurium Clericorum, & Religiosorum, in luminibus cadaver associantibus, & cum cantu recitantibus Psalmos, consuetasque Orationes, pulsationeque Campanarum, in signum mœstitiæ: moderata igitur hæc pompa conceditur, hoc est medietas pompæ illius, quæ pro defuncto fieret, non urgente interdicto. Ut in Bulla contra Infideles concessa declaravit Julius III. anno 1552. etiamque Pius IV. anno 1564. & 1565.

212. Tamen quoad hanc optimum esse, se conformare locorum consuetudini, aut Episcopi, seu Parochi discretioni, sentio cum Ludovic. à Cruc. Trull. Bardi, Villalob. & aliis, quin hoc opponatur citatis Pontificum declarationibus, cum Episcoporum, & Parochorum, iis deficientibus, sit, quænam ecclesiastica pompa sit congrua unicuique statui, & Personæ signare, ex qua innotescet medietas ejus. Censeo similiter cum Henriq. Trull. & P. Bardi fieri posse sepulturam, quæ datur in Loco Sacro januis Ecclesiæ apertis. Est ratio: quia hæc solemnitas publice exercenda conceditur, talisque non appareret si Ecclesiæ januæ clausæ forent; tamen non potest funus celebrari cum Missa: quia sub funerali pompa Divina Officia non comprehenduntur, inter quæ præcipuum locum tenet Missæ Sacrificium; adeoque sepultura cum illa pompa finita, claudendæ sunt Ecclesiæ januæ, etiamque excludendæ Personæ non privilegiatæ, posteaque submissa voce, absque Campanarum sono pro Anima defuncti Sacrum celebrari poterit, ut tenent cit. Henri. Trull. & Bardi.

213. In loco autem specialiter interdicto, ex dictis supra patet, non posse sepeliri vi Bullæ. Est ratio: quia hoc privilegium conceditur ut interdicto durante sit permissum celebrari ibi; quod in Ecclesia specialiter interdicta non habet locum, ut diximus. Constat etiam, quia ly *Item* Bullæ est dictio repetitiva præcedentium conditionum, sub quibus conceditur privilegium.

214. Ex quo patet, quod quamvis aliæ Ecclesiæ, si adsint, interdictæ non sint, si propria est specialiter interdicta, in ea nequibit aliquis sepeliri: quia Bulla postulat, ut in illa, in qua quis sepeliendus est, sit permissum celebrari; quod cum prohibitum sit, nulla Fidelium corpora ibi sepeliri valebunt.

215. Si tamen interdictum speciale generali æquivaleat, proderit Bulla quoad talem effectum sepulturæ ecclesiasticæ; tuncque æquivalere dicetur, quando omnes Ecclesiæ, & Cæmeteria Civitatis, vel alterius loci erunt specialiter interdicta; vel si una solum sit Ecclesia in oppido hæcque specialiter interdicta sit: quia in his casibus interdictum speciale eumdem causabit effectum, ac causaret generale, præscindendo à privilegiis; nam eodem modo prohiberetur sepultura ecclesiastica Clericis, qui in loco prophano sepeliri deberent, quod est indecens Clericali dignitati, & contra Pontificis mentem, statuentis per privilegium juris communis *in cap. quod in te*, huic indecentiæ volentis occurrere, ut Clerici sepeliri possint in loco sacro, haud obstante interdicto: cum ergo adæquatum motivum concedendi privilegium juris communis in favorem Clericorum sit omnino idem in interdicto generali, ac in speciali, modis supradictis, necessario debet dici hoc privilegium Bullæ se extendere ad speciale interdictum; æquivalens generali, eumdem præstans effectum, ac generale, tuncque per accidens ampliatur ad interdictum speciale. Adjuvat esse negotium tam pium, opus nempe magnæ misericordiæ, ad quod nos hortatur Eccl. 7. *Mortuo non prohibeas gratiam*, hoc est sepulturam, ut interpretantur DD. aliqui in Barbosa.

QUÆSTIO X.

De privilegio celebrandi, vel celebrare faciendi Oratoriis privatis extra tempus interdicti.

SUMMARIUM.

216 *Bulla concedit privilegium celebrandi etiam extra tempus interdicti, in Oratoriis privatis.*
217 *Solvitur ratio obstans.*
218 *Fiet ergo satis præcepto audiendi Sacrum, audito hoc, in tali loco.*
219 *Similiter si audiatur ibi in festis solemnioribus, pro quibus non conceditur in Brevibus facultas celebrandi.*
220 *Non præbet facultatem recipiendi Eucharistiam, etiam ex devotione à quocumque Sacerdote.*
221 *Firmatur inconvenienti.*

216. CONCL. I. Vi Bullæ Cruc. potest Sacrum celebrari, & audiri in privatis Oratoriis, nedum interdicti tempore; sed etiam extra tale tempus. Ita Rodrig. Henriq. Trull. Bardi, Castropalaus, Riccius, Ludovic. à Cruc. Guitart, Zarabella, Diana *tom.* 2. *tract.* 2. *resol.* 56. *pag.* 62. Est ratio: quia Pontifex non restringit hanc facultatem ad solum tempus interdicti, ut patet ex dictione illa implicativa *Etiam*, quæ, quia talis adhuc in odiosis habet vim ampliativam, includitque casum minus dubitabilem, expresso magis incerto, ut tenent Tusc. Decianus, Paris. Cened. Gemin. & alii apud Barbosam, quo denotat clare, in tempore in quo non adest interdictum, posse celebrari in dictis Oratoriis, ibique sacrificium audiri. Patet hoc sequenti simili modo loquendi: *Petrus etiam in æstate à potu immoderato se abstinet; vel Paulus etiam nocte contemplationi vacat.* Quo revera intelligendum est Petrum, & hyeme à potu immoderato se abstinere; & Paulum, & quando sol lucessit contemplationi vacare; sed de hoc non est alia assignabilis ratio; ni quia dictio illa *Etiam* est implicativa, hoc est implicat, aut conjungit tempora, quæ sunt ejus subjectum, seu cui applicantur; ergo cum *illa* tempora similiter conjungat, quæ sunt subjectum ejus; ideo nedum tempore interdicti; sed etiam extra, comprehendit privilegium; consequenterque auditio ibi illa Sacri erit pariter impletiva præcepti. Accedit quod concesso magis, & minus concessum venit, si pro hoc non est specialis ratio, ut patet ex *Regula jur. in* 6. *cui conceditur quod est plus, conceditur, quod est minus*, quæ illa hic militare non videtur.

217. Si dicatur praxin esse in contrarium: quia nemo præsumit in Oratorio privato diebus festivis Missam audire; nisi habens ad hunc effectum speciale privilegium. Respond. hoc esse: quia plures ignorant tale privilegium; alii scrupulis agitati uti illo formidant. Dein: nec sequeretur ex hac opinione Ecclesias destitui Personis, ut sentiunt contrarii, si Bullam habentes, aut celebrare si Presbyteri, aut audire Sacrum, si Laici, valerent in privatis Oratoriis; nam pauci sunt, qui hæc habeant in propriis domibus: Præterea solum familiares ordinarie, & non extranei assistere solent; adhucque quamplures cum Dominis, sive non, ad Ecclesias se conferre solent. Demum concursus Populi in Ecclesiis non tantum est Missæ audiendæ causa, sed etiam concionis, & visitationis Altarium faciendæ, sicque destitutio illius non sequeretur.

218. Satisfacient ergo Ecclesiastico præcepto Sacrum audiendi omnes Bullam habentes, atque ea carentes dummodo Familiares, domestici, aut consanguinei sint Bullam tenentis unaque cum ipso illud audiant in Oratoriis privatis; etiamsi in Apostolico Brevi, quo

quo erectum est Oratorium, exprimatur tantum satisfacturum fore præcepto Ecclesiæ audiendi Sacrum diebus festivis Oratorii Dominum, & non alios: valdeque probabilem hanc sententiam, cujus etiam ratio est, quæ supra, cui Bullæ privilegio præjudicare nequit hæc limitatio, puto; quamvis improbabilem clamat P. Mendo: Qui autem magnæ probabilitatis fundamenta videre cupiat; non pauca attentione percurrat P. Bardi *in part. 2. tract. 2. cap. 6. sect. 1. à num. 16. usque ad 24. inclusive.* Licetque dicta opinio contraria conformior appareat dictis in quæst. prolegomena *num.* 15. utpote, quod privilegia Bullæ contra jus commune, quia odiosa presse sunt interpretanda, tamen assertam sequor; quia illa fit extorsio, aut mutilatio sensus verborum Bullæ, quo modo ibi non diximus strictè deberi privilegia odiosa interpretari.

129. Occasione dictorum quæres: an audiendo Sacrum in quocumque Oratorio privato, festis solemnioribus, utpote Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschæ Resurrectionis, Pentecostes, Annunciationis B. M. V. ejus Assumptionis, Festi S. Joannis Baptistæ, Petri, & Pauli, Apostolorum, & Patronorum Loci in quo est erectum Oratorium, &c. quæ limitatio (sive extendatur, sive non ad interdicti tempus) solet poni in Brevibus à Pontifice emanatis, ut habetur *ex cap. Si quis de consec. dist. 1. & ex determ. Sac. Congr. Rituum* 17. *Novembris* 1617. fiat satis Ecclesiastico præcepto vi Bullæ. Ad quod respond. affirmative. Ita Rodrig. Ludovic. à Cruc. Bardi, Trull. Vasquez, Diana *tom. 4. tract. 2. resol.* 54. est ratio: quia licet Breve Apostolicum dies illos excipiat, non tamen Bulla Cruc. adeoque quantumvis vi illius privilegii non valeant, bene tamen vi Bullæ, sicut supra Gallego, & Vincentius Riccius excipiunt diem Paschæ; sed male: quia exceptio in Bulla pro die Paschæ solum est pro receptione (formali ut dictum est) Eucharistiæ. Igitur potest ibi celebrari, Dominusque Sacerdotem invitare ad celebrandum, & adhuc stante excommunicationis pœna, ab Episcopo, ne talibus diebus celebretur, semoto scandalo & contemptu, ut tenent cit. Rodrig. Trull. & Diana, quia facultas Bullæ est à Pontifice, ideoque ab Episcopo nequit impediri. Ast in tali casu melius foret Episcopo obtemperare, uti consulit Diana *loc. cit. resol.* 28. Eadem ratione patet plures Missas celebrari posse in dictis Oratoriis, quantumvis Brevia Apostolica moneant unum posse celebrari: quia Bullæ Cruc. verba ad numerum determinatum, ut diximus, non restringunt.

220. CONCL. II. Bulla tamen non dat facultatem recipiendi Eucharistiam, etiam ex devotione à quocumque Sacerdote. Ita Rodrig. Henriq. Avila, de Lugo, Bardi, Sanchez, Suarez, Nuñus, dicens iste, contrarium est improbabile *in 3. par. qu. 82. art.* 3. Est ratio: quia solum conceditur facultas sumendi Eucharistiam, quin fiat mentio de circumstantiis, quæ ni expressæ, intellectæ non veniunt; quales sunt quod recipiatur necne à proprio Parocho, vel è alterius manibus Sacerdotis; præcipue cum nullo modo sit connexa hæc cum receptione, ut ex se liquet; nam Bulla solum intendit tollere impedimentum ab interdicto proveniens, minime vero declarare aliquid contra jus commune, secundum quod à solo Parocho, vel ab alio de ejus licentia, potest hoc, uti, & alia, recipi Sacramentum, ut notant communiter AA. & determinatum fuit *in Concil. Carthag. 1. cap. 7. & Milevit. cap. 18.* & colligitur *ex cap. omnis utriusque sexus de Pœnit. & remis.* posse à quocumque Sacerdote recipi Eucharistiam.

221. Accedit quod si hæc facultas daretur, cum non dicant AA. contrarium sentientes, venire concessam in facultate data eligendi Confessarium: etiam, & recipiendi alia Sacramenta, utpote Extremam Unctionem, Matrimonium, nulla adepta licentia Parochi: quia eadem clausula qua conceditur posse recipere Eucharistiam tempore interdicti, & alia Sacramenta posse sumi conceditur: quod illud absurdum est, & contra praxim: igitur censendum est Bullam, quoad hanc circumstantiam recipiendi Eucharistiam, nil innovare sed pure facultatem præstitisse valendi illam sumere tempore interdicti. Hæc tamen licentia à Parocho cuicumque Sacerdoti etiam non approbato ab Ordinario ad Sacramenta administranda dari potest: eo quod habeat ordinariam potestatem, consequenterque delegabilem, dum non prohibetur, uti in Sacramento Pœnitentiæ per Trid. *Sess. 23. cap. 15. de reformat.* nec requiritur expressa, sed sufficit rationabiliter præsumpta, ut tenet Trull. de Lugo. Navarr. Bardi, & alii, quinimo invaluit jam consuetudo ut pro recipiendo Eucharistiæ, & Pœnitentiæ Sacramentis ex devotione à quocumque Sacerdote, sive Regulari, sive Sæculari, approbato tamen ab Ordinario loci pro Pœnitentia suscipiendo, accipi valeant.

QUÆSTIO XI.

De privilegiis circa cibos veritos; usum carnium in diebus prohibitis, & jejunia.

Post privilegia hucusque concessa, seriem gratiarum, quas dispensat liberalis SS. Pater in hoc diplomate prosequendo, elargitur beneficium, ut hanc Bullam habentes, utriusque Medici corporalis nempe, & spiritualis consilio, carnes temporibus jejuniorum integri anni, etiam Quadragesimalium comedere valeant. Circa quam gratiam sit.

§. I.

Resolvens an per privilegium usus carnium in diebus prohibitis aliquid concedat Pontifex; aliasque difficultates hanc gratiam concernentes.

SUMMARIUM.

222 *Per hoc privilegium aliquid concedi ostenditur.*
223 *Medicus spiritualis quis sit.*
224 *Objectio solvitur.*
225 *Et qui corporalis.*
226 *Hac gratia non fruuntur Patriarchæ, Primates, &c.*
227 *Extenditur dictum privilegium ad feriam sextam, & Sabbatum non jejunale.*
228 *Dispensatus ad carnes non astringitur jejunii præcepto.*
229 *Solvitur objectio.*
230 *Alia solvitur instantia.*
231 *Qui ad carnes dispensatus est, etiam ad nocivas.*
232 *Pariter iste pisces simul cum carnibus, edere potest.*
233 *Ni Episcopus prohibuerit sub excommunic. pœna.*
234 *An dispensatus ad carnes in Quadragesima, teneatur à lacticiniis abstinere die, quo iis non vescatur.*
235 *Obstaculum resolutionis dissolvitur, magisque hac explicatur.*
236 *Dispensatus ad carnes, bis cœnare potest, quamvis Cœnæ abstinentia ejus saluti conducat.*

222. HOc quæsitum jam in capite propositum investigare decrevi; quia videtur, Papam nil, per privilegium, usum nempe carnium diebus prohibitis, concedere; eo quod exigat utriusque Medici consilium. Ratio dubitandi est: quia solum consilio Medici corporalis licitum est cuicumque carnibus vesci; & absque eo, si indigentia sit nota; igitur si Pontifex unice carnium usum diebus prohibitis concedit cum utriusque Medici consilio, visum est per hanc gratiam nedum aliquid contra jus commune relaxare, quinimo novum onus imponere talis usus fungendi causa. Sed licet aliqui his innixi, tueantur nil

novi

novi concedere Pontificem, tamen sunt omnino rejiciendi, ut & aliæ opiniones circa præsens privilegium, quas opus non est hic referre; adeoque dicendum est: tale privilegium concedere, quod stante aliquali causa dubium pariente, ad utendum carnibus die prohibito, nec ne, non requiratur dispensatio Episcopi, vel Parochi; sed, sufficere consilium utriusque Medici (accepto ly *utriusque* non disjunctive, ut falso putabant aliqui, secum Henriquez trahentes, contrarium sentientem.) hoc est dum causa est ita dubia, vel quia gravitas morbi non est manifesta, vel quia morbus non est adeo gravis, ut prudenter Medicus corporis consulere nequiret carnium comestionem, possit iste, & Spiritualis absque ullo scrupulo, vi Bullæ supplentis defectum causæ, earum esum suadere. Quod quidem à jure communi non conceditur. Ita Villal. Joan. Sanchez, Tull. Ludovic. à Cruc. Pallatius, Rosel. Henri. Bardi, & alii.

223. Per medicum spiritualem intelligitur hic Sacerdos quicumque, quamvis nec confessione Pœnitentem audiat, nec proprius ipsius sit Confessor, quinimo nec approbatus sit ab Ordinario ad confessiones audiendas. Est ratio: quia, eo quod Sacerdos sit, habet annexam potestatem absolvendi, sicque capacitatem proximam recipiendi jurisdictionem in foro sacramentali, subditorum scilicet electionem, ut valide absolvat; quo nonque ex actuali jurisdictione Medicus spiritualis appellari valet. Præterea cum hoc nomen Medicus intelligatur de Medico corporis, extendaturque ad spiritus, Huic attribuendum est illud, quo ille talis constituitur, proportionaliter; cumque sola cognitione morborum corporis & applicatione remediorum, ad eos pellendos Talis dicatur: hincque pariformiter spiritualis dicetur sola morborum animæ intelligentia, & medicinarum indicatione, ad iis dolentes sanandos; ad quos purus valet Sacerdos: Sacerdotium enim est munus gerendi alios in vita spirituali; consequenterque eo præditus, aptitudine quoque ornatur speciali animam curandi: qui si aliunde vi approbationis ab Ordinario, nedum ad hæc, sed ad conferendam vitam mortuis spiritualiter; media gratia collata per absolutionem sacramentalem valeat; hoc non est ipsius ut Medici, sed ut judicis in quo à Medico corporali distinguitur. Accedit, quod, vel ab Ecclesia, vel à Christo habent jurisdictionem absolvendi à venialibus, & mortalibus remissis, licet per Innocen. XII. prohibitum sit illam reducere in actum, & ab Innocen. XI. in decreto circa communionem quotidianam prope finem.

224. Objicies: Medicus spiritualis solum requiritur ad præstandum consilium; sed ad hoc sufficit prudentia: ergo per Medicum spiritualem adhuc non intelligetur Sacerdos; sed quicumque pius & prudens exigetur a Pontifice, volente dicto nomine comprehendi. Respond. concessa majori neg. minorem in præsenti casu. Quia quamvis prudentia non exigat Sacerdotium, tamen hoc congruenter à Pontifice exigitur, uti similiter ad absolvendum à censuris; ad commutandum vota; ad quæ certe sufficeret prudentia quorumdam Laicorum; & tamen Pontifex in hacmet Bulla ad munera prædicta Confessarios solum eligere voluit; & merito: quia cum omnia hæc ad animæ salutem spectent, Sacerdotumque sit, ut dictum est supra *num.* 22. cæteros dirigere Fideles in vita spirituali, sub tali nomine Laicus quicumque, licet doctus, pius, & prudens non veniet; uti nemo prudenter existimare potest.

225. Per Medicum autem corporalem intelligitur ille, qui Medicinæ Doctoratu insignitus est; quin sufficiat scientiam artis habere, uti non sufficit aliquem peritum esse in Jure Canonico, ad dispensandum in foro interno, quoties tale munus committitur Doctori: ut communiter sentiunt A A. quamvis aliqui propugnent, Licentianatus gradum sufficere: tamen Baccalaureatus gradum Medicinæ, eis qui visitandi privilegium exercent, ut sunt major pars Medicorum Villarum, Locorum, aliorumque oppidorum sufficere, certum teneo: quia omnes hi veri Medici sunt corporales; hic exigit eos Pontifex, ratione scientiæ, quam supponit ipsos habere ad morbos cognoscendos, hinc, qui ita inscius foret, ut ignoraret adhuc Medicinæ esse, eo quod nusquam tali incubuisset arti, obtineretque talis facultatis Doctoratum; eo quod in examine pro se alium supposuerit, vel ex aliqua Familia privilegium habente doctorandi, indubitanter censeo, sub nomine Medici corporalis non venire quia primus revera Doctor non est: quamvisque secundus, talis illo sit modo; cum tamen Medicus à Medicina dicatur, ut notat Passeratius in Dictionario Calepini, Pontifexque potius attendat intelligentiam hujus artis, atque exercitium medendi, quam nudum Doctoratus gradum, nequit dici sub eo nomine comprehendi. Itaque ob hanc causam communiter sustinetur in defectu hujus, corporalis nempe Medici, ab homine experto consilium exigi poterit; revera tamen tutius erit illo in casu à Parocho dispensationem obtinere.

226. Dictum privilegium non extenditur ad omnes habentes Bullam; nam Partriarchæ, Primates, Archi-Episcopi, &c. Regulares, & Presbyteri Sæculares excipiuntur in ipsamet Bulla Latina, ita post talis privilegii concessionem sonante. *Et sub hoc indulto vescendi carnibus, ovis, lacticiniis comprehenduntur cujusvis militiæ Regulares, Partriarchis vero Archi-Episcopis, & Episcopis, aliisque inferioribus Prælatis, nec non aliis Personis Regularibus, & qui ordine Presbyteratus fuerint Sæcularibus id minime conceditur, nisi sexagenarii fuerint.* En clarus Bullæ textus: quia ergo hæc regulari debent aliæ Bullæ, Hispanica nempe, & Italica, ideo non obstat, quod in his solum de ovis, & lacticiniis fit exceptio.

227. Extenditur dictum privilegium, pro iis, quibus est concessum ad feriam sextam, & sabbatum non jejunale, licet in Bulla solum dicatur: *Carnibus de consilio utriusque Medici temporibus jejuniorum totius anni, etiam quadragesimalibus vesci.* Nam dictio *etiam* continet tempus extraquadragesimale, non jejunale, ut ostensum est *num.* 217. ibique Regulam juris adduxi hanc veritatem pariter concludens. Accedit, quod ridiculum foret dicere posse vesci carnibus, quamquam de utriusque Medici consilio, feria sexta, & sabbato, si dies jejunales sint, minime vero si non sint; eo quod major difficultas adsit dispensandi pro illis. Demum expresse habetur in Bulla Italica. *Item concede à tutte le Persone che prenderanno questa Bolla, che durante il detto anno, possano di conseglio d'ambi due i Medici spirituale è corporale mangiar carne in Quaresima, è altri tempi di digiuno, è giorni, prohibiti di mangiar carne per tuto l'anno.*

228. CONCL. I. Qui vi Bullæ est dispensatus ad carnes diebus jejunalibus, non astringitur ad unicam comestionem. Ita Toletus, Gomez, Joan. de la Cruz, Caietan. aliique apud. Bardi citati, & Diana afferens hanc probabiliorem sententiam *tom.* 4. *tract.* 6. *resol.* 75. *num.* 3. Est ratio: quia abstinentia à carnibus est de essentia jejunii, sublataque rei essentia, & rem ipsam perire necesse est, consequenterque, cum jejunii forma corruat, non habet vim obligandi adhuc ad unicam comestionem. Itaque colligitur ex *l. Seia ff. de auro, & argent.* & patet nam si quis voveret jejunare pane, & aqua; neque postea posset, ad jejunium consuetum non teneretur. Probabilior etiam putatur sententia hæc *tom.* 1. *tract.* 10. *d.* 2. *q.* 2. *num.* 15. pro qua demum est Religionum praxis, in quibus ita dispensati ad carnes, plures accipiunt refectiones.

229. Objicies: ex hac concl. sequeretur, quod dispensatus ad plures comestiones in die jejunii, etiam ad carnes dispensatus foret; nam etiam est de jejunii essentia unica comestio; sed hoc secundum non est admitendum: ergo neque primum. Respond. neg. sequelam. Et ratio est: quia comestio carnium directè, & per se, vel immediate, hoc est independenter à jejunio prohibetur ab Ecclesia, diebus præscriptis in Sac. Canonibus *cap. Denique dist* 4. & alibi. Deinde vetitur etiam indirecte, quatenus est conjuncta cum

cum abstinentia plurium comestionum, ad constituendum jejunium; sicque licet desinat præceptum abstinendi ab iis, ut pars essentialis jejunii constitutiva, deficiente alia comparte, abstinentia nempe à secunda refectione, cessetque in quantum est materia legis jejunium præcipientis: tamen non cessat in quantum primo, & per se, est materia alterius præcepti, videlicet de non edendis carnibus: quæ secunda comestionis abstinentia, cum non ita à jejunio independenter jubeatur, totaliter cessare videtur, jejunio sublato.

230. Dices aliter: hoc privilegium est odiosum, consequenterque presse interpretandum: ergo dispensatio ad unam jejunii partem, utpote ad abstinentiam à carnibus non debet ad aliam extendi, utputa ad unicam refectionem, sicque hanc vigere, alia, dispensationis causa, jam non stante. Respond. non extendi directe, & per se; sed indirecte, & per accidens, quo salvatur rigor interpretandi tale privilegium, adeoque dispensatus quoad carnes, per accidens deobligatur ab obligatione unius refectionis; & è contra quantumvis illa ratione alterius præcepti servari debeat.

231. CONCL. II. Dispensatus ad carnes, etiam ad nocivas, utpote porcinas, caprinas, &c. dispensatus est; consequenterque non peccabit eas comedens contra Ecclesiæ præceptum, licet aliunde contra sobrietatis virtutem faciat. Ita Sanchez, & Joan. Sanchez *in select.* Villal. Vilbaldus, Pasqualigus, Bardi, Trull. Diana, & alii. Est ratio; quia per dispensationem fit liber dispensatus ad comedendas carnes, quæ alias vi Ecclesiæ præcepti vetitæ erant; cum ergo per tale præceptum indivisibiliter omnes Carnes prohibeantur: igitur dispensatus ita, omnibus vesci valebit, quantumvis noxiis, quin præcepto Ecclesiæ contraveniat: quantumvisque dispensatio ordinetur ad sanitatis conservationem, tamen ex hoc non sequitur, ut hæc servari debeat vi alicujus statuti Ecclesiæ: Hæc namque nullam instituit legem pro ea tuenda; cumque hoc innitatur fundamento contraria sententia profecto corruit. Secunda conclusionis pars illata abunde patet.

232. CONCL. III. Etiam taliter dispensatus, pisces simul cum carnibus edere potest, ac sine eis. Ita Azor, Fagundez, Angles, Villal. Trull. Bardi, Pasqualigus, & alii. Est ratio: quia illos comedere cum carnibus, aut sine, non est prohibitum: licetque Ecclesia dispenset sanitatis corporalis causa, eorumque comestio nociva sit, cum tamen (ut supradictum proportionaliter est) illa non vetet, eos non comedere, quamvis temperantiam præcipiat, contra jejunii præceptum non peccabitur.

233. Si autem Episcopus hoc prohibuerit sub excommunicationis pœna, non posse, censeo cum Castropalao, & Diana *tom.* 4. *tract.* 6. *resol.* 77. contra Sancium. Est ratio: quia finis hujus præcepti non est saluti Fidelium consulere corporali, sed horum ædificationi; ne inquam dispensati in lege à carnibus abstinendi voluptati incumbant, pro pœna, quam alii præstant, cum & ipsi præstare tenebantur. Adeoque licet esus eis non sit nocivus, adhuc non eis licebit, nec permitendus foret ad excitandum appetitum talis Piscium esus, ni in tam levi quantitate, ut in consideratione non veniat: ut ait Diana *loc. cit. num.* 5.

234. Quæres tamen: an dispensatus ad carnes per totam Quadragesimam de consilio utriusque Medici, si aliquo die, ab iis abstineatur; ob quancumque causam, Piscibus, ovis, lacticiniis tali die vescendo, possit duplicem accipere refectionem. Ad quod ita cum distinctione respond. Vel talis ille dispensatus est ob virium debilitatem, ex præsenti, aut præterita infirmitate ortam; vel ad hujus tantum præservationem. Si primum non teneri ad unicam comestionem, sed binam sumere posse, ut certum, censeo, quia dispensatio in eo tunc, nedum attendit nutrimentum corporis ex qualitate ciborum, sed etiam restaurationem virium corporalium; ideoque taliter dispensatus, nolens uti dispensatione quoad primam partem, uti poterit quoad secundam, hocque est bina refici comestione: si vero secundum, jejunare tenebitur. Ita Sanchez *lib.* 5. *cap.* 1. *dub.* 30. Megalius Trull. Escobar, Sebastianus Sacro *in fasciculo florum lib.* 1. *tract.* 3. *cap.* 11. *dub.* 1. Diana *tom.* 4. *tr.* 6. *resol.* 77. & Bardi, & Pellissarius parum probabilem, ut tutam putantes contrariam opinionem. Est ratio afferti: quia objectum adæquatum talis dispensationis est nutrimentum ex qualitate ciborum, non vero ex virium corroboratione: eo quod dispensatus jam supponatur robustus, & capax ad tolerandam jejunii afflictionem; igitur non comedendo, cessat finis totalis, & adæquatus dispensationis consequenterque urget jejunii obligatio. Accedit, quod taliter dispensatus solum est liber à jejunio dum ponit conditionem incompossibilem cum jejunio: cum ergo non ponatur, carnibus non vescendo; ideo viget jejunii præceptum, adeoque ad unicam tenebitur refectionem.

235. Nec dicas dispensationem à jejunio esse accessorium ad dispensationem carnium: adeoque integrum esse taliter dispensato jejunare, uti est, carnes comedere: nam hoc solum probat esse liberum dispensato jejunare conditionate, hoc est casu, quo abstineat à carnibus jejunare: sique non neutiquam; non vero absolute. Unde huic tali solum erit facultas jejunandi, vel non in prima refectione: nam si in illa aliquid incompossibile cum jejunio, utputa carneum non comedat, ad refectiunculam postea tenebitur; secunda enim refectio non per se conceditur; sed ex suppositione comestionis carnium: ad modum quo excusatur à residentia duorum beneficiorum ipsam exigentium dispensatus à Summo Pontifice; qui ille si uni renuntiarit, jam alterum residere tenebitur: & à Sacro audiendo die festo dispensatus ne aeris intemperies ei noceat, audire tenebitur, si domo egrediatur.

236. CONCL. IV. Dispensatus ad carnes, iis cœnare potest, quamvis valetudini ejus congruat abstinentia à cœna, quin peccet contra Ecclesiæ præceptum. Est ratio: quia per dispensationem absolute, & simpliciter liber effectus est à præcepto Ecclesiæ, consequenterque contra illud non delinquet. Ne tamen alicui videatur hanc conclusionem opponi resolutioni *num.* 234. datæ. Dico, in illo casu declarationem Medici tendere per se ad eximendum à præcepto jejunii; in secundo autem solum per se ferri in præceptum abstinentiæ à carnibus; ideoque excusationem à jejunio, in primo casu esse directam, & non ex suppositione esus carnium; in secundo vero, exceptionem à præcepto abstinentiæ à carnibus non dependere à necessitate cœnæ, aliquando enim dispensatus poterit non egere secundæ refectionis; sed dependet ab illa indipositione, ob quam Medicus existimavit liberum esse illum à tali præcepto abstinendi ab esu carnium.

QUÆSTIO XII.

De privilegio edendi ova, & lacticinia.

SUMMARIUM

237 *Sub mortali noxa vetat Jus Canonicum esum lacticiniorum tempore Quadragesimæ;*
238 *Extra quam, adhuc vi Bullæ iis vesci possunt.*
239 *Omnes cujusvis professionis, & ætatis;*
240 *In Quadragesima vero Partriarchas, &c. non fovet.*
241 *Partriarchæ à Primatibus distinguuntur.*
242 *Quid Archiepiscopus, & Metropolitanus.*
243 *Et Episcopus large sumptus;*
244 *Stricte tamen quis sit.*
245 *Prælati nomine qui veniant:*
246 *Et qui sub Regularium nomine.*
247 *Laici, & Moniales intelliguntur hic; non tamen Ordines Militares.*
248 *Firmantur ultimate dicta, regula juris.*
249 *Solvitur levis objectio.*
250 *Tertiarii, nec Heremitæ veniunt sub nomine Regularium.*

251 Per-

251 *Personæ exclusæ à privilegio lacticiniorum, si sexagenarium attigerint annum, eo fruuntur.*
252 *Annus talis debet esse completus.*
253 *Non jejunantes, diebus præscriptis, vi Bullæ ova, &c. edere possunt.*
254 *Presbyter, vel Regularis in hoc privilegio non inclusus, in mensa Privilegiati eis vesci potest.*
255 *In Dominicis Quadragesimæ non licet iis vesci sine Bull. Cruc.*
256 *Objectio.*
357 *Solvitur.*
258 *Pura permissio non cohonestat actum.*
259 *Alteri objectioni fit satis.*
260 *Sententiam contrariam esse practice improbabilem ostenditur.*
261 *Amplius patefit.*
262 *Prælati, & Presbyteri vi Bullæ possunt, in dictis diebus Dominicis, lacticiniis vesci.*
263 *Solvitur brevis objectio.*
264 *Pueri post septimum, vel octavum annum: usum rationis habentes, lacticiniis vesci nequeunt in Quadragesima absque Bulla.*
164 *Solvitur objectio.*

237. Certum est contra Fagundez, & alios à se citatos, quamvis male, per hoc indultum concedi aliquid contra jus commune, quod prohibet ova, & lacticinia quadragesimali tempore, sub mortali peccato, ut tenent Canonistæ, & Theologi, poteris enim in Pasqualigo *de jejun. decis.* 17. videre 37. AA. citatos, ita expressè asserentes: & colligitur ex *cap. Denique dist.* 4. ubi Summus Pontifex S. Gregorius ad Aug. Episcopum Anglorum respondens super his seqq. inter alia, ait: *Par autem est, ut quibus diebus à carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam carnis trahunt originem jejunemus, à lactè videlicet, & caseo, & ovis.* Super quibus verbis, si quis dicat; non inferri ex ipsis præceptam sub mortali, talem abstinentiam, sed puram inducere decentiam, ut notat particula *ly Par*, ut ita Glossa interpretatur ibidem. Contra sit in promptu: nam Aug. ut in declaratione notat, Glossa inquirebat, an sicut à carnibus debemus tali tempore abstinere; ita, & ab ovis, & lacticiniis, & caseo; igitur sub eadem obligatione videtur venire abstinentia à carnibus, & lacticiniis, & ideo Glossa vers. ab omnibus sic exponit: quasi dicat, ex quo caro prohibetur, & omnia quæ de carne procedunt. Deinde Pontifex in hoc canone declarat præceptum abstinendi à carnibus in jejuniis quadragesimalibus ad ova, &c. se extendere. Demum cum Bulla excludit Prælatos, signum est jus commune prohibere tales cibos; sicque abstinentiam eorum non esse ex pura decentia.

238. Dictum privilegium vescendi ovis, & lacticiniis in Quadragesima prodest etiam extra tale tempus, ubi sit consuetudo se abstinendi à talibus cibis, nam jus commune non prohibet pro talibus diebus; quamvis viri docti, & timoratæ conscientiæ censeant non licere talibus uti cibis in vigiliis extraquadragesimalibus, & quatuor anni Temporibus,

239. Sub hoc privilegio extra Quadragesimam concesso comprehenduntur omnes, qui Bullam accipiunt sive Sæculares, sive Regulares, Ecclesiastici, & Presbyteri, quamvis sexagesimum non attigerint annum; nam licet pro omnibus diebus jejunalibus absolutè excludantur Patriarchæ, &c. tamen in fine Bullæ Latinæ Gregor. XIII. declaravit intentionis suæ fuisse, & esse sub indulto vescendi ovis, & lacticiniis comprehendi prædictas Personas, quantumvis non sexagenarias in omnibus jejuniis extraquadagesimalibus.

240. In quadragesimalibus verò Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, aliique Prælati inferiores, nec non Regulares omnes, & Presbyteri, etiam Sæculares, nisi sint sexagenarii, ut expressè excepti habentur in Bulla. Ratio autem hujus est: quia ratione status debent esse abstinentiores, ut colligitur ex cap. statuimus *dist.* 4.

141. Quamvis igitur, à primis incipiendo, Patriarchæ, & Primates ample loquendo non distinguantur, ut notat *Gloss. in cap.* 1. *dist.* 99. *initio*, & *cap. coram de in integrum restitut. vers. super primaria*; tamen strictè loquendo, differunt: quia Patriarcha græce idem est, ac latinè summus Patrum. Ut habetur *cap. cleros dist.* 21. ex B. Isidoro *lib.* 2. *etymo. cap.* 12. Et simpliciter loquendo, sub hoc nomine veniunt Patriarchæ principales, qui sunt post Pontificem maximum, ut Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus; ita *Glos. cap. cleros cit. vers. in Patriarchas.* Per Primates autem intelliguntur alii Patriarchæ minorem dignitatem habentes, quam relati; hacque de causa absolutè Patriarchæ non dicuntur, sed Primates, Patriarchæ minores, ut Aquileiensis, Gradensis, Indianus, Aethiopensis, & alii apud *Gloss. in eod. cap. cleros vers. Archiepiscopos.* Qui omnes ab hoc indulto excluduntur.

242. Archiepiscopus, qui sic dicitur à verbo græco *Archon* quod latinè Princeps significat, dicitur quasi Episcoporum talis. Can. Cleros *dist.* 21. & Metropolitanus à mensura Civitatum, qua quælibet Provincia cui præest decem, vel undecim Civitates, & totidem suffraganeos Episcopos olim sub se continere solebat. *can. scitote* 6. *quæst.* 3. *vel à mitros*, quod est mater, & Polis, quod est civitas: quia Archiepiscopalis Ecclesia sita est in metropoli cæterarum Civitatum, ipsa enim est quasi mater aliarum Ecclesiarum totius Provinciæ *C. de iis* 12. & *notat Gloss. in cit. can. cleros.* Ex quo videtur aliquem posse Archiepiscopum esse, & non Metropolitanum, eo quod nullum Episcopum suffraganeum habeat, ut Archiepiscopus Rossanensis, & Lancianensis, referente Barbosa *lib.* 1. *jur. Eccles. unio cap.* 7. *num.* 7. & Azor *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 33. *quæst.* 1.

243. *Episcopus* autem nomen, quod græcum, & antiquum componitur ex dictione *Epi*, quod latinè *super*, & *Scopos* latinè intentio, exprimunt, significat, quod Episcopus sit superintendens, seu curam gerens eorum, quibus præficitur, prout notatur in can. qui Episcopatum 8. *quæst.* 1. & *can. cleros sæpius cit. dist.* 21. Hi ergo, & Archiepiscopi tempore quadragesimæ, si adhuc à Sum. Pontifice confirmati non sint, exclusi non erunt à dicto privilegio lacticiniorum vi dignitatis: quia ipsam adhuc non habent, neque jurisdictionem; adeoque si alio titulo non excluderentur à tali privilegio, uti Sacerdotio, frui eo possent, & quamvis confirmati, si consecrati non sint: quia licet potestatem exercendi jurisdictionem temporalem, & spiritualem habeant per totam Diœcesim, ut ferre censuras, indulgentias concedere, approbare ad confessiones audiendas.

244. Vere tamen, & propriè solum veniunt sub his nominibus consecrati, ut sentit Abbas *in C. eam Te num.* 2. *è rescriptis.* Rodrig. Ludovic. à Cruc. Card. Tuschus, Barbosa, Reiffenstuel. in suo jure Canonic. *tom.* 1. *tit.* 31. §. 1. *num.* 18. & 19. *pag.* 341. & habetur Ex arg. *c. tua* 8. de his quæ fiunt a Prælat. ibi: *Episcopo, vel electo.* Juncto Pontificiali Romano, *tit. de Consecratione Electi in Episcopum.* ubi tales non appellantur simpliciter Episcopi, sed cum addito *Electi.* Etiam *Glos. in cap.* 1. ℣. *Dedicanda de Religios. Domibus Et in Clem.* 2. *in casu*, & *v. Pontificum de Celebrat. Missarum*, & *Clem.* 1. *v. Quamvis Pontificem. de Pœnis.* Episcopatus enim est verus ordo & non simplex dignitas Ecclesiæ Dei. *Unde in can. qui Episcopatum* 8. *quæst.* 1. *optimè dicitur*, quod Episcopatus, nomen operis est, & non honoris. Donec ergo Episcopus sit consecratus, remanet electus: consecratio enim Episcopum facit. Ut ait Felinus *in C. meminimus à princip. accusat.* Inferens inde quod Civitas occidens electum non incurrat pœnam, quam Episcopum occidendo incurreret. Accedit, quod exceptio hæc est a privileg. exorbitante a jure communi, sicque Personæ strictè, & non ample sunt intelligendæ. Miror tamen ratione, qua firmat P. Bardi contrariam, quam tenet sententiam cum Trull. cujus est, adducta ab hoc *lib.* 1. §. 4. *dub.* 5. *num.* 2. *pag.* 4. & *ab illo part.* 2. *tract.* 3. *cap.* 2. *sect.* 2. *num.* 18. *pag.* 239. est equidem: quia cum Consecratio

cratio supponat sacerdotium (ajunt) jam Episcopus talis supponeretur exceptus, quæ certe nulla: quia hic inquiritur, an Episcopus confirmatus sit exceptus à privilegio lacticiniorum, vi Episcopatus, nonque alterius tituli; nullus enim est qui neget Presbyterum Episcopum duplici titulo exceptum esse à tali privilegio; quibus exceptus erit quamvis muneri suo renuntiarit; quia vere Episcopus adhuc, consecratus enim, ordinemque retinens episcopalem.

245. Nomine Prælati intelliguntur ii, qui habent jurisdictionem ordinariam, & spiritualem, vel ut ait *Gloss. in cap. decernimus de Judic. vers. Ecclesia.* nomine Prælati intelliguntur Judices ordinarii; illi nempe, qui ordinariam habent potestatem, ut declarat *Panorm. ibidem num.* 16. Azor. *tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 25. initio: licet ut notant dicti AA. late sumpto vocabulo, Prælati etiam dicantur curam animarum gerentes. Comprehenduntur igitur in præsenti, Abbates, Generales Religionum, Provinciales, Guardiani, Priores, Rectores Præpositi, & similes, qui prædictam jurisdictionem habent: dicti omnes à vescendi lacticiniis indulto exclusi sunt. Qui autem dignitatem renuntiet, exclusus non veniet, ni aliter sit impeditus. Cardinales non excluduntur, titulo Cardinalatus, ut videri potest in exceptione, in qua de illis non fit mentio.

246. Regulares sunt illi qui tria vota substantialia, paupertatis nempe, castitatis, & obedientiæ, Religionis approbatæ à Sum. Pontifice, peracto novitiatus anno, coram Prælato legitime acceptante, vel alio de ejus commissione emiserunt, subsuntque illius obedientiæ, ut advertunt Rodrig. Trull. Bardi, Ludovic. à Cruc. Villal. veniuntque sub his Religiosi Societatis Jesu, qui post biennium novitiatus tria dicta vota simplicia emittunt, quia per talium votorum emissionem vere, & proprie Religiosi constituuntur, ut declaravit Greg. XIII, in Bulla Ascendente Domino. Si tamen dicti expellantur, & alias non sint Sacerdotes, vi Bullæ, lacticiniis vesci poterunt; quia jam non sunt amplius Regulares, ut tenent prædicti cum aliis AA.

247. Inferes quam optime ex dictis, venire etiam sub nomine Regularium Laicos, & Moniales, quia vere sunt Personæ regulares, tamen sub tali nomine in hac exceptione non comprehendi Regulares Ordinum Militarium; est ratio: quia in ipsamet Bulla, his verbis: *Et sub hoc indulto vescendi carnibus, ovis, & lacticiniis, comprehenduntur omnes cujusvis militiæ Regulares.* Implicite conceditur gaudere indulto, a eoque nedum Equites S. Jacobi, Alcantaræ, Calatravæ, de quibus controvertitur, an sint proprie Religiosi, tali fruuntur privilegio; sed etiam Equites Jerosolymitani, qui procul dubio vere, & proprie Religiosi sunt, seu Regulares. Ratio autem qua Pontifex indulgere sibi placuit cum his Equitibus, non obstante, quod religiosi sint, est: quia ipsi secundum proprium institutum non profitentur austeritates illas corporales, quas alii substinent Religiosi Claustrales; ipsi namque dediti sunt laboribus præliorum, contra S. fidei Hostes, ob quod videntur indigere cibis, qui melius nutriant, magisque vires corroborent, ut fortes, atque robustiores inimicis appareant. Ast si Sacerdotes sint, tali privilegio non fungentur, ut tenent Trull. Villal. D. Marcus Serio, Gallego, Bardi, & ratio est: quia non militat pro his ratio supra posita. Deinde quia non est facilè creditu, velle magis eis indulgere, quam Presbyteris Sæcularibus, cum illis potius incumbat perfectiori vitæ acquirendæ studere, quam istis.

248. Confirmatur hæc ratio: nam à regula illa juris, *à minori ad majus*, deducta est hæc alia: *Si id de quo minus videtur inest, & id de quo magis.* Cujus sensus est: *si id, quod videtur alicui minus convenire, illi inest; multo magis idem inesse debet alteri, cui plus convenit*: ex quo si abstinentia à Carnibus, ovis, &c. minus debetur Presbyteris sæcularibus, & tamen hi excluduntur à privilegio illis vescendi; per quod rigor talis abstinentiæ tollitur; multo magis excludi debent Presbyteri Religiosi, quibus ratione status, strictior, & austerior vita convenit.

249. Objicies per illa verba Bullæ: *Et qui in ordine Presbyteratus fuerint, sæcularibus id minime conceditur, nisi sexagenarii fuerint*, solum excluduntur Presbyteri Sæculares; non vero militares: ergo Religiosi militares, quamvis Sacerdotes, excepti sunt à tali indulto. Respond. clausulam illam non restringere subjectum; sed statum Ecclesiasticum, ne ad inferiores Presbyteris extendatur, ut Diaconi, Subdiaconi, &c. itaque hoc modo debent construi. *Et sæcularibus, qui in ordine Presbyteratus fuerint.* Dictio enim illa *Et* est copulativa Personarum, quæ excluduntur; & Presbyteratus restringit hoc ultimum genus Personarum Sæcularium, ut intelligantur exclusæ solum, si Sacerdotio sint insignitæ.

250. Non veniunt iterum sub dicto nomine Tertiarii, nec Tertiariæ, vulgo Beatas, nec Eremitæ. Ita Gomez, Bardi, Villal. & alii. Est ratio: quia non emittunt tria dicta vota substantialia Religiosum constituentia. Nec Novitii: quia in odiosis non intelligendi sunt regularium nomine.

251. Omnes supra dictæ Personæ exclusæ, si sexagenarium attigerint annum, privilegio frui valebunt: ut expresse habetur in Bulla volente Pontifice ætati senili indulgere, in qua, ut plurimum solent esse vires corporales debilitatæ; adeoque non erat congruum tales privare cibis magis reficientibus. Jesuitæ tamen adhuc indigent consensu Superiorum, ob declarationem Greg. XIII. qua stabilivit nullo privilegio Bullæ frui posse absque suorum Præsulum consensu.

252. Annus tamen sexagenarius completus esse debet. Est 1. ratio: quia cum tempus, quo quis excusatus est à jejunio non sit à jure determinatum, sed ex Prudentum existimatione pendeat, resolvendum est, ex opinione communiori, qua ducuntur AA. inquirendo tempus, in quo absque privilegio deobligentur Fideles à jejunii præcepto, cum hoc pariter in jure determinatum non sit, & cum communiter sustineant ante prædictam ætatem, seu Sexagenarium annum completum, non liberos esse: nam in P. Bardi *part.* 2. *tract.* 3. *cap.* 2. *sect.* 3. plusquam triginta AA. reperies, quorum aliqui nominantur, dicentes: Septuagenarios excusari à jejunio: Alii Septuagenarios non liberant, si robustas habeant vires. quin rigidior apppellanda sit hæc sententia; Alii Sexagenarios solvunt, si debiles sint, vel de virium imbecillitate sit ambiguitas. Diana tenet *tom.* 4. *tract.* 6. *resol.* 6. *pag.* 204. esse commune DD. Sexagenarios viribus pollentes non excusari: plusquam viginti referens AA. & *in primo tom. sum. tract.* 10. *dist.* 2. *quæst.* 4. *num.* 61. Septuagenarii liberantur; ideo secunda ratio est quia privilegium hoc exorbitat à jure communi; consequenterque presse est interpretandum. *Tertia*; quia sicut non est determinata in materia furti quantitas constituens peccatum grave, ita non est præfixum tempus in quo Fideles solvantur à lege jejunii; sed assignita e.g. duo regales respectu mechanicorum, non intelliguntur incepti, sed completi: ergo æque discurrendum est in præsenti casu jejunii; sicque eodem modo, annus sexagenarius signatus in Bulla completus, & non inceptus comprehendendus est.

253. Qui diebus jejunii non jejunant, possunt per Bullam comedere ova, & lacticinia, ob quamcumque causam non jejunent. Est ratio; quia in clausula illa Bullæ (*ac pro eorum libito, ovis, & lacticiniis, ita quod, qui carnes non comederint; servata in cæteris jejunii ecclesiastici forma dicto jejunio satisfecisse censeantur.*) conditio illa, *servata in cæteris jejunii ecclesiastici forma* refertur ad observationem, & adimpletionem præcepti Ecclesiastici; cum enim ad hoc aliquæ requirantur, utpote abstinentia à Carnibus, & ab iis quæ earum Sementinam trahunt originem, ut superius dictum est; & quod unica refectio sumatur hora consueta, declarat Pontifex, concedendo, hanc Bullam accipientibus, privilegium usus lacticiniorum, ne dubitarent an jejunii præceptum implerent, quod si in

reliquis

reliquis jejunii formam servent, censeantur obligationi ejus satisfecisse, adeoque videtur, quod illa conditio refertur ad observationem præcepti minimè vero ad facultatem comedendi ova, & lacticinia, ut falsò aliqui putant.

254. Commensalis, adhuc Presbyter, vel regularis, illius qui privilegium obtinet vescendi lacticiniis cum omnibus edentibus in propria mensa, in Quadragesima, is pariter vesci poterit. Est ratio: quia quod unum privilegium eis denegat, aliud concedit, adeoque si per Bullam Cruc. Presbyter, vel Regularis, & non eximitur à jure Communi obligante ad abstinentiam lacticiniorum, cum declarat privilegium Laicis concessum eis esse denegatum; per privileg. Privilegiati conceditur illis; vesci posse, ratione commensalitatis. Firmari potest assertum dictis *num.* 181. Quod enim de uno correlativo disponitur, & de alio intellectum venit. *Ut habetur in L finali C. de indic. vidui* Bartol. & Bald. ibi cum aliis. Hinc habes; non egere tales Presbyteros, &c. Bulla Cruc. ut dicto fruantur privilegio; bene tamen Privilegiatus principalis: quia ut dicetur infra *d.* 5. *quæst.* 2. Commissarius suspendit gratias, ac similes, vel dissimiles facultates Cruc. hujusque usum impedire valentes, quas postea revalidat, eam suscipientibus: nec juvabit, aliquem ex commensalibus illam habere.

255. CONCL. I. Diebus Dominicis quadragesimalibus non potest vesci lacticiniis absque Bulla. Ita indubitatum haberi debet. *Primo*: quia Pontifex *in cap. Denique dist.* 4. ubi est Sermo de Quadragesima, ait, quod in illis diebus in quibus abstinemus à Carnibus, debeamus etiam abstinere à lacticiniis: (nota quod non dixit in diebus jejunii. seu in quibus jejunamus) cum ergo diebus Dominicis abstineamus etiam à Carnibus, ideo, & à lacticiniis abstinere debemus. *Secundo*. In 6. Synodo Constantinopolitana *can.* 56. sub variis pœnis interdictus fuit esus ovorum, & lacticiniorum in Dominicis Quadragesimalibus. Qui can. sive habeatur Concilii, sive non; aprobati à Pontifice, vel non, nihilominus saltem gravissimum præbet fundamentum ad tuendum, unoque ore fatendum, non esse licitum nostris temporibus, illis vesci; cum jam antiquissimis foret consuetudo non edendi tales cibos dictis diebus. *Tertio*: Quia Sac. Congregatio S. Officii, & S. Congreg. Indicis mandarunt contrariam Sententiam à quodam libro deleri, ut executum fuit; & merito, quia contra communem Sententiam DD. quidquid falso afferat Machadus; estque contra totius Ecclesiæ universalem consuetudinem, ut ait Diana *tom.* 4. *tract.* 6. *resol.* 54. *num.* 2. *pag.* 228.

256. Objicies, signanterque ex Pasqualigo: Episcopus Anglorum quæsivit à Pontifice, an quadragesimalis abstinentia foret servanda in Dominicis Quadragesimæ? & respondit Pontifex negativè, etiam quoad Carnes, his verbis: *De ipsa vero die Dominica hæsitamus, quidnam dicendum sit, cum omnes, & Laici, & Sæculares illa die plus solito cæteris diebus accuratius, cibos carnium appetant, & nisi nova quadam aviditate usque ad medias noctes se ingurgitent, non aliter hujus Sac. temporis observationem suscipere putant, quod utique non rationi, sed voluptati: imo cuidam mentis cæcitati adscribendum est; unde nec à tali consuetudine averti possunt, & ideo cum venia suo ingenio relinquendi sunt, ne fortè pejores existant, si à tali consuetudine prohibeantur, ut enim ait Salomon, qui multum emungit, elicit sanguinem.* Quibus, nedum ova, & lacticinia non prohibet Pontifex; sed neque Carnes; licetque illi peccarint contra temperantiam ingurgitando se carnibus, non tamen contra quadragesimale præceptum: quia cum quadragesimæ abstinentia non sit à jure divino, nec naturali, ejus non observantia non est illicita secundum se, cumque Pontifex aliunde eam permiserit, licita erit, quantumvis staret aliquod præceptum positive illam prohibens: quia ea consuetudo jam firmata fuit per Pontificis consensum: igitur ad minus licita erunt lacticinia Dominicis quadragesimalibus.

257. Hæc objectio est præcipuè Pasqualigo, qui ut inferat non esse prohibitum esum lacticiniorum in diebus dominicis Quadragesimæ, supponit permissionem illam esse solum in ordine ad intemperantiam ingurgitandi se carnibus, sed fallitur A. iste: quia id quod Sæcularibus permittit in eo textu Pontifex, est Carnium comestio in Dominica Quinquagesima, ut evidens est ex titulo cap. illius, ubi dicitur: *A Quinquagesima jejunandi propositum sumant, quos Ecclesiastici gradus dignitas exornat.* Pro hac ergo re declaranda supponendum ex Gloss. caput illud 5. constare capitibus, ex quinque nempe petitionibus factis ab Episcopo Anglorum. *Primo* enim quæsivit à Greg. Papa, an Clerici debeant incipere jejunium à Quinquagesima, & respondit Pontifex affirmative. *Secundo*, an Laici, qui consuetudinem habent solemnius epulari in Dominicis à tali consuetudine debeant removeri; ad quod negativa fuit responsio, ne deteriores fiant, loquitur inquam Pontifex de Dominica Quinquagesimæ, in qua jejunium incipiebat; nilque circa ova, & lacticinia pro Dominicis Quadragesimæ disponit in dictis verbis. *Tertio* statuit, ut in diebus Quadragesimæ in quibus à carnibus abstinemus, etiam à lacticiniis abstineamus, quod exegit etiam cit. Episcopus. *Quarto* respondet, ad infirmitatis solatium, non autem ad luxuriam, Piscibus esse utendum in Quadragesima. *Quinto*, demum vino esse utendum, dummodo ebrietas vitetur. Ex quibus manifestè apparet in secunda petitione nil determinari, aut permitti circa lacticiniorum usum, sed solum voluit Pontifex permittere Laicorum abusum: qui in ea Dominica Quinquagesimæ, quæ à Gloss. *verb. Dominica*, & à Turrecremata ibidem vocatur *Dominica carnis privii*, ardentius carnes appetere solebant, easque nimia aviditate comedebant, usque ad mediam noctem; iteque permissum fuit ad scandala vitanda, ne pejores evaderent. Horum confirmationes vide apud P. Bardi *part.* 2. *tract.* 2. *cap.* 2. *sect.* 6. digne fugientem vindictam P. Mendo.

258. Quod autem permissio reddat actum licitum apertè falsum est, nam ut ait Barbosa exponens idem caput in fine: *Permissio non redit actum licitum*; idque probat ex Navarro *lib.* 3. *consil. de empt. & vendit. consil.* 15. *ad* 11. *quæst.* & habetur expresse ex Gloss. *in hoc cap. Denique, ver. venia* ait enim: *Id intelligi de venia pœnæ non de venia culpæ.* Et subdit, *tolerat enim Gregor. crimen tale, propter periculum schismatis, vel scandali: unde non est dicendum quod ignoscatur eis, licet non puniat eos, propter multitudinem, vel scandalum. &c.* Sic Glossa contra quam locutus fuit Pasqualigo, dicens reddi comestionem ciborum vetitorum licitam, ex permissione Pontificis, illius, ut puta intemperantiæ in die Dominico, in quo incipiat privatio carnium, quæ apertè pessima illatio: cum proinde nihil in prædicto pro talibus diebus disposuerit.

259. Objicies II. Dies Dominici non sunt dies abstinentiæ, ut dicitur *in cap. Quadragesima, de consec. dist.* 5. *Qui de abstinentia subtracti sunt*: ergo abstinentia, quæ in Quadragesima præcipitur, non cadit super dies Dominicos: Accedit, quod in fine ejusdem textus sit mentio de illis quatuor diebus qui sunt ante primam Dominicam Quadragesimæ; & additi sunt, ut in textu dicitur super 36. dies, ut numerus Quadragenarius dierum abstinentiæ compleretur: igitur patet, quod Dominici dies, inter abstinentiales non sunt numerandi. Respond. quod dies abstinentiæ strictè, & largè sumi potest. *Primo*, modo abstinentiam à quantitate per multas refectiones, & à qualitate ciborum; hocque modo solum dies jejunii sunt dies abstinentiæ. *Secundo* autem modo solum dicit abstinentiam à qualitate ciborum, & hoc modo dies Dominici dies abstinentiæ dicuntur, sed ample; cumque in Canone illo, per dies abstinentiæ primo modo accepti intelligantur, ideo in diebus Dominicis, qui dies abstinentiæ sunt: secundo modo sumptæ, ovis, & lacticiniis vesci non licet, quamvis plurimæ fieri possint refectiones, hacque de causa jejunium semiplenum dies Dominicos

Azor,

Azor, & Layman; diesque jejunii, jejunium plenum vocant. Ita in Diana *loc. cit. nu.* 3. referente ex P. Bardi *loc. à se cit.*

260. Tamque tutam, & certam hanc censeo opinionem, ut contrariam practice probabilem non putem, stando in jure (semota consuetudine). Patet *primò* ex 3. ratione posita *num.* 255. firmante conclusionem, quam probationem, antequam adducat Diana *loc. ibi cit.* hæc tenent: *Sed Ego alibi hanc sententiam (affirmativam scilicet) improbavi, & iterum improbo; & caveant, AA. ne imposterum illam, vel absolutè teneant, vel tamquam probabilem admittant: nam Sac. Congr. &c. Secundo*, ex eo quod Pasqualigo, qui acerrimus fuerat pro affirmativa, ipsam reprobando, in negativam mutavit, validis confirmando rationibus, adductasque pro affirmativa solvendo citans pro hac opinione 38. AA. præter alios, quorum nomen tacet, quibus addi possunt Carena *de Offic. Sanctissi. Inquisit. tract.* 15. §. 1. *num.* 2. dicens AA. oppositæ sententiæ à Dominicis Inquisitoribus S. Officii puniri, ut suspectos, & Bordonus *de Sac. Tribunal. Inquisit cap.* 3. *n.* 51. asserens à Sac. Cong. S. Offic. rejectam esse oppositam sententiam tanquam erroneam, periculosam, & pernitiosam Catholicæ Ecclesiæ mense Aprilis anno 1645. & quamplures recentiores. *Tertio*, uno eodemque præcepto in Jure Canonico cap. Denique æquè prohibentur carnes in Quadragesima, ac ova, & lacticinia; quamvis minus principaliter hæc, & principaliter illæ; hocque in quocumque die Quadragesimæ; nam in illis diebus, ovorum, & lacticiniorum comestio prohibetur in quibus, & comestio carnium; hæc in Dominicis: ergo & illa. Major est certa ex verbis *cit. adductis n.* 236. *Par autem est, &c.* ibi.

261. *Quarto*, habetur expressa prohibitio in Concil. Generali Quintiliburgensi sub Gregor. VII. quod extat *in* 3. *tom. Concil. par.* 2. *pag.* 1290. ubi in septimo Can. sic habetur (*Item ne quis caseum, & ova comedat in Quadragesima*) asseruntque viri docti Summum Pontificem declarasse quadam speciali Bulla suam mentem esse, nomine Quadragesimæ comprehendere Dominicas dies: Unde in opinione horum jam est damnata hæc opinio ab Alexandro VII. propositione ordine 32. Deinde non est dicendum AA. asserentes sub nomine Quadragesimæ comprehendi dies Dominicos latuisse Pontificem, aut Sac. Theologiæ Magistros assumptos ad propositionum examen: ergo si non est absolutè damnata, saltem valdè dubium est, quod non veniant dicti dies Dominici sub damnatione; nam tales dies Quadragesimæ dicuntur, quia sunt intra Quadragesimam; & quia dies abstinentiæ à qualitate ciborum, quamtumvis non à quantitate sunt. Semota dixi consuetudine, quæ si adsit, legitimè præscriptas habens conditione, ad hanc requisitas à jure *cap. fin. de consuet.* & à DD. declaratas, elapso nempe tempore sufficiente ad legem abrogandam cum tolerantia, & cognitione Prælatorum; tunc ibi ova, & lacticinia comedentes non peccabunt. An autem talis consuetudo sit in Hispania, quamvis aliqui ita afferant, non audeo eos sectari: quæ vero me movet ratio, est sequens. Quia Hispanos quamplurimos attente legi. AA. super hac materia, quorum aliqui asseverantes licere ovis & lacticiniis vesci dictis Dominicis Quadragesimæ, in quibusdam terris ob consuetudinem ibi introductam non affirmant talem esse in Hispania; quod procul dubio dixissent; ut facillime sentiet quicumque Prudens; aliique præsentem difficultatem trutinantes, non audent dicere talem dari consuetudinem, quod certé scripsissent, si ita sentiissent: igitur quantumvis pauci teneant, non facilè credam, (etsi adesse in aliqua Villa, vel Loco, certus factus fuerim) consequenterque in praxi non censeo consulendam hic, ut aliqui Confessores non verentur, tales cibos permittentes adhuc eis, quibus facilè foret Bullam accipere.

262. Attenta forma Bullæ Latinæ probabilior est sententia asserens Prælatos, & Presbyteros vi ejus, in Dominicis Quadragesimæ posse lacticinia comedere. Est ratio: quia Greg. XIII. in Bulla anni 1574. in §. *ac uti omnes Christi Fideles, &c.* declarat suam intentionem fuisse, & esse, sub indulto vescendi ovis, & lacticiniis, &c. comprehensos esse Prælatos ut Archiepiscopos, &c. omnibus temporibus, & jejuniis totius anni extra Quadragesimalia jejunia tantum: cum ergo dies Dominici non sunt dies jejunii, ideo lacticiniis vesci poterunt relatis diebus vi Bullæ: fundamentum ergo pro hac sententia est quod ipsa Bulla Latina excipit dictas Personas ab indulto lacticiniorum pro diebus jejuniorum Quadragesimæ, qui non sunt dies Dominici: quamvisque Commissarius Gen. Cruc. loco jejuniorum Quadragesimalium posuerit *dies Quadragesimæ.* Et in Hispanica: *Et quanto à los dias de Quaresma.* Et Italica: *in quanto alli giorni di Quaresima solamente.* Hoc tamen nihil obest: quia cum non habeant auctoritatem variandi substantiam verborum Bullæ, licet potestatem illam vertendi, dicendum est, per dies Quadragesimæ intelligi debere jejunia Quadragesimalia. Roboratur hæc intelligentia eo, quod in Bulla concedatur facultas, dictis Prælatis, & Presbyteris edendi lacticinia in jejuniis extraquadragesimalibus: igitur multo magis erit eis concessum diebus Dominicis Quadragesimæ, cum non sint dies jejunii; regulandoque Bullas Hispanicam, Italicam, cum Latina, uti fieri debet, nullum erit dubium.

263. Objicies: Commissarius Gen. Cruc. declararavit etiam virtute S. Bullæ non posse vesci ovis, & lacticiniis prædictas Personas dictis diebus Dominicis Quadragesimæ; ergo. Respond. cum Diana *tom.* 4. *tract.* 3. *resol.* 7. *num.* 8. *pag.* 70. Trul. *lib.* 1. §. 4. *dub.* 7. *num* 2. *pag.* 147. Bardi *par.* 2. *tract.* 3. *cap.* 2. *sec.* 7. *pag.* 259. Ludovic à Cruc. *dub.* 1. *cap.* 5. *dub.* 18. *num.* 13. *pag.* 274. de tali declaratione minimè constare juridice; adeoque cum bene contrarium ex Bulla Latina inferatur, illi standum est.

264 Pueri post 7. aut. 8. ætatis annum usum rationis habentes, ovis, & lacticiniis absque Bulla vesci nequeunt. Est ratio: quia ita habetur ex ecclesiastica consuetudine: & quia tunc communiter incipiunt discurrere, & cognoscere bonum, & malum, quod si adhuc non cognoscant, nec ipsi comedentes, nec offerentes cibos vetitos, nec consentientes in administratione, mortaliter peccabunt, ut tenent Ang. Cord. Rodrig. Pedrazza, Victo. Henriq. Regin. Filiuc. citati à Ludovic. à Cruc. *disp.* 1. *cap.* 5. *dub.* 19. *num.* 3. *pag.* 275. Si vero usum rationis habeant ante 7. annum non egent Bulla, ad lacticiniis vescendum: quia Ecclesiæ præceptum quoad qualitatem ciborum attendit solum in obligando eam Puerorum ætatem, in qua præsumitur adesse per se usus rationis, licet per accidens præveniatur; uti in impositione legis ad jejunium astringentis, qua attenditur ætas 21. annorum ratione indigentiæ communis augmenti, quod si quis non egeat, adhuc jejunare non tenebitur.

266. Objicies: ex hoc sequeretur; quod Puer ante septennium non teneretur ad Confessionem annuam etiamsi in peccatum mortale lapsus: nec audiendum Sacr. in diebus festivis, &c. sed hoc est falsum: ergo. Respond. negando sequelam: nam de omnibus ecclesiasticis præceptis non est eadem ratio; quod enim spectat ad Confessionem expresse in jure habetur; præceptum est enim in *cap. Omnis utriusque sexus de Pænit. & remis.* obligans ad annuam Confessionem statim post annos discretionis. Accedit, quod lacticinia, imo, & carnes in ea tenera ætate ad sanitatem corporis conservandam videantur aliquo modo necessaria, itaque hoc præceptum non videtur ita strictè obligare, ac præceptum confitendi, Sacrum audiendi, à servilibus abstinendi; confitendi enim congruit ad gratiam, & reconciliationem cum Deo habendam; hæcque ad religionem spectant, quæ prius, quam sobrietas obligat. Ex dictis inferes, quod si post 7. annum dubitetur de usu rationis, adstringetur lege abstinentiæ lacticiniis, vetitis diebus; si vero ante, patet etiam ex dictis resolutio negativa: quia tam Jus Civil e, quam Canonicum

non

non præsumit usum rationis ante septennium, bene vero completo. Ita *l. Si infanti. C. de jure delib. & cap. Juvenis de sponsal. cap. litteras. cap. accessit de Desponsat. impuberum.* & communiter scribentes in eadem jura. Si autem, & de septennio, & de usu rationis sit dubium, veritate non acquisita, diligentiis adhibitis, utraque pars practicari valet: quia probabile est, possessionem esse pro lege, & pro libertate; eo quod probabile sit onus probandi ad utramque pertinere partem. Quæ de lacticiniis dicta sunt, & de carnibus respective intelligendum est; juvat enim ad hoc cessare in Pueris motivum, quo ducitur Ecclesia ad prohibendum illas Adultis, nempe reprimere concupiscentiæ motus, quos excitat Animalium terrestrium caro, & volatilium; ut ait Belarm. *caro est libidinis seminarium*: ut observavit Greg Pontifex *cap. 1. de delictis Puerorum.*

DISTINCTIO II.

De secunda Bulla, seu parte principali ejus, nempe Bulla Lacticiniorum.

In superioribus, elucidata sunt præcipua quæsita, quæ solent inquiri circa Bullam Vivorum; ultimateque, circa indultum vescendi ovis, & lacticiniis; quod habetur in Bulla General.; etiamque in examen duximus exceptionem, aut exclusionem, qua pontifici certas Personas ibi nominatas, à tali privilegio bene visum fuit removere, Nunc autem secunda Bulla, seu secunda pa rs principalis ejus se offert trutinanda, quam Urban. VIII. (f. r.) die 13. Junii 1624. concessit; estque in ipsomet Latino Diplomate annexa.

QUÆSTIO I.

Præcipuas investigans difficultates super hac ortas.

§. I.

De primordiis ejus.

SUMMARIUM.

1 *Quibus concedatur hæc Bulla.*
2 *Ubi.*
3 *Favet Regulari ad Episcopatum evecto, adhucque solum titulari.*
4 *Etiam Episcopo, qui renuntiavit Episcopatum.*
5 *Gen. & Prov. non veniunt nomine inferiorum Prælatorum.*
6 *Presbyter Regularis Cardinalis hac Bulla non gaudet.*
7 *Non extenditur ad majorem Hebdomadam.*
8 *Jejunia ex voto, &c. ovis, &c. fieri queunt satis.*
9 *Solvitur scrupulus.*
10 *Et si sint extra Quadragesimam, absque indulto vescendi cibis vetitis.*
11 *Assignatur taxa pra hac Bulla.*
12 *Corollarium.*
13 *Sum. trecentorum ducatorum debet manere integra.*
14 *Ex quibus bonis constituatur hæc.*
15 *Qui comprehendantur in ultima classe.*

1 Hanc præsentem Bullam magna cum prudentia Summus Pontifex Urbanus, ejusque Successores dignati sunt concedere omnibus illis Personis, (Regularibus exceptis, & Canonicis Regularibus, qui vere Regulares, seu Religiosi sunt) quibus denegatum est indultum vescendi lacticiniis, in diebus Quadragesimæ jejunalibus, quod per ordinariam, seu Vivorum omnibus aliis concessum est, quales sunt excepti in ipsamet Bulla, à Nobis relati, utpote Patriarchæ, Primates, &c. præstans eis facultatem vescendi ovis, & lacticiniis, diebus Quadragesimæ usque ad majorem Hebdomadam exclusive.

2 Hæc ergo Bulla solum habet vigorem ubi, & alia generalis, seu Vivorum; quia eadem est cum ista, de qua supra; cum restrictione, quod hac, uti nec alia, quoad esum lacticiniorum extra Hispaniam frui non potest; quia expresse prohibetur in Bulla; ideoque idem temporis spatium durat, quod, & alia, eodemque anno, quo alia metitur, metiri debet.

3 Licet Regularibus præsens Bulla non concedatur; si aliquis eorum tamen assumptus fuerit ad Episcopatum, Abbatiatum, &c. quamvis pure titularis foret Episcopus, hac Bulla frui valebit: Est ratio: quia hæc Bulla dictis Personis absque distinctione conceditur; adeoque sive sit tali dignitate insignitus Sæcularis, sive Regularis, ea gaudere poterit: quin ei obsit esse Regularem. Nam *in cap. fin. de obser. jejun.* habetur, quod Religiosus, Episcopus creatus, potest carnibus vesci sexta feria, si eadem die incidit festum Nativitatis Christi Domini, haud obstante cap. illo, in quo à privilegio comedendi carnes excluduntur, qui voto Regularis observantiæ sunt obstricti: igitur sicut hic, & ibi prævalet dignitas Episcopalis, quæ eximit à jugo Religionis, positive non excludentis ab hoc indulto, quamvis sit causa non includendi Religiosos. Nec obest, quod talis ad Episcopatum promotus, non Dominus reddit uum ecclesiasticorum; sed administrator sit; quia incapacitas ad dominium acquirendum fundatur in voto paupertatis.

4 Quicumque Episcopus, qui Episcopatum renuntiavit eodem fungetur privilegio. Est ratio: quia adhuc retinet dignitatem: ni degradatus aliunde foret; nam in eo tunc amitteret omnia privilegia, & exemptiones, quæ ratione dignitatis ipsi competebant; & ita si dignitas, & jurisdictio renuntiaretur, in tali indulto non includeretur: quia professio Religiosa, sicut ante, impediret.

5 Generales, & Provinciales, non comprehenduntur nomine inferiorum Prælatorum. Est ratio: quia Commissarius præscribens eleemosynæ taxam juxta dignitatis gradus, solum per Prælatos inferiores nominat Abbates, qui jurisdictionem quasi Episcopalem habentes intelliguntur; cumque alii omittantur inferiores, probabilius est, non intelligi, cum Barbi, Trull. Gallego & aliis.

6 Regularis Presbyter ad Cardinalatum evectus hac Bulla non gaudet; quia Regularibus non conceditur; & aliunde Cardinalitia dignitas non continetur inter illas, pro quibus emanavit hoc indultum, ut dictum *sup. n.* 245. ita Trull. Bardi.

7 Dicta Bulla uti nequeunt supradictæ Personæ in Hebdomada Sancta, quia sic expresse in ipsa excipitur. De Dominica tamen Palmarum, primo die Hebdomadæ majoris, sentio, quod sup. de aliis Dominicis Quadragesimæ dictum est *n.* 261. Ad hac dicta Bulla parva fruendum, non est necesse Bullam magnam accipere, ut ex se liquet.

8 Jejunia vi voti, Jubilæi, vel Pœnitentiæ facienda, vescendo ovis, & lacticiniis impleri possunt. Est ratio: quia tam vovens, quam Confessarius, & Pontifex jejunium imponentes non intendunt alio modo illud præscribere, quam ab Ecclesia indicitur: cum ergo ecclesiasticum impleatur, comedendo ova & lacticinia; vi Bullæ etiam implebuntur dicta jejunia essis, ovis, &c. Antecedens patet: nam obligatio, quæ de re aliqua imponitur est explicanda modo, quo practicari solet: ut constat in contractibus onerosis, in quibus contrahentes, super non expressis, tantum se obligant modo consueto. Patet etiam ex ipsamet Bulla, in qua dicitur: *Carnibus de consilio utriusque Medici temporibus jejuniorum totius anni, etiam quadragesimalibus vesci, ac pro eorum libito ovis, & lacticiniis, ita quod qui carnes non comederint, servata in cæteris jejunii ecclesiastici forma, dicto jejunio satisfecisse censeantur, &c.* ergo cuicumque jejunio satisfiet comestione lacticiniorum, Bulla etiam pro Quadragesimæ tempore.

9 Nec obest, quod Bulla prima, & per se solum dirigatur ad jejunia ecclesiastica: nam secundario, & per accidens ad quæcumque jejunia extenditur, ni aliud exprimatur, quatenus facit, ut jejunia, in iis, qui habent Bullam, fieri possint cum ovis, &c. sicque tali posita consuetudine, tali comestione quodcumque impletur jejunium; adeoque ample, nequibit dici, extendi hoc privilegium; nec quod à diversis fiat illatio, nec aliunde, quod det formam reliquis jejuniis; sed inducere modum in jejuniis ecclesiasticis ex principio universali implendi ea, unde redundat Præfixio modi ordinarii circa ciborum qualitatem in aliis jejuniis, quæ à modo, quo communiter fit ecclesiasticum jejunium mensurantur.

10 Igitur absque Bulla implebuntur jejunia dicta, si incidant in dies jejunii extraquadragesimalis, dummodo ibi non adsit consuetudo jejunandi sine ovis, & lacticiniis; quæ si sit, opus erit Bulla; uti opus est, si incidant in Quadragesima. Et ratio est: quia jejunium promissum, vel impositum, ex consuetudine loci, & tempore quo imponitur, & quo expleri intenditur, qaando promittitur, sortitur modus quo impleri debet, non attendendo tantum ad promissionem, vel injunctionem, ut sentiunt contrarii; ideoque cum in Quadragesima, comestione lacticiniorum non fiant satis, ni stante privilegio, ideo hoc opus erit, alias non implebuntur. Nec valet regula illa juris in 6. *in obscuris minimum est sequendum*, quia non sumus tam in obscuris, ut circumstantias prædictas jejunii cogamur non attendere.

11 Ut ergo demum hac Bulla fruatur, necesse etiam est eam accipere, taxamque pro ea signatam solvere quæ qualis sit, expenditur. Primo enim pro Patriarchis, Primatibus, Archi-Episcopis, Episcopis, & Abbatibus benedictis assignata est taxa viginti quatuor argentei, ut habetur in Bulla lacticiniorum formata à Commissario Generali Cruc. his verbis: *Primeramente las Bulas de tassa de a veinte y quatro reales, se han de dar, y han de servir para los Patriarcas, Primados, Arçobispos, Obispos, y Abades.* Triginta nempe, & sex regalium in moneta Gotholaunica, aut duo sup. septuaginta solidorum, ejusdem monetæ.

12 *Item las Bulas de tassa de a ocho reales, se han de dar, y han de servir par a las Dignidades, Canonigos de las Iglesias Cathedrales, y Colegiales.* Duodecim nempe drachmorum, vel viginti sup. quatuor solidorum in moneta Cathaloniæ. *Item, las Bulas de tassa de a seys reales se han de dar, y han de servir para los que tuvieren Raciones Curatos, Beneficios simples, o servideros cuya renta no baxe de trecientos ducados.* Hoc est, novem Regalium, aut octo supra decem solidorum Barchinonensi moneta. *Item las Bulas de tassa de a dos reales, se han de dar, y han de servir para los demas Clerigos.* Trium scilicet regalium, aut sex solidorum in toties dicta nostra Cathaloniæ moneta.

13 Hinc pauca sequentia monenda veniunt. *Primo*, Personas primæ classis, & secundæ, sive habeant reditus magnos, sive exiguos, dictam teneri solvere taxam, solum enim attendit Commissarius in iis qualitatem. *Secundo*, quod non intelliguntur Coadjutores Dignitatum, aut Canonicatuum. *Tertio*, Personas tertiæ classis non teneri ad taxam ibi præfixam, si Beneficium, centenarium triplicatum ducatorum integrorum numerum non tangat, quæ dicta summa trecentorum ducatorum correspondet summæ 308. ff. ss. in nostra Gotholaunica moneta. Hujus ratio ex se liquet; consequenter ad inferiorem tantum astringi taxam.

14 Etiam hanc dictam summam intelligendam esse de bonis ecclesiasticis, & ratione Beneficii acquisitis, non vero de patrimonialibus, vel propria industria consecutis, ut patet ex verbis illis *cuya renta*. Inde debet integra manere talis summa extractis oneribus, & expensis Beneficii; solum enim illa quantitas quæ ab omni onere libera remanet, est in bonis Beneficiarii. Hinc excipi debent pensiones, si fors solvat; subsidium, & excusatum, & quarta decima; etiam Missarum stipendia, quarum numerum Beneficiatus pro onere Beneficii celebrare nequit, ut ait Trull. sed Missarum eleemosynæ nec veniunt numerandæ in computatione trecentorum ducatorum, quia has, vel per se, vel per alium celebrare potest; aut omnino non celebrare.

15 Coalescit igitur dicta summa ex distributionibus, eo quod sint redditus; ut ait Bonacina *de Horis Canonicis, disp. 2. q. 2. punct. 1. num. 2.* cum expositoribus Bullæ communiter; quamvis non fructus Beneficii; & proventibus omnibus ex ratione ipsiusmet Beneficii provenientibus; licet horum pars quædam assignetur pro eo quod forsitan inserviat Beneficio. *Quarto*, quod Capellanias, vel Beneficia, pensiones, aut quoscumque alios ecclesiasticos proventus habentes, ducenta ducata attingentes, aut superantes dummodo trecenta non tangant, in inferiori includuntur taxa: Per Capellanias autem intelligas Ecclesiasticas, minime vero Laicales, quæ nec ad Horas Canonicas, nec ad Officium parvum B. V. astringunt. Demum omnes alios Sacerdotes Sæculares redditibus ecclesiasticis carentes in dicta inferiori taxa comprehendi certum est.

§. II.

De Sagimine, Sanguine, & Lardo aliquas difficultates pertractans.

SUMMARIUM

16 *Licite vescitur Sagimine, &c. diebus in quibus carnes sunt prohibitæ, si sit consuetudo legitime introducta.*
17 *Alias non licet.*
18 *Solvitur objectio.*
19 *Ossa, &c. nomine carnis sunt vetita.*
20 *Pinguedo sub propria forma, nec Jus alicubi licet vetitis diebus accipere.*
21 *Nec anseris, Gallinæ, &c. pinguedo.*
22 *Quid de ovis nondum natis.*
23 *Cibi vetiti, non sunt tales Pauperibus;*
24 *Similiter Agricolis, si Piscibus careant.*
25 *Adhucque carnibus vesci poterit, qui solum panem habeat ad comedendum.*
26 *Caseum in collatione nequit sumi.*

16 PRocul dubio firmiter tenendum est, quod ubi est consuetudo legitime introducta Sagimine, Sanguine, & Lardo vescendi, diebus in quibus carnes prohibentur, licite comedi possunt; *in cap. enim fin. de consuet.* statuitur, quod per consuetudinem longævam juri humano positivo derogari posse, si rationabilis sit, legitimeque præscripta. Rationabilis autem consuetudo dicitur illa, quæ materia legis justæ ac honestæ esse valet. Legitime vero dicitur præscripta, cum temporis spatium determinatum ab AA. lapsum est; sicque dicunt, ad abrogandam legem Ecclesiasticam debere esse continuatam per spatium 40. annorum, ut tenet Gloss. *in cap. fin. ver. (legitime &c.)* consuetudinem: & civilem decem annorum, ut habetur *ex cap. ultim. Cod. de præscript. §. 1. institut. de usucapionibus.* igitur hac secunda conditione stante licite quivis uti Sagimine, &c. valebit, ubi talis adsit consuetudo, quam de Sagimine asserunt Diana, & Bardi esse in quampluribus civitatibus Siciliæ, & in Galleciæ Regnis, & Peru, Henriquez.

17 Jure autem communi attento, principiis physicis, & natura ipsius Saginimis; conformior est opinio negans licere ejus usum in diebus vetitis carnium, vi Bullæ. Est ratio: quia pinguedo est caro, & non excrementum ut falso ait Aristoteles *lib. 1. de generatione Animalium cap. 18. & 19. & in problematibus sect. 5. qu. 4.* discrimen ponens inter pinguedinem, & carnem: Pinguedo enim (inquit) concalefact liquefit; non vero caro, quod nil refert; uti nec Dandini assertum de corpore animato *lib. 3. cap. 5.* de adipe nempe, ignorare, quis dicat esse carnem; affirmantis

postea

postea esse pinguiorem, & tenuiorem Sanguinem ex venis exudantem, magisque concoctum, vique sudoris condensatum: Similiter, quod non sit ex Sanguine tam puro, uti caro; sentiat, vel non sentiat; si inter cutem, & carnem; caro vero inter cutem & ossa nil refert: quia nulla ex his rationibus potest esse aliqualis ponderis respectu cujusvis Prudentis, ut nomine carnis non sit comprehendendum: itaque de hac veritate certum me fecit, strenueque asseruit Petrus Monblanch Physicus, & Medicus peritissimus, sat notus in Cervariensi Universitate ob ejus ingenium, hacque in Urbe ob Medicinæ facultatem: non esse vero excrementum, aperte convincitur, eo quod ad vitam Animalium sit necessarium *tom.* 1. *tract.* 10. *d.* 2. *quæst.* 1. *num.* 10. Pro eodem sumitur Sanguis, ac Sagimen, consequenterque pariformiter nomine carnis prohiberi pro certo habendum est.

18 Objicies: in Gloss. *cap. admonere* 33. *quæst.* 3. *ver. carnem*, dicitur: *Sagimen permitti, quando ova permittuntur.* Et in *cap. Presbyter dist.* 82. *ver. Sagimine.* Licet loco Saginiinis dicat Sanguinem, tamen textus est corruptus: ut multi advertunt, ut ex *cap. admonere* colligi potest; igitur Sagimen non prohibetur nomine carnis, consequenterque eo vesci licebit, quando ovis, & lacticiniis. Respond. Glos. loqui pro locis illis, ubi est consuetudo, firmans conscientias eorum, ibi tenentium sub nomine carnis comprehendi.

19 Ossa, Nervi, Cartilagines, sub nomine carnis pariter prohibentur, nam solitarie caro intelligi non debet; sed cum illis omnibus, cum quibus ipsa facit unum quid, & ut sic non solum includit substantiam nudam; verum etiam ossa, Nervos, &c, quæ simpliciter necessaria sunt ad carnis conservationem; partes enim sunt Animalis rigorose accepti: & ita ex communi consensu, & consuetudine est intellecta prohibitio carnis à lege Ecclesiæ; similiter Medulla, sive Spinalis, sive ossium sit

20 Pinguedinem sub propria forma nullibi licere comedere vetitis carnium diebus certum est: quia nullibi est consuetudo (quæ si forsitan foret, liceret, ut supra dictum est.) Nec licet Jus accipere; quia est caro liquefacta, nullibique pariformiter est introducta consuetudo de eo sumendo dicto tempore, uti de adipe Suis consumpta in Siciliæ Regno diximus: consuetudinem esse.. His solves, quæ contra conclusionem statutam objicii possunt.

21 Si autem quis interroget, an liceat diebus prohibitis, vesci pinguedine Anseris, Gallinæ, Juvenci, Bovis, &c. Respond. quod re physice considerata, idem est dicendum, ac Sagimine porcino; moraliter tamen spectata non licet, quia consuetudine res distinctæ factæ sunt, sicuti si fuisset consuetudo edendi ova, & non lacticinia, ut Caseum, Butyrum, &c. revera physice convenirent uti nunc, & tamen moraliter diversa forent: & clarius ostenditur in consuetudine Castellæ, (quam tenet Rodriguez *in explicatione Cruc.* §. 1. *num.* 8. ortiri ex usu immemoriali: ut in certo Episcopatu adest consuetudo edendi diebus veneris ova fricta cum Sagimine suino) ubi in diebus non jejunalibus sabbatinis comeduntur intestina Animalium prohibitorum, & tamen ex aliis partibus Animalium non licet, quæ partes proculdubio physice non differunt, & sub eodem genere, secundum jus commune, sub una eademque prohibitione continentur; adeoque cum non sit consuetudo esus pinguedinis Gallinæ &c. non licebit ea vesci, diebus in quibus solæ carnes prohibentur; quantumvis alicubi sit, Sagiminis porcini: qui in consuetudinibus non juvat identitas rationis, ut de uno casu ad alium extendatur; qualiter est in legibus; consuetudo enim non extenditur, ut lex. Ita Pasqualigus, Bardi, Layman, & alii. Idem respective sentiendum est de Sanguine, & Lardo, supposito, quod major est connexio inter carnem, & sanguinem, quam inter illam, & adipem, ut communiter dicitur; Sanguis enim est in proxima dispositione, ut in carnem convertatur; fluidaque quædam pars Animalis, magis necessaria, quam adeps ad vitam sustentandam, ut tenent Bardi *part.* 2. *tract.* 3. *sect.* 3. *per totam pag.* 271. Leandrus, & Pasqualigus citati à Diana *tom.* 4. *tract.* 6. *resol.* 70. *n.* 2. *pag.* 239.

22 Ova annunnata, vel nondum nata, seu intra Gallinam reperta, albumine illo carentia, quo vitellum, seu rubeum ovi circumdari solet, nec caro, nec Sanguis substantialiter sunt, solumque ab ovis natis differunt, ratione putaminis, vel albuminis; vitellum enim idem est cum albumine, ac sine; ideoque vesci possunt diebus in quibus carnes prohibentur, sine Bulla; & cum ea diebus jejunii quadragesimalis, ita Bardi *part.* 2. *tract.* 3. *sect.* 4. *pag.* 372. Diana *tom.* 4. *tract.* 6. *resol.* 52. *num.* 4. *pag.* 326. Guittart *in expositione Bullæ. Cruc.* §. 8. *pag.* 498. De oviculis autem exiguis ad instar acini affixis, veluti cuidam Racemo, Gallinæ contrarium sentio cum dicto P. Bardi *loc. cit.* Ratio est: quia adhuc retinent naturam Sanguinis, neque sunt in substantiam ovorum conversa.

23 Pauperes ostiatim mendicantes, si carent cibis non vetitis, diebus in quibus prohibita sunt ova, &c. iis, & lacticiniis vesci poterunt, imo, & carnibus: si hæ tantum eis subministrantur: quia paupertatis, & indigentiæ titulus valde superat ad privilegium Bullæ Cruc. quos si, hoc est non prohibitos, suppetant charitati, absque Bulla, ovis &c. vesci non erit eis licitum: ut patet.

24 Igitur Agricolæ existentes in locis, ubi Pisces non sunt, valebunt sine Bulla ova, &c. edere. Ita Sanchez *in consil. lib.* 5. *cap.* 1. *dub.* 9. *num.* 4. Henriquez *lib.* 7. *cap.* 13. *num.* 9. Trull. *in Deccal. lib.* 3. *cap.* 2. *dub.* 2. *num.* 6. Pasqualig. *decis.* 83. *n.* 1. citati à P. Bardi *part.* 2. *tract.* 3. *sect.* 2. *n.* 28. *pag.* 276. Est ratio ibi: quia intentio Ecclesiæ præcipientis jejunium, non est obligare Fideles, ut à lacticiniis abstineant, quando Piscibus, aut aliis cibis non prohibitis carent: alias enim vellet hos Ecclesiam obligare ad jejunium extraordinarium, & rigorosum nimis. Loquor de illis Agricolis, qui saltem vitam honestam (uti cives) communiter ducunt, non vero de illis, qui pane, & leguminibus sunt contenti; hi enim dicta habentes, non erit eis nimis dura talis abstinentia. Tamen tutius erit dispensationem à Parocho obtinere; uti similiter administrandum ova, &c. operariis, & domesticis, in agris excolendis laborantibus.

25 Inferes etiam ex dictis, habentem solum panem, nedum ova, &c. sed etiam carnes cum quibus jejunium non compatitur talibus diebus edere posse. Ratio est supradicta, cui clarior accedit: quod prohibendo Ecclesia lacticinia, & carnes, supponit alios adesse cibos; consequenterque cum hi deficiant, certo erit præsumendum, nolle pro tali casu, vigorem habere talia præcepta.

26 In refectiunculis, vi Bullæ, aliquid Casei (seclusa consuetudine ut dicitur *tom.* 1. *tr.* 10. *d.* 2. *quæst.* 2. *num.* 32. nequit comedi quantumvis aliquid ovi, in pane utpote ex ipsis confecto, accipere liceat, ut e. g. Biscocho. Ita DD. communiter; licetque Turrianus, & Bossius citati à Diana *tom.* 4. *tract.* 6. *resol.* 109. *pag.* 264. affirmative quoad primum respondeant, ibi tamen dicunt, contrarium tutius esse & consulendum.

QUÆSTIO II.

De partialibus indulgentiis Summarium accipientibus concessis

Summarium accipientibus remittit sum. Pontifex qnindecim annos, & totidem Quadragenas de pœnitentiis injunctis ei quomodolibet debitis, jejunantibus diebus jejunio non suppositis: igitur ad eas concernantia in præsenti decrevimus elucidare. Ideo sit

§. I.

Quid intelligatur per verba concessionis Pontificis?

SUMMARIUM.

27 *Quid sit indulgentia. Remissive.*
28 *Quid remittatur per 15. annos, &c.*
29 *Verba illa* de injunctis pœnitentiis, *non obstant, ut indulgentia extendatur, ad omnes, & pœnas peccatis debitas.*
30 *Alia ratione firmatur assertum.*
31 *Quotuplex sit pœnitentia Sacramentalis.*
32 *Prope nusquam omitti potest.*
33 *Solvitur objectio.*
34 *Dissolvitur fundamentum contrariorum.*
35 *Per ly* pœnitentiis injunctis eis *non eximitur quis ab impositis à Judice Ecclesiastico, ob aliquod delictum.*

27 QUid sit indulgentia, quidque per has indulgentias, & annos concedatur, omnino superfluum foret exponere in præsenti, cum hoc jam traditum sit *tom.* 1. *tract* 12. *d.* 3. *quæst.* 2. ibique recurrite.

28 Ubi habetur, & colligere potes ex *num.* 19. quid remittatur per 15. annos, & totidem Quadragenas, unde, & ex ipsomet contextu Bullæ liquet prædictos annos, & dies intelligi debere præsentis vitæ, nonque Purgatorii, quidquid dicant Viguerius, Corduba, & alii. Ut expresse etiam dicitur *loc. cit. sum. num.* 18.

29 Opinione Antiquorum relicta, quos citat Cardinalis De Lugo, asseverantium, indulgentiis solum remitti pœnam in foro Ecclesiæ, quatenus lucrifaciens eas deobligabatur ab implendis pœnitentiis injunctis, & non in foro Dei; quæ quidem Sententia jam, absque erroris nota saltem, sustineri non potest: dico, quod licet in Bulla ponatur illa particula de injunctis pœnitentiis, tamen probabilius est relaxari omnes pœnitentias, & pœnas peccatis commissis debitas. Ita Filliuc. Coninc. Candidus, Layman, Suarez, Bardi, & alii. Est ratio *Primo*; quia ly *injunctis* ponitur in favorem Privilegiati; sicque non debet concessio excludere remissionem aliarum pœnitentiarum; alias, sæpe contingeret, quod Privilegiatus impleta injuncta pœnitentia à Confessario non posset consequi remissionem pœnæ debitæ aliis peccatis: pro quibus pœnitentia non fuit imposita, itaque indulgentiam lucrando nullum fructum ex ea perciperet, ex defectu materiæ, hoc est, quia indulgentia nullam inveniret pœnitentiam impositam; quod quidem rationi consonum non apparet; quia cum per pœnitentiam impletam dignior fiat Pœnitens, non videtur propter hoc privandus fructu indulgentiæ, si pœnam habet luendam ob delicta commissa.

30 *Secundo*: Quia concesso majori, minus concessum venit ex jure *Canonic. cap. ex parte* 27. *de Decimis.* Quod intelligendum est, quando majus, & minus sunt ejusdem rationis, seu generis; non vero, quod præcise includatur minus in majori, nam hoc esset nil dicere, minusque dare; certum enim est, quod dispensatus ad Sacerdotium suscipiendum, etiam ad Diaconatum, & inferiores ordines dispensatus est: cum ergo pœnitentia injuncta, & non, in ratione satisfactionis debitæ pro peccatis idem sint, solumque differant per extrinsecam impositionem, ideo ad omnes extenditur pœnitentias concessio: ad modum quo concessio dispensandi in votis juratis, ad non jurata extendatur: quia per extrinsecam circumstantiam novi vinculi, utputa juramenti solum differunt: igitur tenendum est assertum, cum aliunde non adsit motivum sufficiens, quo dicamus Papam noluisse concedere relaxationem pro pœnitentiis non impositis à Confessario, concedendo pro injunctis; accipique ly *injunctis* ampliative; & non restrictive, ut juvant adhuc verba illa Bullæ immediata *injunctis eis; & quomodolibet debitis pœnitentiis.*

31 Quæres an Pœnitens lucrifaciendo indulgentiam dictam omittere possit pœnitentiam sacramentalem à confessario impositam pro delictis confessis. Ante responsionem nota, quod pœnitentia est triplex; satisfactoria nempe pure; medicinalis pure; & mixta ex utraque. *Prima*, illa est per quam quis tantum solvit pœnam peccatis debitam. *Secunda*, per quam præservatur quis à peccatis, ipsaque directe; & per se hoc intenditur, ut ablatio occasionis proximæ, (cadendi in noxam) depositio odii, &c. *Tertia*, quæ utrumque habet, eaque primo, & per se satisfactio intenditur, ut jejunium ad macerandum carnem; eleemosyna ad reprimendam avaritiam, &c. His præscriptis, præmitto, esse sine dubio secundam non posse indulgentiis compensari; ideoque de prima, & tertia sit.

32 CONCL. I. Nusquam, aut rarissime potest Pœnitens omittere satisfactionem sacramentalem à confessario injunctam. Est ratio: *Primo*: quia tolleretur pars integralis quædam Sacramenti, qualis est satisfactio ex Trid. *sess.* 14. de pœnitentia *cap.* 3. *Secundo*; quia praxis est, ut non omittatur; in Jubilæis enim plenissimis aliqua imponitur pœnitentia. *Tertio*; quia nullus est certus de acquisitione effectus indulgentiæ: igitur ad pœnitentiam sacramentalem tenetur quivis, neque omitti potest ob indulgentias.

33 Objicies: ex pluribus AA. & præcipue Cardinali De Lugo: *Innocentium III. in cap. cum ex eo de Pœnit. & remis.* asserere *per indiscretas, & superfluas indulgentias, satisfactiones sacramentales enervari*: ergo. Respond. hoc dixisse sum. Pontificem: quia multi fiunt negligentiores ob indulgentias, quas lucrantur; ita negligentes pœnitentias impositas, levissimam tamen saltem acceptando ob peccata commissa; quo videntur enervari satisfactiones sacramentales; quia alias, indulgentiis seclusis, illæ graviores injungerentur. Nec obest similiter: quod in *Glos. in extravag. Antiquorum de pœnit. & remis.* longe post medium referatur, Pontificem declarasse anno Jubilæi à pœnitentiariis, non debere imponi alia opera Pœnitentibus, præter ea, quæ in Jubilæo illo erant imposita, nam nil contra Nos, eo quod jam injungebantur aliquæ pœnitentiæ confitentibus, hasque, nec valebant omittere ratione indulgentiarum, quamvis tenerentur præscribere, quæ erant in Jubilæo præfixa.

34 Nec dicatur demum, quod cum satisfactio sacramentalis ordinetur ad remittendam pœnam temporalem luendam in Purgatorio, hæcque jam remittatur ab indulgentiis, optime illa omitti poterit nam ea impleri debebit; quia ut diximus certi non sumus de effectu indulgentiarum; quæ ratio potius nostram quam contrariorum munit sententiam; satisfieri enim nequit debitum certum solutione incerta; ut patet in eo, qui certus est de mutuo accepto, non tamen de redditione: qui ad solvendum tenetur; eo quod possessio stet pro debito: cumque in præsenti casu, licet non sit omnimode dubium, aliquale adsit de solutione satisfactionis mediis indulgentiis, non poterit eas lucrifaciens à pœnitentia, à confessario præfixa, excusari. Si vero dicatur neque certus est Pœnitens pœnitentiam injunctam implens de eo, quod satisfecerit, forte enim erat in statu peccati mortalis quando eam persolvit. Respond. cum A. in *tom.* 2. *tract.* 14. *d.* 10. *quæst.* 1. *num.* 7, 8. 9.

35 In ly *pœnitentiis injunctis eis, & quomodolibet debitis* non ingreditur relaxatio pœnæ ob aliquod delictum impositæ à Judice Ecclesiastico: ut si confessarius prohiberetur à confessionibus audiendis ab Episcopo sub suspensionis pœna. Est ratio: quia sub hoc privilegio solum comprehenduntur pœnitentiæ, quibus Deo satisfit pro pœnis debitis peccatis commissis; non autem pœnitentiæ forum externum concernentes, quæ sunt per modum solius pœnæ in vindictam, vel punitionem delicti commissi; alias fustigationes, exilia, detentiones in carcere, pœnæque pecuniariæ remitti possent, quod est maxime absurdum.

§. II.

§. II.

De participatione bonorum operum.

SUMMARIUM.

36 *Datur in Ecclesia communicatio bonorum operum, in quo autem consistat ostenditur,*
37 *Et quanta sit illa, curque Pontifex de peregrinatione Hierosolymitana loquatur.*
38 *Prodest non Religiosis admissio ad bona Subditorum opera, à Prælatis, (remissive) qui præcipere eis possunt talia pro illis applicare.*
39 *Opus est jejunare die non præcepto ad fruendum dicta indulgentia, & bonorum operum communicatione.*
40 *Etiam orare pro pace &c.*
41 *Solvitur objectio.*
42 *Quacumque parte operis præcepti omissa, indulgentia non acquiritur.*

36 DAri in Ecclesia communicationem bonorum operum est de fide certum, de qua in *tom. 1. tract. 12. d. 3. quæst. 11. num. 133. & seqq.* loquitur, cujus notitia præmissa, supponitur. *Primo* applicationem bonorum operum, quæ fit ab uno in alterius utilitatem duplicem esse. Unam per modum satisfactionis; aliam impetrationis. Illa est solutio æquivalens ad totam pœnam; vel ad partem, semperque requirit specialem intentionem; hæc autem consistit in dignitate Personæ operantis, quæ bono opere mediante alteri impetrat aliquod donum, seu præmium, quin exigat semper specialem intentionem. *Secundo* opera justorum in thesauro Ecclesiæ reponi, si ipsi satisfactionis non egent, nec alteri applicarunt. Ita *loc. cit. num. 137.* his præscriptis, dico: Bullam per hanc concessionem aliquid speciale tribuere Fidelibus. eam enim sumentes, operaque injuncta exhibentes, speciali modo fiunt participes omnium satisfactionum: quæ à justis exercentur, si sunt superabundantes, hoc est, nec necessariæ operantibus, nec ab his aliis applicatæ, quæ alias in Ecclesiæ thesauro collocarentur. Rursum merentur particulari modo aliquod donum, sive ordinis supernaturalis, sive naturalis, rogatione media aliorum justorum de congruo merentium alteri tale donum e. g. ut aliquis conservetur in gratia, qui si ejus particeps non sit, obtinere à Deo valebit ex sua liberalitate, per meritum de congruo, ex meritis justorum proveniente, gratiam ut convertatur; vel aliquod aliud temporale donum, &c. quo videtur aliquid supra jus commune concedi, quidquid dicant Henriquez; & alii à Ludovic. à Cruc. citat. Quod non sit indulgentia quædam, ex dictis, patet & tenent Bardi, Trull. Ludovic. à Cruc. & alii.

37 Quanta autem sit hæc participatio, Deus noscit. Nec miretur quis, quod Pontifex specialem faciat mentionem de peregrinatione Hierosolymitana, in communicatione bonorum operum: nam hæc est maxima inter omnes.

38 Laicis, & Clericis prodesse admissionem Regularium Prælatorum ad opera bona subditorum ostenditur *loc. cit. num. 143. & seqq.* Ipsos autem Prælatos posse præcipere suis subditis, ut extraneis applicent aliqua opera satisfactoria, certum teneo cum Lavorio, Suarezio, Sanchezio, Bardi, & aliis signanter Subtili Doctore, quamvis Suarez contrarium colligat ex dictis ejus in Quodlibet. 20. quod attente legi, præcipueque *num.13. & 14.* ubi dicit in potestate Sacerdotis esse virtutem applicandi Sacrificium, hoc probans duplici authoritate; & *Tertio*, congruentia, quæ ratio mihi contra assertum parum probat; adeoque pro me cum affero; cum pro Religiosis alia adhuc militat ratio, cujus causa, pro iis non est facile, uti de Clericis, determinare, quamvis de tota loquatur Ecclesia ibi, in congruentia. Præterea non est inferendum ex hoc, idem sensisse de aliis operibus satisfactoriis, cum dicta congruentia ab ipso adducta videatur ad opus bonum valde notum ministrandum. Resolutionem hanc deduces ex *tom. 1. tract. 2. d. 1. q. 5. num. 48. & ex tom. 2. tract. 14. d. 5. quæst. 7. n. 72.* sed quia non satis clare colligi potest, addo Prælatos, & Ecclesiam præcipere actum internum, à quo dependeat actio externa secundum moralem aliquam honestatem, quando expedit ad Gubernationem Ecclesiæ, & Religionis, itaque jubere possunt Prælati suis Subditis, ut faciant quædam opera bona, eaque extraneis applicare.

39 Ut autem dictæ Indulgentiæ, bonorumque operum communicatio lucrifiant, præscribitur in Bulla, ut jejunetur die alias ad jejunium non astringente ex Ecclesiæ præcepto, vel Confessarii, vel ex voto; hoc est omnimodis voluntario; dummodo fieri possit; nam de voto Astricto ad jejunandum per totum annum, ex mente Pontificis præsumendum est, lucrifacere Indulgentiam jejunando quolibet die; (nisi ei jejunium commutetur). Patet igitur ex narratis, jejunium factum diebus Quadragesimalibus prodesse ad lucrifaciendam dictam Indulgentiam, eo quod non sit conforme consuetudini Ecclesiæ in Dominicis jejunare; consequenterque non esse præsumendum de Pontificis mente, velle privare Fideles à consecutione hujus Indulgentiæ per tam longum tempus. Ita Henriquez, Rodrig. Ludovic. à Cruc. & Bardi. Qui autem nequeat jejunare, ob impotentiam physicam, vel moralem aliud opus pium (præcipit Bulla) præstare teneatur, in quod scilicet commutatum jejunium sit à Parocho, vel Confessario ut dicitur in ipsamet Bulla *arbitrio Confessarii, vel Parochi.*

40 Insuper præcipit Bulla; ut jejunans oret pro pace, & quiete Principum, & Regum Christianorum, victoria contra infideles, &c. hæc autem oratio mentalis, vel vocalis esse potest; ut tenent communiter AA. quia utraque nomine orationis venit. Quidquid dicat Rodriguez debere fieri externam, eo quod intendat Ecclesia visibilia opera satisfactoria injuncta: pro semper tamen errat: quia ob opus internum utpote contritionem, &c. potest Pontifex concedere Indulgentias. Quiaque sub eadem forma præcipitur oratio, & jejunium; idcirco pariter debet esse oratio supererogationis opus. Nec ab alio prædicta opera impleri possunt: quia sunt personalia, ni jejunium in eleemosynam commutetur, quæ in eo tunc per alterius ministerium fieri poterit. Prædictæ conditiones ita necessariæ sunt, ut ob quamcumque causam non appositæ Indulgentiæ non lucrentur. Ita habetur *tom. 1. tract. 12. d. 3. q. 9. n. 101.*

41 Si objicies: *in l. Cum hæres. §. Stichus ff. de statu libero. & in l. fin. C. de condit. inser.* disponi, quod libertas concessa servis cum onere aliquid faciendi, non amittatur, licet opus injunctum non fiat. Respond. hoc esse: quia ibi in favorem libertatis disponit Legislator, quod non ita in præsenti Pontifex; sique voluisset profecto declarasset. Sicut in *extravag. Unigenitus ver. adjicientes de pœnit. & remis.* declarat, tempore Jubilæi universalis, Romam accedentes pro indulgentia consequenda, si post inceptum iter, legitimo impedimento detineantur, ne ad Urbem pervenire possint, si vere sint pœnitentes, & confessi eandem indulgentiam lucrentur.

42 Parte aliqua (quamvis non levi (quia parum, præcipue in moralibus, pro nihilo reputatur) ut dicitur *in loc. Sum. immediate cit. n. 102.*) ex injunctis omissa nil lucrifiet. Est ratio: quia opera in hoc privilegio præscripta, se habent tamquam indivisibilis dispositio ad totum effectum, & ad partem; alias declararetur à Pontifice: ergo cum sub una eademque forma opera injungantur, signum est indivisibiliter se habere in ordine ad totum, & ad partem effectus quoad consecutionem. Ita Suarez, Bardi *part. 2. tract. 4. cap. 3. sect. 2. pag. 296.* Ludovic. à Cruc. *pag. 421. n. 4.* alios citans AA.

QUÆSTIO III.

De Indulgentiis oblatis in visitatione Ecclesiarum, vel quinque Altarium.

SUMMARIUM

43 *Quid sit statio, exponitur.*
44 *A S. Gregorio non fuerunt institutæ stationes.*
45 *Quid intelligitur per Ecclesiam, & Altare.*
46 *Quinque Ecclesiæ, aut Altaria etiam diversarum Ecclesiarum visitari debent.*
47 *Quæ si non sint, sufficiet unam Ecclesiam, vel Altare quinquies visitare.*
48 *Corollarium.*
49 *Aliqualis motus corporis requiritur, distinguens visitationes, si commode fieri potest.*
50 *Valet visitatio Altarium facta ex ostio, si videri possunt.*
51 *Non debet fieri visitatio cum gratia habituali.*
52 *Solvitur objectio.*
53 *Corollarium.*
54 *Reflexio supra doctrinam P. Bardi.*
55 *Finis causa à Pontifice præfixi necessaria est intentio visitationis, in qua, qualis, quanta, & quomodo fieri debeat oratio exponitur.*
56 *Indulgentiæ stationibus concessæ sunt plenariæ. Ea multiplex est, quarum explicatio remissive. Quomodoque intelligatur absolvere à culpa, & pœna exponitur.*
57 *Ratio concl. traditur cum cujusdam objectionis solutione.*
58 *Intelligentia concl. adducitur.*
59 *Dictæ Indulgentiæ nequeunt acquiri toties quoties.*
60 *Confutatio responsionis ad quamdam probationem.*
91 *Indulgentiæ non reviviscunt.*
62 *Conceditur alia Indulgentia plenaria semel in articulo mortis, & semel in vita; hæcque à Confessario applicari debet.*
63 *Approbatus debet esse Confessarius, si necessaria est Sacramentalis Confessio, neutiquam autem, si non.*
64 *Absenti & in articulo mortis essenti applicari potest Indulgentia à Laico in defectu Sacerdotis.*
65 *De eo autem, quod nequeat in vita, discrimen affertur.*
66 *Absque applicatione adhuc in articulo mortis lucrari potest Indulgentia, positis à Pontifice præscriptis conditionibus.*
67 *Hæ explicantur.*
68 *Per articulum mortis intelligi etiam periculum, generaliter dicitur.*

43 INdulgentiæ aliæ a prædictis distinctæ conceduntur in sequenti §. Bullæ nempe. *Item qui dicto anno durante singulis diebus stationem almæ urbis quinque Ecclesias, seu Altaria, seu in illorum defectum quinquies unum altare devote visitaverint, precesque ad Deum pro unione, & victoria prædictis fuderint, omnes, & singulas Indulgentias stationum intra, & extra muros prædictæ urbis, tam pro se, quam per modum suffragii pro Defunctis, pro quibus visitaverint consequantur.* Oportet igitur ante omnia scire, quod statio nil est aliud, quam actus illius, qui stat: unde milites stantes in custodia stationarii vocabantur *l. Limenarchæ ff. de servis fugit.* Glossa, & Bald. *ibi.* & locus in quo præsidebant dicti milites statio apellabatur. Ex quibus originem duxit statio spiritualis, hæc nempe importans actum illum, quo Fideles stantes in Ecclesia preces ad Deum fundunt.

44 Stationes hæ licet tempore Apostolorum fuerint paucissimæ; tamen quia postea à S. Gregorio ampliatæ fuerunt, cum formidabili motus malo pestis, tunc Italiam devastantis ad Dei iram pacandam, quasdam elegit Ecclesias in quibus Fideles statutis diebus orarent, dicunt AA. aliqui, sed male, esse ab ipso institutas. Ecclesiæ autem in quibus nunc fiunt stationes, in calce summarii invenies.

45 Per *Ecclesiam* intelligitur Templum Deo dicatum authoritate Episcopi erectum, in quo Missæ, aliaque Officia Divina celebrari possunt; Per Altare vero mensa illa firma, & stabilis, in qua Sacrificium offertur, subque hoc nomine Oratorium intelligitur, saltem si sub *Ecclesiæ* non veniat. Quamvis in Ecclesia nequear de facto celebrari, tamen visitari potest. Ratio est; quia vera est Ecclesia, & ad visitationis effectum nil obest, neque ex Bulla oppositum deduci potest. Ita Riccius Bardi, & alii.

46 Liberum est cuicumque Ecclesias, vel Altaria visitare, quidquid aliqui contrarium sustinuerint. Est ratio: quia Bulla dicit: *qui visitaverint quinque Ecclesias, vel quinque Altaria.* Accedit praxis DD. & timoratorum conscientiæ, qui Altaria visitant, ubi plures sunt Ecclesiæ. De diversis tamen Ecclesiis visitari possunt Altaria. Est ratio: quia non præcipitur in Bulla quod ejusdem Ecclesiæ sint Altaria. Quinque tamen existentibus, non sufficit unam visitare quinquies. Est ratio: quia in Bulla solum conceditur visitatio quinaria ejus Ecclesiæ, vel Altaris, non essentibus quinque: tamen probabilem sentit Riccius contrariam opinionem, non obstante, quod asserat hanc esse securiorem, utque talem consulendam.

47 Similiter si in Civitate, vel oppido quinque sint Ecclesiæ, non sufficiet visitatio quinaria unius Altaris, vel duorum in Ecclesia in qua quis reperitur (ni Ecclesiæ forent inter se valde distantes, timeretque quis probabiliter damnum aliquod corporale ex defatigatione iterfaciendi, in iis sequendis) est ratio: quia Bulla dicit *in illorum defectu.* Id est Ecclesiarum, seu Altarium, de quibus immediate fuit sermo; locus autem Ecclesiarum tota Civitas, vel oppidum est.

48 Hinc Moniales (idem dices cum Diana *tom.* 4. *tract.* 3. *resol.* 149. *pag.* 127. *de Religiosis*) cum unam tantum habeant Ecclesiam, si in ea quinque non sint Altaria, satisfacient obligationi, quinquies unum visitando. Est ratio: quia ita præsumendum est de Pontificis mente; nam respectu earum perinde est, quod sint in Civitate, vel oppido quinque Ecclesiæ, vel Altaria; ac quod non sint. (Idemque dicendum est de infirmo habente Oratorium.) Nec opus est, si tria e. g. tantum adsint altaria ea visitare, & cæteras Visitationes in aliquo trium repetere usque ad quinque, ut ait Trull. sed sufficit unum quinquies visitare; ut ita dicitur in Bulla, quod deficientibus nempe quinque Ecclesiis, seu quinque Altaribus unum quinquies visitare sufficiat. Ita Diana, Bardi, Ludovic. à Cruc. Nugnus, & alii.

49 Tamquam tutius consulendum censeo aliqualem fieri motum corporis in visitationibus, ne unica videatur visitatio; hoc enim est conformius Pontificis menti, qui cum exigat visibilem Altarium visitationem, sequitur pariter velle distinguibiles eorum visitationes, (constitutivum enim idem est, ac distinctivum) si commode fieri possit; nam si aliquid obsit impedimentum, cujus causa non facile quis dimoveri possit, ut pedum ægritudo, vel concursus nimius Populi, sufficit visitatio absque corporali motu. Ita Bardi, Trull. & alii. Motu tamen locali dicetur quicumque visitationes distinguere, cum adhuc solo signo Crucis, se muniat in initio cujuscumque visitationis faciendæ, illeque sufficiet.

50 Suffragatur hæc, ex ostio Ecclesiæ facta, ei, qui præ multitudine gentis Ecclesiam ingredi nequit; dummodo Altaria videat, quibus moraliter sit præsens; quæ tamen si non videat, nil ei proderit visitatio; nec sufficiet ei unius Altaris quinaria visitatio; ni per totam diem impeditus foret Ecclesiæ ingressus; quo in casu sufficere pariter censeo, conformeque est dictis *tom.* 1. *tract.* 12. *d.* 3. *q.* 5. *num.* 61. & 62. & Dianæ *tom.* 4. *tract.* 3. *resol.* 151. *pag.* 127.

51 CONCL. I. Non tamen debet fieri cum gratia habituali visitatio. Pro hac veritate firmanda complures adducunt AA. rationes; mihi autem hæ præplacent omnibus. *Primo*, quia non præcipitur à Pontifice, conscio præcepta Ecclesiæ ut plurimum non ita obligare, eisque

eisque satisfacere Fideles in peccato mortali. *Secundo*, quia visitatio solum jubetur, ut conditio ad acquirendam indulgentiam; non autem ut opus meritorium augmenti gratiæ, & gloriæ; nec quatenus satisfactorium per pœnam. *Tertio*, quia ubi lex non distinguit neque nos distinguere debemus. *ex cap. solitæ de majoritate*, *& obedient. & cap. cum dilecte. de donationibus.* cum ergo Summus Pontifex indirecte tantum loquatur quoad fieri in gratia, in modo ponendi opera injuncta, non debemus nos coarctare ad hoc, ut in gratia fiant. Tandem hæc communis est opinio Theologorum de aliis operibus injunctis ad alias Indulgentias, & Jubilæos; itaque probabilius esse dicitur *tom.* 1. *tract.* 12. *d.* 3. *q.* 9. *nu.* 100. ad consequendam Indulgentiam sufficere, quod ultimum opus perficiatur in statu gratiæ, ut dicitur similiter in præsenti.

52 Nec objicias: Communiter ita esse; sed absque fundamento videtur admitti in Bulla, eo quod Summus Pontifex nedum præcipiat substantiam operis, sed etiam modum e jus; dicit enim *devote visitaverint*: igitur in gratia sanctificante fieri debent visitationes. In hoc adverbio *devote* fundat P. Bardi suam opinionem, dicens expostulare Pontificem non quamcumque visitationem, sed devotam, hoc est moraliter honestam, & bonam, licet non meritoriam de condigno vitæ æternæ. Ludovicus autem à Cruc. *disp.* 1. *cap.* 8. *dub.* 5. *num* 14. *pag.* 397. ait visitationem devotam illam esse, ut ad præsens spectat, quæ animo lucrifaciendi Indulgentiam fit, eo facto profitendo Pontificis authoritatem circa dispensationem Thesauri Ecclesiæ; sed, hac explicatione relicta, cum Dominico Viva citat. à Masseo Kreslingero *in Append. ad q.* 9. *d.* 3. *tract.* 12. *tom.* 1 *immediate post num.* 113. dico devotionem requisitam ad visitationem esse, quod hæc sit ordinata ad Dei cultum, quæ optime esse potest in eo, qui in peccato lethali visitavit; nam actus est bonus moraliter, objectum pariformiter, neque minus finis operantis, & circumstantiæ; quæ omnia tantum, sunt capita ex quibus possent actus vitiari, ut tenet Scot. *in* 2. *d.* 40. cum communi Theologorum, diciturque *tom.* 1. *tract.* 1. *d.* 2. *q.* 2. *nu.* 9. igitur visitatio non debet fieri in gratia habituali, quia per ly *devote* non præcipitur iste modus.

53 Ex ipso tamen adverbio (& ex nostra explicatione) legitime infertur, quod visitans Altaria, seu Ecclesias fine pravo; ut inducendi mulierem aliquam ad cognitionem sui patiendam, pravam omnino eliceret visitationem, consequenterque incapax foret, ut compateretur cum ea, voluntas Deum colendi per ipsam; adeoque nec adimpletiva præcepti visitationis devote; cum nullo modo possit dici de eo devote visitare: uti nec de eo, censeo, qui immodeste, vel culpabiliter distractus omnino, dictam visitationem facit; vel cui concomitatur vana gloria, quidquid dicat P. Bardi asserens similibus visitationibus consequi Indulgentiam, ad differentiam earum, in quibus finis pessimus habetur: quia (ait dic. P.) solum exigere Sum. Pontificem visitationem bonam quoad individuationem intrinsecam, quales eæ priores dictæ, in quibus datur finis bonus; & non extrinsecam ut posteriores, quæ associantur actibus peccaminosis.

54 Nam hæ adhuc sunt absolute pravæ, ut communiter dicitur, & habes *in tom.* 1. *tract.* 1. *d.* 2. *q.* 2. *num.* 14. & malæ in individuo; si ergo peccaminosa visitatio in individuo, quoad intrinsecam individuationem nil prodest ex ipso P. Bardi; quomodo proderit prava visitatio quoad individuationem extrinsecam? cum æque utraque sit in individuo prava, & de nullo taliter visitante possit dici devote visitare; igitur si circumstantia (non directe volita: quia hoc modo induit rationem objecti) est evitabilis, præcipue in visitatione; ut in immodesta, cum omnimoda culpabili distractione, &c. si adsit, visitatio vitiabitur, sicque hac non satisfiet oneri visitandi: quia tota illa, prava denominabitur. *Malum enim ex quolibet defectu.* Dionys. *lib. de divin. nominibus cap.* 4. si est evitabilis (dixi) circumstantia præcipue, cum adhuc quod inevitabilis sit, si mala;

ut si fiat visitatio tempore, quo quis tenetur aliud exercere opus, ut infirmo periclitanti in vita assistere, &c. ea non satisfiet: quia prava pariter erit visitatio: tamen si quis antea determinaret non assistere infirmo v.g. apta erit visitatio, si manca ex alio non sit capite: quia in eo tunc visitatio non macularetur actualiter, seu osa non foret Deo, veluti impeditiva superioris actus ad ejus exercitium astringentis: ut communiter dicitur de ludente, vel in alio se occupante impertinente exercitio, toto tempore quo sacra leguntur. Demum fortiter assertum firmabis ex dictis *tom.* 1. *tract.* 6. *d.* 1. *q.* 4. *n.* 43. *& seqq.* & etiam: quia Pontifex orationem injungit, ut ea media Deus unionem Principum, &c. concedere dignetur. Sit igitur

55 Ad proficuam insuper visitationem opus est hanc fieri, fine à Pontifice præscripto, scilicet pro unione inter Principes Christianos, victoria contra infideles &c. orationem autem mentalem valere *n.* 40. *& sup.* diximus, ubi redditur ratio. Quanta autem debeat hæc esse, dico sufficere eam, in qua orationis substantia salvetur. Ita Suarez à Diana *cit. tom.* 4. *tract.* 2. *resol.* 59. *n.* 2. dicente: quam minimam sufficere; igitur unum Pater, Ave, & Gloria: ast consulenda est consuetudo quinque recitandi, cum communi DD. Ineptam esse factam per alium, docetur communiter; quia est actio personalis injuncta cuicumque Indulgentias lucrifacere volenti.

56 CONCL. II. Indulgentiæ concessæ stationibus sunt plenariæ. Quid autem sit Indulgentia plenaria, plenior, & plenissima habes in *tom.* 1. *tract.* 12. *d.* 3. *q.* 2. *n.* 16. 17. & in additione ibi aliquos modos intelligendi eas concessas: quibus addo, quod, quando dicuntur aliquæ Indulgentiæ absolvere à culpa, & pœna, aliquæ vero non ita; non est intelligendum, quod Indulgentiæ remittant per se culpas, nam solum pœnam temporalem remittere possunt, *ut in loc. cit. num.* 12. dicitur; sed quia præsuppositive, seu excitative tantum, quatenus occasione Indulgentiæ acquirendæ homo præmittit dolorem sufficientem ad delendam culpam; aut Sacramentaliter confitetur; vel intelligendum est, quatenus datur facultas eligendi Confessarium pet absolutionem à reservatis, quam facultatem, quia continet Indulgentia, ei tribuitur remissio culpæ. Ita Lavorius.

57 Conclusionis ergo ratio est: quia Indulgentiæ concessæ Ecclesias, vel Altaria visitantibus, sunt omnes eæ, quæ consecuturi forent Fideles, si personaliter Ecclesias intra, & extra Romam visitarent: ut sonat Bulla Latina: cum ergo ibi concessæ sint plenariæ, ideo & hic. Nec opus est, quod dicatur concedi plenarias Indulgentias, ut volunt contrarium sentientes, cum sit sat modo expresso dicere, ut ex ratione tradita patet. Proinde in summario est catalogus omnium stationum, etiam plenarum Indulgentiarum, quod cum factum sit ex antiquissimo jam tempore, videntibus Ecclesiæ Pastoribus, non est credendum esse contra eorum voluntatem; uti nec esse hujusmodi inscios. Nec obest: quod alias jam concedatur Indulgentia plenaria semel in vita, & semel in articulo mortis; nam hæc sine ullo onere, applicanda est à Confessario; illa vero onus importat visitandi quinque Ecclesias, vel Altaria. Dicta Indulgentia applicari potest Defunctis, Animasque eorum è Purgatorii pœnis ea liberari certum pariter est ex Bulla, si visitatio facta sit intentione, ut eis prosit, quamvis applicans fuerit in peccaminoso statu; tempore applicationis. Uni tamen proderit Indulgentia; alias multiplex fructus, qui nequeunt sine fundamento assignari.

58 Hæc tamen conclusio non est ita intelligenda, ut concedantur omnes Indulgentiæ plenariæ, quæ per totum annum Romæ acquiruntur visitantibus quasdam Ecclesias; sed solum indulgentias illas, quas Fideles Romæ commorantes in diebus stationum ut patet clare ex verbis Bullæ, monentis concessionem esse de Indulgentiis stationum Almæ urbis. Uti Commissarius in fine summarii solum designat Indulgentias illas, quæ ob stationes sunt concessæ.

59 Supradictæ Indulgentiæ toties quoties nequeunt consequi. Est ratio: quia indulgentiæ temporales sunt, hoc est pro diebus determinatis concessæ, quæ toties quoties lucrifieri non possunt. Ita S. Thom. S. Anton. Paluda, Riccius, Ludovic. à Cruc. citati à P. Bardi *part.* 2. *tract.* 4. *cap.* 4. *sect.* 4. *pag.* 306. Accedit quod Greg. XIII. in extensione Bullæ ait, quod accipiens secundam Bullam in eodemmet anno etiam lucratur omnes Indulgentias, quas vi primæ lucratus fuerat.

60 Nec dici potest, quod loquatur de Indulgentia concessa semel in vita, semelque in articulo mortis, ut aiunt Trull. & Rodrig. nam Pontifex de omnibus loquitur, & patet: quia in hac extensione Bullæ dicit de Indulgentiis, tam pro se ipsis, quam pro Defunctis applicandis quo videtur de omnibus locutum fuisse. Deinde: quia si de omnibus non loqueretur falsa profecto foret ejus locutio, quod toties nempe quoties consequi possent Iudulgentiæ: quia vi primæ Bullæ consequerentur Fideles tot quot vellent Indulgentias; secundæ minime egentes acceptione. Accedit decretum Innoc. XI. dicentis semel tantum lucrifieri Indulgentias plenarias in certos dies visitantibus Ecclesiam concessas; ut videbis *tom.* 1. *tract.* 12. *d.* 3. *q.* 7. sed Indulgentiæ plenariæ concessæ visitantibus Ecclesias, vel quinque Altaria, sunt illæ quæ certis diebus sunt affixæ, Ecclesias visitantibus intra, & extra Romæ, de quibus reprobatum est per decretum expressum cit. Innoc. XI. posse vivos toties quoties eas lucrifacere: igitur. Nota, quod die in quo extrahitur Anima è Purgatorio, hæc solvitur, Indulgentiaque consequitur, una, eademque quinaria visitatione.

61 Si quis gratia sanctificante non decoretur, tempore quo indulgentiæ fructum percipere debet, utpote apposito ultimo opere præscripto, visitatione scilicet ultima, ejusque applicatione; Indulgentia postea ad dictum effectum non revivifcit. Est ratio: quia hoc est privilegium speciale Sacramentorum, & adhuc characterem imprimentium; nec simile pro iis privilegium esse concessum ex Sacra Scriptura constat: aliundeque, ex eo quod solum confessis, & contritis soleant concedi à Sum. Pontifice Indulgentiæ, non est præsumendum de ejus mente velle reviviscere in hoc casu; adeoque nec ex ejus voluntate, neque ex se dicendum est reviviscere.

62 Concedit insuper Sum. Pontifex Indulgentiam plenariam semel in vita, semelque in articulo mortis; absque onere aliquod præstandi opus, tamen necessario requiritur applicatio facienda à Confessario. Ita Navar. Cordub. citati à Bardi, & Trull. *lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 19. dicens ibi non lucrifacere Indulgentiam eum, qui petit à Confessario sibi applicari, si iste ob quamcumque causam non ipsi eam applicarit: quia Pontifex hanc Indulgentiam concedit media Confessarii applicatione ut habetur ex verbis Bullæ: *Ut possit* (nempe) *eligere Confessarium Presbyterum Sæcularem, vel Regularem ex approbatis ab Ordinario, & ab Eo quorumcumque peccatorum, & censurarum plenariam Indulgentiam, & remissionem semel in vita, & iterum in articulo mortis obtinere.* Ex quibus verbis patet, & debere esse Confessarium applicantem, electum saltem interpretative, ut tenet Diana *tom.* 4. *tract.* 3. *resol.* 156. *pag.* 119. ab ipso Pœnitente, quam per electionem ei delegatur potestas dictam applicandi Indulgentiam; & approbatum, quæ approbatio requiritur, quando necessaria est Confessio Sacramentalis ad applicationem, quæ facta extra Sacramentum non videtur exigi: quia ex natura sua non exposcitur, nec Pontifex declaravit, tales requiri circumstantias ad applicationem solum, sed ad hanc conjunctam cum absolutione censurarum, & peccatorum: quam ergo necessariam esse censeo, cum quis est ab his maculatus, ab illisque vinctus; ad illam tamen, confessionem utputa, non astringi non eis obstrictum, cum Diana *tom.* 4. *tract.* 3. *resol.* 146. *pag.* 126. citante complures AA. contra Acostam censeo. Confessio tamen præcepta, de mortalibus intelligenda est, uti ab Ecclesia præcipitur, ut dicitur *tom.* 1. *tract.* 12. *d.* 3. *q.* 5. *num.* 50. indispensabilisque in nostro casu, *n.* 149. ratio est: *quia confessis, & contritis* concedit Bulla.

63 Si autem Confessio Sacramentalis non requiritur, à Sacerdote non approbato applicari poterit: quamvis neque censurarum absolutio: quia longe major doctrina, & peritia opus est ad hanc, quam ad illam.

64 Similiter absenti in hac opinione fieri potest applicatio, quam non approbamus; eo quod Confessionem exigi sentimus. In articulo autem mortis; etiamque dicto Absenti si Confessarius adesse nequit, à Laico in Sacerdotis defectu applicari potest dicta Indulgentia. Ita Navar. Henriquez, Joan. Valerus, Trull. citat. à Diana *tom.* 4. *tract.* 3. *resol.* 158. *pag.* 130. Est ratio: quia relaxatio pœnæ non est actus ordinis; sed jurisdictionis, sicut absolutio à censuris, ideoque à quocumque exerceri potest.

65 Quod si tamen in vita fieri non potest, bene quæ tantum in articulo mortis, est: quia ita tenent communiter AA. non urgenteque in contrarium ratione aliqua, ita per epichejam putant hanc esse voluntatem Pontificis, nolleque etiam in articulo mortis denegare tantam pœnæ remissionem ob Confessarii defectum, stante, qui æqualiter in eo casu applicare dictam valeat Indulgentiam, absolvique illum talem à censuris, ut in Locro Sacro sepeliri posset tempore interdicti.

66 Adhucque majori clementia præsumpta ab ipso animarum Pastore Sum. sentio, quod si quis forsitan mortuus sit ita repente, ut nec Laicus applicare potuerit Indulgentiam, eam consecutus fuerit Defunctus, si appositis conditionibus, quas prævidens hunc casum ipsemet Pontifex præcepit, decesserit, quæ sunt sequentes: *Item si dicto anno durante contingit per repentinam mortem, vel Confessariorum absentiam, sine Confessione decedere, modo contriti decesserint, & prius statuto tempore confessi fuerint, neque hujus concessionis fiducia negligentiores fuerint, plenariam, ut supra remissionem consequantur.*

67 Præcipit ergo Pontifex contritionem de mortalibus non remissis, non vero de venialibus, vel mortalibus condonatis: qui postulat unice eam, ut tollatur obex ad indulgentiæ fructum percipiendum; confessionem dein exposcit statuto tempore; hoc est, quod culpabiliter præceptum annuæ Confessionis non omiserint, quin per se, & directe expostulari videatur; neque ut dispositio ad dictum fructum Indulgentiæ acquirendum, quia ad hunc consequendum, sufficit contritio jam exigita; etiam ut negligens quis non fuerit ob fiduciam concessionis, hoc est non reliquerit pœnitentias à Confessariis impositas, ob hanc Indulgentiam, & non alterius causæ intuitu.

68 Per articulum mortis intelligitur, quodcumque ejus probabile periculum, quia articulus, & periculum moriendi hic æquiparantur. In tali autem periculo applicari non potest talis Indulgentia sub conditione, ut casu quo infirmus, seu in mortis proximitate constitutus, non moriatur, queat ei denuo applicari eademmet plenaria Indulgentia in vero periculo mortis. Ratio est: quia cum expresse non contineatur talis modus applicandi in Bulla; aliundeque Pontificis concessio sit pro articulo mortis, intelligenda est pro vero, & præsumpto; adeoque tali modo uti nequit, absoluteque applicari debet: acquiriturque Indulgentia sive moriatur Is cui applicatur, sive non. Ita Rodrig. Lopez, Navarr. Corduba, Trull. Bardi, & alii.

QUÆSTIO IV.

De privilegio eligendi Confessarium, & approbatione requisita, ut eligi possit.

SUMMARIUM

69 *Approbatio quid sit.*
70 *A quo Episcopo debeat fieri.*

71 *Re-*

71 *Refertur decretum Inno. XII.*
72 *Potest eligi Religiosus ab Episcopo Diœcesis tantum approbatus.*
73 *Vi Bullæ unice eligi potest, qui sine ea est eligibilis, tamen privilegium hoc esse utile, ostenditur.*
74 *Corollarium.*
75 *Confessarius Sæcularis injuste reprobatus, jam non est eligibilis, bene vero Regularis; qui neque, si juste sit privatus.*
76 *Nec Parochus renuntians Parochiæ, bene tamen Episcopus Episcopatui.*
77 *Illi nec Vicarii officio amisso eligibiles sunt.*
78 *Valet Confessio cum electo, errore communi habito Confessario, titulum collatum habente.*
79 *Certo non approbatus eligi nequit.*
80 *Quod si eligatur, illicita, invalidaque erit absolutio.*
81 *Corollarium.*
82 *Manifeste ineptus eligi similiter nequit.*
83 *Nec prælati Regulares non approbati ob Ordinario.*
84 *Solvitur objectio de Canonicis Pœnitentiariis.*

69 Distinctione præmissa inter approbationem, & jurisdictionem, quam habes in *tom.* 1. *tract.* 12. *d.* 8. *n.* 10. *& seqq.* certum est ad electionem Confessarii solum requiri approbationem ab ordinario, qua habita eligens vi Bullæ tribuit jurisdictionem. A quo autem Ordinario habenda sit hæc approbatio? dico, præsupposito primo; quod nomine Ordinarii hic veniunt Archi-Episcopi, Episcopi, & horum defectu, vel commissione Vicarii Generales, Abbatesque jurisdictionem in foro exteriori habentes. *Secundo*, quod approbatio est actus jurisdictionis ex dictis *loc. cit. sup.* qui nequit præstari nisi ab habente potestatem super eum, cui datur.

70 Valde gravem fuisse hanc controversiam; ut colligitur sat est eo, quod in quamplures abierint AA. sententias, quarum septem refert P. Bardi, in quibus iis assignandis non opus est immorari, cum earum fundamenta ex puncto jam ceciderint: non enim amplius suffragatur ratio, ubi est in oppositum Ecclesiæ declaratio: est ergo jam contra illos negotium hoc decisum per Innoc. XII. decreto expedito anno 1700. die 19. Aprilis, in Hispania publicato, atque recepto, quod sonat, ut sequitur.

71 *Tenore præsentium decernimus, & declaramus, Bullam Cruciatæ Sanctæ nil novi juris induxisse, nullumque privilegium continere quoad approbationem Confessariorum contra formam ejusdem Concil. Trid. & prædictarum Constitutionum Apostolicarum. Ideo ut Confessarii tam Sæculares, quam Regulares quicumque illi sint in vim dictæ Bullæ Cruciatæ, à Pœnitentibus ad audiendas eorum Sacramentales Confessiones electi, nullatenus Confessiones hujusmodi audire valeant sine approbatione Ordinarii, & Episcopi Diœcesani Loci, in quo ipsi Pœnitentes degunt, & Confessarios eligunt, vel ad excipiendas Confessiones requirunt. Nec ad hoc suffragari approbationem semel, vel pluries ab aliis Ordinariis aliorum Locorum, & Diœcesium obtentam: etiamsi Pœnitentes illorum Ordinariorum, qui Confessarios electos approbassent, subditi forent. Confessiones autem aliter, & contra earumdem præsentium, aliarumque Apostolicarum constitutionum formam deinceps faciendas, & excipiendas respective, præterquam in casu necessitatis in mortis articulo, nullas fore irritas, & invalidas. Et Confessarios ipso jure suspensos, & etiam rigide puniendos ab ipsis Ordinariis locorum. Porro quamcumque contrariam opinionem, tamquam falsam, temerariam, scandalosam, & in praxi perniciosam, prætenso quovis contrario usu, contrariaque consuetudine, etiam antiquissima, minime obstantibus, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, horum serie damnamus, & reprobamus: contrariumque usum, ac contrariam consuetudinem hujusmodi, penitus, & omnino abrogamus, & abolemus.* Hæc Pontifex, asserens ante esse jam damnatum per Paul. V. Urban. VII. & Clem. XIII. quod per suum declarat damnatque decretum.

72 Igitur approbatio requisita in Confessario, ut vi Bullæ eligi queat, debet ab Episcopo, in cujus Diœcesi confessio auditur, obtineri. Ratio est declaratio Pontificis tradita, cui accedit, naturæ approbationis intelligentia *num.* 69. data, quæ convincit à proprio Episcopo elargiri debere. Juvat etiam, esse per Trid. ita dispositum: ergo cum contrarium non sit dispositum, à modo ibi præscripto non est recedendum, sed venit approbatio ab Ordinario intelligenda. Legitime inferes ex dictis posse eligi approbatum ab Episcopo Diœcesis Religiosum, quamvis non à suo Prælato, casu quo ille approbaretur ab Episcopo (in quo, valida foret approbatio ut fatendum est cum Diana *tom.* 4. *tract.* 3. *resol.* 22. *n.* 3. *pag.* 77.) quia approbatus est à debito Ordinario nec aliud requiritur, non vero è contra ob eandemmet rationem ab opposito: quia Prælati Regularium non sunt proprii Ordinarii, quinimo nec nomine Ordinarii veniunt, ut visum est *num.* 69. inferes etiam ita esse discurrendum de approbatione Bullæ, ac de approbatione requisita in Confessario eligendo sine Bulla, aliove privilegio, quamvis vi Bullæ approbatus tantum secundum quid, seu pure, aut nondum expositus in opinione probabili eligi valeat, licet communius sentire DD. id neget: quia nomine approbati intelligitur absolute approbatus, hoc est jam jurisdictionem habens ad absolvendum Sacramentaliter à mortalibus nondum remissis. Nec ex hoc aliquod sequitur inconveniens: Pontifex enim noluit derogare juri communi, sed approbatione legitima supposita, magna concedit privilegia, quatenus Confessario electo jurisdictio tribuitur ad absolvendum à casibus reservatis: igitur quamvis ipsummet privilegium eligendi Confessorem nil speciale tribuat; tamen utile esse ostendit Hostiensis in Rodriguez §. 9. *dub.* 2. *n.* 5. *pag.* 191. dicens: privilegium tribuens id ipsummet à jure communi concessum, utile adhuc ex triplici capite.

73 *Primo*; quia magis solet timeri specialiter prohibitum, quam quod generaliter. *Secundo*, quia plures ignorantes jus commune, conscii fiunt talium privilegiorum. *Et Tertio*, quia si male observatur jus commune, innovari solet per privilegia, & singulares concessiones: hinc idem Rodrig. *loc. citat.* ait non est mirandum nil concedere Papam contra jus commune; voluit enim regulari cum eo, quoad approbationem, exigens eandemmet, quæ à jure exposcitur.

74 Approbatus ergo ad confessiones audiendas in Diœcesi Barchinonensi, nequit eligi vi Bullæ in Gerundensi. Est ratio: quia ille talis non est sufficienter approbatus, imo absolute non est approbatus quoad Gerundensem, seu alteram à Barchinonensi Diœcesin. Similiter nec approbationem obtinens pro Masculis, à Fœminis eligi valet. Nec pro Sæcularibus mulieribus, a Sanctimonialibus. Nec pro aliquo oppido præcipue ex defectu scientiæ, à Civibus eligi quit: multoque minus approbatus ad certum tempus, hoc lapso; ut declaravit Clem. X. ad tollendam sententiarum diversitatem, ex privilegiis ortam, ibi adhuc ex contractu oneroso revocatis. Demum nullus eligi potest, ni approbatus sit, cum eligitur ab Ordinario in cujus Diœcesi eligitur: Nec Parochus ubique eligi valet; quia non ubique terrarum approbatus (modo saltem exigito) est ex Trid. & ostenditur declaratione illa Card. allegata à Suarez, & Fagundes, dicente: *Parochum non esse ubique idoneum*; accedit quod Parochus æquiparatur approbato ab Ordinario ex ipso Trid. *sess.* 23. *c.* 15. quodque autem de uno æquiparatorum dicitur, & de alio respective dici debet, ex Reg. *jur. op. si postquam de elect. in* 6. Gloss. *in lege si quis sericum C. de furtis*, & *alib.* Sed approbatus ita, ubique eligi nequit: ergo nec Parochus. Ita stando in tutiori, & probabiliori opinione, conformiorique cit. dec. quia cum solum sit approbatus, secundum quid tantum extra Diœcesin, jurisdictione carens, nequit eligi, cum non veniat ibi nomine approbati, modo quo communiter intelligitur, expositus nempe, ut ita intelligenda sunt verba initialia citat. dec.

75 Con-

75 Confessarius Sæcularis, privatus, quamvis injuste, & præsentatus reprobatus etsi etiam injuste eligi non possunt vi Bullæ. Est ratio; quia approbati revera non sunt, bene tamen Regularis semel approbatus; qui si injuste privetur, nullius momenti erit privatio, adeoque eligi poterit: quia ut dicitur *tom.* 2. *tract.* 13. *d.* 8. *q.* 1. in fine: regulares obtinent à Sum. Pontifice in omnes Sæculares Diœcesis, semel habita approbatione, jurisdictionem. Constat hoc ex constit. superna Clem. X. quam videbis in Appendice *loc. cit.* Præterea expressum est in Bulla, ait enim: *Et regulares, qui semel approbati fuerint.* Juste tamen privatus ob causas concernentes confessiones Sacramentales eligi non poterit; quia valet revocatio approbationis, constatque ex cit. constitutione tradita loc. etiam jam cit. Et ita est praxis.

76 Investigat Diana *tom.* 4. *tract.* 3. *resol.* 19. an Episcopus Episcopatui renuntians eligi possit vi Bullæ, ubi de Parochis negative respondet, minime vero, de eo expresse; tamen in tali negativa de Parochis, quam supra *n.* 74. in fine docuimus, affirmative censeo pro Episcopis respondendum. Est ratio: quia fundamentum militans pro Parochis, non est Episcopis, Parochis Parochorum, attribuendum, multo enim idoneiores hi eliguntur pro Episcopatibus, quam Parochi pro Parochiis; adeoque non tam facile ab illis, qualiter ab his extrahenda est approbatio. Cum aliunde quoad hoc in cit. decret. Inno. XII. non fiat mentio.

77 Vicarii, imo, & Parochi officio amisso, quomodocumque amittatur nequeunt eligi. Est ratio quia approbati non sunt, ut patet ex verbis Concil. Trid. *Sess.* 23. *cap.* 15. idoneum non reputari, nisi qui parochiale Beneficium habet: cum ergo in his, quæ pendent à jure non sit absque rationabili fundamento recedendum, quod in præsenti non apparet; ideo amisso officio, aut parochiali Beneficio, pariter, & approbatio amittitur, qua vi Bullæ eligi possint. Ita Bardi citans alios, Ludovic. à Cruc. etiam alios citans, & Diana *tom.* 4. *tract.* 3. *resol.* 18. *pag.* 74. Igitur sive renuntiarit Animarum Curæ, multoque magis si ab ea privatus fuerit; quia in eo tunc idoneitas aufertur causa justa eum privandi supposita, eligi non poterit.

78 Confessarius habitus talis, errore communi cum titulo collato, si eligatur vi Bullæ valebit ejus absolutio Sacramentalis. Est ratio: quia licet Pontifex concedat Bullam habenti, posse conferre jurisdictionem tantum vero approbato; tamen cum Ecclesia suppleat jurisdictionem, in tali casu juxta commune AA. dicendum est; mentem Pontificis esse in hoc casu, velle conferre jurisdictionem pariter tali electo putative tantum approbato; hinc enim pariter possent sequi incommoda, quæ illinc, ob multitudinem eligentium vi Bullæ. Si tamen non adsit titulus collatus, electio nil proderit, quia jurisdictio non suppletur. Ita communiter etiam AA.

79 Qui approbatus est juxta opinionem vere probabilem, adhucque probabiliorem judicatam eligi nequit vi Bullæ. Est ratio: quia absolute nequit approbatus dici. Sed tantum probabiliter. Nec late est hoc privilegium interpretandum eo, quod sit contra jus commune.

80 Consequenter si eligatur, absolvendo, graviter delinquet, invalidaque erit absolutio, si in re approbatus non sit, ut illius absolutio, qui tantum habet opinionem probabilem de sua jurisdictione: ratio primæ partis est, quia agit contra primam ordine propositionem damnatam ab Inno. XI. scilicet: *non est illicitum*, *&c.* secundæ vero: quia in tali casu Ecclesia non supplet jurisdictionem in sententia probabilissima, gravium AA. rationem reddentium pro hoc, & casu *num.* 78 quia in hoc non adsunt motiva ita gravia ad asserendum talis jurisdictionis supplementum ab Ecclesia: ibi enim sequeretur tot animarum ruina, vero non præstita absolutione iis Pœnitentibus, quia bona fide procedentes sua subjecerint peccata foro Pœnitentiæ per confessarium, titulum collatum habentem, quamvis inscii erroris, quo communiter ut vere confessarius haberetur; cum repetere tenerentur omnes eas confessiones cum tali factas confessario, magna animi sui perturbatione; quod quidem dissonum rationi, inconveniensque in præsenti casu non sequitur (quod si eveniret, & inculpabiliter, idem fateor sentiendum) cum aliunde hic imputetur culpæ Pœnitentis, qui confessarium certo approbatum tenebatur adire; illic autem immunis à noxa sit, ratione ignorantiæ invincibilis.

81 Confessarius ergo ad quem accesserit Pœnitens afferens tantum materiam Confessionis, circa quam solum probabiliter habeat jurisdictionem, ad alium mittat Confessorem, qui certam eam habeat pro noxis iis remittendis. *Quod enim tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Si vero apponat aliquam materiam, erga quam jam habet certam jurisdictionem, qua directe remissa, & alia indirecte condonaretur, poterit eum absolvere, cum opinione de jurisdictione certa circa partem materiæ; quod non eveniret Pœnitenti detrimentum.

82 Evidenter ineptus, quamvis approbatus eligi nequit. Est ratio: quia approbatio fuit nulla. Episcopus enim non habet potestatem utcumque approbandi, sed solum idoneos; alias esset ei data in destructionem, non in ædificationem, quod dicere nefas est. Si autem de ejus aptitudine dubitetur, eligi valebit: quia in dubiis standum est judicio superiorum.

83 Prælati Regulares non approbati ab Ordinario, eligi nequeunt vi Bullæ. ita Diana *tom.* 4. *tract.* 3. *resol.* 20. *pag.* 76. & communior DD. ratio est. *Primo* quia non sunt proprie Parochi, eo quod regimen potius spirituale, quam sacramentorum administratio eis circa Subditos incumbat. Unde Parochi quamvis queant, non tenentur suam aliis delegare jurisdictionem; sed ordinarie loquendo, velle possunt suarum ovium confessiones per se audire; Prælatis autem regularibus hoc nec licet, ut constat ex decreto Clem. VIII. de reservation. casuum pro regul. ubi §. 2. sic ait: *Non licet Superioribus Regularium confessiones audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsimet Subditi sponte, aut proprio motu id ab eis petierint.* Nec expedit: quia si cogerentur Subditi suis Prælatis ordinarie confiteri, passim exponerentur periculo non fatendi veritatem, timentes ne ex notitia fori Sacramentalis Superiores interdum sumerent occasionem eos in foro exteriori deprimendi, & fortasse etiam puniendi. *Secundo*, quia licet jurisdictionem ordinariam habeant, non tamen parochiale beneficium, quod opus est ex Trid. *cit. loc.* ut eligi valeant, si aliunde approbationem non obtineant. Accedit, quod non egent tanta eruditione illi, quanta Parochi, ut docet experientia.

83 Objicies: Canonicus Pœnitentiarius eligi potest vi Bullæ, qui tamen nec est ab Episcopo approbatus, nam plerumque contra voluntatem ipsius Episcopi eligitur à Capitulo; ut tenet Diana *tom.* 4. *tract.* 4. *resol.* 6. *pag.* 144. nec Parochus proprie; quamvis ipsi cura animarum demandetur: ergo majori ratione ita videtur debere asseri de Præsulibus Regularibus. Respond. hoc argumento quidam pressi in contrariam abierunt sententiam, inter quos esse mihi suadeo Guittart; illud pro nostra sententia stantes, ex antiquis adducentes, ut Diana, & Ludov. à Cruce, non tamen solventes, aliique recentiores Bullam exponentes, omittentes; quo non obstante sic videtur solvendum, dicendo *Primo*, quod Canonicus Pœnitentiarius approbatus ab Episcopo dum eum instituit in Pœnitentiarium: quin obsit, quod multoties eligatur à Capitulo contra ejus voluntatem, nam cum per concursum detur, nota est idoneitas, ejus, intuitu cujus non est neganda ab Episcopo approbatio, præcipue cum ei conferatur animarum cura; adeoque eligi valebit vi Bullæ. Prælati autem Regulares nullum præbent publicum testimonium de sua aptitudine, consequenterque, cum non sint veri Parochi ex nullo capite eligi valebunt. *Secundo* Et forte melius: ipsummet jus commune tribuit evecto in Canonicum Pœnitentiarium facultatem absol.

absolvendi Sacramentaliter quemcumque (ni Pœnitens impediatur) hoc enim est officium, ad quod est promotus; idcirco nil mirum, ut vi Bullæ eligi possit. Prælato autem Regulari minime; sed tantum erga suos subditos. Talem. habet facultatem, qua tantum indiget, adeoque à Sæcularibus eligi nequit vi Bullæ; cum hæc nil novi induxerit quoad confessarii electionem.

QUÆSTIO V.

De casuum reservatorumm absolutione.

Præmittitur in præsenti, dari plures casus Sum. Pontifici reservatos, tum intra, tum extra jus, quibus omnibus annexa est excommunicatio, ut dicitur in hoc tom. 2. tract. 14. d. 9. 1. & 2. per tot.

§. I.

Facultatem ab iis absolvendi inquirens.

SUMMARIUM.

85 *Absolutio à reservatis nequit obtineri pluries in vita.*
86 *Bullis præteritis non potest frui.*
87 *Reservatio casus papalis cessat, si ignoretur Censura ei annexa.*
88 *Corollarium.*
89 *Ignorantia autem reservationis non excusat ab incursu censuræ.*
90 *A peccatis reservatis quocumque tempore commissis absolvi poterit.*
91 *Etsi cum confidentia Bullæ patratis: quid hoc sit, & ex confidentia.*
92 *Extra confessionem absolvi possunt censuræ.*
93 *Solvitur objectio.*
94 *Casus papales etiam occulti tantum semel in vita absolvi queunt.*
95 *Solvitur objectio.*
96 *Ab hæresi externa quamvis occulta nequit absolvi.*
97 *Confessus animo subjiciendi reservata, etsi alicujus obliviscatur, à reservatione oblitum spoliatur.*
98 *Non tamen si nullum reservatum confiteatur.*
99 *Amititur tamen reservatio, si ad cautelam impendatur absolutio, à reservatis.*
100 *Manent etiam non reservata peccata, quæ ratione censuræ talia sunt, hac ablata, confessione adhuc invalida.*
101 *Licetque censura non posset absolvi extra Sacramentum Pœnitentiæ.*
102 *Peccata ratione sui talia manent post confessionem invalidam.*
103 *In Sententia* Ledesma Acosta, &c. *sum. Pontifex potest sibi reservare casum pro quo absolvendo datur facultas in Bulla Cœnæ.*
104 *Ab omnibus peccatis in Bulla Cœnæ contentis, hæresi formali externa excepta, absolvi possunt.*
105 *Non tamen à delictis super quibus est obligatio denuntiandi S. Tribunali.*
106 *Excommunicatus non potest licite absolvi nisi sactisfacta parte.*
107 *Tamen non exhibitio ejus non annullat absolutionem.*
108 *Triplex est satisfactio.*
109 *Ipsimet Personæ debet satisfactio fieri.*
110 *Solvitur objectio.*
111 *Nominatim excommunicatus absolvi potest vi Bullæ.*
112 *Minime vero invitus*

85 INvestigabis igitur pimo: an pluries in vita absolvi possint peccata Sum. Pontifici reservata, ad quod respond. negative, cum Rodrig. §. 9. *pag.* 240. Ludovic. à Cruc. *dub.* 1. *cap.* 3. *dub.* 13. *pag.* 188. Trull. *lib.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 3. *pag.* 244. Bardi, & aliis. Est ratio: quia Bulla solum concedit, posse semel absolvi in vita, adeoque absque enervatione sensus verborum non potest intelligi ly *Semel* restrictive ad unumquemque casum papalem, sive specifice dictinctum, cum aperte cadat super absolutione impendenda; consequenterque ampliari nequit; & merito falsa appellatur contraria Sententia à Ludovic. à Cruc. & Trull. asserente isto, nullo modo posse eam propugnari, quamvis multipliciter, cum iis efficaciter, probet illam Leander eam sustinens.

86 Secundo: an frui quis possit Bullis veteribus, ut vi earum absolvatur à reservatis commissis post Bullarum anni casum. Et. Resp. etiam negative. Est ratio: quia vigor Bullæ perit, cum annus pro quo tantum conceditur Bulla, lapsus est, ut expresse dicitur, in initio ipsiusmet Bullæ Latinæ, cum dicitur posse frui privilegiis Bullæ, qui intra annum a die publicationis, &c. Nec dici valet, revalidari privilegia illa á Commissario Gen. per novæ Bullæ acceptionem; quia ut dixi, sunt, non suspensæ, sed mortuæ; & revalidatio tantum super privilegiis suspensis, minime vero expiratis, cadere potest.

87 Cessant esse reservati dicti casus si ignoretur censura eis annexa, ut dicitur in hoc *tom. tract.* 13. *d.* 9. *q.* 1. *num.* 7. & *d.* 1. *q.* 3. *num.* 30. redditur ratio: quia ad incurrendam censuram requiritur contumacia, & virtualis quidam contemptus, quo quis legi recusat obedire; quod profecto de censuræ inscio dici non posse, certum, & notum est; itaque sine Bulla à quocumque confessario ordinario absolvi quivis poterit.

88 Idem dices de naturali oblivione ipsius censuræ, seu invincibili inadvertentia ob rationem datam. Idem similiter de eo, qui ex gravi metu, legem Ecclesiasticam transgressus est sub excommunicationis pœna, quamvis peccarit mortaliter, agendo simul contra legem naturalem, & Divinam, cujus rationem habes *loc. cit. sum. n.* 32. & 33.

89 Puræ autem reservationis nescientia, ab incursu censuræ non excusat: consequenterque non nisi à Papa absque Bulla, & à quocumque approbato cum ea, absolvi poterit reservatis obstrictus: quia pro tali excusatione nulla suffragatur ratio. Hoc tamen intelligas, cum reservatio est ad bonum regimen imposita, minime vero, si in odium peccati reservati, quale fuit, quod sibi reservavit Sixtus V. de male ad ordines promotis; & Greg. XIII. in constitutione de datis & promissis pro gratia; vel justitia obtinenda apud Sedem Apostolicam, statuens ibi neminem, qui tale per petraverit delictū posse absolvi nisi prius acceptum pro gratia, vel justitia restituat, ubi hi Pontifices, ut patet ex tenore Bullarum moti fuere ex talibus delictis, ea intendentes tali reservatione omnino exterminare, quamvis eorum exterminium in bonum regimen redundarit.

90 A peccatis vero commissis sive ante, in, vel post Bullæ acceptionem absolvi potest. Est ratio: quia Bulla hoc concedens privilegium, nedum non restringit ad casus præteritos ante sumtionem; sed videtur illud expresse extendere, & ampliare, cum declarat privilegia ipsiusmet Bullæ suum retinere vigorem durante anno publicationis ipsius Bullæ: quocumque igitur anni tempore accipiatur, ejus privilegiis frui poterit accipiens eam, nisi limitatio in eademmet Bulla habeatur; quæ circa præsens privilegium non adest; consequenterque à dictis peccatis commissis, quolibet ex dictis temporibus, absolvi valebit.

91 Quamvisque ea patrarit, cum, & ex confidentia Bullæ. Cum confidentia ergo peccare, est ita facilius moveri ad peccatum, ad quod si Bulla non foret, quis non determinaretur, uti spe absolutionis obtinendæ faciliter vi Bullæ nunc inclinetur: ad modum quo quis bona alterius furatur, quæ non furaretur, ni haberet spem

se

se componendi privilegio Bullæ. Ex confidentia vero, est pure facilius peccare, ita ut solum occasione confidentiæ absolutionis facile obtinendæ vi Bullæ, aliqualiter quis movetur ad peccandum, non taliter, ut non peccaret, si Bulla non foret ad modum quo quis æqualiter furaretur bona Naufragantium, e. g. se componendi motus; ac si illa destitutus foret, ita plures AA. pro conclusione, & explicatione citati à P. Bardi. Ratio concl. est: quia in Bulla non reperitur talis restrictio, sicque non debet ita limitari, præcipue cum constet contrarium ex ipso Pontifice, ut sat colligitur ex eo, quod hanc restrictionem ponat in compositione facienda de bonis incertis, & in consecutione Indulgentiæ concessæ pro articulo mortis, si quis negligens fuerit ad annuam Confessionem implendam; exceptio enim firmat regulam in contrarium. Pro instantiis faciendis solvendis advertas Lector, in rebus, quæ à jure pendent, argumenta à paritate nil prodesse.

92 Valide, & licite extra confessionem potest quis absolvi à censuris reservatis, præcipue inspectis Bullis præsentibus; expeditæ enim ante Gregor. XIII. aliquam majorem ingerebant difficultatem, eo quod in eis dicebatur: *Auditis eorum Confessionibus.* Est ratio: quia inter absolutionem à peccatis, & censuris nulla est connexio. Deinde: quia in his Bullis non ponitur talis limitatio: nec se offert ratio, ob quam reddatur illicita talis absolutio, ut videre poteris in hoc *tom. tract.* 13. *d.* 1. *q.* 3. *num.* 43. *& tract.* 14. *d.* 6. *q.* 3. *num.* 18. Demum nonobstant dicta verba: *Auditis &c.* quia referuntur ad pœnitentiam salutarem, & Sacramentalem injungendam, pro noxis subjectis; minime autem ad censurarum absolutionem; ideoque licet forent nunc, eademmet data foret responsio.

93 Objicies: Pius V, in Jubilæo ann. 1568. concesso declaravit, omnia indulta concedenda in futurum esse pro foro conscientiæ, & pœnitentiali; quod est in Sacramento Pœnitentiæ: igitur dicta facultas solum in Confessione exerceri potest. Respond. Pium. V. (fel. rec.) declarasse sua, & alia indulta non suffragasse, nisi in foro conscientiæ, & pœnitentiæ, quando injungenda est Pœnitentia; non vero in foro contentioso; non accipientem forum pœnitentiale, pro foro Sacramenti Pœnitentiæ: quia Ecclesiastica pœnitentia non restringitur ad Pœnitentiam Sacramentalem; nam cum, & Sacramentalis, & non, esse possit, voluit Pontifex excludere forum contentiosum, restringereque indulta ad limites fori conscientiæ, quod cum pœnitentia non est injungenda; tale dicitur & pœnitentiale, quod & conscientiæ, & Pœnitentiæ dicitur, si est injungenda Sacramentalis; & si Sacramentalis non est, fori pœnitentialis nomen sortitur.

93 Omnes casus Papæ reservati etiam occulti (occultum enim sumitur hic, ut communiter in Trid. *sess.* 24. *cap.* 6. *de reform.* nempe prout opponitur notorio, sive notorietate juris, sive facti; hoc est manifesto ex eo quod deductum ad forum contentiosum; vel quod à quarta parte vicinorum Civitatis, vel loci sciatur) semel tantum in vita, & semel in articulo mortis queunt absolvi. Est ratio: quia Bulla solum concedit hanc facultatem, utputa absolvendi tantum semel in vita, &c. casus reservatos S. Sedi: cum ergo occulti adhuc Papæ sint reservati, ideo solum semel in vita, &c. absolvi possunt. Accedit quod ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. Etiam, quod exceptio firmat regulam in contrarium; si igitur Sum. Pontifex ait de casibus non reservatis posse absolvi toties quoties, signum est quod de reservatis ipsis, non, adeoque tantum semel, &c. Insuper; hi casus quamvis per accidens ab Episcopis absolvi queant, (de quo *num.* 95.) tamen aliquid amplius habent, quam non reservati: ergo. Demum sequeretur, quod etiam toties quoties possent absolvi ab hæresi occulta, dicendo solum excipi publicam in Bulla, quia pariformiter est Episcopis concessa facultas absolvendi ab ea in Trid. *sess.* 24. *cap. cit.* pro foro conscientiæ.

95 Objicies: casus reservati S. Sedi occulti absolvi possunt ab Episcopis, ut dictum est; sed casus Episcopis reservati ex facultate Bullæ toties quoties absolvi queunt: ergo, &c. Respond I. conced. maj. & disting. Min. Casus reservati Episcopis per se conced. min. per accidens (ut dictum est in probationibus) neg. min. & conseq. Itaque casus reservati per se S. Sedi, non dici debent reservati Episcopis, quibus in Trid *loc. cit.* permittitur posse suos absolvere subditos; sique dicantur, per accidens solum tales, iis dici valebunt; cumque ab illis tantum semel, vi Bullæ, in vita, semelque in articulo mortis absolvi possint; ideo nil obest, quod facultas ab iis absolvendi Episcopis sit tributa à Trid. cum per se S. Sedi maneant reservati, ab hisque solum concedat Bulla posse absolvi semel tantum in vita, &c. I. quod talis facultas à Concil. Trid. concessa Episcopis fuit sublata per Sixtum V. & Greg. XII. ratio at vero præcipua, quæ convincit talis potestatis concessæ derogationem, est: quia dicti Pontifices declararunt non habere locum talem facultatem ob Bullam Cœnæ, in qua dicitur, nullum Prælatum Prim. Arch. Episc. & posse absolvere ab excommunicationibus in ea contentis etiam cujuslibet facultatis concessæ per quodlibet decretum in genere, vel in specie (nota ly *specie*; nam hoc termino videtur, quasi expresse revocari dictam facultatem specialiter à cit. Concil. concessam) cujusvis Concil. gener. igitur. Dein non est dicendum latuisse hos Pontifices solum Trid. talem facultatem Episcopis concedere; consequenterque, neque prudenter negandum, voluisse eam revocare. Ita resolutum fuit à quadam Sac. Congreg. Card. Demumque valde probabiliter sustinetur esse jam damnatam contrariam opinionem per Alexand. VII. propo. ord. 3.

96 Ab hæresi formali externa, & si ita occulta, ut nemo assertionem ejus audierit, nequit absolvi vi Bullæ: quia in eadem excipitur, & in Hispana, cui eandem fidem esse adhibendam, ac latinæ, statuit Greg. XIII. motu proprio expedito ann. 1576. reservataque est facultas cognoscendi super ea ab Innoc. X. & Alex. VII. Dominicis Inquisitoribus, ut dictum est *sub. d.* 1. hujus Tractatus *num.* 70. *formali dixi, & externa*: quia materialis, & pure interna non est reservata, S. Sedi, quamvis tamen de ea spectet ad dictos Inquisitores cognoscere; consequenter de utraque toties quoties absolvi potest vi Bullæ. Ut autem quis sit hæreticus formalis externus, incurratque excommunicationem Bullæ Cœnæ reservatam quatuor requiruntur conditiones, quas habes *in tom* 1. *tract.* 4. *d.* 4. *q.* 3. *n.* 25.

67 Si quis confiteatur animo, ut à reservatis absolvatur vi Bullæ, licet hoc non declaret, quamvisque alicujus obliviscatur; per absolutionem, ab illo reservatio auferetur. Ita Ludovic. à Cruc. Bardi, & alii. Est ratio: quia Pontifex concedit hanc facultatem Confessariis, ut ea utantur Pœnitentes vi Bullæ, quoties voluerint; cum ergo Pœnitens absolutionem à reservatis omnibus, quibus ligatur, velit, adque hoc valeat Confessarius electus; ideo nullum peccatum reservatum manebit, supposita saltem virtuali voluntate auferendi omnia reservata: ut dicunt communiter AA. de eligente Confessarium vi Bulllæ, ei dicente, se velle ab omni noxa reservata exonerari, in qua detinetur.

98 Cum autem Pœnitens confessus fuerit peccata non reservata, si aliunde reservata habuerit, eorum omnium immemor in actuali Confessione, non amittitur rèservatio. Ita Suarez: Bonac. Vazquez, Trull. Sanchez citati à P. Bardi. Est ratio quia absolutionis efficacia ab intentione Confessarii pendet: quæ cum ad non reservata non se extendat explicite, nec implicite; eo quod Pœnitens cui concessum est privilegium, non eligat ipsum hujus causa; nec velit ab his absolvi, ut supponitur, quia oblitus; ultra enim Confessarii intentionem non operari absolutionem, ut certum est; adeo remanent reservata.

99 Quod si vero Pœnitens ad cautelam generalem absolutionem à reservatis petierit; pro casu quod in

in aliquod lapsus fuerit, Confessariusque dictam generalem absolutionem impenderit, omnis tunc procul dubio reservatio auferetur. Ratio est quæ supra *num.* 98. ast non tollitur reservatio excommun. oblitæ subjici, cujus absolutio satisfactionem partis requirit: quia non intendit Confessarius ab ea absolvere; nec ita est præsumendum; eo quod illicite operaretur, nullusque præsumitur malus nisi probetur.

100 Per Confessionem invalidam vi Bullæ aufertur reservatio a censuris, consequenterque a peccatis, quæ dependenter a censuris reservationem habent; non tamen quæ immediate, & ratione sui, nonque censuræ reservata sunt. Ita Bossius, Bartholomæus a S. Fausto, Bonac. Bardi, & alii. Suppositoque asserto *num.* 92. ostenditur prima pars; quia Sacramentum Pœnitentiæ, cum mere per accidens se habeat ad absolutionem censurarum, ita ejus validitas, aut invaliditas, impedire non poterit, quin per facultatem concessam in Bulla, cadant censuræ, quas tollere intendit Confessarius; consequenterque cum omnes casus Sum. Pontifici reservati dependeant ab Excommunicatione, hacque ablata pereat reservatio noxæ, ideo tenent dicta. Patet ex hoc, & ex dictis *citat. num.* 92. posse conferri Absenti absolutionem a censuris, ut jam dicitur in hoc *tom. tract.* 13. *d.* 1. *q.* 3. *n.* 43.

101 Dato dein adhuc, quod extra Pœnitentiæ Sacramentum nequeat conferri censurarum absolutio, quamvisque irrita sit administratio ejus, tamen auferetur reservatio, & censura cui est annexa. Est ratio; quia censurarum absolutio, natura, & tempore præcedit absolutionem a peccatis, ut certum est: igitur ejus effectus non potest per nullitatem posterioris absolutionis impediri. Si tamen quis dicat has absolutiones inseparabiliter se habere. Contrarium est in promptu; nam Suarez stans pro contrariis ait, quod si Sacerdos post prolationem absolutionis censurarum pereat, vel ulterius non progrediatur, rata erit absolutio a censuris: ergo non ita inseparabiliter sumi debent hæ absolutiones, ut quæ est censurarum, natura, & tempore, peccatorum, non præcedat: fit igitur illa absolutio intra Sacramentum Pœnitentiæ, quatenus fit post inchoatam confessionem, & in ordine ad Sacramentalem absolutionem: integrumque multoties non est Sacramentum, tenetque absolutio censurarum.

102 Secundam partem tenent Ledesma, Acosta, Villal. & alii. Ratio est: quia per Bullam non datur facultas absolvendi a peccatis extra Confessionem, eo modo quo tolli potest a superiori, in ipsa enim expresse dicitur, reservatarum noxarum absolutionem esse impendendam a Confessario approbato, cum Pœnitens propria delicta ei confitebitur; quoad reservata autem Pontifici semel, quoad reliqua vero toties quoties, &c, igitur si irritum est Sacramentum, nulla pariter erit absolutio, sicque nullum pariet effectum, consequenterque reservata manebunt peccata. Ast si Sacramentum validum fuerit, quamvis informe (quale Schola admittit Thomistica) auferetur reservatio, a delictis talibus confessis; ut patet ex supradictis, & communiter tenent AA.

103 Motu quocumque proprio valet Sum. Pontifex sibi reservare aliquem casum ex iis, super quibus conceditur facultas absolvendi Confessario approbato, vi Bullæ Cruciatæ, clausulam in eo apponens; quod neque vi dictæ Bullæ absolvi queat: uti fecit Sixtus V. sibi reservans excommunicationem fulminatam contra consulentes, vel causantes abortum. Est ratio: quia ut dictum est in hoc Tractatu *dist.* 1. *q.* 3. *num.* 165. non se exuit, nec potuit se abdicare a potestate reservandi casus; quin obsit Bullæ concessio: quia per emanationem dicti motus propriis derogatur. Nec præsumendum est hunc denuo derogari pariter per Bullam, suspensione facta a Commissario Generali Cruc. ei facultate præstita a S. Sede, cujuscumque gratiæ Bullæ contrariæ; alias imprudenter se gessisset Sum. Pontifex Sixtus V. conscius nullius roboris futurum esse participem motum ab ipso expeditum: ridiculumque apparet omnimodis supremum in terris Legislatorem legem condere, quam scit illico a suo delegato irritandam. Nunc autem talis motus moderatus per Gregor. XIV. nullius est firmitatis: quia Pontifices absolute concedunt, posse absolute absolvi quæcumque reservata S. Sedi (excepta hæresi.) Cumque ille (uti nec alii) non habuerit potestatem restringendi, seu manus suorum Successorum ligandi; ideo ab illa absolvi potest vi Bullæ. Ita communiter.

104 Igitur omnes casus contenti in Bulla Cœnæ, utpote Apostatæ a fide, Fautores, & Receptatores Hæreticorum, eis credentes, legentes, imprimentes, retinentes, vel defendentes Libros Hæreticorum hæresin continentes, vel de Religione tractantes; etiam Schismatici, & pertinaciter se subtrahentes ab obedientia Sedis Apostolicæ absolvi queunt, dummodo in dictis criminibus non involvatur error contra fidem. Est ratio; ratio illationis: quia solum hæresis excipitur, & exceptio firmat regulam in contrarium. Juvat etiam esse hanc facultatem favorabilem, consequenterque ampliandam.

105 Vi Bullæ nequit absolvi, qui culpabiliter omisit denuntiare delicta, quæ sunt in edicto S. Inquisitionis, priusquam revelet. Ita Rodrig. Acunna, Henriquez, Trull. Garcia, Cardi. & alii. Est ratio; quia adest tale præceptum de non absolvendo, ni facta denuntiatione: igitur cum nequeat dici esse frustraneum, fatendum est vi Bullæ non posse absolvi; ita ut non sufficiat denuntiandi promissio juxta Seraph. Freyta, Acunna, Navarr. & alios. Secluso casu urgentis necessitatis ad vitandum scandalum, in quo Pœnitens dicitur simpliciter impotens ad denuntiandum, tuncque absolvetur, verbo præstito denuntiandi quamprimum poterit. Ut tenent Peirinus, Rodrig. Santarell. Leander, Diana, Trull. aliique apud cit. Bardi. Hujus ratio sat liquet, ex illo, quod magis præponderant præcepta naturæ, quam Ecclesiæ: fortiusque roborari potest ex eo, quod cesset naturale, & divinum præceptum de restitutione facienda, cum commode fieri nequit, ut communiter tenent AA.

106 Absolutio excommunicationis nequit licite impertiri, ni satisfacta parte, eo quod crimen causa cujus fuit impositum, fuit damni illativum. Tertio, si valeat Pœnitens satisfacere. Ita plures AA. Est ratio: quia Confessarius absque rationabili causa nequit non servare ordinem juris; adeoque astrictus ad eum; si satisfactio partis autem impleri nequeat, cautio a jure exigita præstetur.

107 Si valeat, dixi, Pœnitens satisfacere: quia actualis satisfactio, non est ita necessaria, ut ea non præstita nulla sit absolutio, ut tenent Henriq. Vazquez, Rodrig. Hurtad. & alii. Est ratio: quia verba hæc Bullæ *satisfacta parte* non sunt strictius interpretanda, quam quæ similia de eadem re habentur in jure. *in cap. enim solet de sent. excom. in 6. & in cap. ex parte de verb. signific.* hoc ipsum admonetur, & notatur; quod si reus nequeat actu satisfactionem præstare, cautionem a jure det præscriptam; præcipit ergo Sum. Pontifex, quod servent Confessarii id, quod secundum jus commune est præstandum, cum relata in Bulla statuit verba, non inducens ea ut formam, neque ut conditionem sine qua non; sed tamquam modum, qui jam est in jure.

108 Satisfactio partis per quandam recompensationem in honore læso e. g. vel fama, vel in bonis externis, quæ præcipue restitutio vocatur, prout hæc, & famam respicit; nam ut honorem attendit, satisfactio communiter dicitur. Cautio juris excogitata a lege, quæ est subrogatio satisfactionis, seu hæc virtualis, triplex est, pignoratitia nempe, fidejussoria, & juratoria; hunc ergo ordinem servandum esse, si locus detur, docent Henriq. Avila, Navarr. Cajet. citat. a P. Bardi: quia cautio danda est, modo quo potest satisfaciens, læsusque tutior reddatur.

109 Pro parte autem satisfacienda non intelligitur, e. g. si percutiatur aliquis Religiosus ejus Superior, sed ipsa Persona læsa. Est ratio: quia Summus Pontifex proponit aliquid postulandum specialiter ab eo qui absolvi debet a censura contracta contra aliquam Personam Ecclesiasticam a Superiori, vel Judice distinctam; non Monasterium, aut Ecclesia si Regularis, seu Sæcularis Clericus sit, hæc enim videtur quædam læsio generalis, adeoque, & satisfactio generalis esse debet, quam agendam non expostulat Summus Pontifex; sed specialem faciendam parti specialiter læsæ.

110 Nec obstat decisio tradita a Riccio in decis. Curiæ Archiepiscopi Neapoli; in qua decretum fuit, ut quidam qui Religiosum conversum percussit, Abbati & Monasterio satisfaceret; nam forte Religiosus ille ita fuit percussus, ut Monasterium expensas fecerit in eo curando; etiamque patrata fuerit percussio in contemptum Abbatis; vel demum quia opinionem contrariam sequerentur Judices causam decidentes.

111 Nominatim excommunicatus, vel denunciatus vi Bullæ absolvi potest in foro conscientiæ. Ita Sanchez, Sayrus, Henriq. & alii apud P. Bardi. *p.* 403. *n.* 5. aliique apud Ludovicum a Cruce *pag.* 203. *nu.* 5. Ratio, est facultas generalis absolvendi in Bulla concessa, absque restrictione, ni hæresis; cumque privilegium hoc favorabile sit, non est a Nobis restringendum.

112 Invitus tamen vi Bullæ absolvi nusquam poterit. Ita Trull. cum quibusdam ex citatis AA. est ratio: quia privilegia Bullæ pendent a voluntate Privilegiati: per ipsos enim communicatur Confessariis approbatis a suo Ordinario potestas absolvendi: iis ergo nolentibus certe nequibunt illi istos absolvere.

§. II.

De absolutione conditionali; aliisque absolutionem a censuris concernentibus.

SUMMARIUM.

113 *Absolutio a censuris potest dari sub conditione de præsenti, & de præterito.*
114 *Similiter sub conditione de futuro stante causa.*
115 *Solvitur objectio.*
116 *Potest dari absolutio ad cautelam, hæc enim potestas venit concessa pro foro conscientiæ, sub facultate absolute data.*
117 *Non autem in foro externo.*
118 *Bulla nequit dari absolutio ad reincidentiam.*
119 *Valida est censurarum absolutio, non expressa causa incursus in eas.*
120 *Corollarium.*
121 *Forma ab iis absolvendi non est ita determinata, ut alia ab ea non sit valida.*
122 *Non valet pro foro judiciali absolutio vi Bullæ collata.*
123 *In eo tamen potest acceptari.*
124 *Corollarium.*
125 *Prodest aliqualiter privilegium absolvendi in articulo mortis.*
126 *Quid per mortis articulum intelligatur, explicatur; quamvis dictum sit n. 68.*
127 *Etiam ejus periculum comprehendi, ostenditur.*
128 *Suspensio incursa ab ordinato per saltum, &c. vi Bullæ absolvi potest.*
129 *Et a censuris impositis a Pio V. & Gregor. XIII. contra mittentes, & recipientes litteras intra, & extra conclave.*
130 *Solvitur objectio.*
131 *Ordinatus ante tempus, non eget absolutione suspensionis, postquam ætatem exigitam compleverit.*
132 *A suspensione non censura nequit absolvi vi Bullæ.*
133 *Nec ab interdicto locali.*
134 *Cessatione a divinis, depositione, & degradatione.*
135 *Nec irregularitate.*

113 SUB conditione de præsenti, & de præterito dari posse absolutionem ab excommunicatione certum omnino est: quia hæc actum non suspendunt, si enim conditio sit posita in re, valida erit absolutio, quæ si non, irrita. Ita docent de censuris, Suarez, Filliu. Bonacin. aliique communiter; adeoque dari posse ita absolutionem vi Bullæ verum censeo, cum in ipsa nil contra hoc disponatur; hocque præcipue quando dubitat quis, an censuram incurrerit, ad majorem securitatem, ut solet fieri in sacramentalibus Confessionibus; & in Apostolicis Brevibus in Beneficiorum impetrationibus, ne nulliter Beneficium conferatur, etiam in dispensationibus, &c.

114 Si nulla adsit causa ad dandam sub conditione, illicite ferri certum est, præcipue si sub conditione de futuro administretur: quia contra praxin, & usum Ecclesiæ, nam si dignus, absolvatur, sin minus, non; ast si causa subsistat dari posse, tenent Corinth. Reginal. Suarez, Vazquez, Bauny, Hurtado, & alii. Ratio est: quia cum conditione de futuro ferri potest excommunicatio: consequenterque majori ratione ejus absolutio. Accedit, quod præceptum, & dispensatio ejus dari possunt cum tali conditione: igitur & excommunicatio, ejusque absolutio. Censuras Bullæ Cœnæ habes in hoc tomo. *tract.* 13. *d.* 2. *q.* 4. *n.* 56. postque *n.* 71. alias; quibus omnibus vi Bullæ absolvi possunt, excepta per hæresin incursa.

115 Nec obest cum tali conditione de futuro non posse conferri sacramentalem absolutionem, hæc namque ex sua natura habet non dependere a voluntate Confessarii; illa vero, sicut a qualibet alia censura, non est sacramentalis, sed actus judicialis mere humanus humana institutione introductus; sicque ab ea pendet voluntate, dependenterque ab hac intentione ejus effectus suspendi poterit, usque dum purificetur conditio.

116 Similiter posse conferri absolutionem ad cautelam, ut quando quis dubitat, an incurrerit censuram; vel an sit lata, vel an fuerit valida, seu, an crimen, ob quod imposita est sit commissum nec ne, pro certo habeo cum Ludovico a Cruc. *pag.* 220, alios citante AA. P. Bardi, etiam Trull. allegante, sed male, certe; nam in toto ipso hoc non inveni. Ratio est: quia potestas concessa ad majus, & minus ejusdem comprehendit classis; sed major est potestas absolvendi censuram certo incursam, quam dubie contractam; quæ ejusdem quidem sunt ordinis: ergo. Minor est evidens: potest enim Confessarius ordinarius absolvere peccata, reservata dubia, quæ nequit certa. Major etiam liquet: quia major est potestas ad simpliciter, quam ad secundum quid: igitur potestas absolvendi dubia, est contenta sub potestate absolvendi certa, consequenterque nequit dici illa potestas extraordinaria, ut putant contrarii, sed falso.

117 Igitur d. *cap. per tuas de sent. excomm.* unde colligunt talem potestatem esse quamdam gratiam specialem, quia extraordinariam, dico habere locum in foro externo, & non conscientiæ, & interno (ubi hæc facultas absolvendi, in alio venit comprehensa) ideoque loquendo de foro contentioso, ad quod est delegata excommunicatio, tunc nequit ad cautelam absolvi pro tali foro vi Bullæ; sed absolutio deberet fieri ab eo, qui eam tulit, vel a Superiore: quia semper maneret dubitatio in eodem foro de tali absolutione impertita, si absolute concessa facultas absolvendi non foret, cum Confessarius non sit legitimus Judex in foro contentioso.

118 Ad absolvendum tamen ad reincidentiam non præbetur facultas vi Bullæ. Ita Ludov. a Cruc. *pag.* 224 *num.* 1. & 2. Trull. *pag.* 302. *num.* 2. Rodrig. *pag.* 267. *dub.* 1. Gomez, Diana, & alii, apud P. Bardi *pag.* 410. ratio est; quia a minori ad majus non tenet illatio; cumque aliquo modo majus sit absolvere ad

ad reincidentiam, quam absolute, quia illo modo videtur includi authoritatem, vel actum jurisdictionis excommunicandi, vel ligatum relinquendi, usque ad tempus præfixum; suspendere enim excommunicationem non est, eam suspendere, ut effectum non causet, sed eam secundum se, non afficiendo Personam, elapsoque signato tempore, si non adsit conditio exigita, excommunicare.

119 Natura censurarum attenta, jureque communi, valida est absolutio earum, quamvis incursus causæ in eas non exprimatur, uti tenent Henriq. Suarez, Filliu. Bonacin. Diana, & alii; similiterque collata ea vi Bullæ, ita Trull. *pag.* 320. *n.* 15. Bardi *pag.* 411. *n.* 22. Est ratio: quia in Bulla non præscribitur talis modus, sed facultas absolute conceditur, adeoque modus ejus secundum jus commune est regulandus; cumque non sit aliquod talem expressionem præscribens, ideo nec hic, ibique causæ expressionis defectus validitati absolutionis oberit.

120 Optime inferes ex his: ergo necessaria erit expressio causæ in absolutione data vi Bullæ, quando in absolutione censuræ statuit jus exprimendam esse causam; quam si exprimere non oporteat, nedum valide, sed etiam licite absolvi poterit vi Bullæ, ea non expressa.

121 Quamvis in eo assignetur forma absolutionis censurarum, tamen illa non est ita usui necessaria, ut sine ea valida non sit absolutio, ita communiter. Nam eadem forma absolutionis, utpote *absolvo te*, ad censuras extendi potest secundum jus commune, ut etiam communiter docent AA. Dein, quia nil super ea impendenda a jure alienum statutum est in ea; nec illicite se geret alia absolvens forma, a præfixa in Bulla, quia non adest præceptum utendi ea.

122 Quomodocumque tamen collata dicta absolutio vi Bullæ non suffragabitur in foro judiciali, & contentioso. Ita Ludov. a Cruc. *disp.* 1. *cap.* 4. *dub.* 3. *pag.* 209. aliique a se citati; & a P. Bardi *part.* 2. *tract.* 6. *cap.* 5. *sect.* 1. *n.* 8. *pag.* 416. sive excommunicatio sit a jure, sive ab homine, sive pars satisfacta sit, sive non. Est ratio: quia non obstante absolutione impertita in foro Sacramenti poterit Reus puniri in foro externo, ob eadem delicta remissa, si a dicto foro alicui subjecta sunt pœnæ, similiter igitur, quamvis censurarum absolutio data jam sit in foro conscientiæ, poterit Reus puniri in foro externo ob delictum cui annexum erat censura; ut ostendit praxis, consequenterque pro foro judiciali, & contentioso nil prodest absolutio vi Bullæ collata: cum æque aliunde loquatur Bulla de absolutione a peccatis, & censuris. Accedit, quod alias judiciorum perturbatio sequeretur, maximaque scandala; daretur enim occasio liberius peccandi, si admitti deberet in foro contentioso absolutio, tradita in foro conscientiæ; multi enim timore pœnæ fori externi abstinent se a delictis patrandis. Urbanus (fel. rec.) demum VIII. in constit. 105. edita ann. 1630. Junii mensis die 19. *quæ incipit in specula militantis Ecclesiæ* declaravit, quod absolutio data a reservatis in Cœna Domini non suffragaretur nisi in foro conscientiæ, nonque in foro externo: igitur practice fieri jam nequit talis opinio.

123 Ast si Judex velit eam acceptare in foro externo, fori nempe conscientiæ absolutionem, potest, dummodo non resultet in præjudicium partis læsæ acceptatio. Ita Layman, Coninc. Henriq. Avila, citati a P. Bardi. Est ratio: quia rebus ita stantibus in contrarium non apparet ratio.

124 Absolutus ergo vi Bullæ ab excommunicatione deducta ad forum contentiosum nequit in foro externo communicare in sacris, nec in politicis, ni qui privavit denuo communicationem concedat. Ratio est: quia alias videretur contemni Ecclesiæ præceptum, si staret excommunicatio ex parte Judicis, & absolutio pro foro externo ex parte Confessarii: Dein, si jus publicum ipsum prohibuit, & istud est, quod excommunicatum debet statuere in communicatione: si tamen sit occulta, seu non publica: communicare poterit: quia non militat ratio tradita, sicque tamquam excommunicatum non se gerere, & ita pro utraque parte in P. Bardi plures habes AA.

125 Privilegium absolvendi in articulo mortis aliquid operari certum est: nam, qui ita est absolutus vi Bullæ si noxas censuris annexas habuerit, ita ab iis solutus manet, ut si mortem fugerit, superiori Judici, qui eas fulminavit, præsentari non teneatur, uti ad hoc tenetur absolutus absque Bulla in tali articulo, sub pœna reincidendi in easdem censuras, qualiter definitum est in *cap. eos qui de sent. excom. in 6.* Aliaque, quæ hoc attendenti privilegium proculdubio patebunt.

126 Num. 68. diximus per articulum mortis intelligi quodcumque probabile periculum, nunc autem addo sive intrinsecum, ut ab infirmitate proveniens, sive extrinsecum, ut a periculosa navigatione; vel a communicatione; seu cum quis plectendus morte est ex Judicis sententia. Ita quamplures AA. citati a Ludovic. a Cruc. *disp.* 1. *cap.* 3. *dub.* 16. *n.* 1. *pag.* 195. Trull. *pag.* 250. aliique cit. a P. Bardi *p.* 419. Ratio est: quia in quampluribus juribus, ut e. g. *in cap.* immediate sup. posito Pontifex in initio Canonis dicit: in articulo mortis absolvi non posse ab alio, quam a Pontifice, eum, qui incidit in excommunicationem latam *cap si quis suadente, &c.* statimque in eodem Canone, quod Pontifex articulum vocavit, periculum vocat. Insuper *in cap. citat. si quis suadente* 17. *q.* 4. appellat Pontifex periculum mortis, quod *in cap eos qui* articulum nuncupavit. Similiter, & in aliis locis.

127 Accedit demum motivum talis concessionis a Trid. in articulo mortis, quod nempe est, ad liberandas animas a tartareis flammis, in quas incidere possent defectu, si Confessarii jurisdictionem habentes non adessent, qui eos a reservatis criminibus, fors innodatos absolverent: igitur hoc eodemmet stante motivo in mortis periculo, absque dubio pro eodem articulus, & periculum mortis sumi debent; consequenterque pariter jus commune sequendum, cum in Bulla contrarium non sit statutum.

128 Quæres: an per Bullam suspensio incursa ab eo, qui promotus fuit absque licentia Ordinarii proprii, vel per saltum; vel ante legitimam ætatem a jure præfixam; vel sine patrimonio, benef. cio, vel simoniace, (siquidem quolibet ex dictis modis ordinatus eam incurrit, aliisque, ut dicitur in hoc *tom. tract.* 13. *d.* 2. *q.* 5. *post n.* 89.) quæ imposita est ipso facto incurrenda per extravag. Pii II. quæ incipit: *Cum ex Sacrorum*, editam anno 1461. confirmatam, & ampliatam a Sixto V. ann. 1588. & a Clem. VIII. illam confirmante, & hanc moderante ann. 1595. & a Trid. contra taliter ordinatos in distinctis sess. absolvi possit vi Bullæ. Respond. affirmative cum Ludovic. a Cruc. *pag.* 230. Trull. *pag.* 307. Bardi *pag.* 423. aliisque ab his citatis. Est ratio: quia in Bulla datur facultas generalis absolvendi ab omnibus censuris, in quibus est suspensio, ut constat ex *cap. quærenti de verb. signific.* Dein non est ibi alia limitatio, quam circa hæresin: igitur non est ratio cur non asseratur ab ea absolvi posse vi Bullæ, cum exceptio firmet regulam in contrarium.

129 His ergo rationibus clare patet, etiam absolvi posse vi Bullæ a censura Pii V. & Greg. XV. statuta contra mittentes, vel recipientes litteras intra, & extra conclave; cum aliunde ubique prosint ejus privilegia, excepto edendi ova, & lacticinia. Ita Diana alios pro se citans AA. *tom.* 9. *tract.* 7. *resol.* 122 *pag.* 435.

130 Nec obest, quod constitutio illa supradicta Sixti V. statuerit, quod nec vi Cruc. posset absolvi ab alio, quam a Pontifice; nam moderata fuit a citat. Clem. VIII. (fel. rec.) ut reservatio dicta a Sixto V. facta, reducenda foret ad terminos Sac. Can. & constitut. Pii II. in quibus rigida non erat illa reservatio: remanet igitur integrum Cruc. privilegium in ordine ad absolvendas dictas suspensiones. Nec similiter obest, quod hæc facultas limitetur Commissario; quia si in hoc conceditur ei facultas strictior, quam Confessariis, in aliis multo amplior ei tribuitur.

131 Sic ita abſolutus vi Bullæ, ſuſpenſus ab exercitio ordinum, miniſtrare eos poterit quando ætatem compleverit a jure requiſitam; abſque aliqua diſpenſatione: quia ætas exigita non deficit, nec ordo, nec aliqua cenſura ei prohibens exercitium eorum. Ita Rodrig. Avila, Diana, Cornejo, Bardi, & alii.

132 A ſuſpenſione autem pure punitiva; quæ cenſura non eſt, vi Bullæ abſolvi nequit, eſt ratio: quia in Bulla non datur facultas diſpenſandi, quomodo dicta ſuſpenſio tolli debet, aut temporis lapſu, ut e.g. ſi Epiſcopus puniat ſibi ſubditum, ſuſpenſione a Beneficio per annum, ob delictum patratum.

133 Similiter ab interdicto locali, ſive generali, ſive ſpeciali, vel generali perſonali impoſito per modum pœnæ ob culpam præteritam, abſolvi non poteſt juxta complures AA. citatos a P. Bardi *pag.* 424. Ratio eſt: quia in Bulla conceditur ſolum privilegium eligendi Confeſſarium a quo abſolvatur quis ab omnibus cenſuris: cum ergo interdictum taliter impoſitum, cenſura non ſit, in eorum opinione; ideo ab eo abſolvi nequit: quod ſi generale perſonale cenſura fateatur, ut dicitur in loc. ſum. immediate infra citando (cum modis ſupra dictis, locali pure excepto) ut ſi latum ſit ob contumaciam, in eo tunc Perſona interdicta abſolvi valebit; locale autem ſive cenſura ſit, ſive non, nequit abſolvi vi Bullæ. Patet ratio ex citatis verbis Bullæ, quæ ſolum adaptari poſſunt Perſonis, minime vero locis.

134 Præmiſſa igitur intelligentia harum pœnarum canonicarum, ceſſationis a divinis, nempe, depoſitionis, & degradationis ex hoc *tom. tract.* 13. *d.* 2. *qu.* 4. *n* 108. *&* *d.* 1. *q.* 4. dico auferri non poſſe vi Bullæ. Ita Ludovic. a Cruc. Trull. Villalob. & alii. Ratio eſt: quia cenſuræ non ſunt; ſed pœnæ perpetuæ, de ceſſatione autem a divinis eſt alia ratio, ſcilicet, quia eſt localis, nuſquamque afficit Perſonas immediate: pœna autem circa locum verſata vi Bullæ tolli non poteſt.

135 Irregularitas, adhuc contracta a Clerico exercente actum ordinis cenſura innodato nequit abſolvi vi Bullæ. Ita complures AA. Ratio eſt: quia non eſt cenſura, ut dictum eſt in hoc *tom. tract.* 13. *d.* 1. *&* 3. *q.* 1,

QUÆSTIO VI.

De privilegiis commutandi Vota.

§. Unicus.

De conditionibus requiſitis ad commutationes exercendas vi Bullæ.

SUMMARIUM.

136 *Vovens poteſt ſibi commutare vota in evidenter melius.*
137 *Per Bullam non eximitur quis ab obligatione ante ejus acceptionem factorum.*
138 *In minus bonum nequit vi Bullæ votum commutari.*
139 *Ad commutationem votorum vi Bullæ non requiritur cauſa ex parte privilegiati.*
140 *Quæcumque vota facta quocumque tempore commutari poſſunt.*
141 *Solum Confeſſarius approbatus ab Ordinario ea valet commutare.*
142 *Juramenta etiam commutari queunt.*
143 *Hæc veritas oſtenditur.*
144 *Potiorique jure ſi illa firment vota.*
145 *Bulla attenta, commutatio eſt facienda in pecuniis, ſolviturque obj.*
146 *Aſt ſine Pontificis conſiderato, in temporale, & ſpirituale ſubſidium fieri debet, cum corollario.*
147 *Aſſignari poteſt materia commutationis voti factæ durante Bulla.*
148 *Confeſſarius nequit differre commutationem ad anni Bullæ lapſum.*
149 *Cui commutatum eſt votum abſque deſignatione materiæ, ad ipſum non tenetur.*
150 *Poteſt etiam commutari votum, cujus materia obliviſcitur.*

136 QUicumque vovens poteſt ſibi commutare vota in evidenter melius juxta communem DD. ſententiam ut dicitur in *tom.* 1. *tract.* 6. *d.* 2. *q.* 3. *n.* 31. *promiſſum quidem non infringit, qui in melius illud commutat, ut colligitur ex cap. ſcripturæ de voto.* Ad hanc ergo commutationem non eget vovens Bulla, aliove privilegio. In opus autem æquale minime, ut dicitur *loc. cit. num.* 34. quamplurimique AA. citati a P. Bardi, Sanchez, & Diana. Ratio eſt aſſignata *loc. cit. num. nempe* 34. & quia gratius procul dubio eſt Deo voventem perſeverare in priori voluntate. Dein: quia difficile eſt ſcire æqualitatem. Inſuper: quia in *cap.* 1. *de voto* ſtatuitur commutationem dependere a Prælato, quoties non eſt certum rem ſubrogatam Deo eſſe gratiorem: quod ſi certus foret vovens de æqualitate morali (talis enim in præſenti intelligi debet), & dubius de melioratione rei ſubrogatæ poſſe ſibi in talem materiam commutare votum, certum cenſeo.

137 Contra ſimplices illos de quibus meminit Navarr. tenendum firmiter eſt, per acceptionem Bullæ non remanere exemptum eam ſumentem ab obligatione votorum, quibus ante ligatum; quamviſque requiſitus foret Confeſſarius ad ea commutanda; ſi non commutaſſet (venialiter ſaltem peccando, ſi non acceptarit ſui electionem ad hunc effectum) de facto in eadem maneret obligatione. Ratio primæ partis eſt: quia hæc ſolum tollitur per actualem materiæ mutationem; non vero per communicationem poteſtatis alicui conferendæ ad faciendam talem commutationem, quæ ſolum confertur Bullam accipienti. Secundæ autem eſt: quia non eſt facta adhuc talis commutatio, hoc eſt obligationis illius materiæ translatio in aliam.

138 Votum ſimiliter vi Bullæ in minus bonum commutari nequit. Ita pluſquam decem ſupra undecim numeravi AA. eſt ratio: quia jam non foret commutatio, ſed aliqualiter diſpenſatio, ad quam in Bulla non præbetur facultas.

139 Ex parte Privilegiati non requiritur cauſa; ut Confeſſarius commutet vota vi Bullæ, ſed ſat eſt cauſa ob quam concedit Pontifex fieri poſſe talem commutationem, utputa commune bonum, ſubſidium nempe belli contra Infideles, ob quod confertur eleemoſyna præfixa. Ita Suarez, Bartholomæus a S. Fauſto, Trull. Ludovic. a Cruc. Rodrig. Bardi, & alii; eſt ratio: quia cum jam eſt cauſa ex parte conceſſionis privilegii, non eſt cur exigenda ſit nova ex parte privilegiati.

140 Quocumque ergo ſint facta tempore talia vota ſive ante acceptionem Bullæ, ſive poſt, vi ejus commutari poſſunt. Ita Rodrig. Trull. Navarr. Vivald. Henriq. aliique apud P. Bardi. Eſt ratio: quia facultas commutandi vota in Bulla eſt generalis, & indefinita, quæ univerſali æquivalet ex Gloſſ. *in cap. quia circa verb. ſed futuri de privileg.* igitur de ante, & poſt Bullæ acceptionem patratis noxis abſolvi quivis valebit, cum ad præterita, & futura extendatur vota conceſſio, Bulla durante, ut communiter dicitur de Jubilæo. Accedit, quod hæc poteſtas eſt favorabilis, conſequenterque quantum proprie conceſſionis verba patiuntur ampliari quit. Demum eodem tenore, quo conceditur abſolutio a cenſuris, & a peccatis; ita, & votorum commutatio, ut videri poteſt in ipſa Bulla; ſed ab iis ante, & poſt commiſſis abſolvi poteſt, juxta commune DD. igitur, & ita vota commutare.

141 Juxta Bullæ tenorem ſolus Confeſſarius approbatus ab Ordinario quit vota commutare, quæ commutatio neceſſario fieri non debet intra Confeſſionem Sacramentalem. Ita Henriq. Sotus, Sanchez, Bartholom, a S. Fauſto, Trull. Bardi, & alii. Eſt ratio: quia non præcipitur in Bulla, ut dicta commutatio in Sacramentali Confeſſione fiat: aliundeque inter hanc, & commutationem nulla eſt connexio. Igitur quam-

quamvis exigatur Confessarius, tamen non ut exerceat commutationem in actu Confessionis.

142 Facultatem commutandi vota ad juramenta extendi, dictum est in *tom.* 1. *tract.* 6. *d.* 3. *q.* 4. *n.* 52. juramenta autem facta in Dei honorem, vel Sanctorum, absque connexione cum voto, etiam posse commutari vi Bullæ, est fatendum cum Suarez, Basilio Pontio, Rodriguez, Merolla, Castropalao, Sanchez, Trull. Diana, Bardi, & aliis ab hoc citatis. Est ratio: quia majus est vinculum voti, quam juramenti (qua ratione supponimus, ex facultate dispensandi inferri facultatem commutandi; quia major illa est) sed cui licet quod est plus, & minus, ex regula *jur. in* 6. ergo. Tamen, quia hæc ratio potius convincit de commutatione, & dispensatione, quæ se habent ut pars, & totum, vel ut inclusum, & includens (de quibus præcipue *reg. cit.* intelligenda venit) qualia non sunt votum, & juramentum, ideo alia est ratio, huic sed innixa.

143 Quamvis juramentum non sit pars, nec includatur in voto, tamen in juramento, quod Deo fit, & non hominibus virtuale includitur votum, tale enim juramentum continet promissionem Deo factam; ideoque licet non sit potestas directe concessa ad commutanda juramenta, tamen indirecte videtur haberi per facultatem commutandi vota. Accedit quod de æquiparatis pro uno dispositum, & pro altero venit, ut habetur ex *l. Tantum.* §. *de servo. Cod. de furtis,* & asseritur a Gloss. *in cap. Si postquam verb. confirm. de elect. in* 6. cum ergo privilegium commutandi vota, & commutandi juramenta æquiparentur; quia per utrumque homo se Deo obligat, solique Deo acquiritur obligatio, quæ ab utroque, Religionis est: ideo ex facultate commutandi vota, & juramenta censetur, cum ut distincta non inspiciantur, sed ut afferunt Deo aliquod obsequium in decus ipsius Dei; quiaque in utroque hæc eadem militat ratio, quoad commutanda, ideo ampliari possunt privilegii verba: præsentia enim concessa Beneficiario causa docendi Theologiam, concessa censetur ob Canonum instructionem.

144 Si autem juramentum sit connexum cum voto, firmans utpote hoc, quomodo voti accessorium est, clarior suppetit ratio pro dato asserto, expresse tradito in Bulla Italica (*potra ancora il detto Confessore commutare loro qualunque voto, benche sia jurato*) & Hispanica (*podran comutarles qualesquier voeos aunque sean hechos con juramento*) difficultas tamen est. Cum votum, & juramentum factum, sunt inconnexa, ut si quis vovit jejunium, posteaque illud jurarit, absque eo quod intendat votum firmare, quomodo nec minus subordinata sunt. Ad quam respond. commutari posse tale votum, & juramentum, facta circa eandem materiam absque subordinatione. Ita Suarez, Sa, Castropalaus, Bardi, Basilius Pontius, Trull. & alii. Est ratio: quia hoc, quod juramentum sit conjunctum, vel subordinatum voto, vel non, non mutat suam naturam, adeoque si conjunctum, seu subordinatum, & adhuc disjunctum circa distinctam materiam versatum, commutabile est vi Bullæ; etiam tale erit non subordinatum voto, circaque eandem materiam. Dein, quia non est major potestas commutare votum, & juramentum dependens a voto, quam illud, hocque ab eo non pendens, dato, quod facultas commutandi vota ad juramenta extendatur, ut patet ex dictis: nam non est major potestas delegata ad absolvendum Petrum innodatum triplici censura, ac una ligatum: unde a tribus, absolvi poterit, a potestatem habente absolvendi a censuris ut sic; licetque videatur strictior obligatio ex voto, & juramento, tamen in facultate commutandi vota implicite ad hanc strictiorem obligationem potestas datur.

145 Inspectis verbis Bullæ: utpote: *Et illius posse vota omnia in aliquod subsidium hujus expeditionis per eundem Confessarium commutari.* Censeo commutationem faciendam esse in pecuniis (reponendis in Cathedralium Gazophilacio vulgo *Cepillo*, ad hoc ibi fixo) est ratio: quia nomine subsidii intelligitur illius egestatis suppletio, quæ in præsenti conatur subveniri; sed hæc est pecuniæ defectus: igitur per subsidium intelligi debet erogatio pecuniæ, qua, maxima summa, eget expeditio Sac. belli contra Infideles, ad quam ordinatur. Accedit declaratio Commissarii Gener. Illustrissimi Sotomayor. ann. 1642. facta, & in valvis Templorum Matriti affixa, ita sonans: *Todas, y qualesquiera comutaciones de votos, que los Confessores hizieren, no han de poder aplicar la limosna, ni comutacion a otra obra pia, sine a la dicha Santa Cruzada, y lo que de otra manera se hiziere sera nulo.* Fuse habes apud Galleg. *dub.* 150. Nec obest, quod pia opera Deo oblata pro felici exitu talis expeditionis sint efficaciora: nam etiam ratione finis erogatio pecuniarum est opus pium, præterque hanc efficaciam, aliam tenet naturalem, qua carent alia pia opera; quæ ex parte offerentium sæpe nullam, vel parvam a Deo impetrant virtutem, quamvis ex se sint efficacissima. Demum in Bulla Italica eleemosyna pro commutatione præscribitur.

146 Fine tamen, & intentione Sum. Pontificis, attenta probabilior est opinio, tenens talem commutationem, & in subsidium temporale, & spirituale debere fieri, ut ajunt Henri. Sanchez, Suarez. Villalob. Diana Fernandez cit. a P. Bardi *pag.* 449. & Ludovic. a Cruc. *pag.* 280. Est ratio: quia Pontifex intendit Fideles allicere, mediante hoc privilegio, ut eo utantur, sicque pecuniam aliquam erogando, major quantitas in subsidium belli cumuletur; quod consequi proculdubio certius poterit adhibita commutatione, partim in pecuniis, partimque in piis operibus; quam si solum in pecuniis fieret; quo modo finis prædictus a Sum. Pontifice intentus cassaretur. Ex his deduces, commendari profecto posse illam opinionem certe piam, ac tutam in praxi, quam talem censet Mendo *disp.* 26. *c.* 17. *n.* 179. dicens: *Negare non possum hanc opinionem esse practice tutam, cum eam defendant tot, ac tam graves AA.* utpote Suarez, Thom. Sanchez, Trull. absolute eam propugnantes, & alii a se citat. *num.* 178. docentem, quod in subsidium spirituale commutari possunt vota Pauperum, omnino indigentium.

147 Elapso anno promulgationis Bullæ, designari potest materia commutationis voti, factæ intra annum durationis ejus. Ita complures AA. ratio est: quia materiæ designatio non est actus jurisdictionis, consequenterque nil prohibet fieri posse. Rationis causa patet; nam a quocumque laico designari potest de mandato Confessarii ei talem delegantis facultatem, exercitium utpote actus prudentiæ, circa commutationem in confuso factam, quæ talis designatio solam requiritur ad complendam commutationem factam a Confessario tempore apto; quamvis censeatur, in eo tunc commutare ipsum Confessarium; uti Pontificem dispensare in esu carnium tempore prohibito, utriusque Medici adhibito consilio.

148 Commutationem autem non differre posse Confessarium, usque ad casum anni durationis Bullæ, certum est: ut si Pœnitens e. gr. in ultimo die anni peteret eam, nec sciret in promptu se determinare Confessarius de materia subroganda; nec in tota die consilium exposcere. Est ratio: quia causa commutandi integra remansit, quamvis munus acceperit Confessarius; quæ acceptatio non est causæ inchoatio; alias nusquam daretur casus in quo causa delegata remanere posset integra post mortem delegantis; vel ob amotionem ab officio; quia delegatus acceptans delegationem, censebitur causam inchoasse; sicque si ab hac decesserit valle Delegans, aut ab officio cessaret, semper in delegato maneret jurisdictio ex hoc capite; cumque solum causæ pendentes ad finem valeant perduci, ut in illa dicitur, *expirata Bulla*, ideo usque ad casum anni durationis nequit differri commutatio, eo quod postea commutari non posset votum.

149 Cui tamen est commutatum votum in materiam postea assignandam, non incumbit jam obligatio standi voto. Ita Lessius, Diana, Sanchez, Trull. Bardi. Est ratio: quia jam est translata obligatio voti in aliam materiam, utpote assignandam.

150 Si vovens obliviscatur materiæ, circa quam erat votum, poterit non obstante commutari votum illud a Confessario sic: ex nunc pro tunc vi Bullæ tibi commuto votum, quod emisisti, cujusque speciem, seu materiam non recordaris, in materiam illam, quam Deus scit esse moraliter æqualem, & proportionatam materiæ illi de qua erat votum a te factum. Si per hæc, aut similia verba intendat Confessarius commutare vota, manebunt certe commutata, electa materia proportionata a Confessario, vel ab altero de ejus commissione; aut ab ipso vovente cum recordetur voti a se emissi. Hæc autem potius speculativa, quam practica est resolutio; quia dum, quisquis sit vovens, immemor est voti post adhibitam diligentiam, non indiget commutatione, ad nihil enim tenetur tali durante oblivione.

QUÆSTIO VII.

De votis, quæ possunt, & non commutari vi hujus privilegii.

SUMMARIUM.

151 *Omnia vota commutari queunt, tribus exceptis.*
152 *Corollarium.*
153 *Inferes etiam commutari posse votum factum spe commutationis.*
154 *Qui vovit, non peccare contra castitatem externe, interne, & castitatem conjugalem, advertens in hoc se ad totalem castitatem ligare, a tali voto commutari nequit vi Bullæ.*
155 *Bene vero si hoc non adverterit.*
156 *Commutari potest votum suscipiendi ordines sacros. &c.*
157 *Etiam votum non nubendi.*
158 *Votum continentiæ, &c. nequit commutari.*
159 *Votum castitatis ad tempus aliquoties est temporale, quandoque perpetuum.*
160 *Votum castitatis conjugalis potest commutari; & virginitatis.*
161 *Solvitur objectio, traditurque vota supra dicta posse ab Episcopo dispensari.*
162 *Non tamen si illud sit factum de consensu utriusque Conjugis.*
163 *Alia vota commutabilia assignantur.*
164 *Potest commutari votum factum in favorem causæ piæ, non acceptatum.*
165 *Votum commutatum a Sum. Pontifice in materiam non sibi reservatam, potest a quocumque Confessore vi Bullæ commutari.*
166 *Solvitur objectio.*
167 *Votum, vel juramentum firmans statuta Academiarum, &c. commutari nequit.*
168 *Tria vota excepta si sint pœnalia, possunt commutari.*
169 *Etiam si sint conditionalia ante impletam conditionem, non vero post.*
170 *Hujusque partis ratio assignatur.*
171 *Ostenditur differentia inter votum pœnale, & conditionale.*
172 *Si conditio tacite insit, nequeunt commutari dicta tria vota.*
173 *Nec si conditio est necessaria.*
174 *Similiter si non sit vera.*
175 *Commutari potest votum ingrediendi Religionem non approbatam a S. Sede.*
176 *Etiam ingrediendi strictiorem, vel in aliam determinatam, &c.*
177 *Potest commutari votum convertendi debita incerta in subsidium terræ Sanctæ.*
178 *Votum Hierosolimitanum factum causa videndi aliquam imaginem commutari potest.*
179 *Votum commutatum non reviviscit, non impleta materia, in quam est commutatum.*
180 *Commutato a voto integrum est ad votum redire.*
181 *Votum incommutabile, factum vi metus incussi a causa extrinseca ad extorquendum ipsum, est commutabile vi Bullæ.*
182 *Corollarium.*
183 *Similiter si sit factum intentione se obligandi ad illud sub veniali tantum.*
184 *Si dubitatur de intentione se obligandi in dictis votis, commutari possunt.*
185 *Votum Religionis factum præcise in utilitatem alterius, commutabile est, etiamsi juramento firmatum.*
186 *Licetque in Dei honorem factum primario sit.*
187 *Qui alterius subduntur potestati a votis commutari non possunt.*
188 *In dictis votis nequit commutari, adhuc in casibus in quibus licet Episcopo dispensare.*
189 *Sumendi Crucem voluntas pro expeditione Cruc. commutabilis est.*

151 Supponendum est omnia vota tum personalia, tum realia, tum mixta, exceptis tribus illis, & adhuc absolutis, ut infra dicetur, ultramarino nempe castitatis, & Religionis, commutari posse, & exprese habetur in Bulla his verbis: *Et illis posse vota omnia (ultramarino, Castitatis, & Religionis dumtaxat exceptis) in aliquod subsidium hujus expeditionis per eundem Confessarium commutari.*

152 Ex quo patet, nullum ex tribus adhuc in evidenter melius commutari posse vi Bullæ, ut communiter tenent AA. quidquid dicant Cajetanus, Aragon. Sayrus, & Valentia. Ratio fortior est praxis, præterea in Extravag. Sixti IV. incipiente. *Et si Dominici. 2. de Pœniten.* statuit Pontifex, quod nemo quacumque dignitate etiam Episcopali, vel majori insignitus tria vota, & S. Jacobi ad Compostellam, & ad limina Apostolorum Petri, & Pauli commutare præsumat: adeoque tria excepta tantum in Bulla nec in aliud reservatum, Deo gratius commutari possunt ob strictam prohibitionem.

153 Votum factum spe commutationis obtinendæ potest commutari vi Bullæ. Ita Trull. *num. 5. pag. 36.* est ratio: quia non est aliqua, quæcumque sit, quæ obsit inclusioni ejus in facultate commutandi vota. Similiter votum non expostulandi commutationem alterius voti.

154 Si quis vovisset, heri non peccare externe contra castitatem, hodie interne contra eam, crasque castitatem conjugalem; & in ultimo voto Castitatis conjugalis habuisset intentionem se obligandi ad omnimodam castitatem, commutari non posset ei tale votum. Ratio patet: perfectam enim, & absolutam ita Deo promisit castitatem.

155 Si autem in ultimo dicto voto non haberet intentionem vovens ita se obligandi, ei omnia quibunt commutari vota. Ita Ludovic. a Cruc. Trull. Bossi. Alphonsus a Leone, Sanchez, & alii citati a P. Bardi, hocque quamvis adverteret se ligari ad perfectam castitatem vi ultimi voti. Est ratio: quia vota illa non uniuntur quoad obligationem formalem, licet unum compleant votum formale perfectæ Castitatis, ex quo capite, quamvis quoad effectum ita sit, ac si votum castitatis absolutum, & perfectum emisisset, quod est materialiter, & per accidens ad perfectam Castitatem esse adstrictum, æquivalereque tria illa vota uni omnimodæ Castitatis, tamen non æquivalent quoad reservationem: quia connexio illa a voluntate voventis provenire debet, minime vero a pluralitate votorum, inter se connexionem non habentium, quorum quodlibet vi Bullæ commutari poterit. Demum odiosa est reservatio: igitur.

156 Potest commutari votum suscipiendi ordines sacros. Ita Azor. Henri. Sanchez, Rodrig. Acosta, Fernandez, Bardi, & alii apud Ludovic. a Cruce *disp. 1. c. 6. dub. 10. n. 6 pag. 311.* est ratio. Quia tale votum non fertur immediate ad Castitatem; sed ad statum cui est per Ecclesiam annexa. Etiam votum non peccandi: quia non est ex exceptis. Si autem sit dubium

num

num votum ſit ex tribus, aut reſervatum, ex modo quo celebratum fuit, commutari poterit vi Bullæ. Ita Sanchez. Trull. *pag.* 393. *num.* 2. in fine. Eſt ratio: quia hic benignior pars eſt interpretanda.

157 Similiter votum non nubendi. Ita Sanchez, Trull. Henri. Ludovic. a Cruc. *loco ſup. citat. num.* 4. *pag.* 310. aliique apud hos. Ratio eſt, quia non eſt votum perfectæ caſtitatis: ſi tamen tale votum factum foret in favorem tertii, utpote ſi Maritus ad preces ſuæ conſortis, ex hac vita decedentis, votum emiſiſſet, non aliam ducendi in uxorem, Filiorum cauſa, & acceptatum ab uxore, vel e contra, commutari non poſſet: quia Bulla non extenditur ad commutanda ea vota, quorum commutatio ex jure quæſito reſultat in damnum tertii.

158 Pariformiter nequit commutari votum continentiæ de licentia Conſortis, animo ingrediendi Religionem ante conſummatum matrimonium. Eſt ratio: quia eſt omnimodæ, & perfectæ caſtitatis; ſimiliterque poſt conſummatum matrimonium, conſentiente Conſorte; ſin minus autem, commutari poterit, quia non eſt abſolutæ caſtitatis.

159 Notatione dignum eſt, quod vovens caſtitatem ad tempus determinatum, ſi in ea ætate illud voverit, ut tempus extenſionis ejus cum ætate ipſius voventis impleant 90. aut 100. annos, perpetuum erit votum, quia non ſolent homines amplius vitam prolongare; ſi autem dictam ætatem, ſeu numerum annorum non conſtituant, temporale erit: ut ſi Petrus in ætate 50. annorum voveat Caſtitatem per 40. vel 50. annos, incommutabile erit tale votum, quia perpetuum; ſi autem per 30. ad majus, commutabile, quia temporale.

160 Etiam votum Caſtitatis conjugalis, adhuc Religioſorum ordinum militarium, qui non ſunt veri Religioſi: Et non petendi debitum, ob rationem ſupra poſitam. Ita Leſſius. Trull. Ludovic. a Cruc. Sanchez, Diana, Bardi. Similiter virginitatis, ſi præciſe ſumatur, quatenus importat corporis integritatem, in primis conſiſtentem tantum actus luxuriæ abſtinentia. Ita ultimi tres cum aliis citatis AA. quod ſi non conſtet, an vovens voluerit ſe ſolum obligare ad ſolam dictam abſtinentiam, præſumendum erit fuiſſe perfectæ, & abſolutæ Caſtitatis, conſequenterque commutari non poſſe.

161 Objicies: votum eſt ſtricti juris: ergo ad minimum extendi debet, juxta regulam 30. juris in 6. *in obſcuris minimum eſt ſequendum.* Reſpond. poſſeſſionem ſtare pro omnimoda Caſtitate: quia ſic communiter accipi ſolet, minime vero pro ſolo illo actu primo; ideoque non ſtamus hic in obſcuris. Adverte, quod dicta vota ſupra etiam diſpenſari poſſe ab Epiſcopo jure ordinario, (ex quo recte inferes, commutabilia eſſe vi Bullæ) & confeſſariis ordinum mendicantium, & cum horum privilegiis communicantium, rite approbatis, ex delegata poteſtate ſibi a Sum. Pontificibus conceſſa, ut dicitur in *tom.* 1. *tract.* 6. *d.* 3. *quæſt.* 4. *num.* 46.

162 Non tamen poteſt commutari votum caſtitatis, utriuſque conjugis communi conſenſu factum: quia eſt votum abſolutæ, & perfectæ Caſtitatis, ut docent Navarr. Henriq. Sayrus. Trull. aliique, quos citat, & ſequitur Sanchez.

163 Inſuper commutari poteſt votum perpetuo inſerviendi alicui hoſpitali, vel alteri Religioſæ domui: etiam votum obedientiæ alicui emiſſum. Ita Bardi Trull. & alii: eſt ratio, quia hæc non ſunt vota Religionis. Similiter ſervandi paupertatem extra Religionem. Ita Henriq. Suarez. Trull. ratio eſt: quia non eſt ex exceptis. Etiam votum Religionis abſolutum, ſi disjunctive factum fuerit, cum alio non excepto, utpote ſimplicis paupertatis, vel Religionis: quia in eo tunc eligi poteſt unum ex non exceptis ſeu non reſervatis ex *reg.* 60. *juris in* 6. quæ commutabilia ſunt, ut communiter docent AA. licetque vovens haberet propoſitum exequendi partem reſervatam. Ita Malderus S. Tho. Suarez. Layman, & alii citat. in P. Bardi *pag.* 465. quia propoſito non obligatur *quis*; *nec Deo* aliquod jus acquiritur ex eo. Licetque pars non reſervata fiat impoſſibilis, adhuc commutari poteſt votum, juxta Ludovic. a Cruc. Trull. Diana, & alios. Eſt ratio: quia tale votum ratione ſui nunquam obligavit ad partem reſervatam, aliundeque corruit ante electionem; non tamen ſi quis voveat disjunctive duo excepta, vel reſervata: utputa Religionem, & perfectam caſtitatem. Ratio ſatis liquet. Etiam non fornicandi: quia actus conjugalis exerceri poteſt medio matrimonio. Iterum, non petendi debitum de communi conſenſu: quia adhuc poſſunt reddere in opinione probabili, vel ſaltem ad ſecundas tranſire nuptias, &c. & quocumque alio modo quo non ſit perfectæ caſtitatis.

164 Item commutari poteſt votum erogandi cuidam Eccleſiæ, vel pauperi unum aureum e. g. pro quacumque vice in qua quis ludet (ſuppoſita tamen non acceptatione, quæ ſi adſit, contrarium eſt tenendum, uti dicitur in *tom.* 1. *tract.* 6. *d.* 3. *quæſt.* 4. *num.* 51. juxta probabiliorem ibi opinionem: licet enim poſſint relaxari talia vota; non tamen aliquid concedi in præjudicium tertii). Etſi debitor magnæ pecuniarum ſummæ devenerit ob conſuetam fractionem noti, partim in eleemoſynas, partimque in opera pia. Ita quamplures AA. citati in P. Bardi, & Diana: tamen de pecunia debita opus eſt expreſſa poſtulatio commutationis, nam ex contrario ſolum facta erit commutatio, ut impoſterum tali non adſtringatur obligationi.

165 Quamviſque Pontifex pecuniam debitam ob fractionem voti commutet, vel partem remittat, partemque ſolvendam relinquat, poterit Confeſſarius vi Bullæ hanc in pia opera commutare, ut tenent Suarez, Ludovic. a Cruc, Trull. Sanchez, Bardi, & alii. Eſt ratio: quia nil obeſt commutatio Pontificis, cum per eam pars pœnæ, quam vovens tenetur ſolvere, non ſit affecta reſervatione; & ſicut ante Pontificis commutationem poterat tota pœna vi Bullæ commutari valide, ut habetur reſpective *in tom.* 1. *tract.* 6. *d.* 3. *q.* 4. *poſt n.* 47. *in fine*, juxta probabilem opinionem, in opera pia, ita & poſt; licet juxta ſuperius dicta partim commutari debeat dicta pars in eleemoſynam, partimque in opera pia, præcipue, cum alia pars a Pontifice in opus pium commutata fuerit: Similiter ſi votum ſit ex tribus, abſque eo commutatum in materiam non reſervatam, poterit hæc a quocumque Confeſſore commutari vi Bullæ. Ita plures AA. citati in Trull. *pag.* 390. *n.* 7. Ratio eſt: quia eſt jam novum votum per ſe non reſervatum ad cujus materiam, nempe in quam commutatum eſt, non obligatur vovens ex præcepto commutantis; ſed ex proprio conſenſu.

166 Objicies: In alternativis electio eſt debitoris, ſed facta nequit ab ea reſilire: ergo. Firmatur: ex regula juris. *Quod ſemel placuit, amplius diſplicere non potuit*: ergo ad materiam in quam commutatum eſt votum a Sum. Pontifice tenetur vovens ſemel accepta commutatione; conſequenter nequit ab alio Confeſſore vi Bullæ commutari. Reſpond. negando antecedens, quoad ſecundam partem; hoc enim integrum eſt ei, quin ei obſit ſimplex, & merum propoſitum exequendi partem, in quam eſt commutatum votum, quod nec eſt promiſſio, nec cenſetur cum illo alloqui Deum, ut ait Malderus. Ad reg. juris dico falli in omnibus caſibus in quibus permittitur pœnitere, vel variare, ut in ſimplici propoſito, quod tantum hic adeſt. Demum ſubrogatum naturam principalis ſequitur juxta intrinſeca, & per ſe ei convenientia, & neceſſaria, ut res ſubrogata ſit æqualis; non autem opus eſt, ut quoad extrinſeca, & quæ per accidens eidem rei conveniunt, qualis eſt reſervatio materiæ reſervatæ; idcirco materia ſubrogata non ſequitur naturam principalis quoad reſervationem; quam eſſe odioſam, non leviter veritatem ſtatuum convincit, evellitque contrariorum fundamenta.

167 Vota, seu juramenta, quibus firmantur Communitatum, Collegiorum, Academiarum, &c. statuta, commutari nequeunt. Ita Azor Trull. Bardi. Est ratio: quia Bullæ privilegium non est concessum Universitatibus (cujus causa idem dicitur de voto colendi aliquem Sanctum cujuscumque Civitatis, Villæ, vel Loci) sed particularibus Personis, quæ cum proinde sint in utilitatem tertii, commutatio pariter in damnum tertii foret: quod fieri nequit, ut diximus supra; sicuti vota quædam facta a quocumque Prælato Ecclesiæ non alienandi bona ecclesiastica.

168 Quodcumque ex tribus votis exceptis, quando est pœnale: ut si quis animo se retrahendi a ludo, vel ab inebriatione voveat perpetuam castitatem, sive votum fiat hoc modo: *Si ludam, voveo castitatem*; quomodo licet in absolutum votum transeat, tamen cum imperfectione illa; nempe cum obligatione, quæ originem ducit ab actu deficiente a natura, & perfectione voti, utpote illa ab ominatione rei promissæ: sive sequenti: *Voveo castitatem posito ludo*. Ita Sanch. Gom. Medin. Rodrig. Castropal. Trull. commutari valebit: votorum enim reservatio cum (ut dictum est) sit odiosa, sicque restringenda, est interpretanda de votis, quæ non includunt voluntatem fugiendi absolutam obligationem, quod repugnat perfectioni voti: cumque dicta vota pœnalia imbibitam habeant talem voluntatem, non censebuntur vota simpliciter, & stricte talia, cum non ex affectu, & devotione ad castitatem fiant; sed ut deterriti a pœna vindicativa, a ludo, inebriatione, &c. abstineantur, quomodo non ut amabilis castitas, sed ut odiosa vovetur. Si autem pœna foret medicinalis, ut in eo qui vovit Religionem, si fornicationem in mente non vitet, affectu, ut in Religione ei facilius erit vitare, commutari non poterit ob rationes supra positas.

169 Insequendo ergo dicta *in tom. 1. tract. 6. d. 3. q. 4. n. 46.* sentio, etiam votum conditionale, ante impletam conditionem commutari posse, non autem post, ut *loc. citat.* dicitur, posse Episcopum: & de pœnali cum Herincx, cui addo pro nostro casu, vi Bullæ, Lessium, Filliucium, Basilium Pontium, Ludovic. a Cruc. *disp. 1. cap. 6. dub. 9. n. 16. pag.* 308. & Sayrum *lib. 6. cap. 11. n. 77. pag.* 204. ratio primæ partis est: quia votum illud non est absolutum; hicque actus perfecti intelliguntur reservati in sua specie, qui solum sunt absoluti.

170 Secundæ autem partis ratio est: quia impleta conditione votum ab initio conditionale est jam absolutum, & saltem æqualiter obligat, ac ipsum votum absolutum, uti patet: factum enim videtur ad modum contractus onerosi, quem cum Deus impleat ex parte sua, ni ingratus fiat ipsi Deo vovens, tenetur votum implere: magisque reprehensibilis alias foret, quam si gratis promisisset. Præterea ita se habet tale votum, ac si ab initio fuisset sine conditione factus contractus: ergo idem de voto sentiendum est. Ant. constat *ex l. potior. ad fin. ff. qui in pignore potiores*, ubi sic habet: *Cum semel conditio extiterit, perinde habetur, ac si illo tempore, quo stipulatio imposita est, sine conditione facta esset.* Nec valet dicere hoc esse verum quantum ad obligationem, sed non quantum ad radicem obligationis; quamvis enim obligatio æqualis sit, radix tamen obligationis non est æque perfecta; qualiter in aliis contractibus non solum obligatio, sed etiam ipse contractus est æque perfectus conditione impleta: ut patet in matrimonio, sponsalibus, emptione, & quacumque humana promissione.

171 Nota: quod in votis pœnalibus ob vindictam nusquam est perfectus consensus ad votum, e contra autem in conditionali: hæc enim est differentia inter votum pœnale, & conditionale; quod pœnale est pure ad abstinentiam certi operis, ob quod vovet, ut timore pœnæ consequatur eam; de conditionali vero non est negandum, fieri multoties motivo obligandi Deum (ut ita dicam) ad hoc, quod in præmium affectus ad votum purificet conditionem; vel alias in solutione purificationis conditionis a Deo est affectus in votum. Deinde in conditionali est saltem obligatio absoluta ex illo nunc, pro alio tunc purificationis conditionis, licet non pro ipsomet nunc. His ruunt in contrarium objicienda. Hinc

172 Conditionalia vota ex tribus exceptis facta cum expressa conditione, quæ tacite inest, commutari non possunt, quia absoluta sunt: ut e. g. voveo Religionem, si vixero. Similiter facta cum conditione de præterito, vel præsenti; si conditio est impleta, valida erunt, neque commutari poterunt; sin minus, irrita: ut voveo Religionem, si Pater, &c. incolumis tali die e periculo evasit; si nunc regressus est ad Civitatem: quia regressus actualis, & evasio a periculo non suspendunt Religionis votum; sicque absoluta erunt; ut aiunt Suarez, Sanchez, Bardi.

173 Ita incommutabile vi Bullæ erit votum factum cum conditione necessaria: ut, si sol orietur cras, castitatem voveo: quia conditio certo eventura, qualis est hæc (ni intenderet quis per ortum solis ostensionem lucis ejus sublunaribus) habetur pro impleta: consequenterque votum absolutum. Si autem sub conditione impossibili factum sit, irritum: quia cum nolit se vovens obligare ni posita conditione, hæcque nusquam ponatur, pariter nunquam votum obligavit. Ita Sanchez pro utroque casu alios citans AA. quamvis talis conditio non annullet contractus, nec ultimas voluntates ob dispositionem juris.

174 Si autem conditio non sit vera conditio, sed idem, ac quando, vel postea, ut, voveo Religionem si Pater, vel Soror moriatur, in eo tunc absolutum est votum, adhuc in sententia contrariorum: quia directe fertur, & ex affectu, ad illam, consequenterque vi Bullæ nequit commutari.

175 Potest commutari etiam vi Bullæ votum ingrediendi Religionem a S. Sede non approbatam: quia vera, & propria Religio non est. Etiam assumendi Fœminarum Deo dicatarum habitum, vulgo *de las Beatas*: quia non est status Religionis, nec votum castitatis forma iter sumptæ, seu solemne. Similiter votum conversorum statum cum Religiosis in perpetuum eligentium, quia non est Religionis, nec castitatis votum: etiam ingrediendi Religionem Militarium (S. Joannis excepta, quæ vera Religio est, in qua tria vota solemnia fiunt) utpote Alcantaræ, Calatravæ &c. commutari possunt: quia non sunt propriæ Religiones juxta communiorem, & veriorem sententiam; ad quod adhuc sufficit, quod saltem sit sub lite, an sint tales necne ex dictis *n.* 160. & 161.

176 Commutari pariformiter potest votum ingrediendi strictiorem Religionem, in laxiorem, dummodo veram; etiam determinatam; vel brevitas temporis implendi tale votum intrandi in Religionem, similiter perseverandi in ea, postquam eam quis est ingressus, impletoque intrandi voto, ob austeritates a se ignoratas eam reliquit; votum enim perseverandi in Religione est distinctum a voto ingrediendi, adeoque voventem Religionem plures AA. solum astringunt ad ingressum; quin eum obligent ad permanendum in ea, præcipue stante justa causa exeundi; perseverantiæ autem votum ad ibi manendum ligat voventem, etsi adsit justa causa egrediendi. Idcirco a primo, Papæ est dispensare; & a secundo, Episcoporum. Igitur derelinquens Religionem justa de causa, voto ingrediendi eam satisfecit; quantumvisque votum perseverantiæ adjunctum sit, absolute introeundi, tamen cum non sit de substantia Religionis, sed qualitate conjuncta voto Religionis, ideo commutari potest, hæcque est ratio assignanda pro aliis hic dictis, quia non sunt vota Sum. Pontifici reservata, qui substantiam votorum exceptorum sibi reservat, non qualitates eorum.

177 Votum convertendi debita incerta in subsidium Terræ Sanctæ commutari potest. Ita Navarr. Suarez, Sanchez, Trull. est ratio; quia non est ex reservatis; intelligendum tamen est ante acceptationem. Similiter commutari potest votum eundi hoc, vel illo modo

modo Hierosolymam, utpote pedibus, mendicando &c. Ita Lessius, Sanchez; ratio quæ supra: quia non votum, sed circumstantia voti commutatur.

178 Quam peregrinationem Hierosolymitanam si quis voverit ob solum finem, quamdam visendi imaginem; commutari poterit tale votum: quia solum est reservatum, cum sit causa visitandi Loca Sacra, adeoque alieno ab hoc stante fine, reservatum non erit; consequenterque commutabile.

179 Culpabiliter adhuc omissa appositione materiæ in quam commutatum est votum a Sum. Pontifice ipsum non redit. Ita complures AA. citati a P. Bardi *pag.* 467. *num.* 84. est ratio: quia per commutationem obligatio prior extincta fuit, consequenterque non reviviscit, eo quod absolute fuerit commutatum votum licet aliunde peccet lethaliter, non implendo materiam signatam: si tamen vovens interius non acceptarit commutationem, sed solum exterius finxerit acceptare, non erit votum commutatum; sicque ad illud tenebitur, sicut ante; ast poterit quotiescumque voluerit dictam commutationem acceptare interius. Ita Sanchez, Bardi, Ludovic. a Cruc. *pag.* 341. *n.* 15. addens: sicut de ficto professo late probat Sanchez: & si vovens acceptarit commutationem, eam tamen non intenderit executioni mandare, tenetur pravam illam intentionem mutare, dictamque commutationem explere, eo quod valeat, uti tradunt communiter DD. de eo qui promisit, animo promittendi, sed non implendi promissionem.

180 Liberum est voventi relinquere commutationem acceptatam, & quomodocumque factam, & ad prius votum redire. Ita plures citat. a P. Bardi, & Ludovic. a Cruc. falso ab eo citatus; nam hanc tenet conclusionem *disp.* 1. *cap.* 6. *dub.* 16. *n.* 5. *pag.* 338. est ratio: quia cum commutatio sit dependens a voluntate, & beneplacito voventis, fit in ejus gratiam, & utilitatem; ut facilius votum impleat. Ex quo appatet semper ei esse integrum eligere materiam principalem, vel subrogatam, alias non favor, sed onus esse videretur; inducit igitur commutatio conditionem illam, quæ respectu ejus se habet, ut favor, cui cum non cedat, proponendo materiam subrogatam amplexari, adhuc stante dubio de tali renuntiatione, præsumendum erit pro libertate voventis, cum desumatur a contingentibus præsumptio, ideoque eligere, quam malit, valebit partem.

181 Quodcumque ex tribus votis reservatis emissum ex metu adhuc levi, incusso, gratia extorquendi ipsum non est reservatum, adeoque commutabile vi Bullæ. Ita quamplures AA. citati a P. Bardi. *pag.* 472. ratio est: quia non est omnimode perfectum, quale debet esse, seu ex pio animi affectu procedens, coarctari enim debet reservatio, quia odiosa ut pluries dictum est); cumque tale votum involuntarium secundum quid sit per injuriam a causa extrinseca illatam, ad votum impellente, ratione cujus injuriæ deficit dictum votum a perfectione requisita ad reservationem: ideo.

182 Hac ratione liquet non esse censendum ita de votis factis ob metum incussum a causa intrinseca ut imminenti periculo mortis, scilicet gravissimæ infirmitatis, naufragii, &c. quia in his casibus nullus impellit ad vovendum, sed voluntas votum eligit tamquam medium ad vitandam mortem, bene vero in aliis, ubi voluntas, non movens, sed mota a causa extrinseca est.

183 Est insuper non reservatum & commutabile consequenter vi Bullæ, votum ex tribus exceptis factum cum intentione se obligandi tantum sub veniali. Ita Sanchez, Bossius, Trull. & alii. Ratio est: quia licet intentio consequens sit ad essentiam voti, velutique accidens se habeat; tamen dum ita vovetur, veluti deprimitur efficacia voti, remanetque imperfectum, ratione cujus imperfectionis est quid leve, & non res magni momenti, qualia sunt reservata vota a Sum. Pontifice.

184 Quamvis verum sit in emissum in materia reservata, si solum obligat ut præsumptum, hoc est, cum dubitatur an vovens habuerit intentionem se obligandi (qualem adesse, uti solet, debet præsumi), vi Bullæ commutari potest. Ita Suarez, Merolla, Cardinalis de Lugo, Sanchez, Bardi eos citans *pag.* 472. est ratio: quia ratione illius incertitudinis, non comprehenditur in reservatione; solum enim vota certa omnimode, minimeque fundata in juris præsumptione: nec mirandum: nam magis odiosa est reservatio, quam obligatio; quia hæc est intrinseca voto, ita ut essentia voti essentialiter consistat in obligatione Deo facta, (licet de meliori bono) adeoque si præsumptio, & possessio est pro voto, consequenter, & hæc pro obligatione, sicque astringendus vovens ad votum, præsumpta intentione in eo se obligandi, ex communiter contingentibus deducta: reservatio autem accidens est omnino extrinsecum adveniens voto, dependens ex alterius voluntate; idcirco non est pro ea judicandum. Proindeque præsumptio pro obligatione non est ad reservationem ampliandam, cum de Sum. Pontificis voluntate præsumendum prudenter sit solum vota certa, absoluta, perfectaque sibi reservari.

185 Inferes ex superius dictis, quod si quis promittat Religionem ingredi in alterius utilitatem, firmans promissionem juramento e. g. Hæres in gratiam Fratris immediati hæreditatem succedentis, facto etiam juramento in utilitatem Successoris, reservatum non erit votum; imo & corruet, si remittatur promissio, cujus est accessorium, quam si Promissarius nolit condonare, dispensare poterit Præsul. Ecclesiasticus; per Bullam tamen relaxari non poterit: quia solum dat facultatem ad commutandum, minime vero ad dispensandum.

186 Eo adhuc emisso juramento principaliter in Dei decus commutari valebit vi Bullæ: quia Deus accipit illud in ordine ad utilitatem alterius; sicque dum hic cedit, vel nullum sperat commodum obveniendum de ingressu promittentis in Religionem, tunc remittit Deus debitum sibi ortum ex tali juramento; ita Sanchez, Basilius Pontius: ex cujus Sanchezii principiis colligitur cessare juramentum tale absque dispensatione, vel commutatione, dum tertius cedat.

187 Vota emissa in materia reservata ab eis, qui alterius subsunt potestati, ut uxor, filii impuberes, servi, &c. commutari per Bullam non possunt; nec probatur aliquid ex eo, quod Superiores eorum queant talia vota irritare: quia hæc est valde distincta potestas, ut constat ex materia de voto, quidquid dicat Gutierr. contrarium tenens hac ratione motus.

188 Dicta tria vota nec commutari possunt vi Bullæ in casibus in quibus licet Episcopo dispensare, non jure proprio, & ordinario, sed ex præsumpta Pontificis voluntate, ita concedentis, ne desit Medicina infirmitati mortem minitanti. Ita Basil. Pontius, Rodrig. Suar. Sanchez. Bossius, & alii ab ipso citat. cum P. Bardi *pag.* 475. est ratio: quia Bulla solum dat facultatem commutandi vota, quæ absolute, & per se non sunt Papæ reservata; non vero illa, quæ per accidens inferioribus Pontifici reservata sunt, ad mala imminentia præcavenda, qualia sunt proposita, quæ revera non amittunt reservationem; quamvis super his valeat cognoscere Episcopus ex benignissima Pontificis menti conformi interpretatione, cui videtur Pontificem delegare pro his casibus potestatem, super quibus adhuc stante necessitate urgenti, non posset Parochus cognoscere, licet aditus ad Episcopum non pateret: quia in ipso nulla est potestas ordinaria ad dispensandum in votis, etiam non reservatis, neque ad ea commutanda; nemo enim commutare potest vota, ni jurisdictionem habeat Episcopalem, vel quasi, in foro externo, vel privilegium.

189 Commutabile similiter est votum assumendi crucem in quacumque expeditione facienda a Pontifice. Ita Sanchez, Henriq. Suarez, Bardi. Ratio est: quia nullo jure, aut consuetudine ejus reservatio ostendi potest, quo patet, commutabile esse.

QUÆS-

QUÆSTIO VIII.

In qua de praxi commutandi vota vi Bullæ agitur.

SUMMARIUM.

190 *Quid teneatur facere Confessarius ante commutationem votorum. I. Attendere finem voventis.*
191 *Modus commutandi vota assignatur.*
192 *In opera pia commutari possunt.*
193 *II. Natura voti attendi debet.*
194 *III. Au materia voti sit sub præcepto necne.*
195 *IV. Onera toleranda vi voti.*
196 *Notabile.*
197 *Ea præcipueque, quæ executionem voti æstimabiliorem Deo reddunt.*
198 *Corollarium.*
199 *Aliud.*
200 *Datur materia in quam commutari potest votum perfectæ castitatis.*
201 *Similiter quodvis aliud castitatis votum.*
202 *Etiam votum assumendi Presbyteratum commutari potest.*
203 *Pari passu Religionis.*
204 *Non tamen in Religiones Militares, quæ verum Religiosum non constituunt.*

190 ANte omnem commutationem exercendam Confessarius attendere debet finem voti, ejus naturam, & onera, quæ sustinere teneretur vovens, in voti executione. Finis est ille quem sibi objectum eligit vovens, in emissione voti; aliquoties enim est ad Cultum Dei, vel SS. alias ad corporis castigationem; aliter ad opera misericordiæ exercenda, &c. hoc igitur attento fine, subrogabit Confessarius materiam valde huic similem, taliter, ut quæ est subrogata, apta sit ad finem a vovente intentum assequendum.

191 Sic ei qui jejunium vovit ad carnem macerandam commutabitur in cilicio, vel flagris se cædere, vel genibus flexis orare, &c. non vero in puram orationem; sicut Avaro voventi eleemosynam ad se retrahendum ab avaritia, non subrogabitur ea. Nec obest, quod oratio sit actus Religionis excellentioris, utpote moralis virtutis, ut dictum est suo loc. quia hoc non obstante, non est tam proportionata ad finem voventis; non enim attendi debet, quod excellentius est ex parte objecti, sed quod hic, & nunc omnibus pensatis circumstantiis congruit magis saluti spirituali voventis.

192 Cum tamen congrua non sit commutatio in alia opera pœnalia, adhibeantur alia opera pia, utpote Sacramentorum frequentia, & præcipue Eucharistiæ, quod maxime commendandum; eo quod cum per ipsum Fons bonitatis conferatur, pravitas eradicatur, & præcipue inordinatæ passiones carnis, ejusque motus sensuales evelluntur.

193 Secundo natura voti in Individuo attendi pariter debet, utpote si absolutum, vel conditionatum, purum, vel pœnale; etiam, si ante, vel post conditionem impletam: si enim absolutum est votum, materia subroganda absolute erit; si conditionatum ante impletam conditionem, sub conditione pariter materia subrogabitur; post autem conditionem impletam, commutandum erit, ac si absolutum fuisset.

194 Tertio attendendum pariformiter est, an materia voti sit sub præcepto, necne; si alias enim jam cadat sub præcepto, ut si quis voveat non furari, &c. minor ei commutatio assignabitur. Insuper, utrum multum, vel parum, aut nihil a peccato abstineatur per votum; nam si valde recedat, major esse debet commutatio: quia voti obligatio in magnum Dei obsequium redundabat; ast si vovens sæpe labatur in noxam eam, circa quam vovit, minor esse debebit commutatio: uti etiam major cum concurrent plura vota, & juramenta circa eamdem materiam, quia longe major honor Deo accrescebat.

195 Quarto onera, quæ passurus erat vovens, consideranda sunt, quorum quædam, affligunt corpus; alia vero bursam. Prima cum sint intrinsece, & per se in opere promisso imbibita, quoad intentionem, & durationem spectanda sunt: Secunda autem, respectu ad qualitatem voventis consideranda; ut si dives est, an pauper, consequenterque Nobilis, vel Plebeius: nam sumptus majores ab illis impendi debent, quam ab his. Quæ vero bursam affligunt, quamplura sunt, ut considerari potest de eunte ad S. Jacobum Compostellæ, &c. vi voti; in quo primo sumptus in itinere faciendi, etiam morando ibi paululum, & redeundi; qui omnes necessarii sunt; ni vovens voluntatem haberet peregrinandi mendicando, aut parce vivendo, quod non præsumendum est: quia difficilior obligatio, ad quam expresse se solvet vovens astringere: aut ibi manere vellet. Deinde detrimenta, quæ ex absentia bonis voventis sequerentur.

196 Tamen quoad determinationem expensarum æstimandarum in similibus votis implendis, est advertendum primo: habendam esse omnimodam rationem de intentione voventis, a qua pendet voti valor. Secundo, aliqua ex dictis oneribus esse necessario conjuncta cum voti executione; alia vero per accidens connexa; quo præmisso, sit

197 Concl. onera illa æstimanda sunt in commutatione, quæ voti executionem Deo gratiorem reddunt: cum saltem implicite prævisa fuerint, & volita a vovente. Est ratio primæ partis: quia commutatio debet esse de substantia voti, quoad individuum, consequenterque æstimari debet, id quod Deo æstimabilius reddit votum. Secundæ autem: quia si non præviderentur, volitaque saltem implicite non forent, perinde esset, ac si non adessent, cum mere per accidens ad executionem voti se haberent.

198 Liquet igitur ex hac concl. habendam esse rationem, de labore itineris sustinendo; molestia, tristitiaque, quam patitur vovens in decessu ab Amicis, consanguineis, & proprio domicilio, privationeque commoditatum quibus in domo propria frueretur; quæ onera intrinseca sunt executioni voti. Dein sumptus tam in eundo, (ut diximus) morando, quam redeundo, quos juxta existimationem prudentum impensurus foret; quamvis promisisset excessivo comitatu, vestitu, & lauto ac repetito convivio peregrinationem exequi: quia coram Deo non augent æstimabilitatem voti, imo minuunt.

196 Debent præterea æstimari detrimenta in hæreditate subsecuta ex absentia, & periculum cui se exponit itinerans, si prævisa fuerint tempore emissionis voti, quia æstimabilitatem voti augent. Secus autem si non prævisa fuerint, ob rationem in contrarium, mereque per accidens annexa sint executioni voti, nec volita saltem implicita. Habita igitur ratione dictorum vi Cruc. commutabit Confessarius votum modo supradicto partim in subsidium Cruc. & partim in pia opera correspondentia, quæ alias in executione, debebat agere sequendo secundam ibi opinionem.

200 Putant aliqui, votum perfectæ castitatis non esse commutabile, quia nil ipsa melius, gratiusque Deo, ut colligitur ex Ecclesi. *c.* 27. *Omnis ponderatio non est digna animæ continentis*; quasi diceret, nullum opus bonum condignum est castitate, vel cum ipsa comparari potest. Tamen commutabile esse, certum est; talium licet verborum sit sensus dictus, vel non sunt comparabilia multa auri talenta cum castitate, seu nihil est in hoc mundo, quod castitate æstimabilius sit, ut explicat Cornelius a Lapide, Nam saltem alia plura opera pœnalia æqualis valoris reputari poterunt cum castitate consequenterque cum ipsa commutari valebunt; licet in esse physico non æquivaleant: quia ad commutationem, moralis sufficit. Juvat, quod alii dicunt & ad nostrum intentum certe melius, de abstinentia ab omni peccato intelligendum esse locum illum; non autem de pura continentia ab omni venereo.

201 Vo-

201 Votum castitatis conjugalis pariter commutari poterit; aliudve votum semiplenæ castitatis in dicta opera pœnalia, utpote aliquod jejunium omnibus feriis sextis, in Confessionem, & Communionem menstruam, aut in mense repetitam bis, vel in alia similia opera. Monent tamen AA. quod aliquod, ad minus, ex signatis operibus impositis perpetuum sit, ut pro voto non contrahendi matrimonium in Sac. Pœnitentiaria consuetum est, ait Ludovic. a Cruc. *disp.* 1. *cap.* 7. *dub.* 5. *num.* 4. *pag.* 377.

202 Similiter votum assumendi Presbyteratum commutari poterit in castitatem servandam in Psalmorum quotidianam recitationem pœnitentialium cum Litaniis, vel precibus, vel in Officium B. Virginis, vel in tertiam partem Rosarii; in Coronam Christi; in Communionem, Confessione præcedente, bis saltem in mense repetitam; in erogandam stipem pro sacro celebrando singulis mensibus, &c. quæ omnia cum sint perpetuo imposita, & per modum habitus duratura, æquabuntur cum immobilitate status Sacerdotalis, ex quo non obligatur Sacerdos quotidie celebrare; sed solum festis solemnioribus, in quibus celebrando securus in conscientia sit. Ita Bardi, ex Sanchez, &c. nota tamen quod si nolit castitatem servare, in jejunium omnibus feriis sextis commutetur; quod autem in his commutationibus optimum, est intercedere aliqualem dispensationem a potestatem habente.

203 Insuper commutabile est votum Religion's, ut tenet Ludovic. a Cruc. male tamen citatus a P. Bardi (ut in hoc videri potest) *disp.* 1. *cap.* 7. *dub.* 4. *n.* 9. *pag.* 375. quia tamen vi Bullæ commutari nequit, ideo non opus est, illud nunc in praxi opus ostendere, in quod commutetur. Tamen in Episcopatum non posse commutari, docent complures Theologi, & Canonistæ, patetque ex responsione Innoc. III. ad Episcopum Gratianopolitanum tali obstrictum voto, quæ talis fuit: *Si tuam desideras sanare conscientiam, regimen resignes Ecclesiæ. & reddas Altissimo vota tua.* Licet enim status Episcoporum perfectior sit, secundum omnes Theologos Catholicos, teste D. Bernardo *Serm.* 12. in Cantica, quam Religiosus, eo quod magis accedat, utpote proxime ad statum vitæ Christi, & Apostolorum; non tamen modus vivendi, qui proxime vitæ Christi, & Apostolorum accedit Religiosus, ut tenet P. Nicolaus a Jesu Maria in Apologia perfectionis vitæ spiritualis, sive Religionum omnium præcipue Mendicantium, propugnaculo contra Epistolam cujusdam Theologi, propositione 21. *pag.* 41. & in propositione 21. *pag.* 247. tenet S. Thom. *ex* 2. 2. *quæst.* 186. *art.* 3. *ad* 5. *Status Episcopalis non ordinatur ad perfectionem adipiscendam; sed potius, ut ex perfectione, quam quis habet, alios gubernet, &c.* Et infra. *Et ideo ab Episcopis, qui profitentur gubernationem gregis Christi non exigitur, ut proprio careant, sicut a Religiosis, &c.* igitur non æquivalet Episcopatus acceptio voto Religionis. Votum autem ingrediendi Religionem rigidam commutari poterit vi Bullæ in votum profitendi, & perseverandi in laxiori, in qua Regularis observantia non sit collapsa, quæ commutatio non erit in minus, nec æquale; sed in melius, nam in laxiore profiteri Religione melius est, quam strictiorem tantum ingredi. Nota tamen, quod si ob quamcumque justam causam egrediatur a laxiori; ad ingressum strictioris non astringitur: quia extincta fuit illa obligatio, ut dictum est *num.* 179.

204 Non tamen poterit commutari in professionem S. Jacobi, Alcantaræ, Calatravæ; quia ut diximus *num.* 175. non sunt veræ Religiones; cum nec aliunde comprehendantur sub voto Religionis in communi; nec adhuc in S. Joannis, quæ, ut *cit. n.* diximus, vera Religio est. Ratio: quia Religionem vovens nec implicite, nec explicite aliam intendit Religionem, quam a pompis sæculi alienam; pœnitentiamque agere in ea; in statu humili manere; vigiliis instare, orationi vacare, &c. igitur ex fine, & intentione voventis liquet, in talem Religionem non posse commutari. Ita Portel. Cordub. Bartolo. a S. Fausto: aliique apud Dianam citati.

DISTINCTIO III.

De Bulla Defunctorum.

Cum per hanc Bullam conetur Summus Pontifex suffragari animabus in Purgatorio detentis, non erit valde alienum a materia nostri scopi aliqua de eo pertingere. Ideo sit

QUÆSTIO I.

De Purgatorio, aliisque ipsum concernentibus.

SUMMARIUM.

1 *Datur purgationis locus.*
2 *Quid sit, exponitur.*
3 *Ibi duplici purgantur pœna animæ Justorum.*
4 *Quæ pœnæ atroces sunt.*
5 *Earum duratio declaratur.*
6 *Acerbitatem harum minuunt suffragia.*
7 *Intensive, & extensive.*
8 *Tamen omnes Animæ ibi existentes certæ sunt de sua beatitudine nanciscenda.*

1 Purgatorii existentiam docet sac. pagina tum veteris, tum novi Testamenti, contra Hæreticos tum antiquos, tum recentiores usque ad Lutherum, ejusque sequaces posteriores. Ex Testamento veteri habes, *l.* 2. Machab. *cap.* 12. his verbis: *Sancta, & salubris est cogitatio pro Defunctis exorare, ut a peccatis solvantur;* & ex novo verbis Christi per Matth. *cap.* 12. ubi dixit Christus Discipulis, aliquod peccatum nempe contra S. Sanctum non remittendum, neque in hoc sæculo, neque in futuro, per quæ ultima verba, supponitur Purgatorium dari pro aliis peccatis. Nec ab his tantum locis convincitur; sed etiam ex 94. quos refert Bartholom. Valverde in suo tractatu: *Ignis Purgatorius post hanc vitam.* Relatus a Martino Carrillo D. & Cathedratico decreti Universitatis Cæsaraugustanæ. Habeturque definitum in Clem. I. Constitutionibus Apostolicis; Concil. Carthaginensi 3. & 4. Aurelianensi 2. Tolet. 2. Rhemensi, Braccharensi, Cabilonensi, Triburicensi, Uvormacensi, Lateranensi, Florentino, demumque in Trid. Ostendit insuper hanc veritatem ratio naturalis: quia cum non nisi purissimi Spiritus intrare Civitatem Sanctam possint, a maculis necesse est, utpote satisfactionibus debitis culpis dimissis, levibusque non remissis, emundentur; quod cum non omnes ita ab eis liberi decedant (ut certum est,) indispensabile est fateri, & esse locum in quo purificentur, qui Purgatorium vocatur. Ita demum DD. Hebræi, Græci, Latini, & Theologi Scholastici cum eorum Principe Petro Longobardo. in 4. *d.* 46.

2 Est igitur Purgatorium juxta commune Theologorum, Patrum, & revelationes, variis relictis opinionibus, ut referunt historiæ in visceribus terræ situm, & inferno conjunctum, ita, ut eodem igne, & damnati crementur, & Justorum animæ purificentur; mediate tamen ait Martinus Carrillo, & bene; nam *Primo*, reperitur Sinus Abrahæ, in quo PP. Antiqui erant expectantes adventum Christi. *Secundo* Purgatorium, in quo animæ Justorum purgantur, *Tertio* Limbus, in quo recipiuntur Infantes absque baptismo decedentes; & incircumcisi post publicationem Legis antiquæ ante adventum Christi positi fuere. *Quarto* Infernus, locus nempe eorum, qui spe Deo fruendi destituti sunt, qui ultimus juxta Isidorum *lib.* *Etymolog. lib.* 15. *cap.* 9. infernus dicitur, *quasi intus Furnus*, non obstante, quod large omnes hi loci inferni dicantur, ut ita intelligatur locus ille symboli,

descendit

descendit ad inferos, ut exponit cathechismus Pii V. *p.* 1. *c.* 6. *num.* 2. omnesque DD. super hunc locum; exponentesque illum Paul. ad Philipp. 2. *in nomine Jesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & Infernorum.* Quia tamen alii aliter discurrunt, ideo certe statui non posse, teneo: cum ab Ecclesia definitum non sit, nec a SS. PP. determinatum; adeoque fatendum est, multoties Deum alium destinare locum, qui ut Purgatorium deserviat diversis animabus, ut in historiis legitur, & videre poteris in citat. Carrillo *p.* 2. *cap.* 2. *pag.* 44. & 45.

3 Tali ergo in loco, quicumque purgationis sit, pœnam damni, & pœnam sensus patiuntur animæ justorum defunctorum; quam secundam aliquæ non sustinent, sed puram desiderii dilationem, donec ad gloriam idoneæ fiant, ad Deum nempe clare, & intuitive videndum, ut aiunt Beda *lib.* 5. hist. Anglorum *cap.* 13. Grego. *lib.* 4. decalog. *cap.* 36. Dionis. Carthusia. in dialog. de particulari judicio *art.* 31. aliique tria loca in Purgatorio distinguentes, citati omnes ab Antonio Hiquæo Hiberno S. D. Commentatore *tom.* 9. *lib.* 4. *sent. pag.* 416. *in fine* 2. *colum.* pœna igitur damni stat in privatione fruitionis beatificæ: sensus autem, in cruciatu a vero, & sempiterno igne ardente proveniente, qui quamvis corporeus, animæque spiritus, has cruciat, ut tenent communiter theologi, cum S. August. *lib.* 21. de Civit. Dei *cap* 10. *adhærebunt spiritus incorporei, ignibus cruciandi.* & Greg. 4. *dialog. cap.* 29. de igne inferni ait: *corporeum esse non ambigo*: quomodo autem eos cremare possit Aug. loc. citat. tenet. *Cur non dicimus, quamvis miris, tamen veris modis, etiam spiritus incorporei posse pœna corporalis ignis affligi, &c.* videas tamen Bartho. Durand. *tom.* 2. tract. de Angelis *pag.* 201. Scotus autem cum suis communiter docet, torqueri per considerationem ignis secum nolitam secundum affectionem commodi, secundum quam Deo non subordinantur, dolentes de peccatis commissis animæ, licet secundum affectionem justitiæ cum divina voluntate conformentur, ad differentiam damnatorum, qui secundum utramque nolunt tormentum ignis. Aliter exponi posset juxta S. Bonaventuræ, Brancati, & aliorum mentem: tamen quia longior foret sermo, quam par sit, omittitur.

4 Ast acerbissimas esse pœnas dictas docent S. Aug. & reliqui SS. PP. quamvis Dæmones non habeant dictæ Purgatorii animæ, ut tormentorum ministros, qualiter damnati; imo Angeli eas consolantes, cum notitiis suffragiorum, &c. Et brevis a pœnis liberationis. Ut aiunt complures AA.

5 Quantum vero duret tempus ibi manendi nescimus: quia cum hoc pendeat ex magna, parvave culpis remissis debita satisfactione, quæ inæqualis supponenda est, uti, & solum notum esse Deo, consequenterque, quidquid Sotus temere judicet, unice nobis constat, tantum futurum esse Purgatorium usque ad diem judicii finalis, ut tenet Aug. *lib.* 21. de Civit. Dei *cap.* 22. & quod animæ non solventur usquedum plene purgatæ.

6 Ex quo apparet, quanta sit obligatio executioni mandandi suffragia illa, quæ sibi reliquit applicari Defunctus, cum quibus liberaretur a pœnis, in quibus manet ob negligentiam executorum testamenti, qui dum culpabiliter differunt, nequeunt absolvi. Non dicas videri, non posse animam (in præsentia corporis a quo exit judicata, ut ait Carillo *p.* 1. *cap.* 8. *num.* 29. *p.* 121.) integre satisfacere absque corpore, sicque Deum debere punire in Purgatorio pariter corpora, in quibus velut in animato instrumento delicta, per quæ torquetur, perpetravit; quia aperte falsum est, nequire solam animam plene satisfacere, alias ante universale judicium Justorum animæ ingredi non possent Civitatem Sanctam Sion, si aliqua satisfactione præstanda ciderint, eo quod corporibus non reuniantur, usque in diem judicii; aut sequeretur, quod ante satisfactionem plenam viderent Deum; quod est error; uti falsum est, quod reversio corporis in vermes, cineres, &c. deserviat ut Purgatorium: nam hoc æqualiter omnibus est æquale in pœnam peccati primi Parentis, de quo Gen. 3. aliundeque sequeretur, Beatorum corpora non experturos fore talem corruptionem, &c. quam in omnibus experimur, aliquibus exceptis, in quibus hoc dignatur Deus patrare miraculum ad solatium viventium, horumque decus. Nec obest, quod sit corpus animatum instrumentum; nam animatio quæ demeriti, vel præmii esse creditrix valet, non est corporis, sed animæ, ex quo videtur esse purum instrumentum, quod puniri non est necesse: uti quod comburatur ensis, quo Petrus, e. g. occidit Paulum.

7 Per suffragium minuuntur pœnæ intensive, & extensive, ut tenet Bellarm. *lib.* 2. de Purgatorio. Henriq. lib. ultim. Summæ de fine hominis. *cap.* 25. *n.* 3. *lit. M.* Probari potest assertum ex variis apparitionibus apud Bedam, & Carthusianum; sed quia de his dicunt contrarii concludere decrementum extensionis, & non intentionis, patet ex hoc, quod nulla est repugnantia in hoc quod Deus, sicut per suffragia minuit durationem pœnarum stabilitam jam, ita & intentionem jam determinatam.

8 Indubitatum est certas esse animas supradictas de sua salute æterna consequenda, taliter, ut dicat D. Bonaventura, quod hæc certitudo minuit eis tristitiam, quam eis parit pœna damni. Certum inde ex Sac. Scriptura, non esse illis jam tempus demerendi, nec merendi: quia eis *venit nox* Joan. 9. *finitum* (enim) *est tempus villicationis* Luc. 16. *nec tempus est amplius*, Apocalipsis 10.

QUÆSTIO II.

De aliquibus expendentibus qualitatem suffragiorum.

SUMMARIUM.

9 *Suffragia prosunt animabus Purgatorii, ut definitum est.*
10 *Non puniuntur ob culpam hæredum non solventium debita earum.*
11 *Nil probant historiarum casus.*
12 *Nulli potest quis mereri gratiam de condigno; nec de Congruo Defuncti meretur.*
13 *Exponuntur aliqua verba super Eccle.*
14 *Quomodo serviant Defunctis orationes nostræ meritis Christi B. V. & SS.*
15 *Suffragia applicata cuicumque Animæ Purgatorii certo, & infallibiliter acceptat Deus.*
16 *Probatur tertio.*
17 *Et ex justitia.*
18 *Exponitur ad quid repetantur suffragia.*
19 *Operibus præceptis non satisfit.*
20 *Plura amittuntur tractari in præsenti quia ab intento aliena.*
21 *Potest applicare Pontifex indulgentias Defunctis per modum solutionis.*
22 *Causa justa requiritur.*
23 *Quocunque suffragio participant animæ justæ omnium Defunctorum.*
24 *In applicante indulgentias non requiritur status gratiæ.*
25 *Nil prodest Defunctis perceptio Eucharistiæ.*
26 *Ni aliquid ex opere operantis.*
27 *Valent eis orationes applicatæ ab Ecclesia.*
28 *Indulgentia inutiliter eis applicantur.*
29 *Applicans suffragium subjecto incapaci, ipsum percipit.*

9 Suffragia prodesse animabus Defunctorum in Purgatorio existentium contra Hæreticos definitum est, & habetur in *tom.* 1. *tract.* 12. *d.* 3. *quæst.* 11. *n.* 133. & *num.* 134. quid autem sit suffragium loc. cit. etiam traditur *num.* 131. Opera autem satisfactoria in quibus consistunt, licet ad 3. *capita* reducantur generalia communiter, utpote ad orationem, eleemosynam, &

& jejunium ex Trid. *Seß.* 14. *can.* 13 *in tom.* I. *tract.* 12. *d.* 3. *quæst.* 11. *n.* 138. & communiter apud Bellarm. *lib.* 4. de Pœnit. *cap.* 6. aliterque probat Hiquæus, Scot. Commentans *sup.* 4. *d.* 15. *post* §. *de tertio dico, num.* 55. *pag.* 118. Sacrificio reducto od orationem;& indulgentiis ad tria utpote opera pœnalia Christi, & Ss. tamen cum. S. D. *in* 4. *d.* 15. *quæst.* 1. §. de tertio dico, & aliis, sentiendum est, posse fieri suffragium aliquando per se aliquod opus bonum non pœnale: ait enim Scot. loc. cit. *quod sati sfactio in isto intellectu magis consistit in actibus pœnalibus, vel voluntariis passionibus, quam in aliis actibus bonis non pœnalibus, licet quandoque posse aliquem actum bonum non pœnalem satisfieri : quia bene potest Deus actum magnum Charitatis acceptare, per punitionem debitam uni culpæ : licet enim non sit propria punitio, est tamen majus bonum, & magis Deo reddens honorem quam illa, quæ esset propria illius punitio : sed regulariter sicut culpa ordinatur per pœnam, & non per aliquod aliud magis bonum, quam sit culpa ; ita satisfactio hoc modo dicta consistit in actionibus, vel passionibus habentibus rationem pœnæ, &c.* igitur. Inferes ex his jejunium videri suffragium magis satisfactorium ; postea oratio, quia etiam est magis afflictiva corporis, quam eleemosyna ut patet, uti de jejunio respectu utriusque.

10. Non cruciantur animæ in Purgatorio detenta ob culpam hæredum non restituentium debita ab eis contracta, quando ipsis non est ad culpam imputabile eo quod mandarint satisfieri dictis hæredibus, aut testamentorum executoribus, (qui nequeunt absolvi, eo quod sint in lethali noxa ; contraveniunt enim Charitati justitiæ, & fidelitati, vocanturque in Sac. Canon. *egentium necatores,* ut patet *ex cap. qui oblationes,* & duobus *seqq.* 13. *quæst.* 2.) è contra autem si iis culpabile est, sed non ob non restitutionem: sed ob culpam commissam in non restituendo. Ita Communiter DD. quorum complures habes in Trull. Bardi, & Cenedo, fasque est ita sentire contra Idiotas. Ratio primæ partis est, quia ob culpam alterius non punitur: patet ex Ezechiele l. 18. *Filius non portabit iniquitatem Patris, neque Pater iniquitatem Filii.*

11. Quod autem in historiis legitur de apparitionibus in quibus animæ dicuntur petiisse, ut restitutio pro ipsis fieret, quam vel non potuerunt, aut oblitæ fuerunt facere, satisfit cum Bellarm. fors tales animas non petiisse sub formalitate restitutionis, sed sub ratione eleemosynæ, fortasseque postulasse ob bonum spirituale Hæredum : vel quia ex tali restitutione per accidens sequeretur commodum ipsis, ut celerius liberarentur, cum tunc facillime excitantur. Hæredes ad orandum pro tali anima, uti ex omissione sequitur, & operum bonorum omissio, sicque obesse potest etiam per accidens eis, patetque ex hoc ad quid monitio illa facienda Hæredibus de restitutione facienda ex cap. in litt. de Rapto. ubi in fine, ut à peccato valeat liberari, ait Pontifex.

12 Nullum alteri mereri primam gratiam, Sanctificantem neminem, imo nec mereri posse tenent communiter Theologi, diciturque in *tom.* I. *tract.* 12. *d.* 3. *quæst.* 11. *num.* 141. igitur animæ Defunctorum à Nobis de Condigno, nec de Condigno, nec de congruo suffragiis juvari possunt, vel impetratorie, hoc est impetrando à Deo ut attentis nostris deprecationibus à Purgatorio liberentur. Est ratio, quia de potentia ordinaria Dei debetur ipsi condigna satisfactio offerri sive à Delinquente, sive ab aliis pro ipso : quia licet misericors possit condonarre, tamen ut Judex vi vindicativæ justitiæ satisfactionem debet exigere; suffragatur Aug. *Serm.* 50. *de tempore cap.* 12. *in fine*, ubi illud. Eccl. 21. ponderat. *Fili peccatis non adjicias iterum, sed & de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur.* Super quibus, ait; *Sed quid proderit deprecari, si te non dignum feceris exaudiri, non faciendo fructus dignos Pœnitentiæ?* Ex quibus colligitur præter deprecationem requiri satisfactionem : quæ in fructibus pœnitentiæ dignis consistit, ad remissionem peccatorum.

13. Ne autem quis dubitet, loqui de relaxatione pœnæ, adduco ejus seqq. verba ex quibus colligitur : *Parum est itaque recedere à peccatis si præterita curare neglexeris, sicut scriptum est fili peccatis &c.* per fructus inde intelligi eleemosynas, videbit legens *cap.* 11. *in quo ex Evang.* Matth. 25. suadet dandum esurienti panem, super quo in die universalis Judicii Christus. Et ibidem loquitur : *mutat quidem homines, & in melius pœnitentia peccatorum ; sed nec ipsa videtur aliquid profutura si ab operibus misericordiæ sterilis fuerit.* Eleemosynæ autem fructuosæ supponere debent culpam jam dimissam.

14. Orationes Ecclesiæ per merita Christi. B. V. & SS. tendunt ad hoc, ut Deus dignetur viventibus auxilia conferre, ad satisfaciendum pro animabus Purgatorii, excitando mentes, & voluntates ipsorum viventium ; nec est rationabile petere solutionem animarum modo à Deo non consueto, & contra ejus ordinarias leges; & sic nec licet ita à Deo exposcere ordinarie : nam hoc solum fit à Deo de potentia absoluta, complacendo quandoque suæ charissimæ matri, ejusque concivibus si supradicto modo non præbeat auxilia, quibus facilius satisfaciunt viventes ; aut accipiendo quædam opera satisfactoria Christi, B. V. vel SS. tamquam solutionem condignam pro remissis culpis animæ illius, pro qua interceditur, uti in indulgentiis fit.

15. Quæcumque suffragia applicata pro quacumque anima Purgatorii nedum certo, & infallibiliter eis prosunt ; sed etiam Deus tenetur ea acceptare pro illa ex justitia. Hanc conclusionem quoad primam partem docet. P. Bardi. *pag.* 624. *num.* 62. & alii complures, ut patet ex alia secunda parte ; quam tenent Mendo, Suarez, Trull. Navarr. Guittart, & alii, qua à me sustenta, certo tempore, magnum visum fuit absurdum quibusdam Institutoribus Cervariensis Universitatis asserentibus, hoc esse nimis durum, quia tollit (aiebant) divinam libertatem, ad quod respondi, leve quidem esse hoc argumentum, imo nullum ; solum enim Deum necessitatum esse necessitate consequentiæ; hocque idem, quod iis durum videbatur, mihi valde conforme, & facile creditu, eo quod ostendit Deus suam divinam clementiam, & nostri pietatem : hanc igitur veritatem patefaciebam. *Primo* ex verbis illis Symboli Apostolorum *Communionem SS. Secundo* ex Paul. ad Roman. 15. *Obsecro vos Fratres, ut adjuvetis me in orationibus vestris* Ex Jacob. 5. *Orate pro invicem ut salvemini.* Ex Psalm. 118. *Particeps sum ego omnium timentium te, &.* ad Ephes. 4. comparans ibi Ecclesiam sub capite Christo, corpori humano, in quo sicut juvantur membra, ita Mistica Ecclesiæ ad invicem influunt. Ergo vivis, & similiter Defunctis (cum non sit ratio obstans) prosunt satisfactiones, & suffragia applicata ex justitia.

16. *Tertio*, deducitur ex Catechismo Pii V. in fine de Sac. Pœnit. ubi inquit : *In eo summa Dei bonitas, & clementia maximis laudibus, & gratiarum actionibus prædicanda est, qui humanæ imbecillitati hoc condonavit, ut unus pro alio satisfacere possit :* & infra hanc appellat solutionem, his verbis : *Qui divina gratia præditi sunt alterius nomine possunt, quod Deo debetur persolvere, quare fit, ut quodam pacto, alter alterius onera portare videatur, neq de his* (ibi) *Cuiquam Fidelium dubitandi locus relictus est, qui in Apostolorum Symbolo SS. Communionem profitemur.* Item dicitur *tom.* I. *tract.* 12. *d.* 3. *q.* 4. de indulgentiis, Defunctis applicatis *num.* 43. tradita prima parte, & *num.* 44. secunda. Ad verba tamen Corint. 5. *Unusquisque recipiet prout gessit in corpore suo.* Et Psal. 61. *Tu reddes unicuique secundum opera sua.* Dico intelligenda esse de retributione finali ; ita, ut nullus punietur pro peccatis alienis, sed unusquisque pro delictis propriis solutionem debitam præbebit, sive à se, sive ab alio pro se præstitam; non est enim ita personalis hæc pœnæ solutio, alias satisfactio à Christo Domino exhibita pro Nobis nil profuisset, per satisfactionem ergo condignam ab alio oblatam, & à Deo acceptatam, qualiter est vi promissionis suæ, solvi potest quis à Purgatorio.

17 Quamvis ergo tales satisfactiones ex misericordia non acceptentur à Deo, sed ex justitia; tamen ex justitia, quatenus satisfactio exhibita justa est quoad æqualem compensationem, & quatenus vi justitiæ tenetur Deus ad acceptationem totius valoris; non vero ex justitia quoad modum, ut dicunt quamplures Theologi, in Tractatu de satisfactione Christi Domini, dicentes satisfactionem Christi non fuisse ex toto rigore justitiæ: quia inter alias requisitas circumstantias ad talem satisfactionem exigunt, quod sit à proprio debitore, licet satisfactio exhibita aliunde condigna, imo & superabundans sit, quæ conditio cum in præsenti deficiat, ex aliaque parte æqualis debito, Deo offeratur, quoad entitatem, seu substantiam, ex justitia tenebitur Deus acceptare, non tamen quoad modum; ex quo apparet, etiam teneri Deum acceptare vi justitiæ vindicativæ, non autem commutativæ, quæ inter Deum, & hominem intercedere nequit

18. Si autem in hac opinione mireris, quomodo etiam repetantur suffragia pro eadem anima, respondeo tibi, quod dictum est in *tom.* 1. *tract.* 12. *q.* 4. *n.* 47. unde causas ibi assignatas requisitas, ut animæ fruantur indulgentiis, applicabis in suffragiis.

19 Satisfactionem pro Defunctis debere fieri non ex opere præcepto, docet Scot. *in* 4. *d.* 15. *q.* 1. §. de primo sciendum, ubi dicit, esse satisfactionem, redditionem voluntariam æquivalentis alias indebiti. Ita S. Tho. citatus ab Hiquæo, super eo, quo solutiones argumentorum, quæ objici possunt videre poteris pag. 130. ubi hanc exagitat quæstionem, & propugnat, quæ Patribus, & praxi primitivæ Ecclesiæ conformior est. Ratio asserti est: natura ipsius satisfactionis: sic dictis operibus pro aliis satisfieri nequire: merito cum S. D. tenendum est, & compluribus aliis citatis à P. Bardi; pro membris enim Ecclesiæ actualibus, vel præteritis institutum est Sacrificium Missæ.

20. De quo præcipue, uti alias, quamplura supersunt dicenda, præcipuum tribuente animabus suffragium, super quo, & aliis omissis immorari, si non alienum, saltem valde longius ab intento foret; ideo ea silentio prætereundo, ad nostrum scopum rediens primarium, datis præmissis veluti suppositis ad inquirendum, quid per Bullam Defunctis animabus concedatur, ad cujus inquisitionem sunt pariter advertenda dicta in quæst. prolegomena *n.* 6. & *in tom.* 1. *tract.*12. *d.* 3. *q.* 2. 3. & 4. dico,

21. Posse Pontificem applicare indulgentias animabus Purgatorii, ipsisque prodesse per modum solutionis, vel suffragii, licet non per modum absolutionis, quia ipsi subjectæ non sunt: absolutio enim est actus jurisdictionis authoritativæ, adeoque nullus ligari, aut absolvi potest ab eo, qui ejus non est Judex ut tenet Alex. III. in *cap. quod autem de Pænit.* & *remis. in loc. cit. sum. q.* 4. *n.* 38. & 44. denotatque Matth. verbis illis 18. *Quodcumque ligaveris super terram*, &c. Animæ defunctæ vero cum sint sub terra, nequeunt ligari, sicque nec absolvi. Modo tamen dicto adhuc solus Pontifex concedere potest, ut colligitur ex cap. quod autem, & cap. *cum. ex eo de pœnit.* & *remis.* ubi Episcopis limitata conceditur facultas, nulla facta mentione Defunctorum, adeoque ad solos vivos extenditur, seu tribuitur, ut communis usus; & sensus Theologorum interpretatur.

22. Requiri tamen causam justam, dictum est *loc. cit. sum. q.* 3. *nu.* 31. inter alias conditiones, ad hoc ut valeat indulgentiarum concessio, requisitas: ex quo infertur non posse Sum. Pontificem evacuare Purgatorium; quia ad tantas indulgentias erogandas causa justa non se offert, licet inspecta facultate sibi à Christo Domino tradita, ad hoc plenam habeat potestatem, causa justa requisita non attenta: qua illa, in aliquo casu concessa ad evacuandum totum Purgatorium, pariter conceditur, posse ab eo omnes extrahere animas; ut est, quem ponit Navarr, nempe, in quo paucæ forent animæ in Purgatorio detentæ, si multas in eo tunc concederet Sum. Pontifex plenarias indulgentias, Purgatorium evacuaret. Sic conciliat P. Bardi sententias oppositas.

23. An vero ex parte suffragium offerentium, ut eorum teneat applicatio pro animabus Defunctorum requiratur status gratiæ nec ne, in *loc. cit. sum.* etiam de indulgentiis vide. Et in P. Bardi, & Carrillo alia super his quæsita, Henriq. Trull. Rodrig. Ludovi. à Cruc. & aliis.

24. Omnes animæ Purgatorii ex suffragiis applicatis particularibus aliquem participant fructum, utputa quoddam gaudium accidentale, aut solatium, quo aliquo modo alleviantur, remanente tamen pœna essentiali abipsis debita. Ita Bellarm. Lavorius, Suarez, Bardi, de Lugo, & alii. Est ratio: quia charitas omnia facit communia, sicque habent occasionem gaudendi de sociorum liberatione dilectorum, etiamque, quia sperant ab ipsis, intercessuros pro eis, postquam in Cœlum evolati fuerint, utpariter à pœnis liberentur; & hujusmodi qui majorem habent charitatem, magis modo dicto juvantur. Suffragium tamen pro pluribus applicatum æqualiter eis prodest minoremque fructum percipiunt, cum pro pluribus offertur, quam si pro paucis. Ita Ragucius, & alii. Est ratio: quia valor est finitus; adeoque minor est, si distribuatur in plures, quam in paucos.

25. Sacramenti Eucharistiæ perceptio facta pro animabus Purgatorii non prodest eis. Ita Bardi *pag.* 641. ex S. Tho. ibi citat. *in* 3. *p. q.* 79. *art.* 7. dicente: *Eucharistia ut Sacramentum solum sumenti prodesse*; & expressius id docet in *cap.* 6. S. Joan. lect. 6. *in fine*, ubi postquam efficaciam, & vim tanti Sacramenti declaravit, in ratione Sacrificii, sub qua ratione vivis, & defunctis prodest ex opere operato, pro quibus offertur, illud considerans in ratione Sacramenti, seu cibi à nobis perceptibilis, contrarium concludit his verbis: *Nec si Laicus sumat hoc Sacramentum prodest aliis, quantum ex opere operato, in quantum consideratur, ut perceptio, quamvis ex intentione operantis & percipientis possit communicari omnibus, ad quos dirigit suam intentionem; ex quo patet, quod Laici sumentes Eucharistiam pro his qui in Purgatorio sunt, errant.* Hæc sunt S. Tom. verba ibi cum aliis A A. suffragatur ratio seqq. quia medicina, & cibus solum sumentem nutrit, aut potest nutrire: igitur. Patet inde ex omnibus effectibus ejus, inter quos solum de satisfactione, & remissione pœnæ debitæ esse posset difficultas; sed cum hæc non sit effectus primarius Sacramenti, sed secundarius utpote ratione remissionis culpæ; ideo hæc in alium transferri non potest.

26. Proderit tamen ex opere operantis talis communicatio applicata Defunctis per accidens, ut actus nempe Religionis est, quomodo ipsis utilis esse valebit, si pro illis digne efficiatur; sed in hoc nil speciale conceditur ex perceptione Eucharistiæ, licet magis ob tales communicationes ferventius excitentur Fideles ad orandum pro Defunctis.

27. Aliquid dictum est de Cathecumenis in *quæst. proleg. n.* 13. & 14. quibus addo, etiam eis prodesse orationes, quæ ipsis applicantur nomine Ecclesiæ. Ratio est praxis ejus, in die enim Parasceves pie orantis pro ipsis, licet communiter pro eis non oret, eo quod per signum fidei in momento Missæ character baptismalis intelligatur, quo ii carent

28. Similiter eis non prodesse indulgentias concessas, iisque à Fidelibus applicatas, sicque inutiliter sumeret Bullam Defunctorum quis pro illis. Est ratio: quia nullum suffragium sublevans eis prodest ex opere operantis, ut de Sacrificio Missæ dictum est loc. citat. immediate supra remissive: quia talium effectuum perceptio requirit baptismi receptionem, cujus carentia cum impediat, quod nec adhuc per modum suffragii Cathecumeni Defuncti Sacrificii Missæ fructu frui valeant, similiter obesse debet indulgentiarum perceptioni: quia thesaurus iste solum pro Fidelibus relictus est Ecclesiæ, in quam cum nusquam saltem fuerint. Cathecu-

techumeni, ideo adhuc eis mortuis non prosunt; idcirco solum suffragio valente ex opere operantis gaudebunt ratione fidei, & charitatis. Contrarium tamen probabile reputatur *in sum. loc. cit. sup. n.* 22. *q.* 4 *n.* 40.

29 Qui suffragium applicat Defuncto incapaci, ipsum percipit, cum in sinum suum convertatur; aut ii pro quibus virtualiter vult applicare; quæ si adhuc non adsit intentio, probabile est in thesauro Ecclesiæ reponi.

QUÆSTIO III.

Quid sit hæc Bulla, quidque per eam concedatur.

SUMMARIUM.

30 *Conceditur indulgentia plenaria animabus Purgatorii hac Bulla.*
31 *Hæc indulgentia in aliis loc. Bull. conceditur.*
32 *Traditur hæc Bulla in lingua Castellæ.*
33 *Definitur hæc Bull.*
34 *Quæcumque indulg. plen. acquisita Bulla, applicari potest Defunctis.*
35 *Infallibiliter prodest animabus applicata.*
36 *Non obest quod sit in noxa accipiens Bullam pro anima Defuncti.*
37 *Per hanc indulgentiam liberatur ab omnibus pœnis peccatis debitis.*
38 *Opus est, & Bullam accipere, & eleemosynam dare.*
39 *Omnes declinantes in Hispaniam dictam Bull. accipere possunt.*
40 *Æque prodest Missa celebrata in Altari privilegiato, si sit certa justa causa concedendi, ac Bulla hæc accepta.*
41 *Pro una Anima tantum applicari potest.*
42 *Optimum, morti vicino talem accipere Bullam*

30. A Sum. Pontifice concessa indulgentia plenaria in initio Bullæ proficiscentibus, vel mittentibus ad bellum contra Infideles, & Bullam, data eleemosyna à Commissario Gen. taxata accipientibus, additur eandem indulgentiam suffragari per modum suffragii animabus Purgatorii, verbis seqq. *Item eadem indulgentia suffragabitur per modum suffragii etiam animabus Defunctorum, pro quibus, in hujusmodi subsidium proficisci, vel milites mitti contigerit, aut pro quibus non euntes, nec mittentes, de bonis suis juxta taxam per Comissarium, Personarum qualitate inspecta faciendam pro Religionis defensione contulerint.*

31. Hanc eandemmet indulgentiam elargitur Pontifex loquendo de indulgentia plenaria vivis, quinque Altaria visitantibus, concessa. Etiam dum datur facultas accipiendi aliam Bullam; pro Defunctis enim dicitur applicari posse. Atque etiam in fine ipsius magnæ Bullæ, in extensione facta à Gregor. XIII. die 5. Martii 1572. dicitur: *Ac uti etiam omnes Christi Fideles non tantum semel, seb bis singulo quoque anno quibus eodem anno idem summarium sumpserunt, tam pro se, quam per modum suffragii pro animabus in Purgatorio detentis indulgentias, concessiones, gratias, & indulta prædicta consequi valeant misericorditer concedimus, & elargimur.*

32. Ex quibus, & præcipue ex suprapositis verbis Bullæ, Defunctorum Bullam seqq. forma Con. Gen. composuit, linguaque Castellæ typis mandavit. *Bulla de indulgencia plenaria concedida para las animas de los Fieles difuntos por las Santitades de Paul. V. y Urban. VIII. (de felice recordacion), y mandada publicar por N. muy S. P. N. nuestro muy S. P. Paulo V. (y de felice recordacion) concedio est à presente Bula, e indulgencia plenaria, y la manda publicar N. muy S. P. N. y por quanto vos N disteys dos reales de plata, que es lo que esta tassado, y declarado por Nos N. Commissario Apostolico Gen. de la S. Cruzada en todos los Reynos y Senorios de su Magestad, para esta santa expedicion, y empressa en favor del anima de N. y recibistes en vos esta Bula, le • otorgada indulgencia sobredicha, &c.*

33. Igitur sic descibi potest hæc Bulla: *Indulgentia plenaria à Sum. Pontifice concessa animabus in Purgatorio detentis, medio aliquo opere à vivis Fidelibus præstando.* Patet expositio talis descriptionis.

34. Hæc plenaria indulgentia concessa Defunctis poterit eis applicari ab euntibus ad bellum contra Infideles, vel à mittentibus, aut per visitationem Altarium, vel denique per erogationem eleemosynæ taxatæ, duorum nempe argenteorum, ut dicitur in Bulla, absque distinctione Personarum.

35. Debite applicata infallibiliter prodest animæ cui applicatur, ut de suffragiis diximus *n.* 15. & dicitur *tom.* 1. *tract.* 12. *d.* 3. *q.* 4 *n.* 44. jam supra citat.

36. An autem requiratur, ut applicans sit in gratia, resolvitur negative cum Trull. *pag.* 546. & 549. *n.* 5. alios citante AA itaque etiam colligitur ex dictis in sum. variis in locis: unde lucratur indulgentiam plenariam anima illa pro qua quis Bullam accepit in peccato mortali.

37. Hacque indulgentia plenaria per modum suffragii liberatur quæcumque anima omnibus pœnis pro culpis remissis debitis, quia omnes illas adæquatur, proque ipsis condigna solutio præbetur per illam,

38. Nota, non sufficere eleemosynam pro Bulla erogare, eamque non accipere; sed utrumque opus est; quia ita Disponit Commissarius Gen. juxtaque hujus dispositionem eam concedit Pontifex, præsupposita intentione, in accipiente applicandi Defuncti animæ, uti in quocumque alio opere, cui est annexa indulgentia Defunctis applicabilis, requiritur, ut ii eam lucrifaciant.

39. Possunt illam accipere omnes, qui in Hispaniam declinant, pro suis Defunctis. Ratio est: quia omnibus Defunctis conceditur, & directe vivis, ut eas pro suis applicent mortuis.

40. Supposita æquali certitudine causæ justæ ad concedendum Bullam, ac indulgentiam plenariam in Altari privilegiato, æque utilis est Missa celebrata in tali Altari; ac Bulla accepta cuicumque animæ, cui applicetur: quia ambæ sunt indulgentiæ totales: imo, & magis proderit Missa celebrata in Altari privilegiato, quam acceptio Bullæ, ratione satisfactionis Sacrificii correspondentis ipsi animæ, qua caret Bulla. Tamen regulariter: quia causa ob quam Bulla conceditur est bonum commune Ecclesiæ, utpote belli subsidium contra Infideles, utilius erit pro anima Bullam accipere, quam Missam in privilegiato Altari celebrari; quia causa hujus concessionis solet esse, vel devotio Sancti cujus Altari est concessa, vel indulgentia Ecclesiæ, &c. quæ cum causæ particulares sint, tantam non inducunt certitudinem, quantam causa generalis supradicta; adeoque certius proderit Bullam accipere, quam Missam in dicto Altari celebrare.

41. Tamen pro una anima solum applicari potest (nec semel applicata alteri applicari valet, ut diximus de vivorum; quia hac applicata, condonat Deus pœnam animæ, pro qua applicatur) non vero pro duabus, vel pluribus. Ita Trull. Bardi, Marcus Serio, aliique id supponentes tamquam indubitatum, uti sentiendum est, quidquid dicat Mendo contrarium tenens. Est ratio: quia si pro pluribus applicari posset, impediretur subsidium pro bello contra Infideles, ut patet; nam una eleemosyna sufficeret ad Bullam pro pluribus animabus è pœnis Purgatorii liberandis applicandam, ex quo non reportaretur tantum Cruciatæ, quantum ex acceptione plurium Bullarum, ut ex se liquet.

42. Sapienter operabitur is, qui morti proximus, præcipiet sibi Bullam Defunctorum accipi. Ita Rodrig. Bardi, Trull. Est ratio: quia etiam per illam bonam voluntatem aliquid meretur, aliundeque certe sibi acquirit indulgentiam plenariam; quamvis foret vera opinio asserens inutilem esse acceptionem Bullæ, pro Defuncto; in peccato lethali, quo in casu eam non consequeretur, quia modo dicto accipiens eam, adhuc noxa gravi innodatus, pure foret executor voluntatis Defuncti, cujus causa dispositio ejus non attenditur; sed ejus qui sibi accipi mandavit.

DISTINCTIO IV.

De Bulla Compositionis.

QUÆSTIO UNICA.

Quid sit, quæque facultates per eam concedantur.

SUMMARIUM.

1 *Ratio ordinis.*
2 *Definitur hæc Bulla, & declaratur.*
3 *Prosequitur expositio.*
4 *Causa eam concedendi justa est.*
5 *An locum habeat hæc Bulla, quando certo constat plures esse Dominos rei retentæ.*
6 *Valet hæc compositio pro foro externo.*
7 *Firmatur hæc veritas.*
8 *Stando juri naturæ, id potest Episcopus in sua Diœcesi. Solvitur objectio.*
9 *Princeps Sæcularis potest disponere de bonis inventis sine Domino.*
10 *Solus baptizatus hac Bulla fruitur.*
11 *Gaudent ergo qui magna.*
12 *Non est necesse eam servare, ut vivorum.*
13 *Nomen tamen in ea scribi debet.*
14 *Ea nequit frui accipiens bona aliena sub spe se componendi.*
15 *Bene tamen, qui ea occupat absque tali confidentia.*
16 *Quantitas componibilis assignatur.*
17 *Excedens tamen compositionem 50. Bullarum, cum Com. Gen. tantum componi valet.*
18 *In genere traduntur 19. casus super quibus componi potest.*
19 *Octo eorum recitantur.*
20 *Horum I.*
21 *II.*
22 *III.*
23 *IV.*
24 *V.*
25 *VI.*
26 *VII.*
27 *VIII. & ultimus.*
28 *In I. & ultimo quæ facultas detur.*
29 *Bona omnia, quæ in favorem Cruc. debent impendi, pauperibus possunt erogari;*
30 *Quin gravi noxa inquinentur, ullo ex capite.*
31 *Quid in 9. & 10 casu concedatur.*
32 *Judices spirituales nequeunt componi, si forte pro spiritualibus causis aliquid acceperint.*
33 *Injusta retentio ex parte recipientis non potest juvari compositione.*
34 *Nequit similiter componi, qui lucratus fuit ludo vetito, quo dominium pecuniæ non transfertur.*
35 *Nec tenetur se componere, qui vicit ludo, metu, vel coactione ludentem.*
36 *Corollarium.*
37 *Quid in 13. casu.*
38 *Solvitur objectio.*
39 *Corollarium.*
40 *Sanctitate ficta, aut doctrina impetrans beneficium, si digne illud ministrarit, obtinere valebit.*
41 *Habenti facultatem, eleemosynam petendi, alteri licet locare hoc jus.*
42 *Quid concedatur in casibus 17. & 18.*
43 *Sensus Rodrig. super 17.*
44 *Quid in casu 18.*
45 *Ad quid teneatur fraudem committens in emptione, & venditione.*
46 *Refertur secundus casus, & aliquid super eo declaratur.*
47 *Super quo tres casus assignantur.*
48 *Pro obligatione restitutionis, omissionis causa recitandi ad Sum. remittitur.*
49 *De fructibus perceptis omissioni recitationis correspondentibus componi potest.*
50 *Qui tamen ita recitare omiserit, ut noxa lethali non maculetur, componi non debet.*
51 *Non tamen de perceptis distributionibus si non assistit choro.*
52 *Similiter de fructibus beneficii, quo quis non fecit suos, ob non residentiam tempore debito.*
53 *Bene tamen de fructibus perceptis ab obtinente invalide beneficium.*
54 *Solvitur objectio.*
55 *Etiam potest componi excommunicatus ex beneficii fructibus perceptis.*
56 *Tertius casus refertur; quidque de eo.*
57 *Solvitur objectio.*
58 *In casu 14. quid, & recitantur bona inventa de quibus debet, & non componi.*
59 *Inventa in littore maris nequeunt componi.*
60 *An hæres possit componi super debitis Defuncti.*
61 *De pecuniis depositis quando possit quis componi.*
62 *Finis Quæst. D. & T.*

1. In præsenti Bulla novem super decem affert casus Com. Gen de quibus potest quis componi favore hujus Bullæ, quos majoris claritatis gratia referemus, & exponemus; insequendo tamen disciplinæ methodum, quid sit hæc Bulla, inquiremus, postea que ad ejus effectus, seu concessiones transibimus. Ideo sit

2. Diffinitur I. sic: *Indultum Pontificium, quo bona male habita, & debita, Domino ignoto componi possunt, & liciteque per eam retineri.* Dicitur *Indultum Pontificium*: quia à Papa conceditur hæc facultas, ex cujus concessione probatur, posse concedere, ut tenet communis DD. sententia, quos refert Clavis Regia *lib.* 10. *tract.* 5. *c.* 2. *num.* 23. Est ratio: quia pastoris Supremi est consulere Fidelium conscientiis; qui cum plenam habeat potestatem super horum salute spirituali (in ordine ad augmentum ejus) etiam de bonis temporalibus ad eam concernentibus disponere potest, remittendo ea, & accipiendo Bullas; quo favet animæ eorum, & Ecclesiæ; cum per eleemosynas datas pro Bullis, ab Infidelibus defendi queat. Accedit, quod cum dicta bona pauperibus debeantur, secundum opinionem communem, potest Papa in alium usum pium transferre hanc obligationem, si ita saluti spirituali expedit, ut patet de legatis commutatis in alios usus, pios æque, magis, parumve minus,

3. *Bona*, dicitur, *male habita*, hoc est alterius, sive injuste, sive juste retineantur. *Domino ignoto*: si enim sciatur, non absens, non possunt bona componi, liciteque per eam retineri. Si tamen quis alterius bona juste retineat, nec fuerit in culpa reddendi Domino, adhuc componi nequibit: quia licet nulla sit spes reddendi Domino ob magnam distantiam loci, tamen debitum certum est, ejusque creditor. Ita Sotus, Bardi, quo in casu pauperibus erogandum erit; multo igitur magis componi non poterit quis, si culpa sua in potestate Domini rem, quam retinet, non posuerit, cum posset; nam in eo tunc adhuc magnos sumptus impendere tenebitur ad transmittendam Domino; quo alias non comparente, elapso longo tempore, quo judicari prudenter poterit, obiisse, Bulla hæc habebit locum, si hæredes sint incerti, neve inveniantur post diligentiam factam.

4. Concessionis hujus Bullæ sufficientem esse causam, procul dubio est, cum sit illa subsidium belli contra infideles; quod in bonum totius Christiani Populi redundat, quod est finis ultimatus; si autem absque causa eam concederet Pontifex, & restitutio vi Legis Ecclesiasticæ non esset facienda, sed naturalis, & divinæ, nedum illicita, sed invalida foret compositio: ut tenet Bardi cum quibusdam à se citat. AA. Est ratio: quia Papa non est absolute Dominus bonorum incertorum, sed administrator, qui non destruere, sed conservare Ecclesiæ bona, recteque de eis disponere, tenetur. Cum vero dubia foret causa, valida esset compo-

compositio: nam pro superiori ita semper standum est, sicque sufficit, quod sufficiens existimetur à Sum. Pontifice.

5. Quæres: an locum habeat compositio, cum cognoscitur Dominus certe, indifferenter tamen: ut esse Petrum, vel Paulum, vel Joannem e. g. Respond. inter illos ex dispositione juris naturalis rem esse dividendam: quia nequit dici Dominum esse ignotum, & incertum. Ita Bardi, Trull. Henriq. Lopez, Rodrig. Si autem quantitas sit incerta, Dominusque certus, non tenet locum Bulla: quia solum concedit facultatem se componendi, quando Dominus rei ignoratur, non autem, quando certa non est rei quantitas alienæ.

6. Etiam pro foro externo valet hæc compositio, si constet de debita diligentia, pro Domini inquisitione, & aliis circumstantiis, quæ non facile sciri possunt, de intentione præcipue, ut si pro hoc, vel illo delicto, aut re aliena retenta, accepta sit Bulla; ex quo semper dubitari poterit. Pro foro autem conscientiæ ita valere talem compositionem, ut quamvis compareat, post legitime factam diligentiam, Dominus rei, seu pecuniæ, eam tamen solvere Domino non debeatur, quinimo, nec quam actualiter habeat, seu in qua factus sit ditior. Ita S. Tho., Scotus, Bannes, Cardinalis Delugo, Trull. Bardi, Guitart. Est ratio: quia cum fit compositio, Pontifex absolute remittit reliquam bonorum partem ipsi possidenti, quin ulla apponatur conditio, & præcipue ut Domino comparenti restitui debeat.

7. Accedit quod per præscriptionem absolute transfertur dominium bonorum; igitur similiter per Pontificis dispositionem, cum absque ulla conditione concedatur; & si illa valet, quæ est à jure civili, potiori jure hæc, quæ est à Pontifice, qui est supra illud, & canonicum; tota autem ratio hujus asserti stat in hoc, quod præsumitur de Dominorum voluntate, velle, quod bona illa expendantur in pauperes, vel in alia pia opera; consequenterque velle, transferri illorum bonorum dominium in alium: cum ergo sum. Pontifex talia bona operi tam pio applicet, quale est finis sac. expedit. contra Infideles (quo magis (prudenter judicandum est) moventur Fideles ad condonanda bona sua, media hac compositione) ideo comparente Domino, neque partem, quam quis retineat rei, seu pecuniæ alterius reddere debet, sed retinere potest in conscientia. Dein nec pars tributa Commissario Gen. reddi debet Domino comparenti: ergo nec aliam, quam sibi servat, qui de ea se composuit. Plures pro hac Sententia in P. Bardi habes Patronos; certisque leg. firmari potest, ut videri quit in Acosta, & Molina: pro contraria Sententia citat dictum Bardi P. Vidal. in sua Expositione Bullæ, sed quam male; videbis in *pag.* 572. ubi postquam affirmativam proposuit sententiam, ait: *sed mihi magis placet posterior Sententia*, quæ est à nobis tradita.

8. Posse Episcopum concedere hanc Bullam suis subditis stando in jure naturæ, & divino; valde probabile est: quia etiam ejus est prospicere saluti spirituali suarum ovium, adeoque cum hæc bona, quæ ex voluntate Domini in Pauperes eroganda sunt (non tamen ex justitia, quo modo componi non possent, adesset enim Dominus jure certus) in alium usum pium mutare valebit, ex quo Deo majus proveniat decus, & obsequium. Nec obest, quod per Pontificem dispositum sit talia bona in Pauperes impendere, ut liquet *ex c. cum sane* 14. *q.* 5. *& alibi*: quia sub nomine Pauperum alia veniunt opera pia; cumque erogatio sit à jure positivo tamquam magis congrua, in alios usus pios non exclusa est, juxta Commune DD. quia dispositio in similibus casibus, in aliis similibus militare videtur, cum eadem sit ratio, ut patet hic; nam cum in *cap. cum.* assignetur ratio universalis, scilicet dictum S. Augustini: *non remittitur peccatum, &c.* quæ est ratio militans in acquisitis quocumque delicto: Etiam in cap. Nemo de acquisitis per rapinam fit mentio; sub qua rapina comprehenduntur ex quocumque delicto acquisita, ut colligitur ex cap. *si quid invenisti ead. caus.*. In jure autem positivo stando, non posse, certum est. Ita pro utraque parte Ludovic. à Cruc. Henriq. Villalob. Trull. Diana, Bardi, Guitart.; quia Episcopi tenentur se conformare Sac. Canonibus, & decreto Pontificio suprà posito. Non obstat contra primum, non practicari ab Episcopis; ex hoc enim non sequitur, non posse fieri, sed solum probare, satis provisum esse conscientiis Fidelium dispositione Pontificis.

9. Circa bona inventa nullius Domini potest disponere ad publicam utilitatem Princeps sæcularis supremus, vel Respublica, ut caput; quamvis jure naturæ, & gentium fiant primi occupantis. Est communis opinio, & per varias leg. Civiles dispositum est: circa autem debita incerta, quæ sub alieno Domino sunt, probabilius est disponere posse: quia facta diligentia, Dominoque non invento, Reipub. vel Principis est disponere, ni Pontifex, aut Ecclesiæ bonum commune prohibeat. 1. Constat ex Variis leg. & maxime conveniens est ad Principem, vel Rempublicam pertinere dispositionem bonorum, quæ particularem Dominum non habent: quia eadem ratio est de illis, ac de Thesauris; 2. autem partis est ratio: quia de debitis incertis ex delicto extant Canones, quibus statuit Pontifex, quid sit faciendum, licetque de aliis non acquisitis ex delicto lex non sit, tamen est antiquissima consuetudo, ut antiquissima erogentur, in bonum spirituale Domini, cumque causa spiritualis sit, ad spiritualem Pastorem pertinet, cujus munus est, Fidelium saluti providere.

10. Ut quis frui queat hac Bulla, opus ei est charactere Baptismali esse insignitum, hoc est Fidelem esse, ut constat ex dictis de Bulla ut sic loquendo, ex quo patet, nec Cathecumenos ea gaudere posse; ut dictum est *d*, 1. *quæst.* 2. §. 1. *num.* 37. quamvis enim Fideles Christi sint, non tamen Fideles Christiani, nec nomine Fidelium intelligi possunt (quibus conceditur Bulla vivorum) quoad hoc indultum; quia est presse interpretandum tale privilegium, eo quod sit dispensatio contra jus commune, utpote contra legem erogandi in Pauperes talia bona: sive ergo commissario dispensatio sit, ut compositio fiat sine Bullis, ac iis mediis, odiosa est, adeoque stricte interpretanda; cum aliunde sit in præjudicium tertii. Ita Suarez, Covarru. Felinus, Sanchez, & alii à Merolla citati.

11. Utiliter ergo sument hanc Bullam omnes, qui magnam, seu vivorum accipere possunt. Ita Rodrig. Bardi Trull.: est ratio: quia hæc est pars magnæ, ut in initio dictum est. Patet ex hoc, quid de exteris, vel absentibus dicendum sit: tamen ut valeat, requiritur hanc accipere impressam, & sigillo, & nomine Commissarii signatam, ut monet ipse Com. Gen. in fine procemii hujus Bullæ: addens ibi hanc esse Sum. Pontificis mentem: & aliter faciendo, aperte inquit, beneficio compositionis utiliter frui non posse: forsque fuit motivum, ut ita conscii sint Fideles casuum in quibus possunt componi; & ne alii ea uti valeant, ut de Bulla vivorum dictum est *quæst.* 4. in exordio. Conditione alias exigitas ad utilem compositionem pariter videbimus.

12. Ad cujus tamen valorem non est necessaria retentio talis Bullæ, qualiter magnæ, est ratio: quia talis conditio non expostulatur. Differentia autem inter hanc, & magnam est: quia hæc non habet tractum successivum, sed momentaneum; semel enim quod quis per eam compositionem elicuerit, ad nil jam deservit; ad novam enim Compositionem, nova pariter requiritur Bulla: de magna autem est è contra; quia per totum anni decursum ea uti possumus hodie uno, crasque alio fruendo privilegio, & de iis indultum ostendere, si opus fuerit; hæc igitur integro durat anno, illa vero stipe soluta, ea accepta, compositioneque facta, efficacia tota ejus perit.

13. Similiter dicimus, debere nomen in ea inscribi, vel saltem quædam linea, in spatio ad hoc relicto duci; ut constet esse Bullam jam applicatam. Ratio est:

est: quia ita declaravit Com. Gen. anno 1704. ut testatur Vidal. in sua explicatione Bullæ, ex P. Monreal.

14. Qui bona alterius acquirit sub spe se componendi, hac Bulla nequit frui; ratio est: quia expresse excipitur talis dolosa, & fraudulenta acquisitio in Bulla Hispanica, & Italica; meritoque factum est, alias parata fuisset via ad furta, & rapinas. Tamen adverte, quod confidentia quæ excludit subjectum à potestate se componendi, quæ dicitur sub spe, est confidentia antecedens, seu quæ totaliter movet, seu influit, & determinat ad accipiendum aliena bona: concomitans autem, hoc est illa, quæ dicitur cum spe, jam supponit subjectum determinatum ad illicita lucra, de qua fit mentio in Casu 19. ut videbitur, & non facit illud indignum beneficio compositionis.

15. Potest ergo se componere, qui absque prava confidentia aliena usurpat bona quorum culpabiliter restitutionem omittit per diuturnum tempus, injuste ea retinendo. Ita Delugo, Bardi; est ratio: quia solum confidentia hoc fruendi beneficio in usurpatione, non vero in retentione excipitur, quæ retentio, formaliter non est acceptio, nec è contra, quamvis eandem retineant malitiam; cumque odiosa sit exclusio ab hoc beneficio, ad retentionem non est extendenda, eo quod unice pro receptione sit imposita.

16. Quacumque compositionis Bulla potest quis sibi retinere ex bonis alienis, Domino ignoto, novem supra quinquaginta argenteos, tribus demptis denariis, in Gottholaunica moneta. 5. ff. 18. ss. minus sex maravedis, aut alia huic vicina quantitas ad libitum cujusvis Confessoris, qualiter hic est praxis. Potest quicumque accipere quinquaginta Bullas, & hujuscemodi componi in summa pecuniæ correspondente, utpote 294. ff. 3. ss. 20. solidis constante unaquaque libra, in moneta Gottholaunica.

17. Quod si aliena pecunia super-excedat numerum dictarum Bullarum, tantum absque Bullis cum Com. Gen. componi poterit; ita ut nulla fuerit compositio Bullis facta, quantumvis diversis facta vicibus; & oblitus quis quantitatis majoris excedentis compositionem faciendam dicto numero Bullarum, tempore quo facta est alterius quantitatis factibilis 50. Bullis Itaque verum est, ut contrarium improbabile videatur quampluribus vi exclusionis, aut limitationis factæ à Com. Gen. hæc dicente in ipsa Bulla: *hasta en suma, y cantidad de cien mil maravedis, y no mas; porque desde ai arriba ha de venir, o embiar ante Nos.*

18. Decem, & novem illi casus de quibus mentionem facit Commissarius Generalis, & ex quibus summarium hoc parvum, quod Bulla compositionis appellatur, componitur, & in initio quæstionis promisimus explanare, majori claritatis gratia priusquam ii in arenam adducantur, eos in genere congruit exponere: quatuor enim signanter universalia capita, seu materiæ, in quibus admittitur compositio in Bulla originali latina plumbea, de quibus est sermo in §. 20. & 23. sunt. Et primo illicite acquisita: secundo reditus ecclesiastici: tertio quædam legatorum genera: quarto bona inventa, & possessa.

19. Ex quibus autem casibus 14. turpe continent lucrum: sex utpote turpitudinem ex parte dantis, & recipientis includunt; aliique octo ex parte tantum recipientis. Deinde alius casus compositionem super fructibus ecclesiasticis concernit: alii duo super legatis. Denique alii duo super inventis, & possessis, de quibus omnibus erit explanatio.

20. Octo dixi esse casus à Commissar. Signatos in quibus est turpitudo ex parte solius accipientis, videlicet 1. 9. 10. 12. 13. 17. 18. & 19. Primus autem sic sonat. *Primeramente se pueden componer sobre lo mal ganado, y havido; sobre lo mal llevado, y adquirido por logros, usuras, o otra qualquier manera, no constando de los Dueños, a quienes se deve hazer la legitima restitucion, hecha la devida diligencia.*

21. IX. *Item se pueden componer todos los Juezes Seculares, y los Ecclesiasticos en causas temporales, de lo que por razon de administrar la justicia, que devian a las partes conforme à su derecho, huvieren recibido, assi en dinero como en otra especie.*

22. X. *Item se pueden componer los Escrivanos, Notarios, y Secretarios, y los otros Oficiales de justicia, que huvierem recibido, y llevado derechos demasiados por razon de sus oficios, contra las leyes, y ordenanzas, que les estan dadas, no sabiendo las Personas, à quienes se deven restituir.*

23. XII. *Item se pueden componer de lo que por juegos fueren obligados à restituir à Pobres: pro aviendo intervenido engano en ellos, o ganado à Personas, que no pudiessen enagenar lo que perdieren, no se pueden componer: y sabiendo à quien lo ganaron, son obligados à se lo restituir; y no lo sabiendo, se pueden componer en este caso.*

24. XIII. *Item si alguno dissimulando en si lo que no ay en èl, ù otra cosa semejante de lo que en este color huviere recibido, se podra componer; y el que pide limosna fingiendo se pobre, ne lo siendo, de lo que por esta causa huviere recibido, se puede componer, no sabiendo en ambos estos casos à quien, como dicho es, se deve restituir.*

25. XVII. *Item se pueden componer de los daños, que han hecho andando à caza con sus ganados, o de otra manera, assi en los panes, y vinas, como en otros qualesquier hæredamientos, no sabiendo à quienes se huviere hecho el daño.*

26. XVIII. *Item si alguno ha vendido vino aguado por puro, o medido con falsas medidas, o huviere vendido otra cosa alguna con menores pesos, o medidas, o vendido una cosa por otra, o mesclado, o pesado, o mal medido, no sabiendo à quien se huviere vendido, se puede de ello componer.*

27. XIX. & ultimus. *Item generalmente, se pueden componer de qualquier genero de hazienda ilicita, y malamende havida, mal ganada, y adquirida, assi por usura, o logro, como en otra qualquier forma, o manera, oficio, o trato, que sea, o ser pueda; no sabiendo el Dueño à quien legitimamente se pueda, y deva hazer la restitucion, con tanto, que el que assi se huviere de componer no oya havido las cosas, o quantita, de que se compusiere en confianza de esta composicion, porque entonces sera obligado a lo restituir enteramente à la Santa Cruzada, para ayuda à los dichos gastos de la guerra contra Infieles.* Ita sonant casus in Bulla Compositionis.

28. Ex quibus cum primus includi videatur in ultimo, ut eos legenti patebit, de utroque dico, quod in ipsis datur facultas circa lucrum illicitum, proveniens, vel ab usuris, vel à quacumque alia negotiationis specie, post quærendi Dominum debitam factam diligentiam, & non inventum; quia cum injuste acquisitum, remanet in acquirente debitum ex rigorosa justitia, ad restituendum creditori, à quo est extortum: ideoque ad ipsum inveniendum media elicere debet, quo invento ipsi, & non Pauperibus reddendum est; qui si non appareat locum habet compositio, uti in Bulla præscribitur.

29. Quia autem in casu. XIX. Com. Gen. dicit, non habere locum compositionem in eo, qui sub spe, vel fiducia se componendi illicite lucratus fuerit, & diximus *num.* 14. quæritur nunc; an hæc bona, quæ mandat Com. Gen. in favorem Cruc. omnia applicari, valeant illa in Pauperes erogari: ad quod cum Trull. Bardi, & aliis respond. validam esse applicationem. Et ratio est: quia cum id præcipiat Com. Gen. tamquam opus pium, non irritans erogationem eorum in Pauperes factam, non adest motivum ad dicendum non satisfieri obligationi tali applicatione.

30. Ita ut taliter se gerens nec mortaliter peccet, ut putat Trull. *lib.* 4. *dub.* 1. *n.* 2. *in fine pag.* 511. semota tamen consuetudine, ut ubi ait. Est ratio: quia ad dispositionem Com. Gen. non astringitur quis ita graviter, eo quod non est grave præceptum, cum in ea nullum appareat verbum obligationem inducens sub lethali; verba enim in quacumque lege, vel dispositione non sufficienter indicant, intentionem Legislatoris esse obligare sub gravi, ut communiter dicunt AA. Nec ex alio capite tale adesse præceptum,

inferri

inferri potest, ut ratione materiæ, quæ non est quantitas pecuniæ, quæ forte componenda tamquam subsidium pro bello non erit materia gravis; sed mutatio applicationis pro favore Cruc. in Pauperes, quæ valde non differunt. Nec gravem inobedientiam saltem pro una vel altera vice continent: dixi cum AA. *semota consuetudine*, quam cum P. Bardi credo, nec pro una, nec alia parte fors alicubi esse; quia nullibi solitum est aliena auferre bona ex fiducia hujus Bullæ; quia, vel ignoratur facultas ista, vel si aliquibus constat, etiam nil prodesse habentibus talem spem. Quod ita dispositum est, ne cum tali spe aliena bona facilius auferantur.

31. In IX. & X. casu turpis actio ex parte Judicum, Notariorum, aliorumque Officialium, aliquid recipientium pro expeditione alicujus causæ, ad cujus expeditionem ex justitia tenentur, ponitur, quibus concedit Com. Gen. compositionem super taliter acceptis, si facta debita diligentia, non inveniatur Dominus, à quo acceptum est. Hinc si Judex cui donum datum est, ut proferat sententiam, adhuc injuste in favorem dantis potest se componere, quia Pauperibus alias debetur; eo quod nequeat dans repetere, quia complex turpis actus; ad differentiam illius, qui solum dedit, ad vitandam sententiam injustam probabiliter præsumptam, qui cum justitiam intendat, uniceque suam redimere vexationem, non amittit jus pecuniæ elargitæ, ipsique consequenter restituenda est, si appareat; sin autem minus, debita facta diligentia, de ea componi potest. Idem dicendum est de Notariis, Scribis, Secretariis, aliisque publicis Officialibus, de quibus in 10. casu.

32. Adverte, quod Com. Gen. solum concedit compositionem in causis temporalibus Judicibus Sæcularibus, Ecclesiasticos implicite excludens; ut communiter Bullæ expositores. Estque ratio: quia Judex Ecclesiasticus quamvis valeat se componere ex acceptis pro exercenda justitia in causis temporalibus, tamen non conceditur ex acquisitis pro causa spirituali; scilicet pro controversia circa ordines sacros collatos, circa Beneficium Ecclesiasticum, & similia: quia cum actiones istæ sint simoniacæ, in jure prohibentur: ut patet ex Gloss. *in cap. credentes* 1. *quæst.* 3. redditurque recipiens incapax; adeoque in tali casu negatur compositio. Ut notant Rodrig. Villalob. Trull. Ludovic. à Cruc. Bardi. contra Henriquez, negantes illi compositionem in omni causa spirituali, & iste solum in duobus casibus à Nobis positis.

33. In casu XII. loquitur etiam de injusta retentione ex parte solius recipientis, utpote de eo, qui per ludum acquisita restituere tenetur. Hinc si quis mediis fraudibus à legibus ludi non permissis, aliquid lucratus fuerit, amittenti restituere tenetur; ita ut non possit de eo componi; eo quod Dominus certus sit, habens jus verum, & reale ad repetendum amissum; solumque locum habet compositio, Domino ignoto, diligentia facta. Idem dices de eis, qui bona alienare non possunt, ut Filiifamilias, servi de bonis Domini, Religiosi, &c. quæ Patribus, Dominis, Monasterio, &c. reddi debent.

34. Si quis ludat ludo prohibito, taliter, ut lex prohibens impediat Dominii translationem bonorum, ex lucratis nequit fieri compositio; sed victo reddi debent, ni aliter disponatur à lege. Si vero non irritam reddat dominii translationem, non debet quis se componere; quia suam acquisitam fecit pecuniam. De acquisitis tamen ludis prohibitis tutius erit se componere.

35. Si quis autem metu, coactioneve luserit, & perdiderit, vincens in eo tunc non tenetur se componere de lucratis pecuniis. Est ratio: quia vel victo debent reddi, eo quod suæ pecuniæ jus non amiserit, juxta probabilem opinionem; quo in casu locum non habet compositio: quia solum urget, quando Pauperibus essent pecuniæ erogandæ; vel cum ipsis remanere; ob probabilitatem opinionis tenentis, suam fecisse pecuniam.

36. Hinc qui sustinet Ecclesiasticos dominium habere bonorum superfluorum, mere Ecclesiasticorum, ut dicitur *tom.* 1. *tract.* 2. *d.* 5. *q.* 3. licet ea ludo amiserint, non debet vincens de iis se componere, quia illa fecit sua, non obstante obligatione erogandi ea in Pauperes, vel alios usus pios; in quorum favorem, si ita debeant impendi, ut solum apud eos maneat illorum administratio, debebit quis de acquisitis se componere. Regula est enim generalis, quod possunt componi bona ludo acquisita, quæ in Pauperes erogari debeant.

37. In XIII. casu de consecutis per fictionem loquitur. Pro cujus intelligentia adverte, quod tunc contingit fictio, quando quis aliquam habere qualitatem simulat, ea carens, intuitu cujus, alius excitatur ad conferendum aliquid simulanti: ut si quis se simulet Pauperem, aut consanguineum se fateaur alterius, qui attenta paupertate aut consanguinitate, pecuniæ portionem ei tribuat, quam alias non ei elargiretur. Pauper ergo ille, in eo tunc si probabiliter præsumit donantem intuitu paupertatis dare, posse se componere, censeo. Est ratio; quia in veros Pauperes elargienda est illa eleemosyna accepta, ut probabilius dicitur, nam cum finis dantis fuerit indigentia formalis, & ejus intentio vero indigenti succurrere, ut sic placeret Deo; ex voluntate ejus in veros necessitatos est eroganda; adeoque de ea se componere. Quando autem prudenter censetur, non contulisse donantem intuitu paupertatis formalis, sed materialis, hoc est ratione Individui talis ficto titulo postulantis, ei restituendum est acceptum, quin locum teneat compositio.

38. Objicies: Com. Gen. solum concedit fieri posse compositionem, quando ignoratur Dominus: igitur ficti Pauperes conscii Dominorum à quibus eleemosynas simulate, intuitu tamen paupertatis formalis acceperunt, non possunt se componere. Ant. patet in dicto casu 13. Respond. cum Ludovic. à Cruc. & Trull. quod Com. Gen. secutus fuit opinionem Soti, & aliorum tenentium, fieri debere restitutionem donatoribus, quando agnitis; sed cum probabilissimum sit restitutionem fieri posse Pauperibus, ideo adhuc noto Domino, compositione uti poterit. Accedit Com. Gen. tali adhæsisse fors opinioni, quia certum est restitutionem fieri posse donatori; veri enim Pauperes nullum acquisierunt jus eleemosynæ factæ Ficto, indeque abunde fit satis, restituendo donatori; sed cum hujus intentio, ut dictum est, sit levamen paupertatis ut sic, ideo Pauper qui ficte accepit, ex donantis voluntate, veluti ejus negotiorum gestor, eam exequi valebit, in Pauperes distribuendo eleemosynas ab eo acceptas; sicque ab iis componi.

39. Ex dictis ostenditur se componere non posse, qui consanguinitatis titulo eleemosynam extorsit, ni Dominus postea non inveniatur. Ratio est: quia ipsi necessario est restituenda, ita ut ex ejus voluntate nequeat quis prudenter præsumere, posse in Pauperes eam erogare; consanguineis tamen egentibus optime, si paupertas consanguinealis fuit unica causa dandi, hoc enim modo etiam gereretur negotium donantis, ut supra; non tamen se componere: quia beneficio compositionis tantum uti potest communiter quando in Pauperes ut sic distribui debet acquisitum. Unde patet quod si quis sanctitate ficta extorserit eleemosynas, donatori erunt reddendæ, si fuit causa finalis dandi sanctitas: nec compositione uti poterit.

40. Si vero sanctitate ficta, aut simulata doctrina Ecclesiastico Beneficio quis potiatur; si digne illud administravit, retinere valebit, ut tenent Rodrig. Trull. Henriq. Ludovic. à Cruc. Bardi. Est ratio: quia beneficia non aliqua cum conditione, sed absolute conferuntur, ita ut sanctitas, vel doctrina solum sint causæ impulsivæ, & idoneitas subjecti finalis; quæ si non adsit, resignare debebit, quin locum teneat compositio: titulus enim Beneficii non est res pretio æstimabilis, sicque invalide hoc collatum, validari nequit media compositione; idcircoque resignandum, vel obtinenda ejus validatio, quam Com. Gen. potest tribuere,

ut dicitur *n.* 33. *d. ultim.* bene tamen fructus ejus percepti componi poterunt.

41. Qui facultatem habuerit petendi eleemosynam per unius, duorum, vel plurium annorum spatium, per se, vel per alios, poterit hoc jus alteri locare. Ita contra Rodrig. contrarium tenentem in casu 11. *pag.* 461. tuentur Henriquez *lib.* 7. *cap.* 35. *n.* 5. *in fine.* Trull. *lib.* 3. *casu* 14. *pag.* 496. & alii cum Mendo. Ratio est: quia nullo jure prohibetur; nec tale jus habens, incapax fit ad recipiendum locationis pretium.

42. Super duobus ultimis casibus nempe 16. & 18. turpitudinem continentibus ex parte solius recipientis, dicendum est, quod damnum irrogatum in segetibus, vineis, &c. dum quis venatur, eas conculcando equorum pedibus; vel fovendo, aut permittendo, ut ejus animalia segetes pascantur, vel alio modo, debet compensari Domino, qui cum non difficulter invenietur, debita peracta diligentia, cujus obligationi agendæ alligatus est damnificans, raro locum habebit compositio, cum ipsa tantum uti possit, Domino ignoto.

43. Citat. Rodrig. in casu hoc, qui in ipso est XII. loquitur de restitutione facienda ex captura animalium, tum volatilium, tum terrestrium, & ferarum &c. in locis vetitis, & communibus, de quibus omnibus in fine inquit, posse raptores se componere, Domino non invento. Nos autem de his nil dicimus; quia Comm. Gen. solum de damnis illatis, modo dicto mentionem facit: quæ autem nascatur obligatio ex simili acceptione habetur *in tom.* 1. *tract.* 7. *d.* 5. *quæst.* 2.

44. In casu XVIII. de admixtione aquæ cum vino tractatur, idemque intelligi debet de quacumque alia deterioris conditionis re mixta cum alia principali, quæ pura vendi solet, utpote mixtio paleæ cum frumento; stanni cum argento; cupri cum auro: vel venditio cum mensura non justa, pondio defectuoso; quibus in casibus intervenit injustitia, atque adeo obligatio restituendi, licet sint aliqui, in quibus non intercedat, ut in certis mixtionibus diversarum materiarum; etiamque aquæ cum vino in certis casibus, in quibus non est peccatum, consequenterque non oritur obligatio restituendi, adeoque nec locum habet compositio: quos casus in Cardinali de Lugo fuse examinatos *tom.* 2. *de just. disp.* 26. *sect.* 5. *nu.* 66. videre poteris, ibi loquente de emptione & venditione.

45. Quibus positis dico, quod qui alium in emptione, aut venditione defraudavit, damnum ei irrogatum resarcire debet; qui si ignoretur, Pauperibus, vel aliis piis operibus ex voluntate ejus distribuendum, in quo casu beneficio hujus Bullæ non fruetur ita fraudulenter agens. Hinc Tabernarii, Pistores, & aliæ similis farinæ Personæ; si vinum, Primi, aqua dilutum; aut aliquam mercem, sequentes, cum alterius mixtione, cujus causa, à propria natura ceciderit, dederint, Personis fraudem patientibus damnum restitui debet, ita, ut si possint devenire in eorum cognitionem, ut facile erit Tabernariis parvi oppidi, compositione nequeant uti; si tamen difficulter, ut in populosa, magnaque civitate, ubi fors habitationes mutarint, consequenterque emptores, componi valebunt, ut aiunt Trull. Henriq. & alii absque data restrictione.

46. Super secundum casum, qui ita sonat. *Item se pueden componer sobre los frutos de los Beneficios, y otras rentas Ecclesiasticas mal havidas, y llevadas por defecto de no aver rezado las Horas Cenonicas, con que demas, y allende de los dos reales, se ha de dar de limosna por la composicion de los dichos dos mil maravedis, aya de dar la Persona, que assi se compusiere de los dichos frutos, otros dos reales à la fabrica de la Iglesia, donde fuere el tal Beneficio, porque hiziere la composicion: y al mismo respecto de lo que mas se compusiere, y por la orden susodicha, y declarada.* Declarat Com. Gen. & concedit, posse Beneficiarios se componere de fructibus, & Beneficiis, vel aliis redditibus Ecclesiasticis, perceptis, vel ob malam ipsorum Beneficiorum adeptionem; aut ob omissionem Horarum Canonicarum, ad quarum recitationem tenentur, cum conditione, quod tali utens privilegio ultra stipendium solvendum, æqualem det aliam quantitatem pro fabrica Ecclesiæ illius ubi est erectum Beneficium, itaque se conponens debet duo argenteos erogare pro Bulla accepta, aliosque duos prædictæ Ecclesiæ fabrica. Et similiter proportionaliter Bullis multiplicatis; factaque cum Com. Gen. compositione.

47. Tres sunt casus, qui solent assignari circa præsentem materiam in quibus conceditur compositio, utpote primus, quando Beneficiarius culpabiliter omittit recitationem, & tamen Beneficii recipit fructus. Secundus, dum absque titulo legitimo Beneficium obtinet, suos non faciendo fructus. Tertius, cum tales fructus percipit excommunicatione innodatus majori; quos tres omnes casus invenies, in Bulla exposita à Rodrig. super hoc, qui est primus ejus *pag.* 434. quamvis explicite primus ex tribus in dicta Bulla compositionis tantum reperiatur.

48. *Tom.* 1. *tract.* 6. *de Horis Canonicis d.* 1. *q.* 3. investigatur de obligatione restituendi fructus perceptos ex Beneficio, ob omissionem recitandi; quantaque in dicta quæst. fructuum pars restituenda sit pro tali omissione; undeque oriatur talis obligatio, an ex jure naturæ, an vero Ecclesiastico, ex quo hoc oriri ibi *num.* 32. resolvitur, recteque probatur ex eo, quod hæc obligatio solum urgeat post sex menses à die adepti Benefcii ibi *n.* 31. ut communiter DD. ex Concil Lateranen. sub Leon. V. ibi &c. quibus præmissis, aliisque in cit. quæst. positis,

49. Dico, Beneficiarium, qui omisit Horas Canonicas recitare, Beneficio compositionis frui posse, (super fructibus restitutioni obnoxiis, talis omissionis causa; aut Bullas sumendo; vel cum Commissario, si numerum præscriptus Bullarum accipiendarum non sufficit; ad hocque tenetur, quando restituere dictos fructus debet: unde, si recitarit jam, sed non debitis circumstantiis, Bulla compositionis indigebit tantum, si ad restitutionem astringatur, sin minus, minime tenebitur se componere: hinc inculpabiliter non recitans, quia oblitus naturaliter, aut infirmus, aut alias juste, & legitime impeditus, non tenebitur de fructibus perceptis se componere: quia eos non tenetur restituere: *in citat quæst. in supplem. post n.* 34. *quæres* 2. Similiter nec voluntarie interne distractus recitans *loc. ultim. citat. quæres* 4. *in fine.*

50. Etiam, qui reliquisset culpabiliter per multas vices partem Horarum Canonicarum, dummodo non constituerint materiam gravem partes omissæ, sicque lethalem noxam non incurreret, ita recitans non teneretur se componere: quia non debet restituere, ut dicitur *loc. citat. sum.* eo quod Piana Bulla solum pœnam restitutionis imponit culpabiliter omittentibus aliquam integram horam. Eget tamen compositione qui per aliquot dies recitare omisit, licet in aliis pro iis recitarit: quia per novam recitationem non liber fit ab onere restituendi, ut dicitur *loc. citat. q.* 7. *n.* 89.

51. Quando quis non assistit Choro, cum tenetur, percipitque distributiones, assistentibus tantum spectantes, super iis nequit se componere. Ita Rodrig. Turrian. Henriq. Cardinalis de Lugo, Villalob. Trull. & alii. Est ratio: quia distributiones illæ acceptæ, sunt aliorum assistentium, consequenterque Dominus est certus & notus, adeoque locum non habet compositio.

52. Similiter nequeunt hujus Bullæ Beneficio frui, qui perceperunt fructus, quos suos non fecerunt, eo quod non residerunt, quando tenebantur, ut tenent Rodrig. Ludovic. à Cruc. Henriq. Ramos, Trull. de Lugo aliique. Est ratio: quia Dominus est certus, & ita statuitur *in cap. conquærente de Cler. non resid.* & *in* Concil. Trid. *sess.* 23. *de reform. cap.* 1. statutum est, nullo indulto posse Episcopos, & Parochos fructus facere suos correspondentes tempori absentiæ, ultra ibi permissam, & Beneficiatis etiam *sess.* 6. *de reformat. cap.* 2. residentia saltem de consuetudine exigentia Beneficia obtinentibus. Nec qui fructus percipit Beneficia obtinentibus. Nec qui fructus percipit ex duobus Beneficiis incompatibilibus; Juxta Ludovic. à Cruc. primum enim amittitur Beneficium *per text. in cap. de nulla de præb.*

&

& simul secundum *per extrav. execrabilis*, *eod. tit.* ut in cit. Ludovic. *pag.* 503. *num.* 3. tenent complures AA. Ratio est: quia ille talis non censetur residere; ideoque &c. ut supra. Et ita respondit Com. Gen. de hoc consultus: se non habere facultatem ad componendum in dictis fructibus, testatur citat. Ludov. *loc. cit.*

53 Num. 40. diximus componi posse fructus perceptos ab obtinente invalide Beneficium, addimusque nunc, & multo magis de iis hæredes eorum, ut tenent Navarr. Rodrig. Trull. Ludovic. à Cruc. & alii. Ratio est: quia licet Ecclesiæ Beneficii, vel successori (ob quod contrarium tenet Cardinalis de Lugo) debeantur; tamen neuter jus habet independenter à voluntate Pontificis: igitur cum pendeat à dispositione S. Sedis non obest Domini certitudo; adeoque ad dicta bona extenditur Com. Gen. facultas.

54. Nec objicias: idem foret dicendum de Beneficio vacante, quorum fructus pleno jure successori acquisiti sunt: ut patet ex constitutione Julii III. nam hoc Beneficium omnimode vacat: utpote jure pleno, & facto, non vero in nostro casu, in quo solum de jure vacat, adeoque Pontifici placuit concedere compositionem, cum dixit, posse fieri eam extra casus in Bulla expressos, in hoc, & non in alio. Idem dico de eo, qui obtinet Beneficium carens ordine necessario ad ejus obtentionem, & fructus percipit quos *Ex cap. commissum de elect. in 6.* suos non facit, dum perseverat in prava intentione, non recipiendi ordinem debitum. Ita Ludovic. à Cruc. Trull. & alii.

55. Compositione similiter uti poterit excommunicatus, fructus Beneficii percipiens, negligensque obtinere absolutionem, in sententia asserente suos non facere fructus; nam in contraria, quam plures tenent AA. ipsa non eget, si excommunicatus per se, vel per alium, quod suum est impleverit; hocque saltem ante sententiam Judicis; itaque videtur intelligendum *cap. Pastoralis in fine de appel. de privatione fructuum*, post sententiam Judicis; cum tamen tutior sit contraria opinio, melius erit ad cautelam, uti compositione.

56. In tertio casu, ponitur compositio legatis, itaque sonat. *Item, se pueda componer sobre la mitad de los legados, que fueren hechos en descargo de lo mal llevado, siendo las Personas a quien se huvieren hecho las mandas, negligentes por un año en la cobrança, aunque se sepa quienes son los tales Legatarios, y personas.* Præsens facultas se componendi super legatis, in medietate est, cum sunt pro bonis male ablatis, & legatarii negligentes sunt per annum in petitione legatorum, qui annus numerandus est à die notitiæ, ut tenent Acosta, & Henriquez: quia cum negligentia sit unius anni, & hæc supponat notitiam, clare à die notitiæ legati relicti numerandum esse annum. Et hæc compositio in gratuita Pontificis liberalitate fundatur, volentis remissionem medietatis legatorum concedere in favorem Cruciatæ, & non in incertitudine Domini: quia certus est, & à die mortis Testatoris jus acquisivit.

57. Non objicias: nullam apparere rationem, ob quam legatarius privetur medietate sui legati, ad quod jus acquisivit post Testatoris mortem, ob talem negligentiam. Nam respond. variis omissis responsionibus, quod in præsenti casu Sum. Pontifex commutat unum opus pium in aliud, tamquam universalis administrator omnium operum piorum, ut expresse colligitur ex clement. quia contingit. de relig. dom. Ita Moneta fuse hunc examinans textum. Bardi tenens, ita sentire Henriq. & alios à se citat. etiam Ludovic. à Cruc. alios ab his citans, aliterque probans, posse Pontificem commutare legata. Et licet legatarius acquirat jus civile in totum legatum à die mortis Testatoris, non tamen perfectum jus; sed à Papa revocabile, cum justa causa, ob annualem negligentiam: & de omnibus factis, & faciendis, ut ibi dicit Pontifex intelligendum est.

58. Pro casu XIV. qui sic sonat. *Item: se puedem componer sobre los legados hechos antes de aora, o en el tiempo de la publicacion de esta Bula se hizieren, cuyos legatarios no se hallan, hecha la devida diligencia.* Supponendum est quædam esse bona, quæ nusquam sub dominio alicujus fuerunt, ut gemmæ, lapilli pretiosi, mineralia, & insulæ quæ nusquam fuerunt habitatæ, quæ conformiter juri naturæ fiunt primi occupantis, ut dictum est in *tom.* 1. *tract.* 7. *d* 5. *q.* 11. & dispositum per leges civiles ibi habes, ni aliter per legem quandam specialem Principis, vel Reipublicæ. Similiter dicendum est, ut dicitur *loc. citat. num.* 10. de bonis, seu thesauris inventis, qui aliquando Dominium habuerunt, tempore tamen inventionis, eo carentibus; de quibus omnibus inveniens, non eget Bulla Compositionis, cum omnia sua faciat, restitutioni non obnoxia. Alia autem sunt, quæ Dominum habent sed ignotum, & in eo tunc inveniens ea in Pauperes distribuere debet, in qua opinione potest se componi; in alia vero probabili, *citat. in loc. citat. n.* 8. minime debet: quia licite potest sibi inventa retinere,

59. Hinc, si quis invenerit in littore maris bona naufragantium non potest, super inventis, uti Beneficio compositionis, sed Dominis restitui debet, ut dicitur *in sum. loc. citat. num.* 6. quod probat excommunicatio reservata in Bulla Cœnæ; contra talia bona usurpantes, ut habetur in cap. excommunicatio de raptoribus: igitur loci Ordinario debebuntur bona talia conferri, cujus est de illis disponere, ut docet Trull. in præsenti casu *n.* 15. *pag.* 503.

60. Quæres: an Hæres Defuncti se componere valeat super debitis, pro quibus Defunctus dum vivebat se potuisse valide componere. Respond. quod si Defunctus habeat nonnulla debita, quorum tamen Dominus ignorabatur, potuit compositionis Beneficio frui, qui si non se composuerit, poterit Hæres Defuncti compositione juvari, stante Domini incertitudine, ita ut nec sit spes, ut compareat, adhibita diligentia.

61. Super XV. qui ordine sequenti refertur nempe: *Item, el que tuviere alguna, o algunas causas en su poder de Persona, o personas que no puedan ser havidas para restituirselo, aviendose para ello hecho la devida diligencia, se podra componer de lo que aquello montare.* Se offert dicere, quod, qui retinent depositum in custodiam traditum, diligentia inveniendi Dominum adhibita, si non compareat iste, aut hæres ejus; aut ille abiit in terras longinquas, nec speratur rediturus, aliundeque ob magnas expensas nequeat ad eum mitti, de ea componi retinens potest; quia in his casibus Pauperibus est erogandum; consequenterque per Bullam componi potest.

62. Pro fine huic Tractatui imponendi est advertendum: Com. Gen. præcipere sub pœna excomm. latæ sent. ut nullus Concionator, Thesaurarius, & Receptor S. Cruc. ullo modo se immisceant ad faciendas compositiones, cujuscumque summæ, quæcumque enim Persona indigeat compositione, in majori quantitate, à concessa per hanc Bullam, ad ipsum recurrat, ut dictum est supra, alias irrita, ac nulla erit compositio, de superexcedenti quantitate cum eo non facta.

DISTINCTIO SUPERNUMERARIA

De facultate Comissar. Gener. Bull. Cruciat. pertractans.

Siquidem difficultates clariores super Bulla Cruc. suscitabiles elucidavimus jam, non erit nunc abs re alienum de facultatibus ea Com. Gen. tributis pertractare; ante quasque prius congruum erit ostendere Com. Gen. qui talis dicitur, eo quod committens dicitur, eo quod dicitur, tribuens ei dictas facultates, summus nempe Pontifex, consequenterque is cui committitur facultas, Commissarius; ad modum quo Campsarius dicitur cambio accipiens peccunias; conferensque illas campsor appellatur, non Præses vel Præsidens vocatus (licet talis sit in Concilio Cruc.) ob humilitatem, qualiter Sum. Pontifex Episcopus, & Servus Servorum

Dei

Dei appellatur; oportet enim adhuc in nomine, dignitate Ecclesiasticas sapere humilitatem, ut videre poteris Alphonsum Perez de Lara in Compendio trium gratiarum *lib.* 1. *fol.* 16. & 17. duplicem habere potestatem, seu jurisdictionem spiritualem (ad ea tantum, quæ in Bulla sunt, extensam, & ideo Cru. Comm. dicitur scilicet unam, hancque à Christi Vicario in terris, temporalemque aliam à Rege utpote Hispaniarum: ea enim circa quæ illam exercet jurisdictionem: quandoque pertinent ad forum contentiosum, & aliquoties ad forum conscientiæ: Inde habere facultatem subdelegandi alios Commissarios in Provinciis, ubi expedire ipsi videbitur. Insuper instituere Ministros sibi subordinatos, videlicet Assessores Secretarios, Fiscales, Notarios, Executores, Receptores pecuniarum in favorem Cruc. Collatarum; etiam Porteros, Sollicitatores, aliosque Officiales necessarios enumeratos á citato Perez de Lara *loc. citat. fol.* 19. ex quibus omnibus Ministris, confessario adjuncto, tamquam capite, integratur Concilium Cruc. à quo nequit appellari, ut ait idem Perez *lib.* 2. *pag.* 124.

QUÆSTIO I.

De speciali jurisdictione Comm. Gen. concessa

SUMMARIUM

1. *Comm. Gen. potest inquirere, an Præsules omittant applicare pœnas pecuniarias in favorem Cruc. &c.*

1 POstquam Sum. Pontifex in Bulla Latina præcepit omnibus Ordinariis regnorum Hispaniæ, Archiepiscopia nempe, Episcopis, Abbatibus habentibus, (& aliis jurisdictionem, in foro externo (qui ultim. etiam sub nomine Ordinariorum veniunt, ut ait Trull. *pag.* 440.) applicari omnes pœnas pecuniarias in favorem Cruciatæ, concedit prædicto Com. Gen. plenam potestatem, ut inquirat, an Ordinarii locorum applicare omittant pecunias illas perceptas, ex pœnis pecuniariis impositis, huic Sac. expedit. qualiter in virtute S. Obedientiæ eis mandat Sum. Pontifex, postquam enixe eos fuerit deprecatus, ut videri potest in citat. Bulla: eosque inveniens negligentes, ad executionem etiam per censuras, si opus fuerit, compellere queat, etiamque pœnis coercere, & punire aliquid patrantes in præjudicium talis expedit. aut contra euntes ad hujus Bullæ expeditionem aut alias delinquentes contra eam, notat tamen citat. de Lara *pag.* 194. in Trull. & aliis; Ordinarios jam non teneri applicare nisi dimidietatem, pœnarum pecuniarium, eo quod Rex ipse Hispaniæ, alteram dimidietatem pœnarum eis concesserit. Itaque integritatem earum ostendere debent, justamque dimidietatem in favorem Cruc. conferre, sub gravi noxa incurrenda, verbum enim præcipio, & in materia gravi sub lethali obligat; ut colligitur ex Clem. exivi §. cum autem de verb. signi. docetque Navar. Sylvest. & communiter; imo teneri ad restitutionem, ajunt, Rodrig. Villalob. Acosta; quia Sum. Pontifex de facto ex illo nunc pro tunc eas, dictas pœnas, in subsidium expedit. applicat, & appropriat.

QUÆSTIO I.

De potestate suspendendi indulgentias, aliasque gratias.

SUMMARIUM

2 *Com. Gen. tribuitur facultas suspendendi, ac revalidandi pro anno publicationis, indulg. & gratias extra Bullam concessas.*

3 *Etiam continentes clausulas ordinarias contra dictam suspensionem, non autem extraordinarias.*

4 *Cuicumque loco, & Personis concessæ sint, suspendentur.*

5 *Ita, quæ impediunt usum Bullæ, quæ vere non, suspensioni subjiciuntur.*

6 *Etiam suspenduntur in corpore juris inserta nonqualificata, non vero si qualificata, & quæ utraque sint, explicatur.*

8 *Adducitur clausula derogatoria Bullæ.*

8 *Privileg. aliæve gratiæ ab inferioribus Pontificis concessæ non suspenduntur.*

8 *Aliaque quæ adducuntur.*

10 *Neque, quæ continent diversam materiam à Privileg. Cruc.*

2. INsuper concedit Sum. Pontifex Com. Gen. facultatem suspendendi omnes indulgentias, durante anno publicationis, gratiasque extra Bullam, similes, dissimilesve in Bulla concessis; iterumque eas revalidandi, pro eis, qui summarium Bullæ accipiant. Finis autem talis concessionis non apparet alius, quam quod Fideles moveantur ad illud accipiendum à cujus acceptione, alias abstinerent, si alias lucrifacere possent indulgentias, aliter concessas.

3. Tam ergo ampla est hæc potestas, ut etiam extendatur ad Brevia, quantumvis includentia clausulas aliquas, facientes contra hanc suspensionem, ordinarias tamen; nam si extraordinariæ sint, certum est non suspendi posse à Com. cum adhuc hoc privileg. à Sum. Pontificis voluntate totaliter pendeat, qui valet concedere indulgen. & gratias, quæ per Cruc. nequeant suspendi, ut dictum est sup. *num.* 18. itaque certum est, ut contrarium sit error; ex modo igitur quo sunt clausulæ positæ in Brevibus Pontificiis concessis, potest cognosci, an suspendi, vel non, possint à Commissario.

4. Similiter cuicumque loco concessas, ut Ecclesiis, Hospitalibus, Monasteriis, aut aliis piis locis, Universitatibus, Confraternitatibus, & quibuscumque singularibus Personis, in omnibus Regnis, dominiis, oppidis, &c. in quibus Cruc. promulgatur; tamen solum suspenduntur, postquam Comm. expresse eas suspenderit, uti facit vi potestatis datæ in fine Bullæ plumbeæ, minime autem si ad actum secundum suspensionis non procederet.

5 Gratiarum omnium aliquæ suspensioni subduntur, aliæque non, ut insinuatum est: quæ suspenduntur, sunt omnes illæ, quæ impediunt usum intentum per Cruc. ut expresse colligitur ex litteris suspensionis, quæ sunt in fine Bullæ, in quibus Com. Gen. declarans motivum suspensionis ait: *eadem Authoritate Apostolica Nobis præfatas litteras concessa*, *ne adeo pium, & Sanctum opus disturbetur, & impediatur, per alias indulgentias, gratias, facultates, & concessiones suspendimus durante anno prædicationis hujus Cruc. omnes similes, & dissimiles gratias &c.*

6. Inde colligitur 1. Suspendi facultatem assistendi divinis Officiis; vel celebrandi tempore interdicti, nisi in casibus permissis. 2. Privilegium sepeliendi Defunctos in loc. Sac. eodem durante interdicto, 3. Privilegium ad absolvendum à reservatis. 4. Facultatem comedendi carnes, & Lacticinia diebus prohibitis. 5. Indulgentias concessas locis Sac. & ipsis, & Personis particularibus. 6. Potestatem se componendi de incertis bonis; turpiterque acquisitis. 7. Privilegia huic Bullæ contraria: licet sint in Corpore juris inserta, si qualificata non sint, hoc est si clausulam non habeant, per quam dicatur in invocatione *esse de illis faciendam specialem mentionem, aut non obstante Cruc.* Si vero ita qualificata non sint intelliguntur suspensa; quia cum sint in corpore juris, censetur non ignorari à Principe, ut dicitur *cap.* 1. *de const. in* 6. juvatque ad hanc intelligentiam velle Pontificem efficaciter, ne Bulla impediatur. Suspenditur etiam consuetudo Cruc. contraria; nam cum se habeat, tamquam communis lex, quæ per posteriorem legem contrariam abrogatur, sic per Cruciatam suspenditur.

7. To-

7. Totum deducitur ex clausula generali derogatoria, quæ adest in fine Bullæ concessæ à Pio V. & confirmata à Pontificibus seqq. quæ sic sonat. *Non obstantibus quibuscumque decretis, constitutionibus, statutis, consuetudinibus, Bullis, privilegiis, litteris, indulgentiis, Bulla mare magnum nuncupata, & ordinibus editis, aut approbatis etiam pluries, non solum ab inferioribus, sed à Nobis, & nostris Antecessoribus, cum quibus suis clausulis, derogationibus, ac juramentis, & ex quacumque causa, & expeditione contra Turcas, & sive per modum universalis legis, sive sub alia forma, & sive in favorem ecclesiarum, etiam Cathedralium, sive in favorem alicujus militiæ tam S. Jacobi de Spatha, de Calatrava, & de Alcantara, quam aliarum quarumlibet, & sive etiam in favorem publicarum Personarum, aut universitatum emanaverint. Quoniam illis omnibus, & singulis, etiam quod de verbo ad verbum debuissent præsentibus inseri habentes, & haberi volentes omnia pro incertis, & expressis de verbo ad verbum, & ex certa scientia, motu proprio, & de nostra potestatis plenitudina, eatenus, quatenus directe vel indirecte præfatis in toto, aut in parte contrariantur, aut aliquod quamquam minimum præjudicium, seu impedimentum afferant, expresse derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.* Si ergo ita abrogantur, aut suspenduntur leges universales, consequens est, ut dicamus abrogari, seu suspendi privilegia in eisdem leg. contenta, consequenterque privilegia in corpore juris inserta, ni qualificata sint, nedum per clausulas generales, sed etiam per speciales, derogantur; cum dicatur expresse derogari privilegiis, etiamsi sint per modum leg. universalis; qualia sunt contenta in jure communi.

8. Per hanc tamen clausulam non derogantur privilegia concessa à Prælatis inferioribus, ut, Archiepiscopis, Episcopis, &c. Ita Rodrig. Navarr. Villalob. Trull. Mendo, Bardi. Est ratio: quia clausula solum loquitur de suspensione gratiarum, & facultatum à Pontificibus concessarum; non faciens mentionem de concessis à Prælatis inferioribus; neque in potestate Com. Gen. concessa continetur facultas ad suspendendas gratias, ab Episcopo &c. emanatas; licet pariter suspendantur ordines ab his, & aliis tamquam S. Apostolicæ delegatis præstiti; non tamen ab illis ex propria jurisdictione procedentes; itaque intelligenda sunt verba illa: *non obstantibus ordinibus, &c.*

9. Supra omnia enumerata indulta per privilegium particulare à Pontifice obtenta, cum impediant, vel retardent usum Cruc. suspenduntur à Com. Gen. sive sit simile, ut dictum est, hoc est continens easdem gratias, ac Bulla; sive dissimile, hoc est distinctas. Indulgentiæ etiam granis, calculis, &c. concessæ suspenduntur, ut tenet Rodrig. Trull. Bardi. Ratio est: quia licet locis, nec Personis sint concessæ, tamen continentur sub indulgentiis singularibus Personis concessis; præterquam quod, aliquo modo usum Cruc. impediunt. Privilegia concessa per modum contractus non suspenduntur per hanc Bullam: quia talia privil. non revocantur, nisi per specialem nominatam eorum revocationem; cumque per Cruc. nullum privileg. concessum per modum contractus revocetur; ideo suspensa non manent: quia tenetur Princeps pacta servare, nisi adsit talis causa, ut non obstante pacto, revocare, aut suspendere debeat privilegia. Idem dicendum censeo de privilegiis concessis intuitu meritorum, & per modum remunerationis; quia hæc reducuntur ad privilegia concessa per modum contractus. Nec suspenduntur, quæ habent specialem clausulam, ut nequeant revocari, ni de illis fiat specialis mentio, ut sat patet ex dictis; estque ratio: quia in Bulla Cruc. non habetur clausula resistens tali dispositioni.

10. Nec suspensione affici possunt privilegia circa diversas materias ab illis, quæ in Cruc. continentur. Ita Henri. Rodrig. Trull. Bardi. Est ratio: quia cum diversam contineant materiam, usum Bullæ impedire nequeunt, adeoque non suspenduntur; utpote privilegia alienandi bona ecclesiastica, testandi, privilegium circa recitationem Horarum Canonicarum, quoad substantiam, & modum, neque privilegium retinendi plura Beneficia Ecclesiastica, vel dispensandi in irregularitatibus, vel commutandi vota reservata, nec dispensandi iin votisngrediendi Monasteria, celebrandi in Altari portatili, nec facultates dispensandi in affinitate, petitione debiti conjugalis (circa quæ habet Com. Gen. facultatem) & similibus. Præ oculis tamen habe concessum per modum contractus onerosi: an specialem exigat mentionem ad ejus revocationem; an diversam materiam contineat; & præcipue, an impediat usum Cruc. unde inferes an queat per Bullam suspendi necne.

QUÆSTIO III.

De facultate revalidandi gratias per Bullam suspensas.

SUMMARIUM.

11 *Clausula qua conceditur Com. potestas revalidandi gratias suspensas adducitur.*
12 *Unice suspensas à se revalidare quit; sique mercedem pro revalidatione sumat, simoniam committet.*
13 *Privilegia derogata, Bullæque præteritæ nequeunt revalidari.*
14 *Solvitur objectio.*
15 *Aliis Bullis frui potest vi Cruc.*

11. Gen. Com. confert Sum. Pontifex facultatem revalidandi gratias suspensas per Cruc. his verbis: *Item dicto Comm. etiam conceditur facultas, ut ipse per se, vel per alium, seu alios, quando, & quoties sibi videbitur indulgentias, & alias gratias per eum suspensas in favorem illorum, qui præsentium gratiarum, in hanc causam pro Religionis defensione concessarum participes effecti fuerint, revalidare absque alio præmio possit.* Quibus verbis ipsi, vel alteri à se subdelegato præbetur facultas conferendi indulgentiis, aliisque gratiis pristinum valorem; ad huncque effectum in omnibus Provinciis talem subdelegatum dictus Com. expedire debet; estque ei tributa hæc facultas, ut toties quoties sibi prudenter visum fuerit, revalidet.

12. Nota, hanc facultatem esse solum concessam ad gratias à se, & non ab aliis, suspensas, ut dicitur per verba illa, *per eum suspensas.* Deinde, quod revalidandæ sunt in favorem eorum tantum, qui effecti sunt participes indultorum quorumcumque Cruc. cum hoc, & non aliud exprimatur genus Personarum. Monetur insuper Com. ut revalidet absque alio præmio, vel mercede: ex quo peccaret si aliquod munus, materiæ gravis, pro revalidatione reciperet, quinimo simoniam contra jus divinum committeret: eo quod actus revalidandi spiritualis sit, utpute gratiarum concessio, obnoxia manenti restitutioni.

13. Per revalidationem non præbetur robur privilegiis illis derogatis per abrogatorias clausulas in Bulla contentas, ut facultas eligendi Confessarium non approbatum ab Ordinario, qua vi revalidationis nequibit uti, cum contineat aliquid contra dispositum, expressaque in Bulla. Nec firmitatem accipiunt Bullæ Cruc. præteritæ; ut aiunt Rodrig. Ludovic. à Cruc. Trull. Est ratio: quia nequeunt jam suspendi, ut patet ex eo quod expirarint jam, vel extinctæ fuerint: unde cum nequeat super iis cadere suspensio; nec minus pristinus valor. Firmatur hoc ex Gregor. XIII. concessione, nempe: quod bis in anno omnes gratiæ, & indulta frui possint, per novam Bullæ acceptionem.

14. Non objicias suspensionem præteritarum Bullarum constare ex verbis ipsius Bullæ §. 21. *Suspensionis* ubi dicitur: *Vel alterius similis Cruciatæ.* Quæ non ni præterita intelligi valet. Non hoc est, quia ante PiumV. non expirabant Bullæ post annum, sed per plures annos erant concessæ, nec lapsis admittebant vigorem, sicque suspendi ineo tunc poterant, etiamque in favorem accipientium summarium revalidari: quia tamen ipse PiusV. decre-

decrevit expirari Bullas post annum ; ideo certum est, jam non posse suspendi, neque revalidari ; quia tamen potuit in quibusdam locis adhuc perseverare consuetudo illa de validitate Bullarum ante Pium V. ideo Pontifex posuit illam conditionalem, post prædicta verba, quæ sic habetur : *Si quæ in Regnis, Insulis, Terris, Locis, & Dominiis præfatis receptæ adhuc durent.* Sicque ut notat Trull. non absolute suspenduntur alterius similis Cruc. gratiæ ; sed sub conditione, quod durent, quæ, ut diximus, non ad nostras Bullas, sed ad concessas ante Pium V. refertur.

15. Acceptione Bullæ frui potest aliis Bullis, quasdam gratias continentibus ; uti Bulla vocata *de la Hermandad*, id est Confraternitatis ; & aliis relatis à Perez de Lara in Compendio trium gratiarum *lib. 1. à fol. 18.* tuncque in pristinum redeunt vigorem gratiæ suspensæ, quando accipitur Bulla, post revalidationem Comis. quia omnibus sumentibus revalidat suspensas gratias, ita ut summarii acceptio requisita sit conditio, ad fruendum tali revalidatione.

QUÆSTIO IV.

An facultas suspendendi, aliquid valeat super privilegiis Religionibus concessis, pro ipsis Regularibus..

SUMMARIUM.

16 *Non possunt suspendi privileg. & gratiæ concessæ Religionibus Mendicant. pro Fratribus earum.*
17 *Statuitur hæc conclusio.*
18 *Idem est dicendum de aliis Religionibus privilegium communicationis cum illis habentibus.*
19 *Per ly Fratres qui veniant intelligendi ?*
20 *Novitii gaudent privilegiis Religionum in quibus sunt.*
21 *Similiter Tertiarii, tria vota Religionis emittentes, non autem alii.*

16. Supra egimus de facultate suspendendi, & revalidandi indulg. & gratias Sæcularibus concessas, nunc autem, super Regularibus elargitis inquirimus : utque vero solidius investigetur, præmitti debet clausula illa posita in Bulla, & in decreto suspensionis Com. quæ seqq. est : *Exceptis tamen concessis Ordinum Mendicantium Superioribus quoad eorum Fratres tantum.* Nomine Mendicantium intelligas Relig. Dominicanam, Franciscanam, Augustinam, Carmelitanam, Minimam, Societatis Jesu, & Servorum Mariæ. Hac igitur exceptione præsupposita, sit

17. Concl. nedum facultates, verum etiam indulgentiæ, & alia privileg. Superioribus Mendicantibus concessa, illæsa manent, respectu Fratrum. Ita Villalob. Ludovic. à Cruc. Nuñus, Trull. Bardi. Ratio est : quia verba supra posita *exceptis* (nempe) *tamen concessis*, se extendunt ad omnia præcedentia, supra quæ cadit suspensio, & inter ea sunt indulgentiæ ; etiamque sub nomine facultatis, facultas ad indulgentias lucrandas venit : Nec est mirandum in Decretis, & Brevibus Apostolicis plura numerari quorum aliqua, vel unum ex illis, sit, quid universalius continens sub se aliud particulare, quia fit ad majorem explicationem, claritatis gratia ; adeoque nil refert adducere indulgentias contra distinctas à facultatibus Comis. nam sicut sub nomine gratiæ quæcumque veniunt privilegia ; ita sub nomine facultatis privilegia omnia cadunt. Facultates autem concessæ cuicumque Religioso independenter à suo superiori suspenduntur per Bullam. Ut ait Trull. *lib. 1. §. 9. cap. 3. dub. 1. pag. 432.*

18. Cum exceptione Mendicantium exceptæ veniunt aliæ Religiones, dum privilegium communicationis habeant. Ita Bardi, Mendo, Ramos, Palaus, Villalob. Acosta, & alii. Est ratio : quia si per privilegium communicationis in aliis cum ipsis communicant privilegiis ; cur non in hoc ? adeoque licet exclusa veniant per Cruc. tamen includuntur in tali privilegio vi alterius, ut communicantis in gratiis, indultis, & cum ipsis ; eo tamen non fruuntur, si dicto communicationis privilegio carerent.

19. Per ly *Fratres* veniunt omnes Religiosi professi Mendicantium, & Moniales, ut tenent Villalob. Rodrig. Acosta, Ludovic. à Cruc. Bardi, Trull. sed de primis nulla potest esse certe dubitatio : de secundis autem patet ex eo, quod privilegio Monachis concesso, etiam Moniales ejusdem Ordinis participes efficiuntur, ut tenent communiter AA. firmaturque ex illo, quod cum Testator præcipit, ut aliquid Fratribus suis hæres conferat, sorores etiam intelligantur. Sic in *cap. Raynutius verf. declaratio, de testam. & in l. Lucius §. quæsitum ff. de leg. &c.*

20. Similiter Novitii dictarum Religionum nomine *Fratres* veniunt, sicque suorum privilegiorum fiunt participes. Ita Rodrig. Acosta, Ludovic. à Cruc. Trull. adhucque licet posito legitimo ingressu, & Canonica admissione, cesset voluntas perseverandi in Religione : ut tenet cit. Trull. & Bardi, quamvis negent prædicti alii cum aliis.

21. Tertiarii autem, Donati, aut oblati privilegio exceptionis non fruuntur ; sicque ut privilegiis similibus, vel dissimilibus iis, quæ sunt in Bulla fruantur, necesse est ut eam accipiant. Gaudent tamen eo Tertiarii tria vota Religionis emittentes, juxta Rodrig. Ludovic. à Cruc. Villalob. Mendo, Bardi, Monreal, Mendez, Joan. à Cruc. & alios, sive vivant in Communitate, sive non. Est ratio : quia gaudent privilegiis Religionum per Bullas Pii V. & Greg. XIII. Etiamque dictis fruuntur privilegiis Tertiarii Ordin. Prædicatorum votis tantum simplicibus astricti, & Tertiariæ (vulgo *Beatas*) in propriis domibus habitantes, per declarationem Leonis X.

QUÆSTIO V.

De indultis Mendicantium in ordine ad Sæculares.

SUMMARIUM.

22 *Sæcularis sine Bulla de reservatis absolvi potest à Regularibus vi suorum privilegiorum :*
23 *Indulgentias vero eorum Ecclesiis, vel Altaribus concessas lucrifacere non potest.*
24 *Non possunt uti privileg. quod habent pulsandi Campanas, &c.*

22. Primo quæret quis ; an Sæcularis Bulla carens possit à Regularibus, virtute privilegiorum Religionis absolvi à reservatis, obtinere dispensationem, aut commutationem in votis. Ad quod respond. affirmative cum Rodrig. Henriq. Joan. de la Cruz, Ludovic. à Cruc. Villalob. Riccius, Sanchez, Leonardus, Lessius, & alii. Ratio est : praxis Regularium Pœnitentes absolventium, à reservatis, eorumque vota commutantium, quin curent, an Pœnitentes habeant necne Bullam Cruc. Insuper quia talis consuetudo jam videtur præscripsisse per tot annos ; sicque Cruc. suspensio non tollit à Regularibus dictam facultatem quoad Sæculares. Complures habens probationes in Ludovic. à Cruc. *disp. 1. cap. 9. dub. 2. n. 6. & seqq. p. 436.*

23. Indulgentiæ concessæ visitantibus Ecclesias, aut Altaria Regularium suspenduntur à Com. Gen. in ordine ad Sæculares ; adeoque hi Bulla egent, ut illas consequi valeant ; hocque tamen ubi ea viget. Ita Ludovic. à Cruc. Trull. Villalob. & alii. Similiter si ibi indulg. plenaria sit concessa pro liberanda Anima è Purgatorio, quoties ibi celebrans sit Religiosus ejusdem Monasterii, utiliter sacrum, & indul. applicabit ; si autem alterius, vel sæcularis, Bulla indigebit pro acquisitione dictæ indulg. juxta Rodrig. Ferdinandez, Diana, & alios. Ratio est, quæ supra : quia pro Sæcularibus suspensa etiam est indulg. ista, quidquid in contrarium dicat Trull.

Trull. cujus rationes, & argumenta soluta habes in P. Bardi *part.* 3. *Tract.* 1. *cap.* 4. *sect.* 2. *pag.* 527. ast sufficit Bullam haberi, vel à celebrante, aut mandante: quia uterque jus habet applicandi indulg. cum pro Defunctis sit concessa.

24 Suspenditur etiam per Bullam privileg. concessum quibusdam Ordinibus Regularium; quo possunt in aliqua solennitate, interdicto haud obstante, pulsare Campanas ad congregandum Populum in Ecclesia, administrandum Sacramenta, mortuosque sepelire. Ita Ludovic à Cruc. Joan. de la Cruz, Rodrig. Bardi. Est ratio: quia suspensio quoad Sæculares est universalis, sicque omnia indulta, etiam realia usum Bullæ impedientia, quoad illos suspendit, dum consuetudo in contrarium aliud non præscribat.

QUÆSTIO VI.

In qua potestas Comm. super irregularitatibus examinatur.

SUMMARIUM.

25 *Quid, & quotuplex sit irregularitas. Remissive.*
26 *Irregularitatem ex delicto, incursam exercitio Ordinis dispensare potest Commissarius Gen.*
27 *Et omnem ex delicto, etsi publicam, seclusis exceptis in Bulla.*
28 *Valet in utroque foro dispensatio ejus.*
29 *Ad ejus validitatem, quid opus sit, dicitur.*
30 *Extra Sacramentum, & cum Religioso carente licentia sui Superioris fieri potest. Et cum Persona ignota.*
31 *Objectio contra concl.*
32 *Solutio.*
33 *Potest Comm. revalidare titulum Beneficii.*
34 *Auferreque infamiam provenientem ex irregularitate, ab eo auferibili.*
35 *Recitantur irregularitates ex delicto exceptæ in Bulla. Cum Corollario.*
36 *Notabilia ad hanc concl.*
37 *Non incurritur irregularitas ex simonia occulta.*
38 *Solvitur objectio.*
39 *Titulum Beneficii simoniace accepti nequit revalidare Comm.*
40 *Nec irregularitatem provenientem ex Apostasia dispensare.*
41 *Neque irregularitatem contractam ex Dubio in fide, signo externo dubium manifestante.*
42 *Nec ex hæresi externa formali.*
43 *Credentes, Fautores &c. si irregularitatem incurrant, possunt dispensari ab ea per Comm.*
44 *Sentiens damnandum esse illum de quo sibi revelatum est fore salvandum, irregularis non est.*
45 *Irregularitatem contractam ex hæresis suspicione potest dispensare Comm.*
46 *Ob malam tamen Ordinum receptionem minime: quia exceptum est.*
47 *Dubius an propria, vel alterius injusta actione alium occiderit, ab irregularitate probabiliter incursa nequit à Comm. dispensari.*
48 *Quocumque adhuc stante impedimento ex parte affecti irregularitate.*

25 PRæmittendum est ex tom. præsenti *tract.* 13. *d.* 3. *q.* 1. quid sit irregularitas, & quotuplex; qua notitia supposita,

26 Dico: irretitum qualibet censura majori, dispensari posse à Comm. Gen. ab irregularitate ex delicto incursa per exercitium Ordinis Sac. ut si excomm. celebret, vel Evang. aut Epist. solemniter canat, seu interdictus in Choro assistat, ut Hebdomadarius, ibique cantet, &c, Ita habetur in Bulla, his verbis: *Item conceditur facultas dicto Comm. dispensandi, & componendi super irregularitate, cum his, qui quibusvis Ecclesiasticis Censuris ligati Missas, aliaque divina Officia celebraverint, seu alias se immiscuerint, &c.* quia tamen immediate ad hæc verba habentur seqq. *& super alia qualibet irregularitate,* investigabis, quis an potestas Comm. ad alias irregularitates se extendat; pro quo sit

27 CONCL. I. Comm. vi præsentis Bullæ potest dispensare in quacumque irregularitate orta ex delicto, quamvis publica, præter exceptas in ipsa Bulla; uti nec in illis, quæ proveniunt ex defectu. Ita Villalob. Ludovic. à Cruc. Henriq. Rodrig. Trull. Avila, cum Bardi eos pro hac concl. citante, cujus veritas patet ex illa trita sat juris Regula: *Exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis*, *arg. l. quæsitum,* §. *denique, ff. de fundo instructo.* Si ergo excipiuntur tantum irregularitates ex defectu; evidens signum est, posse super aliis dispensare: quoad publicitatem tenent communiter AA. contra Rodrig. nam magis concedit Bulla, quam Episcopis Trid. *sess.* 23. *cap.* 6. *de reform.* ibique traditur facultas eis dispensandi quando sunt occultæ. Secunda autem pars patet etiam ex praxi: nam nec in bigamia, nec cum membrorum defectuoso, nec illegitimo, & aliis videtur dispensare dictus Comm. igitur.

28 Dispensatio à Comm. facta prodest in utroque foro, quin tamen eximatur irregularis à pœna debita, quam Judex ob delictum infligere potest; utque tamen fidem queat facere dispensatus in foro externo de tali dispensatione, eam oportet habere scriptam.

29 Ut autem valida sit talis dispensatio à Comm. facta, necesse est ut intercedat aliqua compositio pecuniaria in subsidium Cruc. taxanda ab ipsomet Comm. aut ab ejus subdelegatis; talis enim compositionis necessitas patet ex verbis Bullæ, nempe: *Conceditur facultas dispensandi, & componendi.* Quibus utrumque copulative exigitur, ut notasse Trull. P. Bardi notavit. Quantitas autem in tali compositione eroganda, ex tali irregularitate, & pœnitentis possibilitate est pensanda.

30 Talis dispensatio extra Sacramentum fieri potest, consequenterque absenti cum Rodrig. Bardi, Trull. etiamque cum persona ignota dispensari valet: nam nil interest, an cognoscatur Pœnitens necne. Insuper cum quolibet Regulari non habente licentiam ad hoc sui superioris, ni in Religione sit contrarium specialiter dispositum uti in Societate Jesus per Greg. XIII. ut dictum est supra.

31 Objicies contra concl. sequi ex illa, posse Comm. dispensare in bigamia interpretativa, proveniente ex delicto, utpote, quam quis contraxit, & celebratione matrimonii cum duabus, valide cum una, invalideque cum altera, aut invalide cum utraque: vel in similitudinaria, ut si quis contrahat matrimonium post votum solemne castitatis, aut professionem religiosam, ut dicitur *loc. supra cit. q.* 3. *n.* 42. cujus praxin in contrarium experimur: videmus enim, quod tali impedimento detenti, antequam ad ordines promoveantur, ad Papam recurrunt, ut cum ipsis dispenset: igitur non in omni irregularitate ex delicto valet Comm. dispensare (adhuc demptis exceptis.)

32 Respond. cum Trull. Henriq. Bardi, dictam irregularitatem non esse per se ex delicto, sed per accidens, cum per se, & primario utraque procedat ex defectu Sacramenti, ut dicitur *loc. cit. in sum.* unde ad ipsam non extenditur potestas Comm. quia super omnibus per se ex delicto provenientibus tantum dispensare valet. Nec sicut hic ratio defectus obest: ut irregularitas possit dispensari à Comm. ita in homicidio casuali. Est ratio: quia Pontifex simul extrahit a potestate ejus homicidium qualificatum, seu voluntarium, ut ibi habetur, per quod, ut supra diximus, videtur concedere dispensationem super casuali, quod valde differt ab illo, & in exceptione illius concessa venit super hoc potestas.

33 CONCL. II. Comm. potest revalidare titulum Beneficii, & fructuum ex illo perceptorum iis, cum quibus dispensat. Sic expresse habetur in Bulla his verbis: *Cum retentione Beneficiorum, & fructuum ex iis perceptorum,*

torum, &c. Beneficium tamen cujus Titulus à Com. validatur, est superveniens irregularitati, non autem antecedens: quia irregularitas, ut ex communi sententia notat Bonac. *de censuris disp.* 7. *q.* 1. *p.* 2 *num.* 8. non privat Beneficiatum Beneficio, seu pensione, ante irregularitatem obtenta, ut ibidem probatur ab eodem A.; idem dices de jurisdictione: Irregularis enim exercere potest valide, & licite actus jurisdictionis non involventes actus ordinis, ut tenet idem Bonac. *n.* 5. ex multis.

24 Potest etiam Comm. auferre infamiam provenientem ex irregularitate, quæ ab ipso tolli potest, ut dicitur in eodemmet diplomate. Adverte, quod in nulla irregularitate ex dictis valet Comm. dispensare, quando delicta, ex quibus oriuntur patrata fuerunt in contemptum Clavium: ut ita notatur in Bulla, in qua licet restrictio hæc apponatur contra Eos, qui dum aliqua censura sunt innodati, celebrant Sacrum, vel alias in divinis se immiscent; tamen hoc ipsum est extendendum ad delicta illa, facta in contemptum Comm. Gen. Ratio est: quia motivum æque se habet ad omnia, punire nempe eos, qui ex Dei contemptu, aut Ecclesiæ operantur; itaque universaliter applicantur verba dicta. Ita Rodrig. Trull. Bardi, contemptus tamen debet esse formalis, quia virtualis, & interpretativus in omni noxa includitur; evenietque ille, cum quis parvi pendens Ecclesiasticas pœnas, censuras ejus violabit, vel directe nolet obedire Ecclesiæ, ipsius jurisdictioni se submittere, &c.

35 Num. 27. diximus aliquas esse exceptas irregularitates in quibus non potest Comm. dispensare, quæ quinque sunt. I. Quarum oritur ex homicidio voluntario. II. Ex simonia. III. Ex Apostasia à fide. IV. Ex hæresi. Et V. ex prava ordinum receptione; ad quarum plenam intelligentiam circa I. Dico per homicidium voluntarium intelligi illud, quod est formaliter, & directe voluntarium, aut directe intentum, & contradistinctum, ab eo, quod non est in se directum volitum, sed solum in causa, licet culpabile sit; hocque modo voluntarium homicidium sumitur in Concil. Trid. *Sess.* 24. *cap.* 9. *de reform.* dum facultas conceditur Episcopis dispensandi super irregularitate qualibet occulta, & non deducta ad forum contentiosum. Igitur Com. dispensare quit super irregularitate orta ex mutilatione, uti Episcopus, itaque tenent Navarr. Rodrig. Trull. Bardi; licet contrarium sentiat Ludovic. à Cruc. Ratio est: quia homicidium voluntarium unice excipitur, & in pœnalibus non est facienda extensio, imo verba presse interpretanda sunt.

36 Circa II occurrit dicendum: quod pœnæ ipso facto incurrendæ impositæ sunt triplici simoniæ; utpote ob ingressum Religionis, ob promotionem ordinum & Beneficiorum adeptionem. Contra enim simoniacos in Beneficiis, & ordinibus extat extravag. Paul II. quæ incipit: *Cum detestabile scelus.* Contra simoniacos pro Religionis ingressu, alia Urban. IV. Et simonia, quæ incipit: *Sane, ne in vinea Domini*; his præmissis, sit

37 CONCL. III. Non incurritur irregularitas ex simonia occulta. Ita colligitur ex dictis in hoc *tom. tract.* 13. *d.* 3. *q.* 2. *n.* 20. *& seqq.* ratioque est, quia in jure non est expressa. Ex quo in hac sententia, quia qui talia patrarint delicta dispensatione Comm. non egent, surgit dubitatio, an possit Comm. dispensare in irregularitate, quæ oritur ex infamia resultante ex delicto simoniæ, intellige infamiam juris, nimirum de illa irregularitate, quæ oritur post sententiam datam à Judice condemnatoriam delicti, ut dicitur *loc. citat. sum. n.* 19. probatque Suarez, & colligitur ex *cap. sane* 15. *q.* 3. & ex communi DD. consensu concludit pœnam hanc non ipso facto, sed post Judicis sententiam damnatoriam incurri; adeoque respond. negative. Ratio est: quia radicaliter, & mediate irregularitas ista proficiscitur ex simonia, quæ unum ex delictis exceptis est à Pontifice, in nulla enim irregularitate, quæ vel immediate, vel mediate a delictis exceptis procedit, cum quibus connexionem necessariam habeat, dispensare valet.

38 Non objicias: ex hoc sequeretur, quod excom. vel suspensus per delictum simoniæ, violans censuras & irregularitatem incurrens, non posset in tali irregularitate dispensari à Comm. quia radicaliter, & mediate à simonia originem ducit talis irregularitas; nam hæc per se, & adæquate pendet à violatione censuræ, valdeque per accidens à simonia, quæ censuræ violatio nullam cum simonia habet connexionem; irregularitas autem orta ex infamia, absque actione media, veluti quædam proprietas oritur ex ipsa, ut per se connexa cum simonia independenter ab actione delinquentis.

39 Ex hoc sequitur non posse Comm. revalidare titulum Beneficii simoniace accepti, ut tenent Bardi, & Rodrig. imo nec compositionem fructuum perceptorum simoniaco facere, ut sentiunt Rodrig. Trull. Bardi, quamvis Sum. Pontifex revalidationem tituli concedat. Et ratio: quia sicut non potest dispensare in irregularitate proveniente ex simonia; ita neque titulum Beneficii revalidare, consequenterque nec fructuum perceptorum compositionem: hæc enim omnia sunt per se connexa cum delicto simoniæ; adeoque non valens super uno, nec super alio potest. Similiter nec revalidare, nec componere valet super irregularitate, quocumque ex alio delicto ex exceptis procedente.

40 Circa III. dicam: Apostasiam pluries accipi posse, ut in *Tom.* 1. *Tract.* 4. *d.* 4. *q.* 4. *n.* 36. *& seqq.* hic tamen solum de irregularitate proveniente ex Apostasia à fide fit mentio, & in hoc sensu, in illa non potest Comm. dispensare.

41 IV. Iniquitas; cujus irregularitas à Comm. non potest dispensari, est hæresis non interna, sed formalis externa: quia illam non punit Ecclesia, ut videri potest in *sum. loc. immedia. citat. q.* 3. *n.* 26. *& seqq.* ubi habes conditiones requisitas ad incurrendam excomm. hæreticis impositam. Si tamen quis exterius tantum ostendat, se esse hæreticum, interius fidem retinendo, probabiliter incurret irregularitatem, & quoad hanc sententiam Comm. in illa dispensare non valebit. Est ratio: quia irregularitas in quo dispensare non potest Comm. est ex vera hæresi, & non ficta sicque debemus intelligere, cum versemur in pœnalibus, & odiosis. (idem sentiri debet de Apostasia à fide.) Tamen probabilissimum est non incurri irregularitatem, in quo casu nullus egebit dispensatione.

42 Qui dubitat de fide, si signo externo prodat dubitationem, probabiliter hæreticus est, ut dicitur in *sum. tom.* 1. *tract.* 4. *q.* 2. *num.* 23. irregularitate neque propter hanc hæresin incursam nequit Com. dispensare.

43 Credentes tamen, Fautores, Receptatores, & Defensores hæreticorum si irregularitatem incurrant, ut *tract.* 13. *d.* 3. *quæst.* 2. *n.* 18. habetur, in ea non potest dispensare Comm. Est ratio: quia non est irregularitas fundata in hæresi; cumque versemur, ut dictum est, in odiosis, non est extendenda ex una ad aliam irregularitatem exceptio.

44 De eo autem cui revelatum foret Petrum e. g. esse damnandum, sentiretque, esse salvandum, aut è contra, non esse irregularem sentio, quamvis coram Deo revera hæreticus sit: quia hæc uti aliæ Canonicæ pœnæ solum imponuntur contra eos, qui non credunt Ecclesiæ tamquam regulæ proponenti rem aliquam esse credendam, ut adeo ipsi Ecclesiæ revelatam.

45 Irregularitas contracta ex hæresis suspicione; sive suspicio sit ex dispositione juris, ut quando lex statuit ex tali, vel tali crimine posse præsumi hæresin, sive ex facto ipso, in quantum, seclusa juris dispositione ex se præbet fundamentum ad inducendam talem suspicionem; ut pactum explicitum cum Dæmone, eum invocare, colere, responsa ab eo petere, & exspectare &c. dispensari potest à Comm. quia non ab hæresi (delicto excepto,) nec ex infamia ut sic, sed est ex infamia in alio delicto ab hæresi formali diverso generante hæresis suspicionem.

46 Super ultima exceptione dicendum est: in mala ordinum Sac. receptione de quibus communiter est intelligen-

ligenda irregularitas incursa, si irregularitas incurritur, non posse dispensare Comm. certum est, ex exceptione Pontificis: Complures enim sunt casus circa indebitam ordinum susceptionem, in quibus irregularitas non incurritur, quorum aliqui referuntur in hoc *tom. tract.* 13. *d.* 2. *q.* 2. *n.* 17. *& seqq.* tamen in quibus expressus est irregularitatis incursus, sunt seqq. in furtiva ordinatione, quæ evenit, dum quis non ad ordines admissus se ingerit cum aliis ordinandis, sive id faciat alienum usurpando nomen, sive sub proprio suo nomine alium proponit examinandum, posteaque ipse vocatus proprio nomine accedat ad ordines sumendos; hunceque esse irregularem ex cap. veniens, & cap. innotuit, *de eo qui furtive* probatur, & ita Suarez, Trull. Bardi. Etiam irregularitatem incurrit, qui, administrat ordinem illum quem non habet, ut habetur in *cap.* 1. *&* 2. *de Cler. non ord. ministr.* Filliuc. Bauny, Bardi, ad hanc tamen irregularitatem incurrendam delinquens debet esse Clericus: ut habetur in *can. cit. cap.* 1. *&* 2. licet enim tale delictum commissum a Laicis, majus sit, quam a Clericis; tamen cum pro iis non sit irregularitas in jure posita, non illam incurrunt, quidquid dicant Sotus, Sylvester, Suarez, Valencia apud Bauny; & Bardi præter duos casus assignatos a Filliuc. apud ipsum non agnoscit irregularitatis incursum, sed suspensionis; probabile tamen docet incurri eam in iterata ordinis receptione; adeoque si sit proprie irregularitas, nequibit Comm. dispensare: quia tamen utraque sententia probabilis est, dispensare valebit, nedum; quia licet sequi opinionem practice probabilem; sed quia exceptio hæc, ut diximus, est odiosa, consequenterque nisi constet irregularitatis pœnam fundari in aliquo ex delictis exceptis, dispensare poterit Comm.

47 Ex dictis quæres: An dubius, num actione propria injusta, vel alterius mors alicujus secuta fuerit, dispensari possit, in irregularitate contracta, a Comm. respond. non posse Comm. dispensare in tali irregularitate, quæ juxta Comm & probabiliorem opinionem incurritur: quia est eadem, ac irregularitas propria homicidii voluntarii, quæ est una ex exceptis.

48 Quocumque impedimento stante, tali obstrictus irregularitate Pontifici reservata, nequit dispensari a Comm qualiter Episcopus potest in quampluribus casibus reservatis Summ. Pontifici, ad quem ob urgentiam eorum multoties non patet recursus: quia Comm. est purus delegatus Sum. Pontificis, a quo aliam formalem, vel radicalem potestatem nullam habet, præter concessam, uti Episcopi potestatem nullam habent in iis, quæ a Pontifice sunt reservata; sicque dum ad S. Sedem non patet aditus, valet Episcopus super iis cognoscere, qualiter expostulat rectum ovium regimen.

QUÆSTIO VII.

De facultate Comm. ad validandum matrimonium irritum, prolemque legitimandam.

Tria concedit Sum. Pontifex Comm. in præsenti. I. Ut dispensare valeat in impedimento, proveniente ex primo, & secundo gradu affinitatis incestuosæ post matrimonium cum tali impedimento contractum, quibusdam positis conditionibus. II. Prolem legitimare ante dispensationem. III. Si matrimonium fuerit valide initum, eique supervenerit idem impedimentum, cum ipsis conjugibus dispensare ad debitum petendum. Circa hæc tria aliquæ trutinabuntur difficultates; sed de potestate dispensandi in impedimento proveniente ex primo, & secundo affinitatis incestuosæ gradu post matrimonium cum tali impedimento contractum prius, & aliis per ordinem.

SUMMARIUM.

49 *Quid sit affinitas. Remissive.*
50 *Facultas Comm. ad rectam etiam extenditur.*
51 *Non vero ad aliud impedimentum matrimonii.*
52 *Conditiones requisitæ ad validam dispensationem adducuntur.*
53 *Et ita necessariæ sunt, ut sine iis dispensatio sit nulla.*
54 *Non tamen obstat denuntiationum omissio in matrim.*
55 *Itaque ita potest Comm. dispensare, iis non præmissis, licentia ab Episcopo præstita.*
56 *Secunda conditio exigita exponitur.*
57 *Talis dispensatio unice prodest in foro conscientiæ.*
58 *Tertia explicatur conditio.*
59 *Corollarium.*
60 *Quarta, & quinta conditio aliqualiter enodantur.*
61 *Legitimatio prolis tantum valet in foro conscientiæ.*
62 *Legitimationis effectus recitantur.*
63 *Potestas dispensandi ad petendum debitum traditur.*
64 *Refutatur illatio.*
65 *Incestuosus inscius pœnæ Ecclesiasticæ non privatur jure petendi debitum.*

49 Ante omnia præmittere oportet, quid sit affinitas, cujus notitiam, ne bis repetatur idem, ex sum. consequeris in hoc *tom. tract.* 14. *d.* 14. *q.* 4. §. 11. ubi, & quomodo dirimat matrimonium videbis, ad quotque gradus se extendat, quibus ibi dictis suppositis, sit

50 CONCL. I. Facultas Comm. nedum est ad affinitatem collateralem præcise, sed & ad rectam probabiliter extenditur, de quibus *loc. cit. n.* 124. *&* 125. ut si quis post copulam cum Bertha e. g. ducat ejus sororem, vel filiam, aut matrem. Ita Rodrig. Sanchez, Trull. Ludovic. a Cruc. citat. a P. Bardi. Est ratio: quia uterque affinitatis gradus est a Jure Canonico introductus. Probabiliter dixi; quia in *loc. citat. sum. n.* 125. dicitur jure naturæ dirimere matrimonium affinitatem in linea recta, consequenterque in hac opinione, minime potest Comm. cum nec committens possit; solumque ipsi sit potestas tradita quoad collateralem.

51 Ad nullum aliud impedimentum dirimens sive impediens extendi potestatem Comm. concessam, censeo cum Trull. & Bardi. Est ratio: quia facultas Bulla restringitur ad affinitatem ex copula fornicaria in primo, & secundo gradu; adeoque cum aliunde ipsi non concedatur, non est ei talis potestas tribuenda.

52 Ut autem valide dispenset Commiss. in prædicto impedimento, seqq. exiguntur conditiones. I. Ut matrimonium jam sit celebratum in facie Ecclesiæ juxta formam Concil. Trid. II. ut illud impedimentum sit occultum. III. Ut tempore contracti matrimonii saltem alter bona fide contraxerit. IV. Ut conjux innocens certior fiat de nullitate consensus, & matrimonii contracti. V. Ut magna sint eventura scandala, negata dispensatione.

53 Hæ igitur conditiones adeo sunt necessariæ, ut una ex eis deficiente, nequeat Comm. dispensationem impendere; alias irrita foret: quia se habent ut forma, ut tenent communiter AA. quæ cum det esse rei, quamvis in minima deficiat parte, corruit totum, seu actus: cum ergo a Summo Pontifice Comm. tradatur dicta potestas sub dicta forma, hoc est prædictis conditionibus, quæ a jure communi non procedunt, sed ex speciali Pontificis dispensatione; ideo ita servandæ, ut aliter dispensans, excedere videatur potestatem sibi datam, & consequenter dispensationem invalide exercere.

55 Non oberit tamen alicujus, aut omnium denuntiationum omissio, cum licentia Episcopi, quia legitime servata Trid. forma censebitur adhuc celebratum matrimonium. Similiter si absque causa aliqua, omitterentur dictæ denuntiationes; quia levis est omissio, ut

ut tenet Sanchez ex pluribus; non obſtans, ut non dicatur, ſervatam non fuiſſe Trid. formam; cum aliunde certus ſit Parochus nullum adeſſe impedimentum; de quo ſi moraliter non foret certus, lethali noxa macularentur omittentes, conſequenterque non poſſet dici ſervatam fuiſſe Trid. formam; quamviſque ad unguem ſervanda ſit cujuſcumque actus, ne vitietur, ut diximus ſup. tamen ſtante certitudine morali de negatione alicujus impedimenti, ſalvatur forma ſolemnitatis matrimonii, eſſentialiſque ratio impletionis ritus ſervatur, una, vel omnibus deficientibus denunciationibus.

55 Unde adhuc diſpenſare poterit Comm. in matrimonio celebrato, denuntiationibus omiſſis, licentia præſtita ab Epiſcopo; abſque cauſa. Ratio eſt: quia in eo tunc adhuc ſervata diceretur Trid. forma: Eccleſiæ enim ritus ad contrahendum licite matrimonium non exigunt eſſentialiter denuntiationes; ſed has, vel Epiſcopi licentiam ad eas omittendas; ſive licentia fundetur in legitima cauſa, ſive non. Concil. enim dum ſe remittit ad Epiſcopi judicium, non irritat factum ſuper quo imprudenter ſe gerat: gravi tamen culpa inquinaretur Epiſcopus in hoc caſu; quia non habet facultatem licite diſpenſandi in denuntiationibus utcumque. Et hæc de prima conditione.

56 Circa ſecundam autem, nempe, quod impedimentum ſit occultum, hoc eſt non publicum, ſeu ignotum a majori parte Civitatis, Loci, &c. quomodo intelligunt Rodrig. Villalob. Sanchez, Diana, Trull. Bardi, & non prout contra diſtinguitur a probabili, ſeu noto duobus, vel tribus, &c. qui in judicio probare poſſunt: Quo modo dicto ſumi debere, patet: quia Pontifex ſcandala, & infamiam vult vitare. Occultum etiam dicitur, cum ignoratur, in facto adeſſe tale impedimentum, ut ſi publicum ſit Petrum copulam habuiſſe cum Bertha e. g. poſteaque contrahat cum ejus ſorore, vel filia, & publice ignoretur tale impedimentum; quia licet publicum ſit factum, non tamen impedimentum, ſed formaliter occultum, ut ſentiunt complures AA. citati a P. Bardi, qui cum aliis ibi citatis tenet publicum eſſe impedimentum, quando ad forum contentioſum eſt ductum, citatuſque eſt jam Reus, accuſatione præcedente; ſicque Com. nequit diſpenſare revalidando matrimonium, & hoc, ſive declaratio cauſæ fuerit juſta, ſive injuſta; e contra autem, ſi Reus fuerit abſolutus; etiamſi falſis teſtibus ſententiam liberatoriam obtinuerit, ut ibi alii citati AA. ratio eſt: quia redditur occultum per recuperationem famæ.

57 Hæc autem diſpenſatio ſolum prodeſt pro foro conſcientiæ, ut dicitur in textu, & communiter DD. unde non debet fieri coram Notario, & teſtibus, nec in ſupplicatione debent exprimi nomina eorum, cum quibus eſt Com. diſpenſaturus, alias publicum fieret; ſed tacitis nominibus litteræ debent expediri, & peti: ſi autem poſt diſpenſationem, publicum fieret impedimentum, ad Pontificem foret recurrendum, ut diſpenſatio confirmaretur. Ita Rodrig. Trull. Villalob. Bardi.

58 Tertia conditio requiſita ad hujus diſpenſationis validitatem eſt, ut tempore contracti matrimonii alter ſaltem contrahentium impedimentum ignorarit, hoc eſt bona fide contraxerit, ex quo patet, non poſſe diſpenſare Comm. quando ex utraque parte mala fide contractum eſt, hæc tamen bona fides ſalvabitur in eo, qui conſcius copulæ habitæ cum conſanguinea, in primo, vel ſecundo gradu, uxoris, cum qua contraxit, inſcius tamen impedimenti reſultati, ut patet ex dictis ſupra. Si tamen ignorantia vincibilis foret impedimenti, non foret in bona fide, conſequenterque nec poſſet diſpenſare Comm. (quamvis bene Epiſcopus in matrimonio jam contracto cum impedimento dirimente occulto) cum tali ignorantia laborantibus, licet contrarium teneat Thomas Sanchez, & Bart. aliis illud probans, confirmatque ex Trid. *Seſſ. 24. de matrim. cap. 25.* quia ibi Concil. ſcientiam, & præſumptionem in contrahentibus exigit, ad hoc, ut ſeparentur; conſequenterque ignorantia vincibilis, craſſa vel culpabilis, cum bona fide illic non pugnabit; bene tamen hic oberit certe bonæ fidei requiſitæ, ut Com. valeat diſpenſare, quia exigitur, quod impedimenti ſit ignarus ſaltem unus contrahens, quod nequit dici de eo qui craſſam habet, & vincibilem ignorantiam.

59 Ex hoc deduces, quod cum ignorantia eſt culpabilis venialiter e. g. dum quis inadvertenter, ſeu non plene conſideratur obligatio inquirendi, ut dum quis non conſiderat an actus fornicarius cum conſanguinea uxoris ſit impedimentum nec ne, poterit diſpenſari ab impedimento a Comm. quia ille talis dici poteſt ignarus impedimenti, & bona fide contrahens; ſimiliter ſi proveniat culpa levis ex eo, quod delinquens ſolum apponat diligentiam neceſſariam ſolum ad vitandam culpam. Eſt ratio: quia noxa levis utcumque non deſtruit bonam fidem; & ſicut juxta probabilem opinionem ex levi culpa non oritur obligatio reſtituendi damni illationem, cui adhæret A. in *ſum. tom* 1. *tract. 9. d. 5. n.* 87. ita culpa levis in inquirenda veritate non eſt ſat, ut qui ita contrahit, non poſſit a Com. diſpenſari vi Cruc. aliis poſitis requiſitis: quia ſicut culpa venialis etiam ex omiſſione debitæ diligentiæ non ſufficit ad tollendam denominationem bonæ fidei ab ejus Poſſeſſore; & in damnificante non ſufficit ad deſtruendam denominationem exemptionis a reſtitutione; ita neque in ſubjecta materia erit potens auferre denominationem ignorantiæ, ita ut illam majorem diligentiam debitam omittens ſub veniali, non dicatur adhuc ignorans impedimentum, conſequenter diſpenſabilis a Com.

60 Aliæ conditiones, quarta nempe, & quinta ſunt, ut conjux innocens, antequam matrimonium de novo celebretur, fiat certior de nullitate prioris conſenſus, cujus celebrationis cauſa taceri poteſt (ait Sum. Pontifex) ſi timentur ſcandala. Diciturque in ſum. de hac clauſula, hoc *tom. tract.* 14. *d.* 14. *q.* 1. in fine additionum poſt n. 174. ad meliorem inſtructionem Confeſſarii in litteris expeditis Sac. Pœnitent. poni; non vero ut conditionem ſine qua non; tamen in Cruc. accipitur, ut conditio; ut pro certo communiter habetur: quia ſtrictioribus verbis commendatur, denotantibus ut conditionem exigi.

61 Facultatem inſuper legitimandi prolem ex fornicaria copula habitam, vel habendam concedit Sum. Pontifex Comm. ut patet ex verbis in Bulla poſitis, ſcilicet: *Prolemque ſuſceptam, & ſuſcipiendam exinde legitimam decernere*, ubi per ly *exinde* refertur legitimationi prolis matrimonii illius, in quo diſpenſare valet Comm; hæc tamen legitimatio pro foro tantum conſcientiæ prodeſt juxta Trull. Bardi, Sanchez, & alios. Ratio eſt: quia ibi exprimitur per limitationem, quæ procul dubio ad matrimonii diſpenſationem, & prolis legitimationem extenditur.

62 Effectus legitimationis eſt inter alios: ut legitimatus ad omnes Ordines Sacros promoveri poſſit; & ad quævis Beneficia acquirenda, ut notant Sanchez, & Trull. in bonis autem temporalibus ſuccedere negat Sanchez, conceditque Trull. aſt licet hoc efficere non valeat Comm. tamen ex Canonic. jure legitimatus, jus habet in temporalia bona: eo quod legitima ſit proles habita ex matrimonio, quod ſaltem una pars bona fide contraxit; adeoque ſi ex vi legitimationis, Comm. non habet jus legitimatus, quod conſequutur in ſententia Henriquez etiam, habet illud ex Jure Canonic. Proles tamen habita ex matrimonio utrinque mala fide contracto legitimari non poteſt: quia hæc facultas conceſſa eſt Comm. tamquam acceſſorium ad principale, utpote poteſtatem diſpenſandi in impedimento dirimente; cum ergo in tali nequeat diſpenſare matrimonio, nec ab eo prolem habitam legitimare. Si tamen Epiſcopus diſpenſarit in matrimonio, caſu quo poterat, Comm. nec legitimarit prolem, valebit eam legitimare Comm.; hæ enim facultates ſeparabiles ſunt, poteſtque Comm. ad ſecundam, quando ad primam, licet a caſu non exercuerit circa hanc poteſtatem. Ita tenent Trull. Sanchez, Bardi.

63 Dein conceditur Comm. facultas diſpenſandi in impedimento petendi debitum, eveniente poſt matrimonium contractum, ortoque ex copula fornicaria cum conſan-

sanguinea consortis in primo, vel secundo gradu, de quo in jure Canonico *cap. 1. de eo qui cognovit consang. vers. si quis cum filiastra, & aliis cap.* patet ex verbis concessionis: *Nec non in supervenienti simili affinitatis impedimento simpliciter dispensare, ut debitum petere possint.*

64 Inferes ex hac facultate, posse etiam dispensare in tali impedimento, orto ex copula cum consanguinea spirituali; sed male: quia quamvis ample videatur interpretanda hæc facultas, hoc tamen valet quando casus de quo est dubitatio, comprehenditur sub concessis verbis, ut probat Sanchez, Merolla, & alii ab ipsis citati in ore P. Bardi. Deinde cum sint diversi casus, ita ut unus in alio non contineatur, ex concessione super uno, non est supra alium inferenda.

65 Adverte demum, quod incestuosus licet conscius sit prohibitionis juris naturæ, & divini, si tamen Legis Ecclesiasticæ inscius sit, petere potest debitum a propria uxore; quia non incurrit pœnam dictam, ut dictum est. Ita Sanchez, Henriq. Basilius de Leandro, Merolla, 16. citans AA. aliique nominatim citati a P. Bardi, & innominati id colligentes ex cap. ut animarum periculis de constitut. in 6. ratio est: quia inscius legis, contra eam faciens, non delinquit, consequenterque ab ipsius pœna est immunis; adhucque si conscius quis foret Ecclesiasticæ legis prohibentis, ignarus tamen pœnæ juxta Merollam, Castropalaum, Bardi, & alios a P.Sanchez citatos *lib. 9. de Matrim. disp. 32.* in fine: pœnæ enim incursus scientiam facti, & pœnæ exigit, præcipue cum est extraordinaria, qualis est præsens, ut tenet citat. Sanchez cum aliis citatis a citat. P. Bardi, dicente pœnam illam esse extraordinariam in præsenti, quæ excedit condignitatem delicti solitarie spectati, non autem considerati, ut vestiti omnibus circumstantiis; cum ergo copula fornicaria, non sit condigna privationis, debiti conjugalis postulandi, quæ est gravissima pœna, imposita tamen ad terrendum, tamque depravatam frequentiam exiliendam, & periculum vitandum, quibus ablatis non fuisset imponenda; ideo extraordinaria, & exorbitans dicitur, consequenterque ut incurratur, opus est cognosci. Demum in his dispensationibus nulli debet dare litteras Comm. hocque vult Pontifex, ne impedimentum illud detegatur; unde si causæ similis cognitio a Comm. ad confessarium mittatur, litteras lacerare iste tenetur, facta dispensatione.

QUÆSTIO ULTIMA.

De facultate dispensandi in hora celebrandi, sacrumque audiendi.

SUMMARIUM.

66 *Comm. habet facultatem dispensandi in hora celebrandi.*

67 *Una hora ante lucem, postque meridiem, cum Nobilitate, ut audire queat Sacrum.*

68 *Per Nobiles Personas qui intelligantur.*

69 *Doctoratus gradu in quolibet jure; & theologia insigniti, nobiles vocantur; etiamque divites, viles artes non exercentes.*

66 SUmmus Pontifex post gratias supradictas concessas Comm. tribuit potestatem dispensandi super horis præfixis celebrandi, quæ ad libitum sacerdotis pro celebratione assumi nequeunt; verb. seqq. *Item etiam conceditur facultas dicto Comm. quod Personis Nobilibus, & quæ juxta potius Comm. arbitrium qualificatæ fuerint, ut missas per horam ante lucem, & post meridiem audire, & celebrare facere valeant, indulgere possit.* Hac facultate etiam supponitur certis horis tantum celebrari posse, consequenterque missas audiri, quæ horæ, quales sint, habes in hoc *tom. tract.* 14. *d.* 5. *q.* 9. quibus ibi dictis præmissis, sit

67 CONCL. I, Comm. vi Cruc. Personis Nobilibus licentiam dare potest celebrandi, vel celebrare faciendi, missamque audiendi per horam ante lucem; vel missam inchoare per horam completam post meridiem. Hæc concl. est intelligenda, quod per horam ante lucem; aut post meridiem queant dictæ Personæ celebrare, facereve, hæc enim duo coincidunt in unum, ideoque de uno dispositum, & in alio venit, patetque in habente privileg. celebrare faciendi tempore interdicti, cui si Sacerdos sit, & licet ei celebrare) Sacraque audire ultra totum tempus a jure Communi concessum, ut tenent quamplures AA. theologi, & canonistæ; quamvis contraria Sententia, nempe, quod non ultra totum tempus a jure Communi concessum, intelligenda sit hora ante, vel post, probabilis sit. Claritatis gratia nota, quod celebrare per horam ante lucem, ultra totum tempus de jure Communi concessum, est posse celebrare per mediam supra integram horam, & amplius, ante lucem: qui ex solo jure communi secluso quocumque privilegio, ut ait Victoria, & in *loc. cit. sum. num.* 106. dicitur media hora ante primam lucis irradiationem, aut crepusculum diei, posse missam inchoari, dum in initio ejus finiatur; & in hoc sensu, media Comm. dispensatione per mediam horam, & integram ante lucem poterit quis missam celebrare, aut facere. Celebrare autem per horam ante lucem, non tamen ultra totum tempus a jure Communi concessum, est celebrare per unam horam tantum ante primam lucis irradiationem. Idem dicas de hora post meridiem. His datis, non tibi inutile videatur privilegium hoc, in sententia negante, præcipue respectu consumentis horam prope integram in celebratione; nam saltem in ea operatur hoc, quod est tollere dubitationem, quæ est inter AA. nempe quanto tempore anticipari possit missa Auroræ ortui. Dein ob alias rationes supra traditas de aliis privilegiis in Bulla concessis, quæ licet nil de novo concedant, tamen, ut inutilia, rejecimus, debere relegari, licetque hæc ratio inutilitati privilegii assignetur communiter ab AA. tamquam unica, & fundamentalis, ad stabiliendam intelligentiam a Nobis datam conclusionis traditæ; ea tamen ut inutilis rejicitur, sequensque assignatur: quia crepusculus diei, aut prima lucis irradiatio, vel tempus Auroræ, non mathematice, seu physice est explicandum, sed moraliter, quo modo latitudinem habet, adeoque hora ex privilegio accipienda est, pro toto illo tempore quod est ante illum unum, aut alterum quadrantem, Auroram præcedentem, idcircoque, &c.

68 Per Nobiles Personas non veniunt præcise hæ, quæ ab Antecessoribus nobilem duxerunt originem, sed etiam, quæ ratione officii, vel dignitatis tales a lege effecti sunt, uti Præsides, capita diversorum Tribunalium, Judices magnæ Curiæ, Consistorii, Regii patrimonii: quia hæ Beneficio Regis, Regio servitio adscripti sunt, pariterque Nobiles omnes habentur, ut docet Bartol. & notat Barbosa, Merolla, Castro.

69 Similiter Doctores, sive in jure Canonico sive Civili: aut in Theologia, Nobiles vocantur. Ut tenent quamplures AA. citati a Patre Bardi. Est ratio: quia hi tales ita existimantur; scientia enim in utroque jure magnum affert decorem Personæ scienti. Et adhuc Tiraquell. vult divites, nobiles esse, quia quemdam (ait dictus A.) splendorem gignunt, & sine eis Nobilitas surdescit; excipit tamen maculatos exercitio vilium artium, quia per tale exercitium nobilitas amittitur, obumbratur, aut suspenditur; quia tamen Pontifex dicit, quod juxta Comm. arbitrium Personæ qualificatæ sint, per hæcque verba non exposcatur distincta conditio a præcedenti, nempe, quod Personæ sint Nobiles modo dicto, cum his tantum, & non aliis erit integrum Comm Gen. dispensare, vel non.

Omnia, Humillimo Animo, subjiciuntur correctioni Sanctæ Romanæ Ecclesiæ; sintque in laudem primæ super-Cœlestis Hierarchiæ, Omnipotentis Dei; secundæque decus, & gloriam, Intemeratæ Matris.

APPENDIX,

Continens modum legendi, & scribendi Citationes utriusque Juris.

§. I.

DE JURE CANONICO.

SUMMARIUM.

Partes Juris Canonici sunt, Decretum Gratiani, & unde sic dictum?
Decretales Gregorii IX.
Liber Sextus Decretalium.
Clementinæ. Extravagantes Joannis XXII. & Extravagantes Communes.
Decretum Gratiani habet tres partes.
Prima pars, quæ, & quomodo citetur?
Secunda pars, ejusque citatio.
Tractatus de Pœnitentia, & quomodo citetur?
Tertia Decreti pars, & quomodo citetur?
Quinque Libri Decretalium, & quomodo citentur?
Sextus Decretalium, & Clementinæ, ac quomodo dividantur, & citentur?
Extravagantes Joannis XXII. quæ, & quomodo citentur?
Extravagantes Communes, earumque citatio.
Dicti modi citandi quandoque variantur.

CORpus totius Juris Canonici plures, ac universim sex continet partes. I. *Decretum Gratiani*, sic dictum, quod a Gratiano Monacho S. Felicis, Ordinis S. Benedicti (ut notatur in Monitione ad Lectorem Decreto præfixa) ut diversis tum Summorum Pontificum, tum Sanctorum Patrum, atque Conciliorum dictis, decenti ordine in unum volumen, circa annum Domini 1151. sit compilatum.

II. *Decretales Gregorii PP. IX.* sic dictas, quia Gregorius Papa Nonus varias Constitutiones, seu Decretales Epistolas suorum Prædecessorum, per S. Raymundum de Penyafort, Ord. FF. Prædicatorum (cujus Festum nunc celebratur die 23. Januarii) in unum volumen colligendas curavit, quibus idem Pontifex multas Constitutiones suas, ac Decretales Epistolas adjecit. III. In Corpore Juris Canonici continetur *Liber Sextus Decretalium*, sic dictus, quod ipse authoritate Bonifacii Papæ VIII. compilatus, aliis quinque Decretalium Gregorii Noni Libris sit annexus, ac respectu eorum Sexti Decretalium Libri locum occupet, quamvis, & ipse in quinque libros sit divisus. IV. *Clementinæ* (intellige, *Constitutiones*) sic dictæ, quod a Clemente V. sint editæ. V. *Extravagantes* (intellige, *Constitutiones*) *Joannis XXII.* sic dictæ, quia *extravagantur*, seu vagantur extra sex Libros Decretalium; ob quam rationem etiam *Clementinæ* quandoque dicuntur *Extravagantes*. Additur autem, *Joannis XXII.* eo quod sint editæ a Joanne Papa XXII. simulque ad differentiam aliarum Extravagantium. Sextum, ac ultimum locum in Jure Canonico, obtinent *Extravagantes communes*: sic dictæ, quod a diversis Romanis Pontificibus post *Sextum* emanaverint. Ex his

Decretum Gratiani (quod in plerisque vetustis exemplaribus *Concordia Discordantium Canonum* inscribitur) in tres dividitur partes, quarum quælibet habet diversam rationem citandi suos textus. Prima pars continet centum, & unam *Distinctiones*; & textus in hac prima Decreti parte contenti, citantur ponendo numerum Distinctionis, & initium Canonis, sive (ut alii loquuntur) Capituli, v. g. taliter: *dist. 16. Placuit.* Lege: *Ut habetur Distinctione decima sexta. Canone, qui incipit, Placuit.* Vel brevius, cæteris subintellectis: *Distinctione decima sexta, Canone, Placuit.* Aut sic: *c. Indicatum, dist.* 89. Lege: *canone, Indicatum. distinctione* 89.

Altera pars *Decreti* continet triginta sex *Causas*, quarum ferme quælibet plures continet Quæstiones, & quælibet Quæstio plures Canones. Modus citandi textus in hac secunda Decreti parte contentos, talis est, ut exprimatur numerus Causæ sine ullo addito (nonnulli Recentiores addunt ly *caus*. majoris claritatis gratia) deinde numerus Quæstionis, & tandem initium Canonis (nisi talis textus habeatur in Tractatu de Pœnitentia) taliter: *9. q. 3. Conquestus est.* Lege: *Ut habetur causa nona, quæstione Tertia. Canone, qui incipit; Conquestus est.* Aut sic, & quidem melius, ac magis usitate; *c. Si homicidium*, 23. *qu.* 5. Lege: *Canone, Si homicidium. Causa vigesima tertia. Quæstione quinta.*

Additur notanter, *nisi talis textus habeatur in Tractatu de Pœnitentia.* Siquidem causa trigesima tertia, Quæstione tertia inseritur *Tractatus de Pœnitentia*, qui continet in se septem Distinctiones, quæ postmodum dividuntur per Canones. Porro textus in hoc Tractatu de Pœnitentia contenti solent sic citari, ut omisso numero Causæ trigesimæ tertiæ, ponatur numerus Distinctionis de Pœnitentia (& nota, semper addi ly *De Pœnit.* ad differentiam primæ, & tertiæ partis Decreti, quarum quælibet etiam constat Distinctionibus). Deinde addatur initium Canonis, vel saltem numerus ipsius, taliter: *de Pœnit. dist.* 3. *In tantum.* Lege, *ut habetur de Pœnitentia. Distinctione tertia. Canone, qui incipit, in tantum.* Vel sic; *de pœn. dist.* 3. *can.* 33. Lege: *de pœnitentia, Distinctione tertia. Canone trigesimo tertio.*

Tertia pars *Decreti* intitulatur *De Consecratione*: & dividitur in quinque *Distinctiones*, & hæ rursum in Canones. Modus citandi textus in ipsa contentos talis est, ut primo ponatur ly de *consec.* ad differentiam primæ, & secundæ partis Decreti: deinde ponatur numerus Distinctionis, & tandem initium Canonis. Exemplum sit: *de cons. dist.* 1. *Nocte sancta.* Lege: *De consecratione. Distinctione prima, Canone, cujus initium est. Nocte sancta.* Vel sic: *c. Solet etiam, de consecratione Distinctione quarta.* Sive enim prius ponatur initium Canonis, & postea primum numerus Distinctionis, sive contra, nihil refert.

Decretales Gregorii Papæ Noni continent quinque Libros, qui dividuntur ulterius in Titulos, Tituli vero in Capitula. Modus citandi textus in iis repertos talis est, ut primo ponatur initium Capituli, deinde Titulus hoc modo: *c. Damnamus. De Summa Trinit.* Lege: *cap. quod incipit: Damnamus, titulo: De Summa Trinitate.* Quandoque primo loco ponitur Titulus, & postea initium Capituli, sed est idem, v. g. *de sent. excomm. Nuper.* Lege: *Titulo de Sententia excommunicationis, capitulo. Nuper.* Sed prior citandi modus de facto magis est usitatus. Quandoque etiam præter inscriptionem Tituli, ac initium Capituli solet apponi ly *extra*, aut ly X. v. g. taliter: *prout habetur extra, de restitut. spoliat. Cum venissent.* Vel sic: *c. Publicato X. de election.* Sed idem est, ac prius: nam sive apponatur ly *extra*, aut signum X. (quod interdum apponitur ad significandum, hujusmodi textus haberi *Extra*, id est, *Extra decretum Gratiani*) sive non apponatur, ac fiat citatio solius Tituli, atque initii Capituli, & nul-

& nulla alia particula addatur, signum erit, textum illum haberi in quinque Libris Decretalium. Unde ex citationibus supra allegatis, prior sic erit legenda *prout habetur extra* (subintellige, *extra Decretum Gratiani*) *Tit. De restitutione spoliatorum, capitulo. Cum venissent.* Altera vero sic legitur; *capit. Publicato. extra. Titulo. De electione.*

Sextus Liber Decretalium dividitur in quinque Libros partiales (ac idem dic *De Clementinis*, quæ itidem in quinque Libros dividuntur) Libri vero subdividuntur in Titulos, & Tituli in Capitula. Citantur autem tum *Textus Decretalium*, tum *Clementinæ* Constitutiones, nulla facta mentione Libri, per Titulos, ac initia Capitulorum, eo modo quo quinque Libri Decretalium: hoc solum cum discrimine, quod in citatione Sexti Decretalium addatur ly *in 6.* taliter v. g. *Cum quis de sepult. in 6.* Vel sic: *c. Cum quidam, de excep. lib. 6.* Lege sic: *cap. Cum quis, Titulo de Sepulturis, in 6.* Item: *capit. Cum quidam. Tit. De Exceptionibus, libro sexto Decretalium.* In citatione vero *Clementinarum* apponitur ly *in Clem.* vel absolute ly *Clem.* v. g hoc modo: *c. Sicut, de Apellat. in Clem.* Lege: *cap. quod incipit; Sicut, Titulo de Apellationibus, in Clementinis.* Vel sic: *c. Plures. Clem. de jure patr.* Lege: *cap. Plures, in Clement. de Jure patronatus.* Communis vero, simulque brevius, absolute ponitur ly *Clem.* una cum initio, vel numero Capituli, & citatione Tituli: v. g. taliter: *Clem. un. de Rerum permutat.* vel *Clem. Quamvis rigor, de appellat.* Lege: *ut habetur in Clementina unica* (sic dicitur, quia Titulus, ille habet unicum Capitulum) *Titulo de Rerum permutatione.* Vel: *in Clementina quæ incipit: Quamvis rigor. Titulo, de Appellationibus.* Interdum etiam simpliciter ponitur ly *Clem.* una cum initio Capituli, sine mentione Tituli, quod præcipue fit, quando illud Capitulum est notius, v. g. taliter: *Clem. Exivi.* Lege: *ut habetur in Clementina, quæ incipit: Exivi.* Imo cum Constitutiones Clementis V. quandoque appellentur *Extravagantes*, eo quod existant, & quasi *vagentur extra* sex Libros Decretalium, solent ipsæ nonnunquam citari ad modum aliarum Extravagantium, taliter: *ita Clemens V. in Extravag. Exivi.* Lege; *Ita Clemens V. in Extravaganti, quæ incipit: Exivi.*

Extravagantes Joannis XXII. continent viginti Constitutiones, seu Epistolas Decretales, in quatuordecim Titulos distributas: & solent citari, ponendo nomen Papæ, nempe *Joannis XXII.* ad differentiam Extravagantium Communium, & citando initium Constitutionis, una cum addito ly *Extravag.* vel, *Extravag.* Taliter v. g. *Ut inquit Joan. 22. Extrav. Quia quorumdam.* Lege: *Ut inquit. Joannes XXII. in Extravaganti, quæ incipit: Quia quorumdam.* Vel sic: *Extravag. Execrabilis. Joan. 22.* Lege: *in Extravaganti Joannis XXII. quæ incipit: Execrabilis.*

Extravagantes Communes dividuntur in quinque Libros, Libri in Titulos, Tituli in Capitula, quorum singula novam, & distinctam continent Constitutionem, vel Constitutiones, seu Extravagantes. Textus ex hisce Extravagantibus Communibus citantur eo modo, quo textus Decretalium: videlicet faciendo citationem Tituli, & ponendo initium Capituli, seu Extravagantis, addendo tamen ly *Extravag.* vel *Extrav.* taliter: *Extravag. Unigenitus, de Pænit. & remiss.* Lege: *in Extravaganti, quæ incipit. Unigenitus. Titulo, de Pænitentiis & remissionibus.*

Fatendum tamen, hactenus explicatos modos citandi Jus Canonicum quandoque non nihil immutari; ita tamen id accedit, ut ex dictis facile possint ejusmodi citationes intelligi.

§. II,

DE JURE CIVILI.

SUMMARIUM.

Corpus Juris Civilis, quas partes habeat.
Signa generalia citationum usitatarum.
Divisio generalis partium Juris Civilis.
Digestum ejusque partes.
Et qua ratione citetur?
Codex ejusque divisio, & modus citandi.
Quid de tribus postremis Libris Codicis?
Novellæ, seu Authenticæ Constitutiones, quomodo dividantur, & citentur?
Quid de Libris Feudorum?
Institutiones qua ratione citentur?

TOtum *Corpus Juris Civilis* plures in se continet partes videlicet *Digestum* seu *Pandectas*, *Codicem*, & *Institutiones* Justiniani: quibus accesserunt *Authenticæ*, seu *Novellæ* Constitutiones; necnon, & Libri Feudorum. Nam de Legibu Longobardorum, ac Imperatoriis Constitutionibus, & nonnullis aliis, quorum notitia est minus necessaria, non est opus hic aliquid dicere, cum eorum citatio vix occurrat. Circa quod

Notandum I. Quod præfatæ Juris Civilis partes propria habeant signa distinctiva, suis citationibus apponi solita. Et quidem duplex ff (aliqui utuntur Græco, π. vel littera D.) significat *Digestum*, seu Libros *Pandectarum*. Deinde majuscula littera C. *Codicem*: & ly *Instit* denotat *Institutiones*. Rursus ly *Auth.* seu *Authent.* significat *Authenticas* & ly *Novell. Novellas* subintellige, Constitutiones) Ac tandem ly *Feud.* Libros *Feudorum*. Porro *L.* vel *l.* significat Legem, *tit.* Titulum §. Paragraphum *s.* supra *i.* infra. Et ly *eod.* idem est ac *eodem Titulo*, hoc est, proxime citato.

Notandum II. Quod, sicut pleræque partes Juris Canonici dividuntur in Libros, Libri in Titulos, & Tituli in Capitula: ita & pleræque partes Juris Civilis dividantur in Libros, Libri in Titulos, Tituli vero non in Capitula, sed in Leges, ac postmodum nonnullæ Leges in Paragraphos. Unde in Citandis textibus Juris Civilis idem ferme servatur modus citandi qui in Decretalibus, excepto, quod loco Capituli ponatur initium Legis (addito quandoque, si lex est longior, initio Paragraphi, aut ejusdem numero) & simul addatur proprium signum distinctivum, videlicet ly *ff.* (vel Græcum, π. aut D.) ad denotandum Digestum: vel ly C. ad indicandum Codicem: aut ly *Instit.* vel *Inst.* ad insinuandas Institutiones Justiniani: sive ly *Auth. Novell. Feud.* ad ostendendum, ejusmodi textum haberi in Authenticis, seu Novellis Constitutionibus, aut Libris Feudorum.

Digestum, quod alio nomine appellatur *Pandecta*, seu *Libri Pandectarum*, continet in se quinquaginta Libros, qui omnes dividi solent in Tres Tomos. Primus appellatur *Digestum vetus*, & continet priores viginti quatuor Libros. Secundus dicitur *Infortiatum*, & continet sequentes quatuordecim Libros usque ad trigesimum octavum inclusive. Tertius tandem, ac ultimus Tomus, vocatur *Digestum novum*, & continet reliquos duodecim Libros: quamvis recentiores quædam Editiones non amplius observent hanc divisionem, sed totum Digestum in unicum Tomum constringant; quod tamen nihil refert. Porro Libri isti Pandectarum ulterius dividuntur in Titulos, Tituli in Leges, & Leges nonnunquam in Paragraphos. Et textus ex iis sic citari solent, ut primo ponatur Lex (id est; initium, aut saltem numerus ipsius) deinde, si Lex forsan longior est, addatur Paragraphus, postea duplex ff. (vel saltem Græcum π. aut littera D.) & tandem scribatur Titulus. v. g. taliter: *Si quis vi. §. differentia, ff. de Acquir. possess.* Lege: *ut habetur Lege, quæ incipit, Si quis vi. Paragrapho, qui incipit, Differentia, in Digestis, Titulo,*

de Acquirenda possessione. Solet non raro, ac præsertim à Glossa, primo loco poni ly ff. deinde subjungi Titulus & tandem initium Legis v. g. taliter. *ff. de procurat. l. mutus.* Id est: *in Digestis. Titulo, de procuratoribus, l. Mutus.* Sed prior modus citandi de facto est usitatior.

Codex Justiniani habet libros duodecim, qui postmodum dividuntur in Titulos, Tituli in Leges, & Leges longiores in Paragraphos. In primis novem Codicis Libris (qui simul conjungi, & compingi solent) est eadem citationum scribendarum, & legendarum ratio, quæ in Digestis nisi quod loco duplicis *ff.* pro C. signo distinctivo ponatur C. majusculum v. g. taliter: *l. in testamento. C. de testam.* Id est: *Lege, quæ incipit: In testamento. Codic. Titulo, de testamentis.* Vel sic: *l. un. §. ex hoc. C. de Rei uxor. act.* Id est: *Lege unica. Paragrapho. Ex hoc, in Codice, Titulo, De Rei uxoria actione.* Ubi ly *l. un.* Ideo ponitur, quia citatus Titulus non nisi unicam Legem habet: Aliud exemplum sit hoc: *de fidejuss. C. l. fin.* Id est: *titulo, de Fidejussoribus, in Codice. Lege finali.* Quæ lex ideo sic dicitur, quia est Lex finalis, sive ultima citati tituli; siquidem ly *fin.* significat Legem, seu Capitulum ultimum, sive finale cujusdam Tituli. Multi tamen ly *fin.* applicant Paragraphis tantum; atque Capitulum, seu Legem ultimam Titulorum, denotant per ly *cap. ult.* aut *l. ult.* sed parum refert.

Porro in tribus postremis Libris Codicis, videlicet decimo, undecimo, & duodecimo, qui separatim à prioribus novem Libris collocantur, exprimitur etiam numerus Libri v. g. *l. omnes profugi, C. de agricolis, lib.* 11. Id est: *Lege omnes profugi, in Codice, libro undecimo, Titulo, de Agricolis.* Quod si numerus Libri non addatur, quærenda erit citatio in prioribus novem Libris Codicis.

Novellæ (subintellige, *Constitutiones*, ac alio nomine *Authenticæ* dicuntur) constant novem Authenticis Collationibus, quibus recens decima est adjecta: ex iis quælibet collatio in plures Titulos, seu Novellas dividitur; ex Novellis vero quædam subdividuntur in plura Capitula. In earum citationibus hæc tenetur ratio, ut primo scribatur initium Capituli (si tamen aliquod habet) deinde numerus Novellæ, tum Titulus ejus, & tandem numerus Collationis, v. g. taliter: *c. Sed tamen. Novel.* 129. *de Samar. col.* 9. Lege sic: *capite, quod incipit, Sed tamen Novella* 129. *titulo, de Samaritis. Collatione nona.* Interdum vero Novella scribitur Authentica; & fit citatio, ponendo Titulum, vel potius Rubricam ejus, & initium Paragraphi; v. g. *auth. Ut factæ novæ constit. §. Sancimus.* Lege: *In Authentica, cujus titulus est. Ut factæ, novæ Constitutiones &c. Paragrapho, qui incipit, Sancimus*: & tunc in Indice Libri Authent. est quærendum ly *Ut factæ, novæ Constitutiones &c.* sicque allata citatio facile invenietur, nam quando Authentica quædam citatur ex Codice, semper apponitur C. majus.

Libri Feudorum (qui alio nomine *Consuetudines Feudorum* appellantur) sunt duo partiales Libri, qui dividuntur in Titulos, & Tituli in Paragraphos. In Feudorum citationibus ponitur primo signum proprium *Feud.* sive ly *in Lib. Feud.* postea Titulus, & tandem Paragraphus, v. g. *in Lib. Feud. de prohi. feud. alien. per Frid. §. calidis insuper.* Lege: *in Libris Feudorum, Titulo, de prohibita Feudi alienatione per Fridericum. Paragrapho qui incipit: Calidis insuper.* Interdum Paragraphus ponitur primo loco: v. g *§. Calidis insuper. Feud. de probib. Feud. alien. per Frid.* Lege ut supra.

Institutiones tandem (intellige, *Justiniani*) dividuntur in quatuor Libros, Libri in Titulos, & Tituli in Paragraphos; non autem in Capitula, vel Leges. Solent autem Institutiones citari, nulla facta mentione libri, taliter, ut primo ponatur initium Paragraphi, in quo textus citandus reperitur, deinde addatur signum distinctivum, *Inst.* & postmodum subjungatur Titulus, in quo Paragraphus ille continetur, v. g. sic: *§. Ferainst. de rer. divis.* Legatur sic: *Paragrapho, qui incipit, Fera, in Institutionibus. Titulo, de Rerum divisione.*

COROLLARIUM.

Ad discernendas, ac reperiendas Citationes utriusque Juris.

SUMMARIUM.

Regula generalis ad discernendas Citationes Juris Civilis, Et Juris Canonici.
Modus reperiendi Citationes in Jure.

Ex hactenus dictis colligitur Regula generalis, qua possint discerni citationes Juris Civilis à citationibus Textuum Juris Canonici. Siquidem in citationibus Juris Civilis semper exprimitur Volumen, seu pars illius per aliquod signum peculiare, ac distinctivum à cæteris omnibus: nimirum *Codex* per majus C. *Digestum* per duplex *ff.* vel Græcum π. aut saltem per litteram majoris *D. Novella*, seu *Authentica* Constitutiones, per ly *Novell.* vel ly *Auth.* Libri *Feudorum* per ly *Feud.* Ac tandem institutiones per ly *Insut.* sive *Inst.* Unde quotiescunque unum ex supradictis signis citationi appositum reperitur, indicium certum est dictam citationem desumi ex Jure Civili, non autem ex Canonico; utpote cum nullum tale signum apponatur citationibus Juris Canonici: ex quanam autem parte Juris Civilis ea citatio sit desumpta, proprium cujuslibet signum demonstrabit.

Porro quomodo citationes partium Juris Canonici ab invicem sint dignoscendæ liquet ex supra dictis. Nam ubicunque apponitur ly *dist.* vel ly *quæst.* aut *q.* signum est, eam citationem desumi ex Decreto Gratiani; utpote cum solum Decretum habeat Distinctiones, & Quæstiones: aliæ quippe partes omnes Juris Canonici habent Titulos. Ubicunque autem apponitur Titulus una cum initio, vel numero Capituli, absque alio signo addito (nisi forte addatur ly *Extra* vel quod idem est, ly X,) tunc signum est, citationem illam fieri ex quinque Libris Decretalium. Quando vero præter Titulum, ac initium Capituli, vel hujus numerum, apponitur aliud quidpiam, utputa ly *in* 6. vel ly *Clem.* aut *extravag. Joann.* 22. vel absolute *extravag.* tunc citatio illa quærenda erit juxta diversitatem appositi signi, vel *in Sexto Decretalium*, vel in *Clementinis*, vel *in Extravagantibus Joannis XXII.* vel in *Extravagantibus Communibus.*

Quod si igitur ex præmissis dignoscatur Pars illa Juris Canonici, aut Civilis, in qua Capitulum, seu Lex quæsita continetur, tunc ulterius ad reperiendum determinatum locum, ubi habetur, juvat quærere initium ejus in Indice Capitulorum, sive Legum, qui cuilibet Parti Juris, vel generatim omnibus (juxta diversitatem Editionum) præfigi solet: atque appositus paginæ, vel alius competens numerus, dabit locum quæsiti Capituli, sive Legis. Sic quæsiturus *c. in Lateranensi, de Præbend.* cum istud ex dictis intelligas reperiri in quinque Libris Decretalium, vide in Indice Capitulorum dictis quinque Libris Decretalium præfixo: & habebis annotatum numerum paginæ, in quo Capitulum illud existit. Quod si vero non habeatur appositus numerus paginæ (prout in nonnullis Editionibus contingit) illico quære in Indice Titulorum: sicque reperies, Titulum *De præbendis*, esse Titulum V. Libri III. Decretalium, quem per singula Capitulorum initia transcurrens, reperies, dictum *c. in Lateranensi*, esse 31. Capitulum illius Tituli; & sic loquendo de aliis: prout amplius ipsa praxis docebit.

INDEX

Comprehendens Materias Theologiæ Moralis Patris Anacleti Reiffenstuel una cum novis Additionibus Patris Massæi Kreslinger, & Jac. Estevæ Tractatu de Bulla Cruciatæ.

A

Abbates an possint non solum Calices, verum etiam Campanas, & Altaria benedicere? *Tom.* II. *Tract.* 14. *Dist.* 5. *post num.* 136. *Append.* III. *Addit.* III.

Abbates Infulati, an possint conferre Ordines minores? *Tract.* 14. *Dist.* 12. *n.* 55.

Abbates an possint Ordines minores conferre etiam non subditis? Vide *Ordines minores.*

Abortus, quale peccatum? *Tom.* I. *tr.* 9. *dist.* 3. *n.* 33. Et an illum procurans, fiat irregularis? *n.* 33. & 34. Contra procurantes abortum rigida Bulla Sixti V. *n.* 35. Sed moderata per Gregorium XIII. & quomodo? *Ibid.* Pœna procurantium abortum fœtus animati, *n.* 36. Gemina Propositio circa materiam abortus damnata, *n.* 37. Abortum procurans, an committat homicidium proditorium, priveturque Inmunitate? *tract.* 12. *dist.* 2. *n.* 38.

Abortum fœtus animati procurantes quas incurrant pœnas præsertim Clerici? *tract.* 9. *dist.* 3. *Addit. post num.* 37.

Abrogatio Legis, quid? *tr.* 2. *dist.* 4. *n.* 27.

Absolvendi ab Hæresi potestas quibus specialiter competat? *tr.* 4. *dist.* 4. *Addit. post n.* 31. Absolvere in hæresim lapsos per negationem alicujus articuli fidei quandonam possint alii Confessarii non habentes ceteroquin specialem facultatem? *Ibid. Addit. post n.* 35. Absolvere quis possit legentes libros hæreticos citra licentiam? Vide *Libri hæreticorum*, & *Lectio Librorum &c.*

Absolvendi ab Hæresi potestas tempore Jubilæi quæ? *tr.* 12. *dist.* 3. *Addit. post n.* 129.

Absolvendi potestas ab Excommunicatione quibus competat in, & extra articulum mortis? *Tom.* II. *tr.* 13. *dist.* 2. *post n.* 75. *in Appendice.* Absolvendi potestas à suspensione, & interdicto, Vide v. *Suspensiones*, & v. *Interdicta.*

Absolutio à Censuris, si non præmittatur absolutioni à peccatis, quale delictum? *tr.* 14. *dist.* 6. *Addit. post n.* 33.

Absolutionis forma in Sacramento Pœnitentiæ, quæ? *tr.* 14. *d.* 6 *n.* 21. Quæ verba sint de ejus essentia? *nu.* 22. & *seqq.* Absolutio in scriptis, vel absenti data, non valet, *n.* 26. & *seqq.* Disparitas inter absolutionem a peccatis, & censuris, *n.* 28. Forma absolutionis sub modo deprecativo non valet. *n.* 29. Quid de aliis formulis? *n.* 20. Ritus absolutionis Sacramentalis, *n.* 32. Sensus verborum formæ absolutionis, *n.* 34. & 35. An absolvendus sit moribundus, qui amplius confiteri non potest? *tr.* 14. *dist.* 7. *n.* 64. & *seqq.* Vide v. *Confessio.* Absolutio à casibus reservatis, Vide v. *Reservatio casuum.* Absolutio tempore Jubilæi, Vide v. *Jubilæum.*

Absolutio, quando & quomodo conferenda Pestiferis? Vide v. *Pestis.*

Absolutio Sacramentalis quandonam debeat proferri super pœnitentes absolute, & quandonam conditionate? *tr.* 15. *dist.* 6. *post nu.* 35. *Addit.* I. Absolutionis formula semel prolata quandonam possit iterum repeti? *Ibidem Addit.* II & III.

Absolutio quando adhuc dari possit pœnitenti è confessionali jam egresso? Vide v. *Pœnitens à confessionali recedens.*

Absolutio Sacramentalis conditionata an sit danda moribundo nullum aliud signum doloris edenti qui antea non bene vixit? *tr.* 14. *dist.* 7. *Addit.* I. *post n.* 76.

Absolvi an conditionate possint sensibus destituti, si nesciatur, utrum sint Catholici, vel hæretici? Item, si edant signa impœnitentiam aliquo modo indicantia? *tr.* 14. *dist.* 7. *Addit.* II. & III. *post n.* 76.

Absolvi an possint à quolibet Sacerdote existentes non solum in articulo, sed etiam in periculo mortis? *tr.* 14. *d.* 8. *Addit. post n.* 13.

Absolvendi à reservatis potestas qualiter, quomodo & quando competat Confessariis, alias hac facultate non præditis? Ubi de subditis alienæ Diœcesis confitentibus: item ignorantibus reservationem annexam, *tr.* 14. *dist.* 9. *post n.* 10. *Addit.* I. & *seqq.*

Absolutio à Censuris sub conditione de præsenti, præterito, & futuro potest conferri vi Bullæ. *tract. ultim d.* 2. *q.* 5. §. 2. *n.* 113. Illicite datur ita, dum non adest causa, *n.* 114. Nec ullo modo, à peccatis, sub conditione de futuro, *n.* 115. Similiter absolutio à Censuris ad cautelam dari potest, *n.* 116. Absolutus tamen ita, à Superiori debebit absolvi, ne semper dubitaretur de validitate absolutionis in foro conscientiæ, *n.* 117. vi Bullæ autem nequit absolvi ad reincidentiam, *n.* 118. non expressa causa incursus in censuras valide absolventur earum natura attenta, *num.* 119. si tamen eam exprimere oporteat, illicite absolvetur, non expressa, *n.* 120. Censurarum absolutio non est sub præcepto determinata, *n.* 121. vi Bullæ tamen dicta absolutio non prodest in foro judiciali, *n.* 122. Judex potest eam acceptare si per hoc non damnificetur tertius, *num.* 123. Absolutus ab excomm. vi Bullæ nequit communicare in Sacris &c. sed se gerere ut excomm., *num.* 124. Privileg. absolvendi in articulo mortis vi Bullæ aliquid operatur, *n.* 125.

Abstinentia, quid? *Tom.* I. *tract.* 7. *dist.* 2. *n.* 23.

Acceptatio Populi, an requiratur ad obligationem legum? *tr.* 2. *dist.* 1. *n.* 33. & *seqq.* Acceptatio donationis, an & quomodo pro alio fieri possit? *tr.* 8. *dist.* 2 *n.* 19. & 20.

Accessio, est modus acquirendi rerum dominium jure Gentium. *tr.* 7. *dist.* 5. *n.* 25.

Accisa. Vide v. *Tributa.*

Acedia, quid? *tr.* 3. *d.* 3. *n.* 58. Sumitur dupliciter, *n.* 59. & 60. Acedia recte ponitur inter vitia capitalia, *n.* 61 Ejus filiæ sex, *n* 62. & *seqq.*

Acolythatus materia, & forma, duplex, *Tom.* II. *tract.* 14. *dist.* 12. *num.* 22. Acolythorum officium, *ibidem.*

Acquæstus quid, & an de his bonis participet uxor? *Tom.* I. *tr.* 7. *dist.* 4. *Addit* I. & II. *post n.* 19.

Actio, quid? *tract.* 7. *dist.* 2. *n.* 26 Dividitur in actionem realem, & personalem, *n.* 27. Et quid utraque? *n.* 28. & 29. Minus est, habere actionem, quam rem, quomodo? *tr.* 8. *dist.* 4. *n.* 42.

Actio realis quotuplex? *tr.* 7. *dist.* 2. *Addit. post n.* 29.

Actus deliberatus, & semideliberatus circa idem objectum quomodo distinguantur specie? *tract.* 3. *dist.* 1. *Addit. post n* 42.

Actus humanus, an debeat necessario referri in Deum summe diligibilem? *tr.* 1. *dist.* 2. *Addit.* I. *post n.* 39.

Actus humanus an sit indifferens, si quis operatur ex fine præcise delectabili? *tr.* 1. *dist.* 2. *Addit* II. *post n.* 39.

Actus humanus indifferens an possit includere saltem aliquam imperfectionem moralem? *tr.* 1. *dist.* 2. *post n.* 39. *Addit.* III.

Actus humanus, & actus hominis, differunt, *tr.* 1. *dist.* 2. *n.* 1. Actus humanus, seu moralis, quid? *n.* 2. & 3. Quomodo debeat fieri ad regulam nostrorum actuum? *n.* 4. Actus voluntatis eliciti, & imperati, *n.* 6. Unde desumat suam bonitatem, vel malitiam moralem? *n.* 9. & *seqq.* Quæ harum sit actui primaria, & essentialis? *n.* 10. & 11. Quomodo malitia, & præsertim bonitas, debeat esse volita, ut eam actus humanus desumat ex objecto, & circumstantiis? *n.* 18. & *seqq.* Actui interno voluntatis per se primo inest bonitas, vel malitia moralis, *n.* 28. An Actus externus addat propriam bonitatem, vel malitiam actui interno? *n.* 29. 30. & *seqq.* Actus interior, & exterior, an sint duo peccata? *n.* 34. & 35 Actus indifferens, quid? *n.* 36. An detur? *n.* 37. & 28. An omnem actum teneatur homo dirigere in finem honestum? *n.* 39. Actus humani ut sint meritorii vitæ æternæ, quid requiratur? *n.* 40. & *seqq.* Actus interni an possint præcipi lege humana? *tr.* 2. *dist.* 1. *num.* 46. Actus peccaminosi physice distincti, non semper distinguuntur moraliter, *tr.* 3. *dist.* 1. *n.* 50. Actus voluntatis quomodo moraliter interrumpantur? *n.* 52. & *seqq.*

Actus conjugalis, Vide v. *Debitum conjugale.*

Actus Fidei, Spei, Charitatis, Vide v. *Fides.* v. *Spes.* v. *Charitas.*

Actus liberæ facultatis qui, & an per eosdem valeat introduci præscriptio? *t.* 7. *dist.* 6. *post. n.* 7. *Addit.* IV & V.

Actus meritorius an eo ipso sit etiam satisfactorius? *tr.* 1. *dist.* 2. *post n* 48. *Addit* I. Ad actum satisfactorium quænam requirantur conditiones? *ibidem Addit.* II.

Ad acta qualiter secure testamentum deponatur? *tr.* 8. *dist.* 3. *n.* 82. *in Append. Addit.* II.

Acu phrygia pingere num licitum sit diebus festis? Vide *Pingere.*

ADAM, si nunc viveret, an posset cum aliqua alia matrimonium contrahere præter HEVAM? *Tom.* II. *tr.* 14. *dist.* 14. *n.* 107.

Adjuratio, quid? *Tom.* I. *tr.* 5. *d.* 1. *n.* 20. Fit duobus modis, *n.* 21.

Administratores, qualiter possint aliis donare? Vide v. *Donationes.*

Admodiatio quid? Vide v. *Locatio quid.*

Adolescentes quo tempore incipiant obligari ad jejunium Ecclesiasticum? *tr.* 10. *dist.* 2. *n.* 40. 41. & *seqq.*

Adoratio, quid? *tr.* 5. *dist.* 1. *n.* 23. Alia mere civilis, seu politica: alia sacra, seu religiosa, *n.* 24. Adorationis sacræ tres species, videlicet Latria, Hyperdulia, & Dulia, *n.* 25. Adorationis objectum duplex, materiale, & formale, *n.* 26. Deo debetur cultus Latriæ, *n.* 27. Tres Personæ Divinæ sunt una adoratione adorandæ, quomodo? *n.* 28. Adoratio absoluta, & respectiva, quid? *n.* 31.

Advena, Vide v. *Peregrini.*

Advertentia, qualis sufficiat ad peccatum? *T. I. tr. 3. d. 2. n. 7. ac 9. & seqq.* Quae censeatur perfecta advertentia, & sufficiens ad peccatum mortale? *n. 10. & 11.* Signa quibus in dubio discerni possit consensus perfectus ab imperfecto, *n. 12.*
Adulatio, quid? *tract. 7. dist. 2. n. 12.*
Adulterium, quid, & quot modis contingat? *tr. 9. dist. 4. n. 16.* Quanta ejus malitia, & poenae? *n. 17.* Est gravius fornicatione, etiam consentiente altero conjuge, *nu. 18.* Obligatio restitutionis ratione adulterii, quae? *n. 28. & seqq.* Adulterium, in quibus casibus dirimat matrimonium? *Tom. II. tr. 14. d. 14. n. 87.* Quae requirantur, ut illud dirimat? *n. 93.*
Adultero deprehenso quidnam à Marito inferri possit? *Tom. I. tr. 9. dist. 3. post n. 30. Addit. II.*
Adultera si dubitet, an à Marito, vel ab alio sit impraegnata, qualis fieri debeat restitutio? *tr. 9 dist. 4. Addit. post n 30.*
Adultera quomodo perdat jus petendi debitum? Vide *Uxor.*
Advocatus, an possit sequi sententiam probabilem relicta probabiliori? *tr 1. d. 3. n. 63.* Obligationes quaedam Advocatorum, *n. 64.* Inter Advocatum, & Judicem differentia, *n 67.*
Aedificatio, quomodo sit modus acquirendi rerum dominium? *tr. 7. dist. 5. n. 31.* Aedificasse Ecclesiam, quis censeatur? *tr. 11. dist. 3. n. 4.*
Aegroti qualiter, si confiteri desiderant, sint tractandi, *Tom. II. tr. 14. dist. 8. in Append. post n. 72. Addit. III. & seqq.*
Aegrotis quaenam Poenitentia injungenda? Vide *Infirmis.* Aegroti ad quid teneantur? Vide *Infirmi.*
Aegroti maleficiati unde dignoscendi? *tr. 14. dist. 8 Appendice I. post n. 43. Addit. II.* Aegroti tales, quomodo à Maleficio sint liberandi? *ibidem Addit. X.* Item si tales ejiciant ranas, acus &c. quid faciendum? *ibid. Addit. XI.*
Aegroti quandonam possint sumere Eucharistiam etiam non jejuni? *Tom. I. tr. 10. d. 3. post n. 36. Addit. I.*
Aegroti provisi Viatico, post quantum intervallum possint sumere medicinam vomitus provocatoriam? Vide *Medicina.*
Aequivalenter quandonam censeatur res apud alienum extare? Vide *Ditior quando.*
Aequivocatio an liceat, si quis ab haeretico Magistratu interrogetur, num sit Sacerdos, vel Religiosus? *tr. 4. dist. 2. Addit. post n. 52.* Aequivocare an, & quando permittatur? Vide *Amphibologia.*
Aetates hominis, quae? *tr. 8. d. 1. n. 21.* Aetas legitima pro Beneficiis Ecclesiasticis consequendis, quae? *tr. 11. d. 1. n. 56.* Aetas, quae requiratur pro singulis Ordinibus? *Tom. II. tr. 14. d. 12. n. 50. & seqq.* Aetas impuberum, an sit distinctum impedimentum dirimens Matrimonii? *tr. 14. d. 14. n. 50. & 71.*
Affabilitas, quid, & quomodo differat ab amicitia? *Tom. I. tr. 7. dist. 2. n. 12.*
Affictus quid? Vide *Locatio quid.*
Affinitas, quid? *Tom. II. tr. 14. d. 14. n. 116.* Ejus olim erant tria genera, *ibid.* Unde oriatur, & inter quas personas? *n. 117. & 118.* Corollarium notabile, *n. 119.* Affinitatis gradus mensurantur juxta gradus Consanguinitatis; quomodo? *nu. 120* Affinitas in quoto gradu dirimat matrimonium? *n. 121.* & quo Jure? *n. 122. & seqq.* super affinitate quid quit Comm. Gen. Cruc. *tract. ult. d. ult. q. 6. n 50.* Quae requiruntur ut valeat dispensare in ea? *n. 52.* An necessario? *n. 53. & 54.* Quid si denuntiationes fuerint omissae, media dispensatione sine causa? *n. 55.* An requiritur quod impedimentum sit occultum? *n 56.* Prodest ne pro foro externo haec dispensatio? *n. 57.* Estne opus ut alter contrahentium saltem, tempore contracti matrimonii, bona fide contraxerit? *n. 58.* Quid si sit conscius copulae habitae cum matre, &c. inscius tamen impedimenti, *ibid.* Et si culpabiliter, *n. 59.* Debetque ne conjux ignara impedimenti, certa fieri de prioris consensus nullitate? *n 60.* Potestne legitimare prolem matrimonii à se dispensabilis? & pro quo foro? *n. 61. & 62.* Potestne dispensare in impedimento petendi debitum ex copula fornicaria orto? *nu. 63.* Potestque in eo orto ex copula habita cum consanguinea spirituali? *n. 64.* Affines veniuntne sub nomine consanguineorum in Bulla Cruc. (Vide *Nomen Oratorium.*)
Affinitas in primo gradu lineae rectae, an jure naturae dirimat Matrimonium? *tr. 14. dist. 14. Addit. I. post n. 125.*
Aggressorem in bonis fortunae cur liceat occidere, & cur non in bonis famae? *Tom I. tr. 9. dist. 3. post n. 30. Addit. I.*
Agnus Dei, Cruces, &c. gestare licitum est, *tract. 5. dist. 2. n. 38.*
Agonizantibus qualiter à Confessario succurrendum, si sint constituti in occasione proxima, vel alias indurati peccatores, aut pudibundi, vel nolentes ignoscere inimicis? Vide *Aegroti.*
Agricolis licebit vesci ovis &c. tempore vetito, si pisces non adsint, *Tom. II. tr. ult. d. 2. q. 1. §. 2. n. 24.*
Alearum lusus, quis? *Tom. I. tr. 8. d. 4. n. 111.* Est jure prohibitus, *n. 110. & 112.*
Alluvio, quando sit modus acquirendi rerum dominium Jure Gentium? *tr. 7. dist. 5. n. 23.*
Altare quid, & quotuplex? *Tom. II. tr. 14. dist. 5. post n. 136. Appendice II. Addit. I.* Quidnam requiratur, ut ibi Missa legi queat? *ibid.* Qualiter tale Altare debeat esse instructum? *ibid. Addit. III.* & quomodo illud deperdat suam consecrationem? ubi de fractione sigilli, & semotione sepulcri, *Addit. IV. & V. ibid.*
Altare privilegiatum cum quibus clausulis soleat concedi? Ubi in specie de clausula: *Dummodo alia similis &c.* & de altera: *Dummodo septem Missae &c. Tom. I. tr. 12. d. 3. junctis Additionibus n. 78. & seqq.* Altaris privilegiati tempus quandonam incipiat, & quamdiu duret? *ibid. n. 82.* Altare privilegiatum quomodo practice impetrandum? *ibid. n. 83.* Quid, si Altare illud praecise petatur pro aliqua Confraternitate? *ibid. n. 85.* In Altari privilegiato petita pro stipendio Missa si non legatur ibidem, qualis facienda sit recompensatio? *Tom. II. tr. 14. dist. 5. post n. 94. Addit. I & II.* In Altari privilegiato petita Missa pro aliquo defuncto quandonam debeat legi de Requiem, & quando non? *ibid. Addit. post n. 101.*
Altaria privilegiata qualiter à Benedicto XIII. concedantur FF. Minoribus? *Tom. I tr. 12. dist. 3. post n. 85.*
Alvei mutatio in quem transferat Dominium prominentis terrae? *tr. 7. dist. 5. Addit. post n. 23.*
Ambitio, quid, & quale peccatum? *tr. 3. d. 3. n. 9.*
Amentibus, Vide *Fatuis.*
Amentes gaudentne Bulla Cruc.? *Tom. II. tract. ult. d. 1. n 53.*
Amicitia, quid, & quomodo differat ab Affabilitate? *Tom. I. tr. 7. dist. 2. n. 12.*
Amor Dei duplex, amicitiae scilicet, & concupiscentiae, *tr. 4. dist. 5. n. 7.* Hic est proprius spei, ille Charitatis Theologicae, *ibid.* Amor, & Charitas generatim, quid? *tr. 4. d. 6. n. 1.* Deum amare super omnia intensive, & appretiative, quid? *n. 4.* Amor debetur parentibus, & qualia? *tr. 9. dist. 2. n. 6. & 7.* Amor Dei appretiative, & intensive summus, quid? *Tom. II. tr. 14 d. 6. n. 40.* Vide v. *Charitas.*
Amphibologia an liceat? *Tom. I. tr. 6. dist. 2. post num 40. Addit. I. & seqq.*
Amuleta an, qualiter, & quando sint aestimanda? *Tom. II. tr. 14. dist. 8. post n. 43. Appendice I. Addit. XII.*
Anathema, an differat ab Excommunicatione? *tr. 13. dist. 2. n. 1.*
Ancilla quandonam teneatur indicare Herae vitia alterius famulae? Vide *famula sciens &c.* Ancillae Vide *famuli.*
Animal si damnum intulit, an teneatur dominus ejus ad restitutionem? *Tom. I. tr. 9. dist. 5. n. 80.*
Animalia maleficiata, Vide *Pecora.*
Animae in purgatorio an censeantur infestare domos, & quomodo succurratur? *Tom II. tr. 14. dist. 8 post quaest. 3. Appendice I. Addit. XIV.* Certae sunt de beatitudine, sed jam non est eis tempus merendi, nec demerendi, *tract. ultim. d. 3. q. 1. n. 8.* An crucientur, si earum haeredes non restituant pro eis? *q. 2. n. 10. & 11.*
Animae ex purgatorio, si apparere dicantur, quid agendum Confessario? *tr. 14. dist. 8, post quaest 3. Append. II. Addit. VI.*
Annatae quid? *Tom. I. tr. 11. dist. 1. Addit. I. post n. 37.*
Anniversaria Vide *Fundationes.*
Anniversaria, & aliae piae obligationes perpetuae, an praescriptione extinguantur. & quo tempore? *tr. 7. dist. 6 post n. 30. Addit. IV. & V. in Appendice.* Item an similis obligatio praescriptione inducatur? *ibid.*
Annus Jubilaeus in lege veteri, quis, & unde sic dictus? *tr. 12. d. 3. n. 87.* Annus Jubilaeus in Ecclesia Catholica, quando celebretur? *n. 88.* Vocatur etiam *Annus Sanctus, ibid.* In Anno Sancto suspenduntur aliae Indulgentiae, *nu. 89.* Nonnullis tamen exceptis, & quibus? *n. 95. 96. & seqq.* Vide v. *Indulgentia*, & v. *Jubilaeum.*
Annutus praecise, an sufficiat ad Testamentum nuncupativum? *tr. 8. dist. 3. Addit. post n. 11.*
Antidoralis obligatio, an involvat pactum simoniacum? *tr. 5. dist. 3. n. 42.*
Antichresis, quid? *tr. 8. dist. 4. nu. 50.* Pactum Antichriseos illicitum, nisi interveniat alius justus Titulus, *n. 51. & 52.*
Apes ex alveari avolantes ad quem spectent? *tract. 7. dist. 5. Addit. post num. 21.*
Apostasia à Fide, quid? *tr. 4. dist. 4. n. 36.* Apostasia à Religione? *n. 37.* A Conventu, vel Habitu, *ibid.* Apostasia ab Ordine, quid? *n. 38.*
Apostatis faventne Bulla Cruciata? *Tom. II. tr. ult d. 1. q. 2. n. 47. in fin.* Apostatae à fide, Fautores haereticorum &c. possuntne absolvi vi Bullae? *d. 2. q. 5. n. 104.*
Apparitiones quomodo dignoscendae, num sint verae, vel fictae? *tr. 14. d. st. 8. post quaest. 3. Appendice II. Addit. IV.*
Appellatio vel oppositio nullitatis sententiae, an impediat effectum censurae? *tr 13. dist. 1. Addit. post n. 36.*
Applicatio Missae, an sufficiat habitualis? *tr. 14. d. 5. n. 73.* Praxis optima applicandi Missam, *nu. 77. & seqq.* Intentio secunda in applicatione Missae, *n 78. & 79.* Vide v. *Missa.*
Applicatio Missae quomodo fieri debeat, si pro stipendio à decem hominibus petantur decem Missae, & si ab uno ad decem distinctos fines? *tr. 14. dist. 5. post n. 76. Addit. I. & II.*
Applicatio Missae quandonam debeat fieri pro Parochianis? Vide *Parochi quandonam teneantur &c.*
Applicandi Missam an sit obligatio, si in litteris fundationis nulla sit facta mentio de obligatione applicandi, sed tantum de obligatione celebrandi? *tr. 14. d. 5. post n. 103. Addit. I. & II.*
Approbatio qualiter differat à Jurisdictione? *tr. 14. dist. 8. Addit. post n 14.* Approbatio quoad Regulares Exemptos an restringi possit ab Episcopo ad certum genus hominum? *ibid. post n. 15. in Appendice. Addit. II.* Et an Approbatio semel data possit iterum cassari? *ibid. Addit. III.*
Approbatio Regularium à quonam Episcopo fieri debeat? Item à quo-

quonam approbatio Clericorum Sæcularium? *ibid. T.I. Addit. IV.* & *Add. V.* ubi etiam *Addit. VI.* adducitur praxis Germaniæ. Approbatione speciali an indigeant illius Episcopi, per cujus Diœcesin transeunt illi Regulares Exempti, qui jam in alia Diœcesi fuerunt approbati? *ibid. Addit. VII* Approbatio an non solum Episcopi, sed etiam Parochi illius loci, in quo Confessiones excipiuntur, sit necessaria apud Regulares Exemptos? *ibid. Addit. VIII.* Quæ requirantur in Confessore, ut possit eligi vi Bullæ Cruc.? *tr. ult. d. 2. q. 5. n. 69. 70. 71. 72* & *73.*

Approbatus in Vicensi Diœcesi eligi potest in Barchinonensi vi Bullæ? *tr. ult. d. 2. q. 4. n. 64.* Parochus eligi potestne ubique vi Bullæ? *ibid.* An postquam renuntiarit Parochiæ, & Episcopi Episcopatui? *n. 76.* Potestne eligi Confessor Sæcularis privatus, etsi injuste, & etiam regularis? *n. 75.* Vicarii, & Parochi officio amisso? *nu. 77.* absolvetne valide Confessor electus vi Bullæ erroneæ habitus talis, etsi cum titulo Collato? *n. 78.* eligi potest qui approbatus est probabiliter tantum, *n. 79.* Peccabitquene iste electus absolvendo? *n. 80.* quid faciet ergo talis Confessor? *n. 81.* clare ineptus etsi approbatus eligi potest, *n. 82.* Prælati Regulares queunt eligi, *n. 83.* & *84.*

Aqua est materia Sacramenti Baptismi, & qualis? *tr. 14. d. 3. n. 11.* & *12.* Aqua vino consecrando est miscenda, *tr. 14. d. 4. n. 29.* Et cur? *n. 30.* & *31.* Debet apponi modica, *nu. 32.* An convertatur in Sanguinem Christi? *n. 33.* & *seqq.* Quid agendum, si aqua pro vino infundatur? *tr. 14. d. 5. num. 144.* Quid, si error primum advertatur post Sumptionem? *num. 145.* Aut dum aqua habetur in ore? *n. 146.*

Aquæ Baptismali an possit admisceri alia? *tr. 14. dist. 3. Addit. post n. 12.*

Aqua ista Baptismalis semel congelata qualiter debeat ante Baptismum resolvi? *ibidem.*

Arbor consanguinitatis, quæ? *tr. 14. dist. 14. n. 100.* & *seqq.* Vide v. *Consanguinitas.*

Arctitudo feminarum an, & quando importet nullitatem Matrimonii? *tr. 14. dist 14. post n. 72. Addit. II.*

Argentum alienum, si bona fide ad novam statuam formandam applicetur, ad quem spectet Dominium hujus statuæ? *Tom. I. tr. 7. dist. 5. Addit. post n. 24.*

Arrhæ quotuplices? *tr. 8. dist. 4. Appendice post n. 102. Addit. X.*

Ars notoria, quid? *tr. 5. dist. 2. n. 32.*

Articulus mortis quid? *Tom. II. tr. 14. d. 9. n. 13.* An comprehendat periculum mortis? *ibid.* & *tr. ult. d. 2. q. 5. §. 2. n. 126.* & *127.* Absolutus à Casu reservato in articulo mortis, an teneatur postea se sistere Superiori? *tr. 14. d. 9. n. 15.* In mortis articulo, an quilibet Sacerdos possit absolvere ab hæresi, & aliis casibus? *Tom. I. tr. 4. d. 4. n. 32.* & *33.* & *Tom. II. tr. 14. dist. 9. n. 12.* Vide v. *Reservatio casuum.*

Aspectus impudici, & tactus quandonam peccatum grave? *T. I. tr. 9. dist. 4. post n. 84. Addit. I.* & *II.*

Aspectus impudici animalium an sint grave peccatum? *ibid. Addit. III.*

Aspectus impudici. Vide v. *Impudicitia.*

Aspersione Aquæ Benedictæ, an remittantur peccata venialia? *tr. 3. dist. 2. n. 35.*

Assassinium, quid? *tr. 12. d. 2. n. 39.* Rei hujus criminis non gaudent immunitate Ecclesiastica, *n. 28.* & *29.*

Astrologia judiciaria est species Divinationis, *tr. 5. d. 2. n. 19.* Astrologia naturalis est licita, *ibid.*

Astutia, quid? *tr. 7. d. 1. n. 15.*

Asyli privilegium, an sit Juris Divini? *tr. 12. d. 2. n. 2.* & *seqq.* Eo gaudent omnes Ecclesiæ, etiam interdictæ, pollutæ, &c. *n. 5.* item Cœmeteria, turres, &c. *n. 6.* & *7* An eo gaudeat tenens januam Ecclesiæ, vel parietem? *n. 8.* Quid de spatio 30. vel 40. passuum circa Ecclesias? *n. 9.* Monasteria, Hospitalia, an gaudeant immunitate? *n. 10.* Rei cur potius confugiant ad Monasteria, quam alia Loca Sacra? *n. 11.* Confugiens ad Sacerdotem SS. Eucharistiam portantem, gaudet Asylo, *num. 12.* & *13.* Quid de communicante, vel fugiente ad S. Oleum? *n. 14.* Qui rei gaudeant jure Asyli Ecclesiastici? *num. 15. 16.* & *seqq.* An etiam debitores pecuniarii? *n. 17.* & *18.* Clerici, & Religiosi? *n. 19.* & *20.* Judæi, & Pagani? *n. 21.* & *22.* Hæretici? *n. 23.* & *seqq.* Quæ crimina non gaudeant Asylo? *num. 26.* & *27.* Referuntur septem crimina excepta, *n. 28.* & *seqq.* An præter homicidium, & mutilationem, amittatur Immunitas ob alia crimina in Ecclesiis commissa? *n. 35.* Commoda Reorum ad Asyla fugientium *n. 42.* & *seqq.* Quid si fictis promissis inde educantur? *n. 43.* Unde sustentari debeant? *n. 46.* Immunitatis violatio, quale peccatum? *n. 48.* Quæ pœnæ eam violantium? *n. 49.* & *50.* Observanda in extractione Reorum jure Asyli non gaudentium, *n. 51.* & *seqq.*

Asylo, an gaudeant Ecclesiæ necdum perfecte constructæ, vel dirutæ, aut corruentes? *tr. 12. dist. 2. Addit. post n. 5.* Item, an Palatia Episcoporum, Domus Parochorum, vel Clericorum in commune viventium? *ibid. Addit. post n. 14.*

Asylo, quandonam gaudeant milites transfugæ? Vide *Milites.*

Asylo, quandonam gaudeant feminæ fugientes ad Monasteria Virorum, & vice versa? *tr. 12. dist. 2. Addit. III. post n. 25.*

Asylo quænam gaudeant delicta post Bullam Benedicti XIII? *T. I. tr. 12. dist. 2. post n. 41. Addit. II.* Vide etiam *Immunitas.*

Asylo, utrum gaudeant auferentes Ciborium, in quo consecratæ continentur Hostiæ? *ibid. Addit. post n. 34.*

Asylo, num gaudeat committens Homicidium non proditorium, & quando? Vide *Homicidium.*

Asylum, si ab aliquo quæratur, quidnam observare debeant Superiores? Vide *Superiores.*

Attentio circa Orationem vocalem triplex, ad verba, ad sensum, & ad finem Orationis, *tr. 6. d. 1. n. 39.* Quælibet harum sufficit ad satisfaciendum præcepto recitandi Horas Canonicas, *n. 42.* Voluntarie distractus absque ulla interiori intentione, non videtur satisfacere, *num. 43.* & *seqq.*

Attritio, quid, & quomodo differat à Contritione? *Tom. II. tr. 14. dist. 6. n. 38.* & *41.* Vide v *Contritio.*

Avaritia, quid? *Tom I. tr. 3. d. 3. n. 12.* Et quale peccatum? *n. 13.* Recte numeratur inter Peccata capitalia, *n. 14.* ejus filiæ, quæ? *n. 15.* & *16.* Avaritia computatur inter peccata spiritualia, cur? *tr. 3. d. 1. n. 8.* & *9.*

Audacia, quid? *tr. 7. d. 1. n. 38.*

Augurium est species Divinationis, *tr. 5. d. 2. n. 24.*

Aurigæ, & itinerantes quandonam excusentur diebus festis audire Missam? *tr. 10. dist. 1. Addit. post n. 54.*

Aurora, quid? *Tom. II. tr. 14. d. 5. nu. 105.* Quomodo consideranda quoad celebrationem Missæ? *n. 106.*

Auxilia Dei actualia, quæ? *tr. 14. d. 2. n. 2.* Præstantur specialia ad proprios fines consequendos per Sacramenta, *n. 8.* & *seq.*

B

Balneantes in simul quandonam graviter peccent? *Tom. I. tr. 9. dist. 4. post n. 84. Addit. II.*

Baptismus Sacramentum imprimit Characterem, *Tom. II. tr. 14. d. 2. n. 46.* & *seqq.* Baptismus per se confert primam gratiam, *n. 19.* Baptismus ficte susceptus, recedente fictione confert effectum, *n. 54.* Quomodo sit necessarius ad salutem? *n. 59.* & *60.* Baptismus, flaminis, fluminis, & sanguinis, *n. 61.* & *seqq.* Martyrium supplet vicem Baptismi, *n. 64.* Baptismus fluminis est janua Sacramentorum novæ Legis, *tr. 14. d. 3. n. 1.* Quid sit? *n. 2.* Fuit institutus à Christo ante suam Passionem, *n. 3* & *4.* Et quando? *n. 5.* & *6.* Ad Baptismum suscipiendum tenentur omnes, etiam Judæi, ac Pagani, *n. 7.* An baptizari possint filii Infidelium invitis parentibus? *n. 8.* & *seqq.* Materia Baptismi remota, & proxima, quæ? *n. 11* & *12.* Ad ejus valorem requiritur vera ablutio, *n. 13.* & *seqq.* Hæc potest fieri immersione, affusione, vel aspersione, *n. 16.* An trina affusio adhibenda? *n. 17.* In Baptismo, quæ pars corporis sit abluenda? *n. 18.* & *seqq.* Quid agendum, si ablutio facta est in parte dubia? *nu. 20.* Puer projectus de ponte in flumen cum intentione ipsum baptizandi, an baptizetur? *n. 21.* Forma Baptismi, quæ? *n. 22.* Quali utantur Græci? *n. 22.* In forma Baptismi tria necessario exprimenda, quæ? *n. 24.* & quomodo? *n. 25.* & *seqq.* Baptismus in Nomine Christi, defacto non valet, *n. 28.* An olim validus fuerit? *n. 29.* Quæ forma sit adhibenda in Baptismo dubio? *n. 29.* Forma Baptismi, *in nomine Patris*, &c. an sufficiat? *n. 30.*

Baptismi Minister, quis? *tr. 14. d. 3. n. 31.* & *seqq* In casu necessitatis, quid observandum? *n. 32.* An Diaconus vel Subdiaconus possit solemniter baptizare? *n. 34.* An valeat Baptismus, uno materiam, & altero formam adhibente? *nu. 35.* Observanda à Ministro Baptismi, *num. 36.* Quid agendum de Monstris? *nu. 37.* Pœnæ reiterantium Baptismum, *n. 38.* & *39.* Patrini in Baptismo, qui? *n. 40.* Hi contrahunt cognationem Spiritualem, *tr. 14. d. 14. n. 112.* & *113.* Sine Baptismo non recipitur Ordo, *tr. 14. d. 12. n. 43.*

Baptismus an conferendus infanti adhuc secundinis involuto? Item quid observandum, si Mater moriatur infante adhuc existente in utero materno? *tr. 14. d. 3. Addit. post n. 20.*

Baptismus quandonam possit rationabiliter conferri conditionate? *ibid. Addit. I. post n. 39.*

Baptismus an conferendus Monstris, & quando? *tr. 14. d. 3. n. 37.* & *Addit. I.*

Baptismus num dandus fœtui abortivo, & quando? *ibid. Addit. II.*

Baptismus, quomodo conferendus neonatis tempore pestis? Vide *Pestis.* Item an fatuis? Vide *Fatuis.*

Baptizandæ prolis si sit probabilis spes, an teneatur mater admittere sectionem cæsaream? Vide *Sectio cæsarea.*

Baptizandi cognatio spiritualis cum suo Patrino quando contrahatur? Vide *Cognatio spiritualis.*

Baptizandus an portari debeat ad propriam Parochiam, si mulier parturiat in Parochia aliena? *tr. 14. d. 3. Addit. post n. 33.*

Baptizandus quandonam possit baptizari etiam in domibus privatis, & extra Ecclesiam? *ibid. Addit. post n. 34.*

Barbitonsores an diebus Dominicis, & festivis licite possint passim radere barbas? *Tom. I. tr. 10. dist. 1. Add. post n. 35.*

Beatis necdum Canonizatis qualis cultus exhibendus? *tr. 5. dist. 1. post n. 44. Addit. II.*

Bellum, quid, & quomodo differat à Seditione, & Rixa? *tr. 4. d. 7. n. 40.* est ex natura sua licitum, si debitas habeat conditiones, *n. 41.* Ad Bellum justum tres requiruntur conditiones,

nes, quæ? *T.* I. *t.* 4. *d.* 7 *n.*42. Potest dari bellum ex utraque parte justum formaliter, non autem materialiter, *nu.* 43. In dubio de justitia belli, an liceat militare? *nu.* 44. & *seqq.* In bello justo licite occiduntur nocentes, *n.* 45. Quid de innocentibus? *n.* 48. Cui acquirantur bona hostium? *n.*49. & 50. In bello, qui fiant irregulares? *Tom.* II. *tr.* 13. *dist.* 3. *num.* 62. 63. & 66. Bellum inferre, & litem judicialiter movere, differunt, *Tom.* I. *tr.* 1. *d.* 3. *n* 68.

Ad Bellum justum conditiones requisitæ quænam? *tr.* 4. *dist.* 7. *Addit. post n.* 42. Bellum justum an, & quando transferat in occupantes Dominium rerum ablatarum? *tr.* 4. *dist.* 7. *n.* 50. *Addit.* I. & *seqq.* Vide etiam v. *Bona.*

Belli Ducum, & Principum specialia peccata in Bello quæ? *tr.* 4. *dist.* 7. *post n.* 50 *Addit. IV.*

Benedictio Paramentorum quæ, & à quo fieri possit: Item quandonam censeantur eam deperdere vestes Sacerdotales in Missa? *Tom.* II. *tr.* 14. *dist.* 5. *in Appendice III. Addit. I.*

Benedicta Paramenta an, & qualia, ac quando à Laicis tangi licite possint? *ibid. Addit. IV.*

Beneficentia, est Actus externus Charitatis, *Tom.* I. *tr.* 4. *dist.* 6. *n.* 27.

Beneficiarii Clerici, Vide v. *Clerici.* Beneficiarii obligatio ad celebrandam Missam. Vide v. *Missam celebrandi obligatio.*

Beneficiarius non recitans Horas Canonicas, cur post primos sex Menses teneatur restituere fructus ante sententiam declaratoriam Judicis? *tr.* 2. *d.* 2. *Addit. post n.* 43. Item, cui fiat restitutio? *tr.* 6. *dist.* 1. *post n.* 37. *Addit.* Beneficiatus inculpabiliter, v. g. ex naturali oblivione omittens aliquas Horas Canonicas an teneatur ad aliquam restitutionem? *tr.* 6. *dist.* 1. *post n.* 34. *Add. II.* Item, si leve quidpiam ex iis omittat deliberate? *ibid. Addit. III.* Vel si nil omittat, voluntarie tamen distractus eas recitet? *ibid. Addit. IV.*

Beneficiati abortum fœtus animati procurantes an, & quando teneantur dimittere suum Beneficium actu jam possessum? Vide v. *Clerici abortum.*

Beneficiatus an diminutis reditibus possit proportionaliter diminuere onera Missarum propria Auctoritate, *Tom.* II. *tr.* 14. *d.* 5 *post n.* 91. *Addit. I.*

Beneficiatus an habeat obligationem etiam applicandi Missas, si in litteris fundationis facta sit mentio solummodo de obligatione celebrandi certis diebus? *tr.* 14. *dist.* 5. *post n.* 103. *Addit. I.* & *II.*

Beneficiatus, an possit absque impetrata Episcopi ingredi aliquam Religionem? *Tom.* I. *tr.* 11. *d.* 2. *Addit. I. post n.* 30.

Beneficiatus, an pariter absque impetrata Episcopi licentia possit renuntiare Beneficio? *ibid.*

Beneficiatus resignans, si intra 20. dies suæ renunciationis moriatur, an valeat Resignatio? *tr.* 11. *dist.* 2. *Addit. post n.* 36.

Beneficium generatim, *tr.* 11. *d.* 1. *n.* 2. Beneficium Ecclesiasticum, quid? *n.* 3. & *seqq.* Ejus Laicus est incapax, *n.* 6. Quomodo debeat constitui? *n.*7. Beneficia Ecclesiastica majora & minora, *n.* 8. Regularia, & sæcularia, *n.* 9. Curata & non Curata, *n.* 10. Electiva, Patronata, & Collativa seu libera, *n.* 11. Patrimonialia, & non Patrimonialia, *n.* 12. Manualia, & non Manualia, quæ? *n.* 13. Beneficia quibus modis conferri soleant? *nu.* 18. & 19. Quomodo acquirantur per electionem? *n.* 20. & *seqq.* Per præsentationem? *n.* 23. & *seqq.* Et per liberam collationem? *n.* 29. Quinam Beneficia libere conferre possint? *nu.* 30. & *seqq.* Vide v. *Papa*, & v. *Episcopus.* Collatio Ecclesiarum Parochialium per Concursum, quæ? *n* 38. & 39. In quibus Beneficiis preces primæ Imperatoris non habeant locum? *n.* 41. & 42. Quibus conferenda sint Beneficia, ubi & de conditionibus ex parte eorum requisitis, *n.* 43 & *seqq.* Beneficia curata omissis dignis debent conferri dignioribus, *n.* 44. & *seqq.* Quid de Beneficiis simplicibus? *nu.* 47. Patrimonialibus, & Patronatis? *n.* 48. Dignus respectu Beneficii, & dignior, magisque Ecclesiæ utilis, quis? *n.* 49. & 50. Indignus, & quis? *nu.* 52. & *seqq.* Quæ conditiones requirantur, ut quis sit dignus ad Beneficium? *n.* 53. & *seqq.* Beneficii Ecclesiastici incapax est excommunicatus, *Tom.* II. *tr.* 13. *d* 2. *n.* 27. Beneficiorum simul retentorum pluralitas, quantorum malorum sit origo? *Tom.* I. *tr.* 11. *d.* 2. *n.* 1. Ea quandoque possunt abesse, danturque Beneficia compatibilia, *n.* 2. Incompatibilitas Beneficiorum ex duplici capite oritur, *n.* 3. & *seqq.* Quod Beneficium censeatur sufficiens ad congruam Clerici sustentationem? *n.* 5. Beneficia de se compatibilia, quæ? *nu.* 6. & 8. Beneficia simplicia ultra duo nequeunt haberi, *n.* 7. Beneficia de se incompatibilia, *n.* 9. Et Beneficia uniformia sub eodem tecto, quæ? *n.* 10. & *n.* 11. Beneficium simplex potest adjungi alteri, tenues reditus habenti, *nu.* 12. Beneficia incompatibilia simul plura obtinere, illicitum est. *n.* 13. Idque citra dispensationem Pontificiam, *n.*14. Triplex causa dispensandi in pluralitate Beneficiorum, *n.* 15. & *seqq.* Plura incompatibilia Beneficia recipiens, an ipso jure privatus sit priori? *n.* 19. & *seqq.* Quid, si quis fructus secundi Beneficii necdum recipiat? *n.* 22. Aut primum cum secundo retinere contenderit? *n.* 26. In quibus casibus plura simul Beneficia haberi possint? *n.* 27. In Beneficiis Ecclesiasticis an possit aliquid dari ad redimendam injustam vexam? *tr.* 5. *d.*3. *n.*32. Beneficium simoniace recipienti, quid agendum? *n.* 50. & *seqq.* Dispensatio super Beneficio simoniace recepto, à quo possit dari, & qualiter sit obtinenda, *T.* I. *t.* 5. *d.* 3. *n.* 51. Beneficii renuntiatio, Vide v. *Renunciatio Beneficii.* Permutatio Beneficiorum, Vide v. *Permutatio.* Beneficium sine consensu Patroni conferri nequit, *tr.* 11. *d.* 3. *nu.* 45. & *seqq.* Vide v. *Patronus.*

Beneficium an, & quando legitime obtineri possit præscriptione? *tr.* 7. *dist.* 6. *post n.* 30. *in Appendice Addit. VI.*

Beneficia etiam à Summo Pontifice solent conferri juxta Concordata, *tr.* 11. *dist.* 1. *Addit. I.* & *II. post n.* 36.

Beneficia, quænam possit conferre Vicarius Generalis, vel Capitulum Cathedrale Sede vacante? Vide v. *Vicarius Generalis.* Item v. *Capitulum Cathedrale.*

Beneficia simoniace obtinentibus, quomodo succurrendum? *ibid. post n.* 80. *in Appendice.*

Beneficia sine diminutione conferenda, quomodo? *tr.* 11. *dist.* 1. *Addit. I. post n.* 37.

Beneficiorum permutatio debet esse immunis ab omni absoluto prævio pacto, *tr.* 11. *dist.* 2. *Addit post n.* 46.

Beneficiis onera annexa quomodo tollantur? Vide *Fundationes Missarum.*

Bestialitas, quid? *tr.* 9. *d.* 4. *n.* 60. An varietur specie ob diversitatem bestiarum? *n.* 61. Concubitus cum dæmone, an sit species bestialitatis? *n.* 62.

Bigamia triplex, vera, interpretativa, & similitudinaria, *T.* II. *tr.* 13. *d.* 3. *nu.* 40. & *seqq.* Non oritur, si quis cum pluribus fornicetur, *n* 43. Bigamia, Trigamia, &c. quid? *tr.* 14. *d.* 13 *n.* 39.

Biretinum, Vide *Capitegium.*

Blasphemia, quid? *Tom.* I. *tr.* 5. *d.* 3 *n.* 53. & 54. Blasphemia in Deum, & Sanctos, *n.* 55. hæreticalis, *n.* 56. Et quale peccatum? *n.* 57. & *seqq.* Ex ira dicere, *Corpus Dei, Chrisma, Sacramenta &c.* quale peccatum? *n.* 60. Quid de nonnullis aliis verbis? *n.* 61. An omnes blasphemiæ sint ejusdem speciei? *n.* 62. & *seqq.*

Blasphemans Rusticus quandonam censeatur aliis dare scandalum? *tr.* 4. *dist.* 7. *post n.* 28. *in Appendice. Addit. II.* Blasphemi quomodo practice examinandi à Confessario? *tr.* 5. *dist.* 3. *Addit. post n.* 64.

Bonitas naturalis, & moralis in actibus nostris, *tr.* 1. *d.* 1 *n.* 7. Bonitas actus moralis unde desumatur? *n.* 9. & *seqq.* Bonitas finis non sufficit ad tollendam malitiam medii pravi, *n.*11. Bonitas quomodo debeat esse volita, ut eam actus humanus desumat ex objecto, & circumstantiis? *nu.* 20. & *seqq.* An propriam bonitatem habeat actus externus? *n.* 20. & *seqq.*

Cap. III. v. 10. Hæreticum post unam, & secundam correptionem devita, *c.* 2. *n.* 189.

AD HEBRÆOS.

Cap. V. v. 1. Omnis Pontifex ex hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis, *c.* 2. *n.* 113.

Eodem, v. 4. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron, *c.* 2. *n.* 21.

Eod. v. 6. Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. *c.* 2. *n.* 111.

Cap. IX. v. 28. Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata, *c.* 2. *n.* 120.

Cap. X. v. 10. Sanctificati sumus per oblationem Corporis Jesu Christi, *ibidem.*

Eod. v. 14. Una Oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos, *ibidem.*

Cap. XI. v. 4. Plurimam hostiam Abel obtulit Deo, *ibid. num.* 121.

Eod. v. 6. Sine fide impossibile est placere Deo, *c.* 2. *n.* 163.

Eod. v. 6. Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit, *c.* 4. *n.* 84.

EX EPISTOLA II. PETRI.

Cap. I. v. 10. Fratres magis satagite, ut per bona Opera certam vestram vocationem & electionem faciatis, *c.* 1. *n.* 7.

EX EPISTOLA I. JOANNIS.

Cap. I. v. 7. Sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato, *c.* 2. *n.* 15.

Cap. III. v. 3. Videbimus Eum sicuti est, & omnis qui habet hanc Spem in eo, sanctificat se, sicut & ille sanctus est, *c.* 2. *n.* 18.

Eod. v. 15. Qui non diligit manet in morte, *c.* 2. *n.* 18. *&* *c.* 4. *n.* 2.

EX APOCALYPSI.

Cap. VII. v. 4. Et audivi Numerum Signatorum; & v. 9. stantes ante thronum, & in conspectu Agni, *c.* 3. *n.* 46.

Cap. XXII. v. 11. Qui justus est justificetur adhuc, *c.* 1. *n.* 7.

PRO-

PROLEGOMENA
DE PROPOSITIONIBUS DAMNATIS IN GENERE.

QUÆSTIO I.

De infallibilitate Summi Pontificis in damnandis Propositionibus quoad materiam Fidei, & Morum.

NUMERUS I.

IN Ecclesia illa, quæ ab Apostolo 1. Ad Tim. 3. pronuntiatur *Columna & firmamentum veritatis*, & adversus quam, juxta infallibile Christi effatum Matth. cap. 16. *Portæ inferi non prævalebunt*, sane necessarius est supremus Controversiarum Judex, qui, exortis sæpissime in materia fidei, ac morum diversis quæstionibus, & utraque parte contradictoria, apparentes pro se adducente Sacræ Scripturæ textus, litibus hisce finem imponat, ac Divino collustratus lumine, necnon adpromisso Ecclesiæ Joan. cap. 14. v. 17. *Spiritu veritatis* adjutus, auctoritative decidat, quænam doctrina vera, quænam falsa atque hæretica, quænam populo salutaris, quænam pestifera, & in praxi noxia existat.

II.

Judice hoc supremo, ad resolvenda in materiis fidei & morum dubia, atque ad obtinendam exinde in credendo veritatem, & in operando securitatem, adeo necessario, infelices carent Acatholici. Equidem pro decisione ad sacram refugiunt Scripturam; dum vero unus (E.G. Lutherus circa Eucharistiam) sic alius (puta Calvinus in eadem Controversia priori contrarius) aliter textus sacræ paginæ interpretantur; ambo plane, si rem ipsam adeo gravem, à qua salus æterna pendet, absque ulla animi passione inspicere volumus, de veritate incerti manent, etsi ceteroquin potius Herculi clavum, quam pertinacibus hisce, eorumque sectatoribus suam cuilibet sententiam extorqueres. Sic pari infelicitate intra semetipsos ad invicem pugnant Lutherani; rigidi contra moderatos: moderati contra rigidos. Alii bona opera præcepta, ac à Christo mandata ajunt: alii eadem perniciosa asserunt. Alii *Librum Concordiæ* (prout omnia patebunt ex dicendis Cap. II.) recipiunt quasi Symbolum suæ Fidei: alii autem eundem non solum non recipiunt, sed mille etiam conviciis dilacerant. En infelicitatem Acatholicorum!

III.

Feliciores censentur jure merito Catholico-Romani, quamvis enim etiam isti tam in materia fidei quã morum claros Sacræ Scripturæ textus omnino admittant, tanquam infallibilem credendi Regulam: quoniam vero jactata ab Heterodoxis claritas non ubique (alias enim ipsimet Hæretici magis inter se convenirent) in sacra reperitur pagina, necessarium veri Catholici insuper recognoscunt supremum aliquẽ visibilem in terris Judicem nimirum Summum Pontificem, Christi Vicarium, ac Petri Successorem, in resolvendis, ac decidendis similibus controversiis, dum loquitur ex cathedra præcipuè vero, si loquatur cum aliquo Concilio Generali, quatenus Ecclesiam universalem repræsentante, omnino infallibilem, ut vel sic nostra sit Ecclesia, *Columna illa veritatis, quam portæ Inferi non prævalebunt.*

IV.

Dicitur notanter, *Summum Pontificem in Decretis fidei, & morum esse infallibilem, saltem si loquatur una cum Concilio Generali, quatenus universalem Ecclesiam repræsentante.* Ubi advertendum, Summum Pontificem considerari posse, vel ut se solo loquentem, vel ut decidentẽ una cum Ecclesia consentiente, qualis consensus adesse censetur, si E. G. Concilium Generale repræsentans Ecclesiam, simul annuat. In *secunda* consideratione apud Catholicos contra Hæreticos, etiam post prima quatuor sæcula, in materia fidei & morum extra dubium est, decisionem fore infallibilem: In priori autem non desunt, etiam inter Catholicos, qui cum Gersone, à Castro, Adriano & aliis apud Dominicum Viva *I. part. Trutinæ Theologicæ quæst. prodroma n. VII.* negativam tenent, etsi gratis concedant, non facile præsumendum esse, Summum Pontificem ex Cathedra etiam extra Generale Concilium docere errorem; quæ sententia (si P. Paulo à Lugduno in sua Theologia positiva ante quadriẽnium Lugduni edita *Tom. I. Tract. de Romano Pontifice fol. apud me 359.* fides habeatur) in Galliis prævalere videtur. Cæteroquin tamen altera sententia D. Thomæ, Summo Pontifici, etiam extra consensum universalis Ecclesiæ, aut Generalis Concilii, Ecclesiam universalem repræsentantis, infallibilitatem adscribens, est communissima inter Catholicos Doctores, meoque Judicio verissima, quam Bellarminus *lib. 4. de Pont. cap. 2.* Suarez *lib. 3. de fidei defensione cap. 13.* pronuntiant fere tanquam de fide certam; Banez vero fidei proximam, & poster Mathæucius in Cautela Confessarii *Part. 3. cap. 3. n. 89.* constantem omnium Theologorum, & Canonistarum sensum, dummodo (quod pro semper notandum) Summus Pontifex non ut Doctor privatus, sed ex Cathedra tanquam Pontifex loquatur. Pro quo,

V.

Notandum ulterius ex Dominico Viva *loc. cit. n. III.* Cardena in l. Crisi *dis. 9. a num. 329.* & Paulo à Lugduno *hic cap. II. Notand. 3.* tunc loqui Papam ex cathedra, quando tamquam Magister à Christo Domino constitutus Ecclesiæ suæ Universali proponit ea, quæ ab omnibus indubitanter credenda aut observanda sunt. Hoc tamen fieri non solet, nisi re prius maturè perpensa, ac cum Cardinalibus & Theologis examinata. Quare si tantum incidenter, seu obiter absque prævio illo examine quædam proferat, vel sermones suos solummodo ad unum, alterumve Episcopatum, aut Ordinem dirigat, non censetur loqui ex Cathedra, sive sit quæstio Juris, sive quæstio facti: Hinc in similibus Ipsum, & Ecclesiam errare possibile erit, uti in terminis docet S. Thomas *quodlibet. art. 16.* dicens: *In sententiis, quæ ad particularis facta pertinent, ut cum agitur de possessionibus, de criminibus, vel hujusmodi, possibile est Judicium Ecclesiæ errare propter falsos testes &c.*

VI.

Quod si verò Summus Pontifex in materia fidei, ac morum loquens de Cathedra dirigat Decreta sua ad universalem Ecclesiam, inconcussa manet superius nu. IV. allegata Doctorum Catholicorum Cismontanorum (Galli nos ultramontanos vocant propter diversitatem situs) sententia de infallibilitate Summi Pontificis ex Cathedra loquentis, etiam extra Generale Concilium tam in quæstionibus Juris, quam facti talis, quæ necessariam habet connexionem aliqua quæstione Juris, prout de hoc sæpius adhuc in libello isto recurret mentio. Profectò primis tribus sæculis ante Concilium Nicænum I. Anno Christi 325. institutum, nullum fuit aliud, saltem Generale, celebratum, & tamen plurimorum hæreses E.G. Ebionitarum, Manichæorum, Montanistarum, Sabellianorum &c. fuerunt damnatæ; uti rectè notat P. Paulus à Lugduno in Dissertatione de Hæreticis, fol. 526. & noster Henno *Tom. I. fol. apud me* 210. Insuper Catholici antiqui indubitanter tanquam dogmata fidei receperunt Decreta, & Constitutiones illas quibus Summi Pontifices damnarunt Hæreses Pelagii, & aliorum, apud Bellarminum *lib. 4. cap. 3.* quamvis teste Dominico Viva *loc. cit. n. VII.* decisiones istæ per Summos Pontifices extra Generale Concilium contigerint. Item Concilia Arausicanum, Millevitanum, pluraque alia apud Bellarminum *loc. cit.* agnoscuntur tamquam Regula Fidei, non quidem quasi ex se habuissent aliquam infallibilitatem (utpote cum tantùm fuerint Provincialia, congregata pro certa aliqua Provincia) sed quoniam pro tota Ecclesia fuerunt à Summo Pontifice confirmata: nam Papa est Petra, super quam fundatur Ecclesia, & non vice versa: utpote cum ad Petrum & successores (non ad ipsam Ecclesiam) Christus Matthæi cap. 16. v. 18. dixerit: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* En! Petrus *fundamentum*; & Ecclesia *ædificium*: *à fundamento* in sua firmitate, & duratione dependet ædificium, *non ab ædificio fundamentum.*

VII.

Porro Summus Pontifex, etiam extra Concilium aliquod Generale ex Cathedra loqui censetur, uti rectè advertunt Cardenas 2. *Crisi d. 1. c. 3. 4. 5.* & La Croix *lib. 1. n. 203.* dum sive in materia fidei, sive morum, Constitutionem suam dirigens ad universalem Ecclesiam, prævio maturo examine (uti communissime de eodem præmisso in ipsa Bulla damnationis testari solet) quasdam proscribit Propositiones velut *Hæreticas*, alias tamquam *Hæresi proximas*, vel *suspectas*, seu *Hæresin sapientes*, vel tamquam *erroneas*, aut *laxas*, *scandalosas*, *temerarias*, *male sonantes*, *piarum aurium offensivas*, *blasphemas*, *impias*, *schismaticas* & *seditiosas*. De his omnibus occurrunt varia adhuc dubia singillatim per diversa quæsita solvenda; hinc ponitur

QUÆSTIO II.

Alia adhuc notabilia circa Propositiones damnatas in genere.

VIII.

Quær. 1. quandonam Propositio aliqua damnata dicatur *Hæretica*, *Laxa &c.*? Resp. *Hæretica* est propositio illa, quæ aperte, sive contrarie, sive contradictorie opponitur alicui articulo fidei. *Hæresi proxima*, quæ magnam habet affinitatem cum aliqua propositione Hæretica. *Suspecta* seu *Hæresin sapiens*, quæ nimirum ex circumstantiis videtur innuere, latentem Hæresin, E. G. quando propositio aliqua opponitur Conclusioni Theologicæ non quidem evidenter, ac omnino certo erutæ ex præmissis de fide; bene tamen probabilissime, & juxta communem Theologorum. *Erronea*, quæ opponitur non quidem immediatè alicui propositioni revelatæ, bene tamen Conclusioni Theologicæ ex Revelatis præmissis, ita ut saltem una ex præmissis sit propositio revelata, & altera aliunde certa, deductæ. *Laxa* censetur, quæ in materia morum nimium relaxat frænum ad nocivam libertatem. *Scandalosa*, quæ præbet occasionem ruinæ spiritualis, unde & *perniciosa* vocatur. *Temeraria*, quæ nullam pro se habet gravem asserendi rationem.

Male sonans, quæ abutitur vocabulis contra communem sensum Ecclesiæ: ejusmodi est propositio æquivocum habens sensum, quæ quidem potest suo modo etiam catholice intelligi, passim tamen, ut sic pronuntiata in sensu hæretico usurpatur.

Piarum aurium offensiva, quæ non solum male sonat, sed insuper in materia Religionis aliquod, si non falsum, saltem valde indecens affert, ex quo pietati dediti fideles merito offenduntur.

Blasphema, impia, seu injuriosa, quæ DEO, B. Virgini, vel Sanctis, habentibus cum DEO habitudinem, est contumeliosa ac dehonorativa.

Schismatica, quæ nata est inducere scissionem inter supremum Ecclesiæ Caput, ejusque membra.

Seditiosa, quæ nata est excitare tumultum in subditis contra suos legitimos Superiores.

IX.

Quær. 2. Quando aliqua Propositio damnatur præcise *prout jacet*, quomodo hoc sit intelligendum? Respond. ex La Croix *Tom. I. n. 234.* hos terminos sic esse intelligendos, quod propositio illa damnetur in eo sensu, quem verba habent secundum se, quatenus separata ab omni alio contextu; non autem in eo sensu, qui reperitur in libro Auctoris, fortassis per antecedentia, vel subsequentia ipsum sensum verborum modificantis. Nota hic incidenter, Propositiones Michaelis Baii, Cornelii Jansenii, & Paschasii Quesnelii à Pontifice damnari non præcise *prout jacent*, sed prout pariter reperiuntur in eorum scriptis

scriptis seu libris, attendendo antecedentia, & consequentia, ut sic via praecludatur futili Sectatorum evasioni de distinctione quaestionum Juris & facti, &c.

X.

Quaer. 3. An, si aliqua integra Propositio à Pontifice damnata plures sub se contineat partes, censeantur semper omnes reprobatae? Respondetur negative. Patet ab exemplo: Ponamus enim, quod aliquis docuerit sic: *Christus est verus homo, & Joseph est verus Ejusdem Pater, non solum Nutritius.* Haec propositio copulativa est damnata propter secundum membrum ejusdem, etsi primum membrum sit verissimum ac de fide. Taliter etiam Alexander VIII. Anno 1690. die 24. Augusti duas integras longiores propositiones de peccato Philosophico & Theologico, ac de bonitate objectiva & formali damnavit, ubi tamen non singula contenta in ipsis reprobata censentur, prout patebit suo loco.

XI.

Quaer. 4. Qualiter peccaret, qui aliquam propositionem damnatam adhuc defenderet quoad suam subsistentiam? Respondetur cum La Croix *lib. I. n.* 225. talem peccare graviter; quia virtualiter seu interpretative ipsam potestatem summi Pontificis aggreditur, neque datur hic levitas materiae; quia semper grave est resistere doctrinae supremi Pastoris ex Cathedra loquentis, ac in Virtute sanctae obedientiae praecipientis.

Accedit, quod ordinarie soleat annecti in Bullis Excommunicatio major contra eos, qui adhuc similes propositiones defendunt: Excommunicatio major non fertur, nisi propter grave peccatum, uti suppono ex Theologia notum: ergo.

XII.

Quaeres 5. An etiam peccaret, qui tantum disputationis gratia similem propositionem defenderet? Respondeo cum La Croix *lib. I.n.* 236. affirmative, saltem regulariter loquendo. Ratio est, quia regulariter, quando à Summo Pontifice ex Cathedra loquente damnantur aliquae propositiones, pariter inhibetur, ne de hisce deinceps *etiam disputatione tractetur, nisi forsan impugnando*, id est (uti recte La Croix) nisi ostendendo falsitatem harum propositionum. Ex quo terminis formalibus infert La Croix, *Eum, qui rationes pro simili propositione damnata proponeret inter argumentandum, & non solveret, aut infirmaret, incidere in poenas, quia sic defenderet, auctoritatem & robur addendo.* Ita ille, estque bene notandum: nam aliàs apud Auditores vel etiam apud ipsos Defendentes similes propositiones damnatae pluris aestimari solent, & successive Auctoritas Pontificis damnantis vilipendi.

XIII.

Quaer. 6. An, & quomodò peccaret, qui talem propositionem damnatam in praxin deduceret, seu ipsemet ageret juxta doctrinam damnatam? Ratio dubitandi est; quia etiam praxis similium Propositionum ordinarie solet in Bullis prohiberi.

Respond. I. Si quis similes propositiones ideo in praxin deducat, quia credit occulte, easdem adhuc esse veras, & Pontificem in tali damnatione errasse, peccat graviter deducendo in praxin, quamvis ex se foret levis, E. G. *Comedere & bibere usque ad satietatem ex sola voluptate* ex se non videtur peccatum grave, sed tantum leve: si tamen aliquis ideo hoc faceret, quia judicaret omnino id nullum esse peccatum, ne quidem veniale, & Pontificem Innocentium XI. in damnatione hujus doctrinae errasse &c. peccaret graviter. Ratio est superiori Quaesito 4. assignata, quia nimirum virtualiter sic impugnaret ipsam Potestatem Summi Pontificis: imo etiam totius Ecclesiae, quae per acceptationem similes propositiones jam agnovit ut recte damnatas.

Respond. II. Si quis mente non dissentiret à doctrina Decretorum Papalium, tales propositiones prohibentium, transgrederetur tamen illa Decreta practicando ea, quae in damnatis propositionibus continentur, talis peccaret tantummodo leviter, si materia in illis propositionibus damnatis contenta foret levis, secus si esset gravis. Ita denuo La Croix in substantia *lib.* 1.*n.*227. Ratio est, quia verosimile non videtur, quod Summus Pontifex in materia levi voluerit statuere praeceptum grave, dummodo ejus Potestas decidendi virtualiter non contemnatur. Totum magis elucescit in sequenti exemplo. Doctrina damnata est, quod sit licitum uti restrictione pure mentali; hoc non obstante si quis eadem uteretur cum praecedentibus modificationibus in materia levi, foret tantummodo leve peccatum, secus si fieret in materia gravi, & tertio graviter praejudiciosa.

XIV.

Quaer. 7. & ultimo, An, ut quis teneatur credere, & sequi Bullas, seu Decreta, quasdam propositiones damnantia, requiratur, ut illa Decreta, memoratas propositiones damnantia, sint promulgata in singulis Episcopatibus? Ratio dubitandi est: quia alias uti in Legibus civilibus, ita pariter in Ecclesiasticis, saltem juxta probabilem sententiam, ut obligent, requiritur promulgatio in singulis Provinciis. Hoc tamen non obstante Respond. cum La Croix *lib. I.n.*230. negative. Ratio disparitatis est, quia, transmissa etiam illa sententia, & paritate inter Constitutiones Ecclesiasticas ac Leges Civiles (quae tamen à quampluribus Canonistis non admittitur) adhuc tamen negatur alia paritas inter ipsas Constitutiones Ecclesiasticas, & illa Decreta in materia fidei & morum, in quibus ultimis (non vero in prioribus) loquitur Pontifex ex Cathedra, juxta jam dicta ex sententia communissima infallibilis in decidendo. Ex quo sequitur, certum esse, Propositiones damnatas existere tales, quales easdem declarat Papa, cum loquens ex Cathedra in materia fidei & morum nequeat errare. Ad quid ergo opus foret promulgare in aliis Provinciis, quomodo NB. aliunde sufficienter constet, similes Bullas seu Decreta Romae cum requisitis solemnitatibus fuisse promulgata?

XV.

Viderint ergo quidam &c. (respective valde pauci) in Gallia, quomodo coram DEO sufficientem rationem reddere valeant, dum Bullam *Unigenitus* ultra centum Propositiones Paschasii Quesnelii damnantem non recipiunt. Scio quidem solitam eorum cantilenam, Pontificem sine assensu Ecclesiae non esse infallibilem. Sed, praeterquam quod hoc ipsum juxta jam dicta, & adhuc dicenda negatur: etiam falsum est, quod Ecclesia non consenserit, cum respiciendo universum orbem Catholicum nullus Episcoporum eam Bullam rejecerit (uti docte advertunt nostri

nostri Galli Franciscani) præter respective paucissimos Episcopos in Gallia &c. qui tam parum consensui totius Ecclesiæ obsunt, ac si in aliquo Concilio Generali unus tantum, vel alter Episcopus contradiceret.

CAPUT I.

Continens Propositiones damnatas à potiori respicientes Statum internum hominis, & Theologiam Mysticam.

Theologia Mystica, seu effectiva, equidem potius simplici mentis intuiti, intimoque cordis affectu, quam rationis discursu acquiritur, docente omnium scientiarum Magistro Christo Domino; aliqua tamen principaliora de eadem, ex celebrioribus in hoc puncto Auctoribus deprompta, adducere consultum inveni. Quare sit.

§. I.

Quid sit Theologia Mystica, & quænam ejusdem principia?

1. Respondetur I. Theologia mystica Soror quidem Scholasticæ, magis tamen experientia, quam speculatione addiscenda, *est facultas, quæ hominem ducit, ac instruit ad apicem perfectionis Evangelicæ, & mediante vinculo charitatis valde intensæ, ad intimam cum DEO conjunctionem.* Ex sancta hac cum Deo unione resultare dignoscitur, quod anima facultati huic practice, & in actu exercito dedita (præsertim si gratiam illam in perfectiori gradu possideat) omni prorsus nisu post intimam illam & supernaturalem à Dilecto suo sibi immissam conjunctionem, ad se rediens prosequatur ea, in quibus Dilectus majorem habere complacentiam ostendit; ab aliis autem tamquam à facie colubri fugiat, quæ vel a longe speciem offendendi Dilectum præseferunt. Quod si subinde minimam contrahat maculam levissimi peccati, seu imperfectionis (prout Deus apud similes animas ad majorem sui humiliationem etiam talia permittit) magna non raro, non tamen inordinata, subsequitur tristitia, opera poenitentiæ sæpe rigidissima (si tamen à Directore spirituali fuerint concessa) assumuntur, & cor Divino exæstuans amore ad intensiores Virtutum actus accenditur, semperque anima talis majorem cum Dilecto familiaritatem contrahit. Intensum hunc sponsæ suæ charitatis affectum centuplicato refundit Clementissimus Deus amore reciproco, intimius aliquoties per extases, visiones, & revelationes se communicando, eamdemque pretiosissimis donorum, & gratiarum Thesauris replendo, etsi suis temporibus ad probandam Amantis in dilectione constantiam &c. nec desint cruces, tribulationes, persecutiones, ariditates, internæ derelictiones, ac præviæ purgationes, uti in Theologia mistica solent vocari.

2. Respondetur II. Ad dirigendas similes Personas, debet Director spiritualis in genere Principia sequentia jam à me in supplemento & additionibus ad Theologiam moralem P. Reiffenstuel adducta observare. I. ut sese informet præcedenter in Libris celebrioribus de hac materia tractantibus, quales sunt *Opera S. Teresiæ, Nox S. Joannis de Cruce, Prologus galeatus Ven. Mariæ de Agreda, S. Bonaventuræ*, ac *Cardinalis Bona* in speciali de hac materia tractatu. Item *Paulus Zacchias* (præsertim si Quæstio intervenit circa operationes miras, utrum sint vera miracula) & *Didacus Lopez* in lucerna mystica atque *Matthæuccius* in sua Practica Theologico-Canonica, aliique plures. II. Præditus esse debet non solum scientia, sed vel maxime circumspecta prudentia, ac pariter indagare in emergentia casus, quinam effectus ab ipsa natura possint procedere, & quinam non? ubi specialiter deservient *Quæstiones Medico legales* Pauli Zacchiæ versatissimi Medici Romani, & Practica Theologico-Canonica ad causas Beatificationum Augustini. Matthæuccii. *III.* Debet esse profunde humilis; alias, quamvis doctissimus, sæpius impinget: Deus enim humilibus dat gratiam discernendi spiritus, ac superbis resistit. *IV.* Non sit facilis ad credendum. *V.* Teste Gersone non facile applaudat tali personæ, nec laudet præsentem, aut miretur quasi sanctam: quinimo subinde probandi causa eamdem moderate increpet, tentando, num forte non lateat occulta superbia, qualis apud homines elatos, præsertim si non advertant se probari, brevi manifestabitur, dum ægre ferent increpationes, aut minus æstimatas aut laudatas suas revelationes. Prodecto Dominicus Banez insignis Theologus spiritum S. Teresiæ exinde cognovit. *Ego* (inquit initio operum S. Teresiæ) *per multos annos ejus confessiones excepi, eamq; sæpius examinavi, semper me erga illam valde asperum & rigidum præbens: quo magis autem illam humiliabam, & despiciebam, eo magis ipsa ad meum consilium animabatur, ita se existimans tutius incedere. In nulla autem Persona majorem animi sinceritatem, simplicitatem, & humilitatem observavi.* Ita ille.

2. Respondetur III. Quoad Extasin in specie respiciat Director spiritualis ad puncta illico proponenda. I. nequiter simulatam extasim deprehendi posse partim ex vita, & moribus talis personæ, partim teste Paulo Zacchia per applicationem sternutamentorum, per fortes revulsiones, per dolorosas ligaturas, per cucurbitulas cum multo igne appositas, vel per inustiones & cauteria &c. Ubi brevi ex vi doloris tales personæ ad se redibunt, seu potius exinde indicabunt, se numquam fuisse in extasin raptas.

Observet II. Extasin in genere describi, quod sit *Alienatio potentiæ imaginativæ ab aliis rebus cum fixa detentione in certa alicujus objecti consideratione.* Hæc dividitur in *naturalem, dæmoniacam, & supernaturalem*, uti recte Matthæuccius in sua Practica Theologico Canonica *tit. 3. cap. 3. art. 1. n. 2.* advertit cum aliis, prout nimirum ejusdem Auctor est natura, dæmon, vel ipse Deus. Oritur autem extasis naturalis teste Matthæuccio *loc. cit.* ex valde intensa, & immoderata consideratione objecti, sive nimium dilecti, aut satis terrifici, ubi in cerebrum confluunt omnes, vel saltem potiores spiritus animales, alias sensibus externis, & potentiæ locomotivæ destinati, quibus non amplius ministrant vires sufficientes, hincque provenit, ut sensus externi, & potentia locomotiva pro eo tempore non amplius operentur, usque dum spiritus animales denuo redeant.

Observet Confessarius III. ex Paulo Zacchias, quod extasis *naturalis* in fixa detentione potentiæ Imaginativæ possit versari circa Coelestia, Angelos, & Sanctos, antea forsan per meditationem intensam phantasiæ repræsentatos: & quo vehementior est imaginatio, eo magis, ac plus sensus interni ac externi destituuntur suis spiritibus animalibus. Item juxta quantitatem, & qualitatem spirituum etiam longius, vel brevius durat extasis: sic teste Paulo Zacchia *lib. 4. tit. 1. quæst. 6. n. 7. & 8.* quando cerebrum fuerit debile, & spiritus multi, crassi, & melancholici, quos cerebrum debile tam cito rejicere nequit, per longissimum tempus potest durare extasis naturalis, quæ etiam degenerat

nerat subinde in apoplexiam vel in Catalepsin. Ubi,

Observet Confessarius IV. quòd *catalepsis* sit ille morbus, qui ferme omnem sensum, motum, & animalem virtutem, præsertim, si fortis est, destruit, maxime quoad rationalem animæ partem. *Caros* est somnus profundus sine febri, vel subsequens ad febrem; *Coma vigil* est propensio ad somnum, ubi tali morbo laborantes, etsi facile dormiant, de facili tamen etiam iterum excitantur. *Coma somnolentum* est somnus profundus differens à *Caros*, quia Caros à frigido, Coma vero magis ab humido dependet. *Suffocatio uteri* est morbus familiaris per consensum cerebri cum utero proveniens, qui, si magnus sit, mulieres tamquam mortuæ, alias tamquam semimortuæ apparent, loqui non possunt, sed tamen audiunt, quin etiam transacto paroxismo audita referunt. Hi omnes paroxismi in multis sunt consimiles cum extasi naturali, ac propterea hic descripti.

Observet Confessarius V. Quod extasis diabolica tunc contingat, cum vel diabolus immediate, vel hujus ope magi mentes hominum à sensibus externis alienant, figunt potentiam imagitativam ad certum objectum à diabolo præsentatum, in quo casu dæmon vel externos sensus modo insensibili ligat, vel impedit, ne in easdem defluant spiritus animales ad officia sensuum necessarii. Tales credit Matthæuccius *loc. cit.* fuisse duas extases, quas refert S. Augustinus *lib.* 14. *de Civ. Dei cap.* 24. *& lib. de cura pro mor. agenda*, *cap.* 12. E contra vero extasis supernaturalis à S. Bonaventura *lib. de* 7. *grad. contemplationis* ex D. Dionysio sic describitur, quod sit quædam *voluptuosa elevatio devotæ animæ supra se deserto exteriori homine ad supernaturalem Divini amoris fontem.*

Observet Confessarius VI. signa discernendi extasin supernaturalem à naturali, & diabolica esse quidem difficillima; interea tamen tam à Paulo Zacchia *lib.*4. *QQ. Medico Legalium tit.* 1. *q.* 6. quam à Matthæuccio in sua Practica *Tit.* 3. *cap.*3. *art.* 1. *nu.* 12. aliqua assignantur, ex quibus efficaciora desumo: nimirum in *extasi naturali*, si non omnia, saltem aliqua ex sequentibus occurrunt, nempe capitis discrasia, seu intemperies, constitutio melancholica, sanguinis ac spirituum non naturalis constitutio. Exinde corpus, ea finita, patitur lassitudinem, ac torporem, quamdam intellectus offuscationem, rerum præteritarum oblivionem, colorem conversum ad pallorem, vel livorem, seu fuscedinem: Insuper talis homo vexatur tristitia absque sufficienti causa, molestatur pandiculatione, & oscitatione frequenti, & incurrit periculum Apoplexiæ, vel Paralysis, aut Catalepsis &c. E contra vero similia, præsertim quæ animum concernunt, abesse solent saltem poriora ab extasi supernaturali? Unde

Observet Confessarius VII. Conjecturari posse probabiliter, his absentibus, præsertim quæ animum afficiunt, adesse extasin supernaturalem, maxime si extaticus ille præditus heroicis Virtutibus, post extasin non glorietur, sed magis humilietur, & doleat, quod ab aliis videatur, à quibus extasin, quantum est in sua potestate, celare curat: alias enim extasis etiam à diabolo provenire potest, vel immediante, vel etiam mediante natura, qua uteretur tamquam Instrumento.

Observet VIII. Confessarius ex eodem Matthæuccio & Zacchia, si extases valde frequentes sint, prudentem præsumptionem extasis potius naturalis, nisi aliunde efficacissime constet de effectu supernaturalitatis; DEUS enim non solet ordinarie in tantum multiplicare miracula: interea tamen, si talis homo noscatur alias Virtutibus heroicis bene probatis exornatus, & sub extasi à terra elevetur in altum, aut facto præcepto obedientiæ, etiam sub terminis extatico ignotis, aut in summo silentio, tantum mentaliter proposito (prout contigit talis probatio apud Ven. Virginem Mariam de Agreda) illico ad se redeat, crederem talem extasin, adhuc suppositis supponendis, esse potius supernaturalem, quam naturalem, aut diabolicam.

4. Respondetur IV. *Circa visiones*, *& apparitiones* talium Personarum attendat Director spiritualis I. Quod alia sit visio *Corporalis*, alia *Imaginatoria*, & alia *intellectualis*. *Corporalis* immediate procedit à sensu externo, v. g. visu, vel auditu percipiente objecta sensibilia externa vera, vel apparentia sibi proposita. *Imaginatoria* ea est, quæ à potentia Imaginativa, seu à sensu interno primo procedit, quin in eo ipso momento operatio aliqua in sensu externo præcesserit. *Intellectualis* illa est, quæ primo ab intellectu formatur per species intelligibiles, quin originem suam habeat ab his, quæ vel sensus externi prius perceperint, vel phantasia seu potentia imaginativa procedentes cognoverit. Attendat Confessarius II. Quod ex parte causæ efficientis alia dicatur visio naturalis, alia dæmoniaca, & supernaturalis. *Ultima* à DEO efficitur sive immediate, sive ministerio Angelorum. *Dæmoniaca* prodit à potestate dæmonis deludentis variis modis sensus internos, & externos, vel per alterationem humorum, & spirituum animalium, vel per subtractionem realium rerum & oppositionem aliarum, quas sive ex aere composuit, sive aliunde concapit. *Naturalis* visio à naturali principio procedit, pro qua,

Attendat Confessarius III. Hanc ipsam naturalem visionem posse esse vel corporalem, vel imaginatoriam. *Corporalis* contingit sive propter vehementem imaginationem circa aliquod objectum adeo, ut humores corporis præter ordinem commoti irregularem spirituum animalium copiam tum phantasiæ; tum sensui externo deferant propter quod quis censet e.g. concentus Angelorum audire, aut oculis corporeis videre figuras Sanctorum sibi apparentium: sive talis visio corporea naturalis evenire etiam potest propter impedimentum in cerebro, quod confundit ordinem in sensu etiam externo, adeo, ut Imagines phantasticas observet, ac si essent vera corpora, prout frequenter fit apud graviter infirmos, apud sanos vero, testibus D. Bonaventura, & Gersone *tract. de probat. spirituum* prænuntiat periculum insaniæ. *Visio naturalis imaginatoria* suboritur, sive paritur ex spirituum animalium commotione, sive ex immoderato voluntatis affectu, vi cujus quis vehementer applicat potentiam imaginativam, efformantem sibi varias species sensibiles, seu phantasticas circa id, quod concupiscit &c. Ita quoad omnia doctissime Matthæuccius *in sua Practica tract.* 3. *cap.* 3. *art.* 1.

Attendat Confessarius IV. quod valde frequenter visiones seu apparitiones corporales, Imaginariæ, quæ creduntur provenire à DEO, & Sanctis, possint esse pure naturales, præsertim apud fortiter apprehensivos, & apud feminas maxime certis temporibus, quæ præter matricem abundant passionibus admodum acribus; hincque non raro, quod à passione natum, à veritate pro fectum putant; suntque præterea feminæ naturæ magis humidæ & viscosæ; humidum autem facile commovetur, variasque figuras recipit, & viscosum difficilius, ac serius à motu cessat. In emergentia difficilioris casus legatur desuper Delrio, præsertim *lib.* 4. *disquisit. mag. sect.* 2. *&* 3. atque apud eumdem bene notentur verba Gersonis

nis sequentis tenoris: *Hoc præcipue considerandum, qualiter cum suis confessionibus & instructionibus muliercula tales conversentur. Si collocutionibus continuis sub obtentu nunc crebræ confessionis, nunc longæ narrationis visionum suarum, & nunc alterius cujuslibet confabulationis: expertis credite nominatim Augustino, & Bonaventuræ, vix est altera pestis vel efficacior ad nocendum, vel insanabilior.* Ita ille vir non solum doctissimus, sed & summe practicus. Attendat Confessarius V. Quod equidem, si talis persona alias noscatur, non multum dedita phantasiis &c. ac præterea sit probatæ Virtutis, maxime quoad cæcam obedientiam, & profundam humilitatem, possit Confessarius prudenter inferre, visionem esse supernaturalem, eo quidem magis, si fuerit visio pure intellectualis, aut si visioni etiam sensitivæ fuerit conjuncta talis Revelatio, quæ vix potuit esse alia, quam Divina. Econtra vero visio, seu apparitio prudenter infertur deceptoria, si conjuncta Revelatio fuerit falsa, seu si res revelata sit parum utilis, excitativa discordiarum &c. Item deceptoria & diabolica erit, si in visione apparens fugiat signum Crucis, ac Sacramentalia, si nolit pronuntiare sacra Nomina JESUS & MARIÆ, nec ipsis reverentiam facere, si appareat forma non humana, seu bene formata, aut si primo quidem lætitiam afferat, postea tamen horrorem, turbationem, vel magnam desolationem, aut etiam tentationes ad impura: vel si abeat cum magno fœtore ac strepitu. Notentur ultimate verba formalia D. Bernardi *Serm. de utilit. Verb. Dom.* dicentis: *se transfigurat malignus spiritus aliquando in Angelum lucis, ut Virtutis simulatione plus noceat, sed & tunc quoque si diligenter advertimus, numquam nisi amaritudinis, & discordiæ semina spargit: suadet enim nonnullis singularia Jejunia quædam unde ceteri scandalizentur, non quia diligit Jejunium, sed quia scandalo delectatur.*

5. Respondetur V. Circa prætensas *Revelationes* Director spiritualis sciat recte inter Revelationem *Divinam, Imaginariam*, & *diabolicam* distinguere: ante omnia suæ memoriæ profunde infigat doctrinam Sancti Bernardi *de Perfect. Relig. lib. 2. cap. 26.* ubi sic ait: *In omnibus revelationum & Visionum generibus magna cautela habenda est, ne falsa pro veris, noxia pro salutaribus, exigua pro eximiis, & incerta pro certis recipiantur*; sic utique, si extatica aliqua visio deprehenditur naturalis, aut diabolica, Revelatio quoque sub eadem facta non credetur Divina.

Porro Confessarius doctus, & versatus potest Revelationem Divinam ab imaginaria, vel diabolica discernere per quatuor genera causarum.

I. Ex parte causæ materialis perpendat, an materia revelata nil contineat contra fidem, contra *communem* SS. PP. aut contra bonos mores &c. *II. Ex parte causæ formalis* attendat Confessarius ad modum, quo Auctor illas Revelationes proposuit, e. g. si ad aliquam personam profundæ humilitatis, & promptissimæ obedientiæ eadem fit derepente absque prævia intentione circa illud objectum, neque est in potestate animæ ipsam non attendere: Item, si brevissima temporis morula multa sublimia, sacratissima & ad purum Divinum amorem excitantia docet, nec non ad heroica fortificat, signum est. Revelationem provenire à DEO, quando aliunde nihil obstat. *III. Ex parte causæ efficientis*, seu ex parte illius, qui proponit aliquam Revelationem, observet & probet Confessarius, etiam altero ipsam probationem non advertente, num sit valde virtuosus, præsertim fundatus in contemptu sui, & abnegatione propriæ voluntatis. Item num non nimium inclinet in melancholiam, nam teste Paulo Zacchia *lib. 4. tit. 1. nu. 14.* temperamentum melancholicum plurimum ad similia propendet, etiam prophetando futura: cum enim melancholici sint fortiter apprehensivi, & sæpe docti ex uno aliud conjecturantes, solent subinde credi prophetiæ, cum tamen fuerint solummodo conjecturæ, quibus per accidens veritas erat conjuncta. *IV. Ex parte causæ finalis* respiciat Confessarius, utrum similes Revelationes tendant ad majorem DEI gloriam, nec non ad notabilem utilitatem spiritualem propriam, aut proximi, & non potius introducat (quamvis ad speciem bona) aliquem teporem, scrupulos, anxietates, desperationes, vel quampiam partialitatem, atque exinde in Communitate varias murmurationes, discordias &c.

§. II.

Quis fuerit Michael Molinos, & quam turpiter à principiis Theologiæ Mysticæ aberraverit?

6. Resp. I. Michael Molinos erat natione Hispanus, dignitate Sacerdos, in modo agendi insignis Hypocrita, qui longiori tempore Romæ moratus, ficta sua pietate multos, etiam graves Viros æque, ac devotulas decepit, & non paucos pestifera sua lue eo citius infecit, quo magis natura humana post Adæ peccatum, ob fomitem concupiscentiæ relictum alias fragilis, ad vitium carnis, cui plurimum favebat, inclinat. Tandem vulpina ejusdem nequitia fuit detecta, & Michaelis Molinos doctrina ab Innocentio XI. Summo Pontifice Anno 1687. tamquam hæretica damnata, nec non Auctor ejusdem, postquam coram sacro Senatu, & immensa confluentium multitudine nefaria sua Dogmata publice retractavit, ad perpetuos carceres relegatus, in quibus etiam circa annum 1696. legitur mortuus.

7. Respondetur II. Michael Molinos ex eo turpiter à principiis Theologiæ Mysticæ aberravit; quia pessime contra Sacram Scripturam docuit, animam huic Sacræ Theologiæ practice deditam in statu perfectissimæ unionis cum Deo ita debere suas annihilare potentias, ut nihil etiam quoad actus Virtuosos operetur, sed tantummodo se habeat passive, Deumque solum ad intra supernaturaliter operari permittat, parum curando, utrum corpus interim ad extra etiam carnaliter cum altero sexu commisceatur, aliique impudici actus exerceantur, dummodo interim anima in sua existat quiete, in qua tamen eadem perturbaretur, si potentiæ superiores animæ inferioribus non omnia indulgerent. Ita ille. Ex quo pessimo, ac vitio carnis totaliter addicto principio, Michael Molinos sectæ *Quietistarum* dicitur Coryphæus. Repugnat autem pestiferæ huic doctrinæ Sacra Pagina multipliciter, dum non solum *fornicarios, molles, & adulteros* à Regno Cælorum *1. Corinth. cap. 6. v. 9.* clarissime excludit, verum etiam Apocalypsis *cap. 22.* omnes exstimulat, *ut qui justus est, justificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc*: Item *Luc. c. 18.* admonet, *ut semper, & 1. ad Thessalonicenses, cap. 7. ut sine intermissione* oremus, & consequenter actus Virtutum exerceamus. Prout etiam exigit primus Christi Vicarius *2. Petri cap. 1. v. 1. ibi: Fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram Vocationem & electionem faciatis.* Unde mirum non est, quod diabolica hæc apparentium Catholicorum doctrina jam tempore antiquo fuerit ab Ecclesia rejecta, prout num. 9. & sequent. percipies.

§. III.

§. III.

Quænam fuerit Bulla Innocentii Papæ XI. pestiferam hanc Michaelis Molinos doctrinam rejiciens?

8. Respondetur eam posse videri in principio Tomi primi, cum propositionibus damnatis.

§. IV.

Utrum Michael Molinos ex præcedentibus hæreticis, jam ab Ecclesia damnatis, & ex quibusnam, pessimam suam doctrinam circa Theologiam mysticam desumpserit?

9. Respondetur I. Uti alii Hæresiarchæ, ita etiam *Michael Molinos*, Quietistarum Corypheus, haud dubiè ex Hæreticis præcedentibus, & quidem pessimis, sua desumpsit Principia. Fuere hi nominatim *Beguardi*, *Beguini*, *Beguinæ & Illuminati*.

10. Respondetur II. Juxta recentissimum Lexicon Polemicum Joannis Sianda Congregationis S. Bernardi Ordinis Cisterciensis primi Assistentis Generalis, Romæ cum approbatione Magistri S. Palatii Anno 1733. editum, *Beguardi* prope finem sæculi decimitertii per inferiorem Germaniam grassari cœperunt, Auctore incerto, quem alii Bogonatum, alii Bononatum appellant: Alii vero putant extitisse prope Coloniam plures Viros Idiotas, qui absque Sedis Apostolicæ licentia nostram Religionem induxerunt sub specie summæ paupertatis, sub qua, ac ficta pietate multos deceperunt.

11. Respondetur *III. Beguini* cum priorum erroribus adeo concordant, ut à non paucis uti in re conveniunt, ita etiam cum Joanna Sianda ad unam sectam reducantur. Quidquid tamen de hoc sit, Beguinorum Auctor, à quo forsan, vel asseclis, Inferioris Germaniæ sectarii suam hauserunt doctrinam, vocatur Hermannus Pongilupus Ferrariensis, teste Wadingo circa annum 1270. mortuus; in vita autem hypocrita tantus, ut post obitum ejusdem in Ecclesia Cathedrali, aliisque, Tabulæ atque Imagines ad illius honorem fuerint appensæ. Fraude tandem cognita equidem jussit Summus Pontifex Bonifacius VIII. anno 1300. corpus exhumari, ac flammis absumi: Memoria tamen nefarii Impostoris non potuit in tantum aboleri, quin progenies ista Viperarum sub sanctitatis velamine, & habitu Religioso satis rigido hæreses suas ubique terrarum dilatarit, jactando falsissime genuinam imitationem mentis & Regulæ Seraphici Patris Francisci, ac zelum strictissimæ paupertatis, exinde *Fratres de paupere vita* alibi *Bizocchi*, aut *Fraticelli* vocati. Ex quo non pauci, maxime plebeji fuerunt redditi perplexi, eosdem cum veris Fratribus Minoribus confundendo. Nefarios hosce, ac Pseudo-Religiosos, atque Ecclesiæ Catholicæ summe nocivos Hypocritas Seraphica Religio, quasi singulariter illi Hæresi à Deo opposita, disputationibus publicis, ac privatis, errorum suorum convincere, ac larvam sanctitatis detrahere adeo utiliter allaboravit, ut sectam impiam Joannes XXII. in gravissima Bulla *Sancta Romana, & Universalis Ecclesia* incipiente, & quæ in Jure Canonico inter Bullas dicti Pontificis Tit. *De Religiosis Domibus* invenienda, damnaverit, nec non pertinaces ultricibus flammis tradiderit, cujus tandem ultimas restantes SS. Joannes Capistranus, & Jacobus de Marchia Franciscani, & Apostolici Inquisitores contra hæreticam pravitatem omnino extinxerunt. Ita Lucas Wadingus in recentissima Editione Romana Annalium ex voluntate Sanctissimi Clementis XII. opera & studio nostri Reverendissimi totius Familiæ Cismontanæ Comissarii Generalis, Josephi Mariæ Fonseca ab Ebora &c. ordinata. *Tom. VI. fol.* 279. *num.* 23. *& seqq.*

12. Respondetur IV. *Beguinæ* erroribus Beguinorum, seu Beguardorum deditæ, vixerunt cum Beguardis sub ementito Monialium statu, sine tamen aliqua votorum emissione. Originem traxisse dicuntur à quadam Margarita Porreta ex Hannonia, quæ librum composuit, plurimis equidem repletum erroribus, inter alia tamen ad propositum specialiter tenuit, *animam annihilatam in amore Conditoris sine ullo conscientiæ metu aut remorsu posse, & debere naturæ indulgere, quidquid appetit & desiderat.* Noluit sua falsa retractare Dogmata pertinacissima mulier, hincque Parisiis combusta. NB. Interim tamen notes velim, benigne Lector, ad tollendam omnem æquivocationem *Beguinas* istas Hæreticas nullatenus esse confundendas (prout etiam ipsemet Pontifex vult, ne confundantur, Extravagant. *Ratio recta* inter communes, *de Religiosis Domibus*) cum aliis ejusdem nominis exemplariter viventibus in Belgio juxta constitutiones sibi traditas vel à S. Bega, vel ab alio pio Sacerdote Bego nuncupato.

13. Respondetur V. Cum Historia illa de *Beguardis* ac *Beguinis* utriusque sexus fusiori fortassis, quàm alias necesse fuisset, proposita sit calamo, causa est, ut caute deinceps etiam ex Catholicis legantur quidam Historici, qui scribunt, mentionatos fuisse de sacro aliquo Ordine ab Ecclesia jam approbato, puta, Minoritico, aliove, cum tamen expresse Summus Pontifex Extravagant. *Sancta Romana* Joannis XXII. *de Religiosis Domibus* attestetur, præfatos fuisse *profanæ multitudinis Viros, qui habitum novæ Religionis assumere &c. temeritate damnabili præsumpserunt.* Equidem negari haud valet, quod multi eorum, ut plebem deciperent, magisque se dilatarent, taliter fuerint gloriati, e. g. nunc se jactando tanquam veros S. Francisci filios, Regulam litteraliter observantes, nunc de Tertio ordine, nunc aliter, prout magis ad pessimum ipsorum intentum deservire crediderunt. Insuper contigisse faciliter potuit, quod aliqui, tanquam membra quædam putrida, ex diversis Sacris Religionibus, sive in obedientia Superioribus refractarii, seu vitio carnis addicti, morbido huic corpori se aggregaverint; ex hoc tamen nullatenus sequitur, Institutum illud nefarium fuisse de Religione ab Ecclesia approbata; cum S. Pontifex expresse teneat contrarium. Id si scriptores isti annotassent, Acatholicis Historicis, alias Sacrorum Ordinum Osoribus, & acervatim talia exaggerantibus ansam non præbuissent similia suis inserendi libris in contemptum Religionis, atque passim eosdem tanquam præcise Historicos etiam in locis Germaniæ catholicis, venales exponendi, adjunctis simul figuris in cupro ad nauseam usque repræsentantibus pessima facta horum Hæreticorum, quos modo sub hujus, modo sub alterius sacri Ordinis habitu exhibent.

14. Respondetur VI. *Illuminati* æque ac ipse Michael Molinos ortum suum habuerunt in Hispania Anno 1575. suppressi Cordubæ per Sacram Inquisitionem. Ast Anno 1623. Hispali reviviscentes denuo suo cinere sepeliri credebantur, cum septem illius sectæ flammis absumendi traderentur.

Paulo post repullularunt in Picardia Galliæ Provincia, Promotore Petro Querrino Parocho, ex quo etiam *Querini* appellantur. Anno 1634. pariter infestarunt

tarunt Flandriam. Finaliter Anno 1635. sub Ludovico XIII. tanquam diversarum impuritatum defensores omnino extincti, saltem usque ad tempora *Michaelis Molinos*.

15. Respondetur VII. *Beguinorum*, & *Beguardorum* errores teste Sianda à Clemente V. in Concilio Generali Viennæ in Galliis celebrato rejecti, ac iterum à Joanne XXII. in Bulla *Sancta Romana* &c. reprobati fuerunt inter plures alios ad nostrum propositum sequentes:

I. Homo in hac via tantum perfectionis gradum potest acquirere, ut reddatur penitus impeccabilis.

II. Homo non peccat fornicando, quia est secundum inclinationem naturæ.

III. Homo constitutus in perfectionis gradu non tenetur obedire præceptis Ecclesiæ.

IV. Homo perfectus habet sensualitatem ita perfecte subjectam spiritui, & rationi, ut non amplius opus habeat orare, vel pia opera exercere.

V. Homo perfectus concedere potest corpori, quidquid libuerit.

VI. In actibus Virtutum se exercere est hominis imperfecti. 16.

Respondetur VIII. *Illuminatorum* dogmata ejusdem fuerunt cum prioribus farinæ, sicque sub eadem damnatione comprehensa, docebant enim:

I. Per orationem mentalem fit unio cum Deo ita sublimis, ut tali meditationi vacans amplius non egeat aliis bonis operibus, neque Ecclesiæ Sacramentis; Imo absque veniali peccato possit, facta unione mentis cum Deo, committere quodcumque, licet impurum peccatum.

II. Supposita hac unione opus est solummodo relinquere, ut Deus agat in homine, homo vero nullatenus teneatur ad agendum. Ita pessimas Hæretici isti posuerunt præmissas, contra expressos Sacræ Scripturæ textus, contra vitam & doctrinam Christi ad omnia vendenda, & ad consilia Evangelica, si velimus esse perfecti, nos excitantis, contra præcepta Decalogi, contra exempla Sanctorum à primis temporibus usque huc in diversis Virtutibus, & quidem in gradu valde heroïco se exercentium, ac denique contra expressas Summorum Pontificum definitiones. His non obstantibus ex pessimis his præmissis suas *Michael Molinos* deduxit pessimas conclusiones, cupiens nihilominus coram sæculo apparere & audiri verus Catholicus. Ad initium currentis sæculi attentavit Sacerdos quidam, cui nomen Beguarelli, sopitam jam hanc hæresim denuo Brixiæ ressuscitare, quæ tamen statim in ortu suo superiorum vigilantia fuit iterum suffocata, prout testatur Sianda in suo Lexico Polemico, V. *Beguerelli*.

§. V.

Qualiter Franciscus Fenelon de Salignac inter Auctores Recentiores quoad Principia Theologiæ Mysticæ impegerit, & quisnam is fuerit?

17. Respondetur I. Franciscus de Salignac Fenelon, Clericus erat non minus pietate ac doctrina valde insignis, quem exemplaris sua vita, dirigendi alios prudentia, præsertim Liber inscriptus *de l'Education des filles*, ac plurimæ, quibus præluxit, virtutes adeo in Galliis celebrem reddiderunt, ut Catholici Hispaniarum Regis Philippi V. pro tunc Ducis Andegavensis, nec non Serenissimorum Prioris Fratrum Ducum Burgundiæ & de Berry Instructor præ omnibus aliis Candidatis fuerit selectus, cui tandem pro eximiis suis meritis in aliquam recognitionem Archiepiscopalis cessit Infula Cameracensis. Optimus hic Princeps ex libris suis alias valde famosus, præsertim quoad illum, quem duci Burgundiæ pro faciliori instructione obtulit, vulgo *Telemaque* dictum, tandem vulgavit idiomate Gallico librum quempiam *Explication des Maximes des Saints sur la vie interieure* intitulatum, qui de non sana doctrina, præsertim de suspecto Quietismo per nonnullos Galliæ Episcopos tantum excitavit strepitum, ut rumor, maxime per libellos pro, & contra editos, dilatatus, tandem ad Curiam Romanam, & ad aures Summi Pontificis Innocentii XII. pervenit, qui præhabito, in pluribus Cardinalium, ac Theologiæ Magistrorum Congregationibus accurato examine, Librum ipsum sub quavis editione aut versione impressum, sive imposterum imprimendū, ne fideles successive in errores ab Ecclesia Catholica jam damnatos induci possent, severissime prohibuit, atque Anno 1699. die duodecimo Martii viginti tres ex eo excerptas Propositiones tanquam *temerarias*, *scandalosas*, *male sonantes*, *piarum aurium offensivas*, *in praxi perniciosas ac respective erroneas* damnavit: cui etiam Fenelon, uti filius Ecclesiæ obediens se submisit, ac contra se Bullam Pontificiam ipsemet in sua Diœcesi publicavit.

18. Respondetur II. Archi-Episcopum Cameracensem Franciscum Fenelon de Salignac in suo libro *de vita interiori* ducente ad statum Vitæ contemplativæ, seu unitivæ &c. ideo impegisse in Theologiam Mysticam: *In primis* quia pro directione animarum in statu perfectionis, ac vitæ contemplativæ seu unitivæ existentium, talem juxta communem verborum sensum posuit doctrinam, qua possent fideles (uti Summus Pontifex in Bulla damnationis advertit ex ejus Lectione & usu sensim induci in errores ab Ecclesia jam damnatos, maxime Quietistarum collocantium rationem perfectionis in mera quiete, seu in statu mere passivo, sinendo solum Deum in anima agere, absque exercitio Virtutum: Etenim Fenelon (saltem in modo loquendi & sensu obvio) parum quoad hoc distare videtur, dum etiam ipso statum animæ perfectæ vult esse passivum, & in sancta (ut inquit) indifferentia, præscribens Propositione III. inter damnatas tamquam essentiale in directione talis animæ: NB. *non aliud facere*, *quam sequi pedetentim gratiam* &c. Item se intra hos limites continere, *ut sinatur Deus agere* &c. Item Propositione 21. ponit hæc formalia: NB. *Sancti Mystici excluserunt à statu animarum transformatarum exercitationem Virtutum.*

19. Respondetur III. Archi-Episcopus memoratus Cameracensis impegit in principia Theologiæ mysticæ *secundo*, ex ea ratione, quia (uti patet ex propositionibus damnatis 1. 2. 4. 6. 21. 23. ac pluribus aliis) ab animabus & culmen perfectionis in statu viæ unitivæ attingentibus exclusit exercitiū aliarum Virtutum, præsertim *spei*, quasi vero incompossibilis cum excellenti gradu perfectionis Evangelicæ, cum tamen Sacra Scriptura *Beatos NB. omnes* (nullo ne quidem perfectissimo excluso) pronuntiet, *qui confidunt in Domino*, Psal. 2. v. 13. & *qui timent Dominum*. Psal. 127. v. 1. *ac sperant, in eo*, Psal. 33. v. 9. nec non SS. PP. atque TT. Spem principalibus Virtutibus (nimirum Theologicis) semper annumeraverint, uti etiam actus heroicos aliarum Virtutum summopere commendaverint, atque etiam (uti S.P. Franciscus, S. Clara, S. Theresia, S. Petrus de Alcantara, SS. Catharina Senensis & Bononiensis; plurimique alii extatici, in opere ipso exercuerint. Quinimo in processu Canonizationis alicujus Sancti inter prima numeratur interrogatoria, *an constet de Virtute in gradu heroico*? Item Alexander VII. jam ante dictum

Archi-

Archi-Episcopum Fenelonem damnavit propositionem ordine primam sequentis tenoris: *Homo nullo unquam tempore suæ vitæ tenetur elicere actum fidei NB. spei, & Charitatis &c.* consequenter nec talis perfectus ab actu spei erit exemptus.

20. Equidem gratis admitto, posse sæpius (non tamen necessario debere) à perfectioribus elici actus Charitatis absque explicitis actibus *spei*, aliarumque Virtutum. Insuper posse actus aliarum Virtutum (uti videndum in Theologia morali P. Reiffenstuel *Tract. I. Dist. 2. Q. 3.*) directe quoad suum objectum intendi, & simul à tali perfecto viæ unitivæ dedito ordinari, atque assumi tamquam media ad ipsam Charitatem, in quo casu influunt simul cum Charitate actus diversarum Virtutum: Attamen à tali perfecto viæ unitivæ dedito, è medio tollere spem, omnesque alias Virtutes à charitate distinctas, conformiter dictis præcedentibus justissime reprobatur. Ut totum adhuc clarius intelligas, adjungo, quæ in Theologia morali Patris Reiffenstuel *Tract. 4. Dist. 6.* post *n. 9.* addidi, suntque sequentia.

21. Porro Charitas illa qua sæpius in vita Deum tamquam summum Bonum diligere tenemur, debet quidem necessario saltem interpretative sic esse constituta, ut quamvis nec Coelum nec Infernus existerent, nec ullum præmium sperandum, aut poena pertimescenda foret, nihilominus ipsa Deum amaret propter se (ut pote cum Deus quatenus in se infinite bonus sit solummodo objectum formale principale & essentiale ipsius Charitatis) exinde tamen non excludit necessario spem quasi cum Charitate incompossibilem. Quin è contrario spes ipsa, seu amor concupiscentiæ perducit sæpius ad charitatem, seu Amorem amicitiæ: dum enim video, Deum mihi tam bonum, tam misericordem &c. atque propterea dignum amore concupiscentiæ exinde ulterius ad ipsum infinitæ bonitatis fontem, à quo cuncta procedunt, cogitatus dirigo: considerando, quantæ perfectionis supremum illud Ens, ex quo tanta bona ad extra promanant, esse debeat in se ipso? quæ consideratio finaliter trahit voluntatem ad amandum amore amicitiæ dictum supremum Ens perfectissimum propter se, tamquam motivum principale. Hinc merito La Croix *Tom. I. lib. II. num.* 152. approbat modum illum eliciendi actum Charitatis. » Amo te Deus quia creasti, » & redemisti me, & quia Coelum mihi vis dare: » sed magis adhuc ideo, quia ipse es propter te omni » amore dignissimus, ita, ut licet non benefaceres, » nec Coelum dares &c. tamen amarem, & actu amo » Te, quia propter infinitam tuam bonitatem & per» fectionem es amabilissimus. *Vel aliter*: Amo te mi » Deus, non ideo tantum quia creasti me, redemi» sti, sanctificasti, conservas, & innumeris quoti» die Beneficiis cumulas, neque tantum ideo, quia » insuper dare vis mihi æternam in coelo beatitudi» nem, sed ideo maxime, & super omnia te amo, » quia tu Deus ob infinitas perfectiones tuas es omni » amore dignissimus. Tu es Deus sapientissimus, » potentissimus, sanctissimus, pulcherrimus &c. Videsne ex dictis formulis, quomodo spes & Charitas, seu amor concupiscentiæ & amor amicitiæ non sint ad invicem incompossibiles, nec una alteram necessario excludat, sed potius homo à prima tanquam minus principali ad secundam principalem pervenire valeat? Bulla damnans illas Propositiones Archi Episcopi Cameracensis, consuli potest in principio Tomi primi.

CAPUT II.

Tractans de Propositionibus damnatis Martini Lutheri & Joannis Calvini ad Theologiam Polemicam spectantibus.

THeologia Polemica, seu Dogmatica, tractat Controversias Fidei, Catholicos inter & Heterodoxos agitatas; objectum & finis est fides vera, ut asserenda, roboranda, & defendenda Nos in præsenti hanc defensionem potissimum assumemus contra Hæreticos, in Romano Imperio toleratos, qui defacto generaliter *Protestantes* vocantur; quamvis singulari nomine Lutherani *Evangelici* & Calvinistæ *Reformati* appellari cupiant. His præscitis ponitur

§. I.

Quisnam fuerit Martinus Lutherus; ex quo ansam sumpserit non minus venenatam exerendi linguam, quam calumniosum stringendi calamum contra Papam & Ecclesiam?

1. Respondetur I. Martinus Lutherus erat natione Saxo, patria Islebiensis. Lucem hujus Mundi aspexit Anno 1483. Et quia acris pro eo sæculo deprehendebatur Ingenii, mature applicabatur ad studia, in quibus eos fecit progressus, ut anno ætatis suæ vigesimo Magister Artium, & in utroque Jure eruditus evaserit. Quondam cum dilecto suo contubernali in agro animi levandi gratia deambulans, subito videre debuit eumdem, cadente de Coelo fulminis ictu occisum. Insperato fatali hoc casu perterritus, votum, quod antea jam fecerat, ingrediendi sacrum aliquem Ordinem, statim exolvit, amplectendo Erfurthi anno ætatis suæ 22. celeberrimum Institutum Eremitarum Sanctissimi Ecclesiæ Doctoris Augustini, tanti Patris vere degener filius; ubi anno ætatis vigesimo quarto initiatus sacerdotio, ac successive ad Cathedram Philosophicam, & Theologicam promotus, brevi plura dedit propriæ arrogantiæ indicia, inficiando respective adhuc Juvenis Sanctos Patres quasi in modo loquendi valde incultos, &c.

2. Respondetur II. Præsumptuosa hæc superbia, pariter aliis (uti superborum proprietas est) præferri cupido Luthero ansam dedit contra Papam, & Ecclesiam venenatam exerendi linguam, ac calumniosum stringendi calamum: cum enim anno Domini 1517 prædicandi in Germania contra Turcas Bullam *Cruciatam*, populumque ad contribuendum belli nervum de Cathedra exhortandi ab Archi Episcopo Moguntino commissio demandata esset Joanni Tezelio Dominicano, neglecto Luthero &c. Is per hanc præcedentis prælationem se contemptum ratus, & vindicativa non minus, ac invida æmulatione percitus, sæpius in pulpitis Ecclesiasticis contra officium suum, nescio, quæ de Indulgentiarum abusibus, & in congregandis pecuniis fraudulentiis effutit; quin imo Wittembergæ in Saxonia, protectus ab Ejusdem Duce Friderico, publicas contra Indulgentias affixit Theses, crescente in dies tam apud Nobiles, quam Plebejos scandalo, atque tumultu.

§. II.

Qualiter pestifera Lutheri Doctrina à Leone X. Summo Pontifice in Bulla, Exurge Domine, *fuerit reprobata, ac ab Imperatore Carolo V. Bulla damnationis executioni mandata: Item quomodo tandem Lutherus apostataverit à fide?*

3. Respondetur I. Excitatus in tota quasi Germania, præsertim in partibus Septentrionalibus Lutheri tumultus ad aures quoque Summi Pontificis pro tunc Leonis X. pervenit, à quo Romam doctorum, & factorum suorum redditurus rationem fuit citatus; interveniendibus tamen simul supplicibus litteris Friderici Saxoniæ Ducis ad Papam datis tantum effecit, ut potius causa sua Legato Pontificio Cardinali Cajetano, pro tunc Augustæ Vindelicorum moranti Anno 1518. pro ventilatione fuerit commissa; ast sine optato effectu: Lutherus enim post varios hinc inde habitos discursus causæ suæ diffisus, clanculum intempesta nocte Augusta discessit, innixus denuo Tutelæ Saxonis, ac ad suspendendum Romanæ Curiæ Excommunicationis fulmen, nunc à Cardinali ad Pontificem, nunc à Pontifice ad futurum Generale Concilium appellans. Demum post longam patientiam, ac præmissis diligenti trutinatione, matura deliberatione, & districto examine, supremus in terris Christi Vicarius, Leo X. Anno 1520. gravissimam, lectuque dignissimam edidit Bullam: *Exurge Domine* incheoantem, in qua quadraginta & unam ex Lutheri propositionibus damnavit, tamquam *hereticas, scandalosas, falsas, piarum aurium offensivas, & Veritati Catholicæ obviantes.*

4. Respondetur II. Pestifera doctrina in damnatis 41. Propositionibus contenta (eam ex ipsa Bulla citata *Exurge Domine* referendo in compendio) est sequens.

» I. Satis aperte innuit, quod concupiscentiam, » juxta experientiam post Baptismum remanentem, » reputet pro ipso peccato originali.

» II. Tollit ab homine liberum arbitrium, quod » dicit esse rem de solo titulo.

» III. Tenet, omne opus bonum etiam Justorum » quamvis optime factum, esse peccatum.

» IV. Negat, pœnitentiæ tres esse partes, contri» tionem, confessionem, & satisfactionem.

» V. Ait, dolorem ex turpitudine peccati, vel ex » amissione æternæ Beatitudinis, seu ex metu ge» hennæ conceptum facere hominem hypocritam, » ac magis peccatorem.

» VI. Negat omnia mortalia esse confitenda.

» VII. Non obscure indicat, homini confitenti » remitti peccata non vi absolutionis, sed per fidem, » qua credit, & confidit se gratiam per merita » Christi consecuturum.

» VIII. Defendit, in absentia sacerdotis etiam » mulierem, aut puerum posse absolvere.

» IX. Communicationem Sacram sub utraque » specie censuit pro Laicis statuendam per Generale » Concilium.

» X. Indulgentias equidem, existentes pro tunc » adhuc in Ecclesia, non audet absolute rejicere: ne» gat tamen, easdem, vel ad remissionem pœnæ pro » peccatis actualibus adhuc debitæ, vel pro mortuis » prodesse.

» XI. Pariter non audet adhuc ex integro negare » Purgatorium, ait tamen id ex Sacra Scriptura, » quæ sit in canone, probari non posse, ac insuper » plura de eodem alia adjungit fictitia.

» XII. Negat Pontificem Romanum esse Christi » Vicarium super omnem totius mundi Ecclesias.

» XIII. Similiter Pontifici, imo & toti Ecclesiæ » aufert potestatem statuendi articulos in materia » fidei ac morum.

» XIV. Defendit Ejusdem, vel etiam aliorum » Prælatorum Excommunicationes esse tantum pœ» nas externas, neutiquam timendas, nec privare » communibus Ecclesiæ orationibus.

» XV. Concilia Generalia ex una parte supra Pa» pam extollit, ex altera vero iterum deprimit, con» cedens homini libertatem enervandi Auctoritatem » Eorum, atque factis ibidem Decretis libere con» tradicendi, dummodo cuipiam contrarium videa» tur verum.

» XVI. Arguit Concilium Generale Constantien» se gravissimi erroris in condemnando Joanne Hus, » cujus aliquos reprobatos Articulos pronuntiat ve» rissimos, Christianissimos, & Evangelicos, quos » nec universalis Ecclesia posset condemnare.

» XVII. Demum finaliter contra Sacros Ordines » Mendicantes (ex quorum tamen numero ipsemet » extitit) pestiferum evomit venenum, proterve » asserens, Prælatos Ecclesiasticos, & Principes sæ» culares non male facturos, si omnes saccos Men» dicitatis (ita per contemptum Regulares Mendicantes intitulat) delerent.

Hæc Infernalis hic serpens existens adhuc in sinu S. Matris Ecclesiæ & sui sacri Ordinis. Ex quo facile concludes, qualis fuerit post ipsam Apostasiam ingratissimus ille transfuga.

Refutationem differo usque ad Articulos confessionis Augustanæ, ubi potiora redibunt.

5. Respondetur III. Carolus V. Romanorum Imperator Pontificiam hanc executurus Bullam celebratis Wormatiæ Comitiis Martinum Lutherum Anno 1521. publicari curavit tanquam membrum ab Ecclesia separatum, obstinatum, schismaticum, & notorium Hæreticum, sicque ab omnibus S. R. Imperii statibus haberi voluit. Nil inde melior, imo deterior factus Lutherus (quoniam abyssus abyssum invocat) pejora pejoribus addidit in sanctam Sedem, & fidem Catholicam, præsertim contra tremendum SS. Missæ sacrificium.

Tandem finaliter Anno 1524. ætatis suæ quadragesimo primo factus Apostata habitum Regularem sacrilege deposuit, & cum Catharina de Bore Moniali Apostata scandalosissimum contraxit Matrimonium.

§. III.

Quidnam Lutherus post Apostasiam ulterius egerit? ubi etiam de morte ejusdem.

6. Respondetur I. Lutherus post Apostasiam nactus commodiorem occasionem venenum pestiferæ suæ doctrinæ, in allegatis superius 41. propositionibus damnatis majori ex parte contentæ, liberius diffundendi, plures ad suas trahere partes, diabolo fideliter cooperante, allaboravit, inter fautores, etiam Principes Joannem Saxoniæ Electorem, Georgium Marchionem Brandeburgensem, Philippum Hassiæ Landgravium (uti vocant) ac Wolfgangum Principem Anhaltinum, præter duas Civitates Imperiales Norimbergam & Reitlingam numerans.

Augustissimus Imperator Carolus, præviso sapienter exinde aperto Rebellionis, jamjam inter cineres gliscentis, periculo, insuper imminentium Turcarum metu undique coarctatus, nova indixit Anno 1530, Augustæ Vindelicorum Comitia, præcipiens dissidentibus

dissidentibus sacri Romani Imperii statibus, Lutheri sectatoribus, ut tandem mentem suam circa Religionem, ac gravamina, si quæ habeant proponerent: quod & fecerunt, atque Lutheri doctrinam à Philippo Melanchton, germanice *Terra nigra* in certos Articulos redactam, Carolo Imperatori exhibentes, hanc doctrinam à loco *Confessionem Augustanam* intitularunt.

7. Respondetur II. Carolus Imperator libellum hunc à dictis Imperii statibus sese subscribentibus porrectum clementissime recepit, eumdemque strictissime examinari fecit, ac post maturam deliberationem Articulos memoratæ Confessionis Augustanæ positive rejecit, tanquam in multis erroneos, ac Hæreticos, huicque reprobationi præter Carolum sex Electores, triginta Principes Ecclesiastici, & sæculares triginta tres, plurimique Abbates, Comites, Barones, ac Imperiales Civitates sese subscripserunt: Utrum omnes animo recto, DEUS noverit scrutator cordium. Id saltem certum est, quod ante publicationem hujus Decreti imperialis dissidentes plerique Principes Augusta abierint, & Catholicis diffidentes, particulares suos (uti Schwendfordii in Franconia &c. præsertim Schmalcaldii in Turingiæ finibus) Conventus celebrarint usque ad annum 1546. quo 17. Februarii infaustus Lutherus repentina morte (nonnulli volunt omnino raptum à Diabolo) infelicem Islebii in Patria sua efflavit animam, annum agens criticum (uti vocant) id est, sexagesimum tertium.

§. IV.

Quidnam contigerit in Romano Imperio post mortem Lutheri? ubi de fœdere Schmalcaldico, *Formula* Interim transactione Passaviensi & Confessione Augustana, *demum in Romano imperio exerceri permissa?*

8. Respondetur I. Equidem non pauci ex Catholicis, sibi persuaserunt, Luthero defuncto, pariter cum eo sepeliendam esse pessimam suam sobolem, novam nimirum Hæresin; ast aliter deplorabilis docuit eventus, dum Acatholici vi fœderis Schmalcaldici, contra Cæsarem Carolum, de tanta perduellione nil minus suspicantem, initi, junctis viribus ingentem Exercitum 80000. peditum, & 10000. Equitum in aciem duxerunt, Ingolstadium usque pervenientes, quos tamen illo, & longe notabilius adhuc anno sequenti (nimirum 1547.) magnanimus Imperator prope Mylbergam adeo prostravit, ut in bello isto Religionis (eo nomine illud appellabant) omnino ad internecionem usque deleri potuissent, nisi nimia in hoc Caroli clementia, maxime erga Coryphæos, eosdem mitiori via ad saniora ducendos fore Sectarios credidisset, prout illico patebit. Hinc

9. Respondetur II. Anno proximo post obtentam Victoriam, nempe 1548. humilitatis Hostibus Cæsar (non undequaque contenta Curia Romana, eo quod tamquam Laicus videretur mittere falcem in messem alienam) certam quampiam formulam in puncto Religionis *Interim* ab omnibus observandam, præscripsit, donec Concilium Tridentinum sententia definitiva lites hasce terminasset, quæ formula etiam exinde sortita est nomen *Interim*. Et licet in ea non nisi doctrina Catholica contineretur, & Confessio Augustana reprobaretur, exceptis Communione sub utraque specie quoad Laicos, & conjugio quoad Sacerdotes, (quæ duo usque ad Concilii Tridentini decisionem permittebantur) his non obstantibus Protestantes plerique (nominatim S.R.I. Electores, Mauritius, pro tunc Saxonicus, Joachimus Brandeburgicus, & Fridericus Comes Palatinus) memoratam formulam *Interim* receperunt. Ast qua mentis sinceritate, subsequens docuit lamentabilis experientia. Quare

10. Respondetur III. Dum Carolus Imperator, rebus adeo pacifice (uti credebat) compositis, sese omni ex parte quoad sectarios tutum judicabat, præter omnem exspectationem Mauritius recens Saxoniæ Elector, Imperatori antea arcto junctus fœdere, ipsas Cæsaris copias, sibi ad gubernandum concreditas, contra proprium Dominum, non indicto prius bello, in aciem duxit, atque milite Marchionis Brandeburgici Alberti adauctus, quamplures Civitates (inter quas Augustam Vindelicorum) in suam redegit potestatem. Exinde penetratis faucibus Comitatus Thyrolensis captaque Erenberga, parum abfuit, quin ipsummet Imperatorem Carolum undique destitutum militibus, & respective inermem cum Fratre suo Ferdinando Oeniponti deprehendisset.

Fatalis hæc clades etiam permissionem liberi exercitii *Confessionis Augustanæ* tandem post se traxit; imo rectius loquendo, armis extorsit; aliter enim dissidentes cum Ferdinando Passavii nullatenus transegissent, quam *Transactionem* (germanice dicitur Passaverische Vertrag) anno 1552. factam (additis à Protestantibus eodem anno, teste Sianda, articulis Schmalcaldicis.) Rex Ferdinandus perhibetur flentibus signasse oculis, eam tamen Imperator Carolus nunquam subscripsisse legitur, ne eo quidem tempore, quando eadem triennio post, nimirum 1555. in Comitiis *Augustanis* tanquam *Pax Religiosa* (uti appellabant) promulgari cœpit. Vi dictæ promulgationis publicum quidem ac liberum exercitium *Confessionis Augustanæ* demum in Romano Imperio Lutheranis permittebatur; Calvinistæ tamen necdum inclusi legebantur, quamvis & ipsi finaliter sub Pace Westphalica Osnabrugi 6. Augusti, & Monasterii 24. Octobris anno 1648. non obstante protestatione S. Pontificis inita, idipsum impetraverint, cæteris sectis more antiquo ex Romano Imperio proscriptis.

§. V.

Varia Notabilia circa ipsam Confessionem Augustanam, equidem, vivente Luthero, reprobatam: demum tamen, cogentibus armis, Anno 1555. sub aliis Comitiis Augustanis in Romano Imperio permissam. Item de libro Concordiæ.

11. Respondetur I. Originale *Confessionis Augustanæ* Anno Domini 1530. juxta jam dicta Carolo V. Imperatori à Protestantibus Principibus oblatum, non fuisse denuo Memoratis restitutum, sed potius (uti ex Didymo Hermovillano cum pluribus aliis testatur Pichler in suo Polemico Examine Confessionis Augustanæ *art. X. n. 3.*) extraditum ad Archivia Imperii: Latinum quidem *Bruxellis*; Germanicum autem *Moguntiæ*; Unde Protestantes non nisi Copias acquisierunt; & quamvis Hi, dum typis vulgant, glorientur originali has ipsas conformes, atque *invariatas*; falsitas tamen de pluribus, ac contrarium patebit ex dicendis. Itaque

12. Respondetur II. Confessio Augustana sub Comitiis Carolo V. oblata, quoad Copias suas fuit statim in principio adeo variata, ut teste Sianda in Lexico Polemico V. *Confessionistæ*, intra primum decennium (id est ab anno 1530. usque ad Annum 1540.)

tria exemplaria ejusdem, ad invicem comparata, vix in uno Articulo ex integro concordarint cum suo Prototypo. Pater Forerus apud Pichler *loc. tit. n.* 5. inquit, se simul ad manum habuisse ultra 20. Editiones latini sermonis, quarum tamen vix unica (nimirum Georgii Coelestini Auctoris Lutherani) cum originali concors erat. Eminentissimus Cardinalis Leopoldus Colonitsch in libro, *Augustana & Anti-Augustana Confessio* intitulato, comparavit unum Exemplare in Bibliotheca Cæsarea asservatum, & Originali Moguntino omnino conforme cum aliis tribus Wittembergensibus, diverso tempore vulgatis: & ostendit clarissime, quod plurimum inter se discrepent, quamvis singula pro Authenticis, & invariatis velint haberi. Wittembergenses Theologi in Colloquio Altemburgensi apud Pichler loc. cit. ipsimet fatentur, primam Confessionis Augustanæ editionem Wittembergæ adornatam nequaquam cum Archetypo Augustæ exhibito convenire.

Unde nec mirum, quod etiam aliqui ex ipsismet Protestantibus hanc suam Confessionem Augustanam contemptim *Cothurnum Polonicum* (calceamenti genus est utrique pedi adaptabile) Calvinistæ vero & Zwingliani, haud dubie ob suam obscuritatem *Sphingem* appellaverint.

13. Respondetur III. Lutherani quam plures, videntes, ex hac inter ipsosmet discordia sese apud suos anxiæ perplexitati, & apud Extraneos publico ludibrio, atque contemptui expositos, voluerunt malo huic, ne ulterius serpat, prævenire, conscribendo, ac Tubingæ in Ducatu Wirtembergensi, Anno 1580. imprimendo Tractatum quem *Librum Concordiæn* cominarunt, Smidelino, Tubingensis Academiæ Cancellario vel Auctore, vel certo Promotore, accedentibus potentissimis Ejusdem Protectoribus Electore Saxoniæ, & Duce Wurtembergico, cui *Libro Concordiæ* Protestantium octo millia subscripserunt; quem tamen, etsi valde notabilem numerum, Heshusius Theologus Lutheranus sequentibus versibus exsibilat:

In Libro vitæ qui non potuere notari,
Nomen in hunc librum composuere suum.

Hincque præfato Libro nec pauciores, imo plures, teste Osiandro apud Sianda, ex ipsis Protestantibus contradixerunt, uti Holsatia, Magdeburgum, Universitates Seciæ, & Theologi Anhaltini. Brunsvicenses aiunt, hoc libro deceptos fuisse Principes, Rex Daniæ Eum flammis adjudicavit, & Wittembergenses (Benigne Lector, ne confundas *Wittemberg* in Saxonia, & *Wurtemberg* in Ducatu Wurtembergico) defensores hujus libri lapidibus obruerunt.

Compassivo hic, Amice Lector, considera affectu miserum Hæreticorum statum, dum ex una parte sunt destituti supremo in materia fidei, ac morum emergentibus controversiis Judice; ex altera vero ipsimet in symbolo fidei suæ (quale reputant Augustanam Confessionem) ad invicem non conveniunt. Hæc ipsa profecto inter Confessioni Augustanæ addictos discordia unum inter principalia apud Serenissimum Principem Badensem Jacobum extitit motivum, ad veram Religionem Catholicam se se convertendi.

VI.

Viginti & unus Articuli fidei Confessionis Augustanæ Carolo V. Imperatori Anno 1530. Augustæ oblati.

ARTICULUS I.

De Unitate Essentiæ Divinæ.

14. *Confitentur conformiter Decreto Nicænæ Synodi, Deum unum in essentia, & Trinum in Personis sine ulla dubitatione credendum esse. Et hinc juxta Eorum formalia damnant omnes hæreses contra hunc Articulum exortas; ut Manichæos, qui duo principia ponebant, Bonum, & Malum; item Valentinianos, Arianos, Eunomianos, Machomelistas, & omnes eorum similes. Damnant & Samosatenos veteres & Neotericos, qui cum tantum unam Personam esse contendant, de Verbo & spiritu Sancto, astute & impie rhetoricantur, quod non sint personæ distinctæ, sed quod Verbum significet verbum Vocale, & spiritus motum in rebus creatum.*

In hoc articulo convenimus etiam nos Catholico-Romani.

ARTICULUS II.

De peccato Originali.

15. *Non negant, quod post lapsum Adæ omnes homines secundum naturam propagati nascantur in peccato,* NB. Addunt tamen, hoc ipsum peccatum originale, seu (uti ipsi vocant) vitium originis ex magna saltem parte consistere in ipsa *concupiscentia.*

Quoad primam partem hujus Articuli in sano sensu omnino concordamus, si tamen ipsemet Christus & Beatissima Virgo Immaculata excipiantur. Quod si quis contra communissimam, & moraliter defacto certam sententiam præsumptuose assereret, etiam B. Virg. Mariam fuisse peccati originalis labe affectam, necdum foret pro nunc Hæreticus formalis; cum Ecclesia dictum Mysterium nondum declaraverit expresse tanquam Articulum Fidei.

Quoad secundam partem, concedimus quidem nos Catholici, quod *concupiscentia*, seu passio illa partis sensitivæ in amorem boni delectabilis inclinans, neque amplius (uti in statu Innocentiæ) rationi, seu potentiæ intellectivæ perfecte subordinata, sit qua talis, seu uti modo declarata, effectus, seu poena peccati originalis, soleatque homines ad peccata etiam personalia alicere. Negamus tamen constanter, hanc ipsam concupiscentiam, quam fomitem peccati nominamus, ullatenus constituere formaliter ipsummet peccatum originale: Etenim in primis *sanguis JESU Christi emundat nos NB. ab omni peccato.* 1. Joann. 1. v. 7. & tamen nos non emundat à *concupiscentia,* prout experientia docemur, & ipsemet conqueritur Apostolus ad Rom. c. 7. quod sentiat *in membris suis legem repugnantem legi mentis suæ*: ergo ipsa concupiscentia non erit peccatum. Deinde *secundo* Homines per Baptismum, tamquam *per Lavacrum Regenerationis,* ad Tit. c. 3. v. 5. *abluti, sanctificati, & justificati* pronuntiatur ab Apostolo 1. Cor. c. 6. v. 11. *in nomine Domini nostri JESU Christi, & in spiritu Dei nostri,* & tamen exinde abluti non sumus à *concupiscentia,* quæ sæpius etiam apud perfectiores pridem baptizatos exeundo in actum per motus primo primos rationem prævenit: ergo signum est, quod ipsa *concupiscentia* post Lavacrum Regenerationis atque ablutionis permanens formaliter non sit ullatenus ipsum peccatum originale.

16. Nec

16. Nec dicas, concupiscentiam vocari ab Apostolo ipsomet ad Romanos c. 6. & 7. ac alibi sæpius in Scriptura *peccatum*. Respondetur enim, vocari tale nullatenus formaliter, sed vel *causaliter*, quatenus ex ea alliciente, & hominis libero consensu simul accedente, causatur aliquod peccatum personale, sic eo modo Deuteronomii c. 9. v. 21. *Vitulus aureus* nominatur in Sacra Scriptura *peccatum*, ut pote aliquo modo causa Idololatriæ: vel appellatur peccatum *effective*, quia est effectus peccati originalis. Audiatur desuper S. Augustinus (utique majoris Auctoritatis; quam Foedifragus Apostata Lutherus) lib. 1. c. 13. contra duas Pelagii Epistolas taliter loquens: *Concupiscentia vocatur peccatum, non utique quia peccatum est, sed quia peccato facta est* &c.

ARTICULUS III.

De Incarnatione Verbi Divini.

17. *Concedunt*, quod *Verbum* (*hoc est filius Dei*) *assumpserit humanam naturam in utero B. Virginis Mariæ, ut sint duæ naturæ Divina & Humana in unitate personæ inseparabiliter conjunctæ, unus Christus vere Deus, & vere homo, natus ex Virgine Maria, vere passus, crucifixus, mortuus, & sepultus, ut reconciliaret nobis Patrem, & esset Hostia non tantum pro culpa originis, sed etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis &c. &c. Idem Christus est palam rediturus, ut judicet vivos & mortuos &c. Juxta Symbolum Apostolorum.*

Ita Confessioni Augustanæ addicti, neque in hoc sunt nobis Catholici contrarii.

ARTICULUS IV.

De Justificatione hominum.

18. *Admittunt cum Catholicis contra Pelagianos, quod nequeat homo propriis viribus justificari: adjungunt tamen insuper, justificationem nostram soli fidei, qua creditur, nos in gratiam recipi, & peccata remitti propter Christum, esse adscribendam: Etsi præterea fateantur* (uti clarius Articulo VI. videbitur) *fidem istam justificativam debere bona opera, tamquam bonos fructus parere, ita tamen, ut non confidamus, quasi per hæc nostram coram Deo justificationem promereremur.* Ita illi.

Econtra Catholici, etsi gratis admittant, fidem, in sensu sano acceptam, esse fundamentum nostræ justificationis, eamque inadæquate & partialiter influere ad eamdem, saltem tamquam conditionem; negant tamen de influxu adæquato & totali. Ratio est, quia in Sacra Scriptura æque etiam aliis Virtutibus adscribitur justificatio: ergo sola fides non justificat. Antec. probatur: sic enim in primis de Virtute spei in Deum S. Joannes Ep. 1. cap. 3. v. 3. inquit: *Videbimus Eum* (intellige Deum) *sicuti est, & omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut & ille Sanctus est.* Secundo legitur de Charitate Luc. c. 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Item 1. Joann. 3. v. 14. *Qui non diliget, manet in morte*: & demum tertio, Actorum c. 3. v. 19. de Poenitentia habetur: *Pœnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata vestra.*

19. Oppones diversos textus Sacræ Scripturæ, quibus Justificatio ac vita æterna adscribitur fidei sine ulla mentione aliorum operum: sic enim e. g. Joann. c. 3. v. 36. legitur: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam &c.* & Act. 10. v. 43. *Quicumque credunt in Christum, accipiunt remissionem peccatorum.* Ac alibi sæpius: ergo signum est, quod nulla opera, sed sola fides justificet. Respondeo I. alios opponendo textus Sacræ Scripturæ in nostra probatione adductos, vi quorum *Charitati & Pœnitentiæ* adscribitur justificatio absque mentione fidei expressa. Ut ergo hi textus concilientur ad invicem, & suo modo pariformi explicatione absolvantur, Respondetur II. distinguendo Ant. textus allegati adscribunt justificationem fidei præcisive, id est, hic & nunc abstrahendo, seu non faciendo mentionem de operibus, conceditur: exclusive, negatur.

20. Impugnabis hanc distinctionem afferendo textus quibus positive opera excluduntur à Virtute justificandi: sic enim ad Romanos c. 3. v. 28. inquit Apostolus: *Arbitramur hominem justificari per fidem NB. sine operibus legis.* Item ad Rom. c. 4. v. 5. *Ei, NB. qui non operabitur, credenti autem in Eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam.* Similiter ad Ephes. c. 2. v. 8. & seqq. *Gratia salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis &c. NB. non ex operibus &c.* Respondetur, similes textus vel *contra Gentiles* excludere opera puris naturæ viribus, seu sine fide in Christum, aut sine gratia Divina exercita. *Vel contra Judæos* segregare opera legis antiquæ quoad Cæremonialia, nullatenus autem quoad opera Moralia per gratiam Divinam, mediantibus Christi meritis comparatam dignificata & sublimata. Audiamus ad nostrum intentum Apostolum 1. ad Corint. c. 13. v. 2. Charitatem supra omnem fidem extollentem sequentibus verbis: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil sum.* Notentur verba: *omnem fidem*: nam si *omnis fides* sine charitate nihil est: ergo neque illa fides particularis promissionum (uti vocant) aliquid erit sine charitate. Ubi adverte, quod Acatholici aliam appellent *Fidem Historicam*, qua credimus, quæ in S. Scriptura referuntur, & aliam *promissionum*, qua nobis divinas promissiones fiducialiter applicamus, quam ultimam vocant justificativam, non primam.

ARTICULUS V.

De Ministerio Evangelii.

21. A*Serunt, Ministerium Evangelii* (per quod Pastores & Prædicantes intelligunt) *esse institutum ad docendum Evangelium, & ad porrigenda Sacramenta, mediantibus quibus duobus tamquam instrumentis donatur Spiritus Sanctus, fidem illam justificantem superiori Articulo declaratam in nobis efficiens.* Ita illi.

E contra Catholico-Romani in primis negant; Pastores & Præcones Lutheranos &c. &c posse constituere legitimum ministerium illud, cui competeret docere Evangelium, & porrigere Sacramenta; nam nulli competit hæc potestas, nisi vocato seu misso: *Nec enim quisquam sibi sumit honorem* (puta hujus ministerii) *nisi qui vocetur a Deo tamquam Aaron.* Hebr. c. 5. v. 4. Atqui Pastores & Præcones isti non sunt vocati seu missi à DEO, neque immediate per se ipsum, neque mediate per supremum ejusdem in terris Vicarium, sed potius vocantur, & mittuntur per Magistratum Laicalem, ac mere politicum, qui dare non potest, quod non habet; non enim alicui Laico, sed Petro Christus ter dixit: *Pasce Agnos meos, Pasce oves meas.* Jo. c. 21. *Quomodo ergo legitime prædicabunt*? ad Rom. c. 10. v. 15.

Secundo concedunt equidem Catholici per Verbum Dei prædicatum posse in nobis excitari aliquem actum fidei; *Nam fides ex auditu, auditus autem per*

Verbum Christi. Ad Rom. c. 10. v. 17. negant vero, quod hic actus fidei sit ille, cui tanquam unicæ causæ adscribi debeat nostra Justificatio, de quo vide Articulo præcedenti.

Tertio, negant Catholici, quod Sacramenta dicantur ex eo, quatenus per illa tamquam per Instrumenta (efficiente Spiritu Sancto, utpote causa principali) in nobis excitatur fides illa Justificans Acatholicorum, sed potius censentur talia, quatenus intuitu meritorum Christi per ipsa ex opere operato causatur gratia prima vel secunda. De quo fusius in sequentibus agendo de Sacramentis Artic. XIII.

ARTICULUS VI.

De bonis Operibus.

22. DOcent, *quod superius descripta fides justificans* (conformiter jam dictis Art. IV.) *debeat bonos fructus parere, & quod oporteat bona opera, mandata à Deo facere propter voluntatem Dei, non ut confidamus per bona opera justificationem coram Deo mereri: nam NB.* (perpende propositionem causalem) *remissio peccatorum, & justificatio fide apprehenditur.* Ita Lutherani.

E contra vero Catholici cum antiquissima Ecclesia contra Arrium jam anno Christi 353. (quo tempore Acatholici admittunt apud nos fuisse veram Ecclesiam) reprobatum, charitati, aliisque bonis operibus idipsum pariter appropriant, quod fidei; cum juxta jam dicta Art. IV. S. Scriptura, uti de fide, ita suo modo loquatur de aliis bonis operibus: cur igitur non valemus æque in Charitate, aliisque bonis operibus per gratiam Divinam & merita Christi sublimatis confidere, ac in ipsa fide? præsertim, cum ipsa Æterna Veritas non solum fidei, verum etiam aliis operibus præceptis Cœlum adpromittat Matth. c. 19. v. 17. *Si vis ad viam ingredi, serva mandata.*

23. Ceterum viderint ipsimet Lutherani, quomodo Articulus iste, volens, *ut opera à Deo mandata faciamus*, cohæreat cum doctrina Magistri sui Lutheri, qui in Bulla Leonis X. defendit Art. 31. *Quod justus in omni opere bono paccet.* Art. 32. *quod opus bonum optime factum sit peccatum veniale.* & Art. 36. quod, *dum quis facit, quod in se est, peccet mortaliter*; si hæc vera, & omnia opera nostra peccata sunt, quomodo poterit hic Articulus nobis imponere, ut bona opera à Deo nobis mandata exequamur? Certe Deus infinite Sanctus non mandat id, quod à nobis non potest fieri sine peccato.

24. Objicit I. Confessio Augustana, juxta S. Scripturæ clarum textum Luc. 17. v. 10. Christus instruit Apostolos, & per hos nometipsos, ut, *cum omnia fecerimus, quæ præcepta sunt nobis, dicamus: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus*: Ergo signum est, quod non debeamus confidere in nostra bona opera. Respondeo, id ipsum argumentum posse retorqueri quoad actum fidei; cum pariter hunc elicientes servi simus inutiles, & tamen etiam per hunc, sive de condigno, sive de congruo mereamur: uti apud Pichler hic fol. apud me 452. testatur S. Aug. Ep. 105. dicens, *Neque ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides illam impetrat, neque enim nullum est meritum fidei.* Unde sicut possumus ex Adversariorum principiis, non obstante hoc, confidere in justificationem nostram per fidem, ita etiam per alia bona opera mediantibus meritis Christi dignificata; manemus tamen utrobique servi inutiles, partim, quia exinde felicitatem realem, atque intrinsecam Dei; ab æterno infinite jam inexistentem non augenus, partim, quia omnia ista originaliter ac primario habemus ex gratia Divina præveniente ac concomitante, per passionem & merita Christi nobis comparata &c. &c.

25. Objicit eadem Confessio Augustana II. Auctoritatem D. Ambrosii dicentis: *Hoc constitutum est à Deo, ut qui credit in Christum, salvus sit sine operibus, sola fide gratis accipiens remissionem peccatorum.* Respondeo, in primis optassem, ut Confessio Augustana citasset clare locum, in quo hic textus apud S. Ambrosium reperitur: nam etiam non adeo pridem fictus quidam Horallector Hæreticus ad hunc ipsum finem citavit S. Ambrosium in Epistolam ad Romanos c. 3. in quo tamen loco S. Ambrosii teste Pichler hic fol. apud me 477. illa formalia non inveniuntur. Deinde S. Ambrosius eodem modo, in quo ipsemet Apostolus ad Romanos c. 3. tantum excludit opera Legis Mosaicæ, non autem opera moraliter bona per gratiam divinam dignificata. Legamus in fonte hunc ipsum Ecclesiæ Doctorem in Epistolam ad Romanos cap. 3. se quasi explicantem, dum ait: *Gentilem dicit hominem pro certo haberi quod justificetur credens nulla faciens opera Legis, id est sine Circumcisione, aut Neomeniis, aut veneratione Sabbati &c.* Audiamus eumdem potius pro nobis, & in favorem bonorum operum loquentem in Epist. 82. ibi *Quæ salus nobis esse potest, nisi Jejunio eluerimus peccata nostra, cum Scriptura dicat, Jejunium & Eleemosyna NB. à peccato liberant. Qui sunt Præceptores novi, qui meritum excludunt Jejunii?* Notet impinguatur Lutherus hæc verba cum suis. Notent insuper Confessioni Augustanæ addicti pessimam sui Magistri doctrinam circa præsentem materiam apud Pichler. in Controvers. particul. *de Justificat. art.* 3. §. 1. *n.* 30. ubi Lutherus ait: *Fortiter pecca, sed fortius fide in Christo, ab hoc non avellet nos peccatum, etiamsi millies in uno die fornicemur, aut occidamus.* Siccine? Hæc sit inexistens fides justificativa, quæ bona debet, in ipsorum principiis, opera parere? *mille fornicationes, mille homicidia* in unico die commissa sunt boni hujus arboris fructus? absit: doctrina hæc est arbor pessima; exscindatur ergo, & mittatur in ignem, in quo malus ille Hortulanus, qui plantaverat, jam ardet, & pron dolor! ardebit in æternum.

ARTICULUS VII.

De Ecclesia.

26. DOcent primo, *quod una Sancta Ecclesia permansura sit.* Secundo *definiunt Ecclesiam* (supple eam, quæ est vera Ecclesia) *quod sit Congregatio NB. Sanctorum, in qua Evangelium pure docetur, & recte administrantur Sacramenta.* Tertio addunt, *ad veram unitatem Ecclesiæ satis esse, consentire de doctrina Evangelii, & administratione Sacramentorum; nec necesse est ubique esse similes traditiones humanas, seu ritus & Cæremonias ab hominibus institutas.*

Ita Confessioni Augustanæ addicti. Quibus, si verba in sano sensu accipiantur, & per *traditiones humanas*, nil, nisi ritus & Cæremoniæ particularium locorum, ac Dioecesium (quæ utique possunt esse diversæ) intelligantur, facile assentiuntur Catholici, excepto, quod ipsis displiceat data ac absolute prolata definitio veræ Ecclesiæ, quæ non omnes *fideles*, sed tantummodo *Sanctos* in eamdem admittit: cum tamen Ecclesia Christi Matth. c. 3. v. 12. comparetur *Areæ*, in quo non solum grana, sed

etiam

etiam paleæ reperiuntur. *Nos fatemur* (inquit S. Aug. Tract. 6. in Joann.) *in Ecclesia Catholica & malos esse, sed tanquam grana & Paleas.* Puto, quod Acatholici Pastores ipsimet adverterint hunc gravem suum errorem; hinc teste Fichler de Ecclesia *c.* 1.*n.* 5.*folio* 135. in editione Germanica, ut magis istum Articulum cum sequenti, cui alias contradicere videtur, concordent, Ecclesiam Christi non amplius definierunt tamquam Congregationem *Sanctorum*, sed *omnium fidelium*: Ein Versamlung aller Glaubigen, scilicet, Unio eorum omnium qui habent fidem bonam. Et profecto à Christi Ecclesia excludere *fideles non sanctos* fuit error *Assuritanorum*, ex secta Donatistarum, & Semi Arianorum Anno 318. ex Africa prodeuntium de quorum rejecta doctrina mentionem facit D. August. Lib. 3. contra Epist. Parmeniani.

27. Cæterum, cum in præsenti de vera tractent Ecclesia, in qua *Evangelium pure docetur*, & *recte administrantur Sacramenta*, quæro ex Ipsis æque, ac proportionaliter ex Calvinistis, aliisque Hæreticis, ubinam hæc Ecclesia Christi ante Lutherum extiterit? Item quinam Doctores hi fuerint, qui *pure docuerunt* ante ipsum Lutherum, *Evangelium, ac recte administrarunt Sacramenta*? Si in Ecclesia Catholico-Romana; cur igitur ab eadem recessit Lutherus? Si apud extraneos, puta Wicleffistas, Hussitas: quare ergo ad illorum sectas non transivit? *Docere Evangelium*, & *administrare sacramenta*, sunt utique actus sensu perceptibiles; cur itaque ad illam Ecclesiam, in qua hæc recte observantur, non confugit? Cur apud Eamdem prætensos Ecclesiæ Catholicæ abusus non detulit quintus iste (si superis placet) Evangelista; cum tamen ipsemet Christus Matth. c. 18. v. 17. expresse voluerit, ut errores in defectu spei emendationis dicantur *Ecclesiæ*? quis sibi prudenter persuadere, aut ex quo textu S. Paginæ probari poterit, quod vera Ecclesia Christi, sponsa adeo dilecta, ultra mille annos id est, à primis quatuor sæculis usque ad novum Reformatorem Lutherum (Deformatorem potius dices, si vitam & discursus Ejusdem mensales legeris) una cum pura doctrina abscondita manserit, ita ut à fidelibus cognosci non potuerit, quorsum in his spiritualibus necessitatibus, & dubiis recurrere debeant? Absit hoc nobis dicere: Ecclesia Christi est *supra Petram ædificata.* Matth. c. 16. v. 18. ac *Civitas supra montem posita, quæ non potest abscondi.* Matth. cap. 5. v. 14. atque ibidem D. Augustinus Epist. 170. Monstrent igitur nobis eamdem sectatores Lutheri, vel Calvini aut Zwinglii, si Aliam ante ipsorum Protoparentes sciunt præter Romano-Catholicam.

28. Item Ecclesia Romano-Catholica fuit vera Ecclesia primis quinque, vel saltem quatuor sæculis, uti ipsimet moderni fatentur sectarii: ergo manet in hac sua possessione, usque dum clare ostendatur contrarium. Demonstrent igitur Heterodoxi per claros textus sacræ Paginæ (nam alia vana effugia non audio; quoniam volunt necessaria ad salutem haberi omnia clare in Scriptura) Eamdem postmodum ab hac sua possessione deficiendo recessisse: quo tempore, quo anno id contigit? Ego sane similes textus claros & convincentes in Hæreticorum libris etiam post longiorem inquisitionem invenire nunquam potui: si qui autem ab ipsis proponuntur apparentes, à Catholico Romanis solvuntur, & explicantur, opponendo insuper sæpius textus textibus &c manet ergo Ecclesia Romano-Catholica firma, & inconcussa in sua possessione antiquissima, supra Petram posita, contra quam Portæ Inferi post tot gravissimas persecutiones prævalere nunquã potuerunt. Miror, quod Acatholici, inter quos alias florent plures egregii Juristæ, in præsenti, ubi agitur de æterna salute, in odium Papæ nolint agnoscere Regulam Possessoriam.

ARTICULUS VIII.

De Sacramentorum administratione.

29. IN primis in isto Articulo admittunt *in hac vita esse in Ecclesia multos malos, & hypocritas admixtos bonis*, 2. Concedunt, *quod liceat uti Sacramentis per malos administratis*. 3. asserunt, *etiam talia Sacramenta esse efficacia. Unde damnant Donatistas & similes, qui negabant, uti licere ministerio malorum in Ecclesia, & sentiebant ministerium malorum inutile & inefficax esse.* Ita illi. Et in substantia consentiunt Catholici, docentes tamen insuper, à Sacramentis per malos collatis, ideo non tolli efficaciam, quia causant effectum suum (nimirum gratiam) de per se non ex opere operantis, sed per merita Christi ex opere operato.

ARTICULUS IX.

De Baptismo.

30. DE Baptismo docent 1. *quod necessarius sit ad salutem, quodque per Baptismum NB. offeratur gratia Dei.* 2. *Quod pueri sint baptizandi, quia per Baptismum oblati Deo, recipiuntur in gratiam Dei.* 3. *Damnant Anabaptistas, qui improbant Baptismo pueros salvos fieri.* Ita Lutherani: nec in his, prout jacent, dissentiunt Catholici, excepto, quod in eorum principiis per Baptismum non solum *offeratur*, sed etiam *causetur*, saltem moraliter, gratia Divina. Redibit de Baptismo adhuc Quæstio Articulo XIII.

31. Interea tamen quæritur ex Lutheranis, quomodo hic Articulus IX. in ipsorum principiis cohæreat cum Articulo IV.? Etenim Articulo IV. volunt, ad omnium justificationem requiri actum fidei, qua apprehenditur justitia Christi nobis exinde imputata; hic autem tenent, parvulos posse baptizari, & exinde justificari, seu recipi in gratiam Dei. Quomodo ergo justificantur parvuli, seu recipiuntur in gratiam Dei, cum nondum sint capaces rationis, ut possint elicere aliquem actum fidei, quo nobis, & nullo alio modo confertur justitia juxta eorum principia?

Scio quidem, quod, ut aliquo saltem modo respondeant, fingant sine ullo Sacræ Scripturæ textu, solum Deum infundere parvulis aliquem actum talis fidei in Christum. Sed plane hoc videtur prorsus gratis dictum, nec experimur facti adulti, quod unquam tanquam parvuli in Baptismo similem habuerimus actum fidei. Quinimo si hic actus fidei inesset parvulis in Baptismo; non ita manibus, pedibusque, dum affunditur aqua, reluctarentur, prout tamen sæpissime videmus contingere. Accedit, quod juxta Adversarios Art. VI. nulla ibi sit vera fides, ubi nulla sunt opera bona tamquam signa fidei, & fructus gratiæ; sed in parvulis nulla sunt bona opera: ergo neque fides illa actualis à Lutheranis requisita.

32. Et quæso, Lutherane, dum te oppugnat aliquis Anabaptista, qui vult, parvulos non debere baptizari, atque baptizatos debere tamquam adultos iterum rebaptizari, ex eo fundamento, quod in Scriptura requiratur aliqua fides ad Baptismum, juxta illud Marci cap. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit*

fuerit &c. à parvulis autem tamquam incapacibus rationis fides actualis elici nequeat: quomodo huic Anabaptistæ Scriptura, ad quam semper appellas, clare poteris probare, etiam parvulos credere actualiter per aliquem actum fidei à DEO ipsis communicatum?

Nos Catholici, qui præter Verbum Dei scriptum etiam admittimus traditum, & agnoscimus supremum in fidei controversiis ac dubiis dicendis Judicem, præterea que insuper ex notis Ecclesiæ ostendimus, nostram esse veram à Christo supra Petram fundatam Ecclesiam, facile convenimus dicendo cum Ecclesia, hunc textum, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, &c.* loqui non de parvulis, sed adultis, apud quos prævie ante Baptismum (uti ponitur in ipso sacro textu) gratis admittitur, requiri actum fidei, qui una cum gratia Divina actuali de congruo disponat ad Baptismum & Justificationem, non autem sit quæ primum etiam in parvulis excitetur per ipsum Baptismum.

ARTICULUS X.

De Cœna Domini.

33. DE *Cœna Domini docent, quod corpus & sanguis Domini vere adsint, & distribuantur vescentibus in Cœna Domini. Improbant secus docentes.* Ita illi in formalibus.

Quis ex ista doctrina valde palliata non crederet, Confessioni Augustanæ addictos quoad hunc Articulum circa Eucharistiam ex toto Catholicos, præsertim, cum præcedenter ponant NB. *adesse corpus & sanguinem Christi*, ac subsequenter primum *distributionem, ac sumptionem*; Ast longe aliter se res habet; negant enim contra Catholicos, adesse corpus & Sanguinem Christi ante ipsam actualem sumptionem; hincque apud Catholicos improbant expositionem Venerabilis Sacramenti, atque Processiones cum Eodem, taliter instructi ab ipso Luthero, qui ad initium in Epistola ad Argentinenses omnino inclinabat absolute negare realem præsentiam corporis, & sanguinis Christi sub speciebus panis & Vini: postea tamen persuasus à Martino Bucero, pariter Apostata, Patria Argentinensi, admisit, non quidem extra, sed in ipso usu actuali. Contra hos

34. Respondetur, Corpus & Sanguis Christi non solum sub ipsa actuali sumptione, sed etiam jam antea post completè prolata verba consecratoria adsunt. Ita declarat Concilium Trident. *sess.* 13. *can.* 4. tamquam de fide. Probatur veritas Responsionis 1. ex consecratione panis. *Matth.* 26. *v.* 26. & 27. ubi Christus in Cœna illa ultima Apostolis porrigens panem, ait: *Accipite, & comedite; Hoc est corpus meum.* NB. non dixit, *hoc erit* in ipsa manducatione, sed *hoc est* corpus meum, adeoque ne cogamur vel verba S. Scripturæ in sensum valde improprium contra ipsos Lutheranos, volentes in similibus omnia ibidem clara, detorquere, vel omnino admittere, Christum dixisse falsum, debebimus concedere, quod illico (nimirum post completam consecrationem) jam adfuerit Panis, seu Cibus hic Angelicus, *Corpus Christi.* Profecto dum Evangelicus ille Paterfamilias *Luc. c.* 14. *v.* 16 & 18. fecit Cœnam magnam, figurativam hujus Cœnæ maximæ, & invitavit multos, ut ad eam venirent, utique præsumebantur cibi ante ipsam manducationem existere: hoc enim in quolibet tali convivio præsupponitur.

Probatur 2. de consecratione calicis; dum enim ibidem invitavit omnes Apostolos, ut biberent, pro majori ad bibendum incitamento adjunxit per particulam *enim* causam motivam, dicens *Matth. c.* 26. *v.* 28. *Hic est NB. enim sanguis meus*, ergo sicut causa effectum, & incitamentum ad aliquam actionem præcedit ipsam actionem, ita sanguis Christi præcessit ipsam bibitionem, seu potationem. Sane si in nuptiis illis Joann. c. 2. descriptis, & in Cana Galilææ celebratis, sponsus (qui teste Augustino tract. 9. in Joann. ad initium, figuravit Christum) voluisset Hospites incitare ad bibendum, dicendo: bibite ex his sex hidriis; *hoc est enim vinum bonum*, omnes supponerent vi hujus propositionis jam adesse tale, quando sponsus hæc verba completè pronuntiavit; non autem primum postea illud fieri, puta per conversionem &c. *Hic similiter panis*: loquitur optime ad propositum antiquissimus Ecclesiæ Doctor S. Gregorius Nissenus Orat. Catech. cap. 37 *fuit, dicit Apostolus, sanctificatus per Verbum Dei, & Orationem, non* NB. *per cibum & potum procedet ad corpus Verbi, sed à Verbo, quemadmodum dictum est, transmutatur; nempe, hoc est Corpus meum.*

35. Dices: Christus illa verba *Hoc est Corpus meum*: *Hic est sanguis meus* primum protulit sub actuali sumptione Apostolorũ: ergo primum pro tunc, cum Apostoli manducaverunt panem, & biberunt vinum, adfuit Corpus & sanguis Christi, & consequentes Eucharistiæ Sacramentum conficitur primum sub actuali usu, uti Baptismus sub actuali ablutione &c. Antec. probatur. Juxta ordinem descriptum in sacro textu Matth. c. 26. Christus primo *accepit* panem, *benedixit*, ac *dedit* discipulis suis; postea legitur subjunxisse verba consecrationis, *Hoc est corpus meum* (idem dic de Calice Domini) ergo signum est, quod etiam Apostoli eo porrecto pane inceperint aliquo modo manducare, & ex calice bibere, antequam Christus illa verba omnino protulit.

36. Respond. neg. anteced. Imo id ipsum quoque non pauci Lutherani cum Gerardo Professore Jenensi, uno ex principalioribus & doctioribus sectariis, similiter negant, existimantes præallegata consecrationis verba fuisse prolata, non post, sed ante manducationem &c. Quoad probationem antecedentis, transmisso etiam, quod actiones superius descriptæ omnes (de quo tamen vide Controversistas nostros hic) ante verba cõsecratoria contigerint, & quidem eo ordine, quo ponuntur in sacro textu; vi hujus tamen necdum sequitur, quod sub ipsa prolatione horum verborum Apostoli actualiter inceperint manducare, & bibere de porrectis. Sic dato etiam præcedentibus exemplis, quod Paterfamilias discumbentibus panes distribuisset dicendo: *hic est panis optimus*, vel sponsus in Cratere Hospitibus vinum porrexisset excitando, ut bibant, & addendo, *hoc est vinum bonum*; exinde tamen non infertur, quod statim sub actuali porrectione, vel verborum prolatione illico inceperint manducare & bibere. Quoad Baptismum, seu alia Sacramenta negatur paritas: etenim, uti Catholici Theologi in suis libris passim probant, alia Sacramenta consistunt in *fieri*, sanctissimum vero sacramentum Eucharistiæ in *facto esse* tamquam aliquid permanens: nam in hoc sacramento quoque Christus nobiscum est Catholico-Romanis *omnibus diebus usque ad consummationem seculi* Matt. c. 28. v. 20. Atque exinde juxta SS.PP. antiquæ quoque Ecclesiæ absoluto cultu latriæ recte hic Christus adoratur non solum sub ipsa, seb etiam ante manducationem: quod tamen fieri nequiret, nisi præcederet manducationem caro, & sanguis Christi. Audiamus brevitatis gratia ex pluribus unicum S. Augusti-

Augustinum in Psalmum 98. sic loquentem: *Nemo illam carnem manducat, nisi NB. prius adoraverit. Non solum non peccamus adorando, sed peccamus non adorando.*

ARTICULUS XI.

De Confessione.

37. *DE Confessione docent, quod absolutio privata in Ecclesiis retinenda sit, quamquam in Confessione non sit necessaria omnium delictorum enumeratio: est enim impossibilis juxta Psalmum: Delicta quis intelligit?* Ita Lutherani. Econtra Catholici non solum absolutionem, verum etiam integram (supposito, quod status morbi, aliæque circumstantiæ admittant) confessionem omnium peccatorum gravium post Baptismum commissorum, & numquam adhuc detectorum necessariam adstruunt quoad speciem & numerum, qualiter eadem post diligens examen occurrunt memoriæ. Dixi notanter *primo qualiter post diligens examen &c.* ubi nota, quod diligentia Examinis debeat mensurari juxta eam diligentiam quam homines in aliis respective gravibus negotiis solent adhibere, attendendo simul ad circumstantias temporis, personarum &c. non autem requiritur, ut nos nimium (sicuti solent multi scrupulosi vix non ad insaniam usque aliquoties facere) torqueamus, & defatigemus: nam Christi *jugum suave est*, *onus* ejus *leve* &c. de quo plura Moralistæ. Dixi notanter *secundo occurrunt memoriæ*: nam alia, quæ post diligens examen superius explicatum non occurrunt, seu incidunt, utique nec tenemur in confessione exponere, & nihilominus etiam ista, non quidem *directe*, sed *indirecte*, seu taliter remittuntur, ut, si postmodum nobis incidunt, & alias Confessiones deponimus, eadem clavibus subjicere simus obligati. Et hæc obligatio sub istis moderationibus plane non est impossibilis; non enim somniarunt Doctores Catholici adstringere Pœnitentem ad confessionem omnium gravium peccatorum in casu impossibilitatis. Quinimo positive contrarium innuunt, dum Theologi Catholici docent expresse, quod omnium gravium peccatorum confessio materialiter integra (uti vocant) non sit necessaria, quando eadem ob statum morbi, vel alias circumstantias redditur *moraliter impossibilis*, e. g. si quis subito destituatur sensibus, ubi sufficit confessio Generalis dolorosa vel ore, vel saltem signo aliquo sensibili expressa, quam confessionem adhuc formaliter integram appellant. Perpende benignitatem Catholicorum. Insuper ad confessionem peccatorum venialium aut imperfectionum Pœnitentem Catholici non obligant, quamvis Pœnitens eadem se commisisse intelligat & confiteri posset. Idem à fortiori dicendum quoad motus primo primos appetitus tam concupiscibilis, quam irascibilis, deliberationem intellectus prævenientes, in quibus juxta dicta, & dicenda ne quidem ratio peccati invenitur. His prænotatis

38. Probatur Catholica Veritas ex ipsis Verbis Æternæ Veritatis Joann. c. 10. v. 23. ubi post Resurrectionem suam Christus per hæc verba, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*, dedit Apostolis potestatem *remittendi*, & *retinendi* peccata, prout in Domino videbitur: sed hæc potestas esset inefficax, nisi ex parte Pœnitentis foret vicissim obligatio confitendi omnia gravia peccata: quomodo enim Confessarius tamquam Christi Minister aliqua peccata retinere, aut etiam prudenter discernere posset, utrũ hæc vel illa peccata sint retinenda, vel remittenda, absolutio danda vel deneganda, si Pœnitens non haberet obligationem eadem in Confessionali manifestandi? *Sacerdos pro officio suo, cum peccatorum audierit NB. varietates, scit, qui sit ligandus, quive absolvendus*: inquit ex Ecclesia Antiqua Sanctus Hieronymus ad c. 16. *Matt.* ergo. *Itaque adstantem coram te Sacerdotem Angelum DEI existima &c. aperi ei penetralium tuorum abditissima latibula, conscientiarum verecundarum penitiora revela propagula. Non te pudeat coram uno dicere, quod te non puduit forsitan coram multis, & cum multis facere.* Ita Pœnitentem alloquitur S. Augustinus *lib. 2. de Visitat. Infirm. c.* 5. Plures alios SS. PP. de antiqua Ecclesia apud Bellarminum, aliosque Controversistas passim reperiendos prætereo.

39. Dices: Neque Christus, neque Apostoli audierunt Pœnitentes distincte quoad speciem & numerum confitentes peccata sua: ergo signum est, quod non sit obligatio (præsertim ex præcepto Divino) eadem aperiendi Sacerdoti singulatim quoad speciem & numerum.

Respondeo ex P. Pichler in sua Theologia Polemica hic *fol.* apud me 626. quod ipsum Christum, hoc remedium actualiter primum post suam Resurrectionem instituentem, non esse inferendam paritatem, si Is tamquam supremus Dominus usus fuerit absoluta sua potestate, qui peccata non solum sine absolutione, sed etiam sine Baptismo dimittere potuit; qualis tamen potestas illimitata non legitur data aliis, sed potius restricta ad formam Judicii; debent autem Judici alia delicta aperiri non in genere dumtaxat, sed etiam in specie: quoad ipsos Apostolos prorsus incredibile est, quod hi Judicialem hanc potestatem sibi à Christo *Matth. c. 16. v.* 19. adhuc in vita sua promissam, & post mortem *Joan. cap.* 20. *vers.* 22. actualiter collatam, numquam, exercuerint. Quinimo de S. Paulo expresse in actibus Apostolorum *cap.* 19. *v.* 18. habetur: *Quod venerint multi NB. credentium confitentes & annunciantes* (Syriaca Editio habet *numerantes*) *actus suos.* Legatur Bellarminus *lib.* 3. *de Pœnitent. a. c.* 2. *& seqq.* ubi permulta adducit loca S. Script. Conciliorum, & SS. Patrum, Pœnitentiæ, & Confessionis necessitatem clare ostendentium, eamque eodem modo, & ritu, uti nunc est, in usu semper fuisse comprobantium. Pariter annotetur ex P. Pichler *loc. cit.* in hac ipsa materia infidelitas Lutheri, circa citatum textum D. Pauli, qui, ne suæ doctrinæ, integram confessionem omnium peccatorum mortalium rejicienti, obstare videatur, pro ly *actus suos* posuit *miracula sua*, quasi nimirum credentes Paulo tantummodo sua annuntiassent miracula. Nec defendat Magistrum discipulus Lomerus dicendo, Lutherum in hoc fuisse secutum S. Chrysostomum *homil.* 41. *in Acta*: falsissimum enim est, quod ibidem, uti legenti constat, S. Chrysostomus ly *annuntiantes actus suos* accipiat *pro miraculis*; quin potius ait, *annuntiantes actus suos* idem esse, ac *offensas suas*. Quare etiam *homil.* 42. *in Matth.* quemlibet Pœnitentem his alloquitur verbis. *Peccata tua NB. per singulas species recole.* Hoc equidem juxta dicenda §. VII. Art. IV. verum est, quod S. Chrysostomus improbet enumerationem specificam peccatorum in Confessionibus publicis: nullatenus vero in Confessione privata, seu auriculari; in qua Sacerdos strictissime obligatur ad silentium, seu sigillum.

ARTICULUS XII.

De Pœnitentia.

40. De *hac docent* 1. *quod post Baptismum lapsis possit remissio peccatorum contingere quocumque tempore, dum convertuntur, & quod Ecclesia talibus redeuntibus ad Pœnitentiam debeat absolutionem impertiri. Et in hoc puncto damnant partim Anabaptistas, negantes semel justificatum posse iterum amittere Spiritum Sanctum: partim Novatianos nolentes post Baptismum iterum lapsos, & ad Pœnitentiam redeuntes absolvere.*

Docent 2. *quod Pœnitentia ista proprie duabus constet partibus, nimirum contritione, seu terroribus conscientiæ, agnito peccato, inclusis* (in his enim constituunt rationem contritionis) *ac fide illa, quæ ex Evangelio, seu absolutione concipitur, & mediante qua creditur, propter Christum remitti nobis peccata, sicque hac fide apprehenditur justitia Christi, seu gratia justificativa.*

Docent 3. *Ex hac pœnitentia sequi bona opera, quæ dicuntur fructus Pœnitentiæ.*

Docent 4. *Non tamen per dicta bona opera, seu satisfactiones nostras nos promereri gratiam.* Ita Lutherani.

41. Econtra Catholici quoad primum quidem punctum juxta bonam interpretationem acceptum, conveniunt, admittentes ultro peccatorem relapsum, & ad Pœnitentiam redeuntem debere absolvi, dummodo ceteroquin constet, quod debite sit dispositus. In reliquis punctis ex toto sunt contrarii doctrinæ Confessionis Augustanæ.

42. Ut hæc amplius capiantur, Antitheses ad invicem Catholicos inter & Sectarios appono. *Inprimis* Catholici firmiter tenent, Pœnitentiam esse verum Sacramentum: Acatholici vero subinde id affirmant, subinde negant, uti videre est apud Pichler hic de numero Sacramentorum. Defacto tamen, teste Eodem, communiter saltem, tantum duo admittunt, Sacramenta, *Baptismum nempe & Eucharistiam*, & consequenter Pœnitentiam à ratione Sacramenti excludunt.

Secundo, Catholici credunt indubitate, ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ necessario requiri tria: nimirum *dolorem cum proposito*; aliquam vel materialiter, vel in certis circumstantiis saltem formaliter integram *confessionem*, & *absolutionem*: *satisfactionem* autem actualem esse quidem partem integralem, vi cujus in Virtute Sacramenti, & meritorum Christi delentur pœnæ temporales, sæpius post reatum culpæ remissum adhuc restantes; valere tamen adhuc Sacramentum quoad sua essentialia, si hæc satisfactio equidem habeatur in voto; in re autem ipsa non persolvatur, puta ob mortem subitaneam &c. &c.

E contra Sectarii putant, Pœnitentiam duabus tantum constare partibus nimirum *contritione & fide*. Absolutionem quidem etiam admittunt, negant tamen per eamdem peccata proprie remitti, sed potius denuntiari remissa per fidem in Christum in corde Pœnitentium excitatam, qua mediante apprehenditur gratia justificativa. Confessionem concedunt, ast omnium peccatorum enarrationem impossibilem adstruunt. Obtineri autem remissionem peccatorum per satisfactiones nostras, absolute rejiciunt.

Tertio quoad dolorem ad Pœnitentiam requisitum, equidem etiam Catholici eumdem communiter vocant contritionem, & longe aliter explicant, quàm Lutherani Confessioni Augustanæ addicti. Nam priores dicunt contritionem supernaturalem in genere esse *dolorem animi, ac detestationem peccati commissi ex motivo aliquo honesto per fidem cognito &c.* Quam deinde contritionem, vel pro varietate motivi, sive juxta nonnullos, pro varietate majoris vel minoris intensionis, dividunt in contritionem perfectam, & imperfectam, fatentes, ad Sacramentum Pœnitentiæ tantummodo desiderari contritionem imperfectam. E contra posteriores, nimirum Lutherani, in Confessione Augustana aiunt; quod contritio illa nihil aliud sit, quam *terrores & pavores conscientiæ incussi a lege, agnito peccato, & ira Dei*: nam (pergunt ulterius) per ipsam legem innotescit nobis peccatum, & ira Dei desuper denuntiatur, ex qua consideratione terrores conscientiis incutiuntur, quæ exinde conteri dicuntur. Ita in his punctis Sectarii, contra quos (dum eosdem quoad obligationem confitendi peccata jam superius refutavimus) etiam circa tria residua puncta, nempe circa explicatam contritionem, absolutionem & satisfactionem, Catholicam veritatem per tres Responsiones probamus. Itaque

43. Respondetur I. Superius à Lutheranis explicati, & conscientiis incussi terrores formaliter & essentialiter non constituunt contritionem, seu dolorem requisitum ad Pœnitentiam. Ratio est, quia tremores isti non raro possunt reperiri etiam in impœnitentibus: nam etiam *dæmones credunt & contremiscunt.* Jac. 2. Sic etiam reus homicidii potest timere futuras pœnas, & iram Judicis, quin conteratur de crimine: Imo potest adhuc gaudere, quod trucidaverit e. g. suum Adversarium: ergo in his tremoribus non consistit essentia contritionis illius, quæ est pars Pœnitentiæ. Unde nec Sancti PP. antiquiores essentiam contritionis, seu doloris ad Pœnitentiam requisiti definierunt per istos terrores. Ostendant itaque nobis Adversarii clare ex Sacra Scriptura (ex qua suas probationes desumi gloriantur) quo loco hæc definitio contritionis legatur.

44. Id summopere deplorandum (uti etiam sæpius mecum ingemui) quod, dum Pastores Sectariorum ex una parte contritionem ad Pœnitentiam essentialiter requisitam mirabiliter explicant, ex altera vero fidem suam justificativam, una cum libertate conscientiæ nimium quantum continuo in libris & pulpitis extollunt, de Contritione perfecta, ex motivo Charitatis procedenti altum teneant silentium, vel saltem pro captu non satis declarent, facile contenti, dummodo errantes oviculæ suæ sciant contra Catholicos explicare fidem suam justificativam, & in actum exercitum deducere. Insignis hæc est deceptio diaboli, qui pauperculis maxime simplicioribus ignorantia forsan invincibili circa veram fidem laborantibus, aliis tamen peccatis contra Decalogum irretitis, exinde subtrahit unicum, quod adhuc superesset ipsis salvationis remedium, nempe Charitatem & contritionem perfectam. Vide hic sæpius allegatum Patrem Pichler, cujus Theologiam Polemicam utilissime leges, maxime si inter Acatholicos permixtim vivas; ubi pariter novas evasiones & distinctiones recentiorum Theologorum Acatholicorum præclusas invenies.

45. Respondetur II. Absolutio est Pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ, atque per Sacerdotem vi absolutionis vere remittuntur Pœnitentibus peccata, & non præcise denuntiantur esse remissa per excitatam in Pœnitentibus fidem, quam Acatholici justificativam appellant. Ita Catholici omnes, quinimo ex Eorum Doctoribus, præsertim Scotistis, non desunt, qui, cum hoc Sacramentum se habeat per modum judicii, totam ejusdem essentiam constituunt in absolutione, ita tamen, ut dolor, ac con-

fessio

fessio requirantur, tamquam conditiones, sine quibus non haberetur essentia, eo ferme modo, quo aiunt unionem inter materiam & formam non esse partem essentialem hominis, sed præcise conditionem sine qua non. Quidquid tamen de hoc sit in præsenti.

46. Probatur Veritas Catholica contra Hæreticos quoad I. partem taliter: Ex jam dictis *artic. præc.* confessio modo superius explicato est pars essentialis Pœnitentiæ (vel, si mavis dicere, conditio essentialiter requisita ad Sacramentum Pœnitentiæ) ergo multo magis absolutio erit pars essentialis, cum confessio sit ordinata ad absolutionem impetrandam, atque insuper conformiter textui S. Joannis *c.* 20. *Quorum remiseritis &c.* Christus instituerit hoc Sacramentum per modum Judicii; Judicium autem essentialiter compleatur per sententiam Judicis. Ut autem adhuc in hoc puncto clarius (obscuritatem enim, quantum possum, abominor) ad invicem intelligamur, notatum velim ab Adversariis, quod pro semper Catholici defendant, Pœnitentiam esse verum Sacramentum juxta dicenda Articulo sequenti, & ad id, qua tale, ut in sua constituatur essentia, requirunt absolutionem. Ceteroquin in suis Principiis gratis fatentur etiam extra actuale hoc Sacramentum posse aliquoties graves peccatores Fideles salvari per actum Charitatis, vel Contritionis perfectæ, in quibus tamen semper saltem implicite, confessio & absolutio, seu Sacramentum Pœnitentiæ includitur *in voto*.

47. Probatur nunc secunda Pars hujus Catholicæ Veritatis, quod nimirum per hanc absolutionem *vere remittantur peccata*: etenim Christus Joann. 20. absolute pronuntiavit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: ergo per Sacerdotem in absolutione non solum *denuntiantur* remissa peccata per fidem, prout putant Acatholici, sed vere *remittuntur*, non quidem Auctoritate suprema & independenti (hoc enim soli Deo competit) sed delegata & dependenti: debemus enim Sacram Scripturam accipere in sensu proprio, quando sine implicantia & contradictione possumus, maxime in principiis Acatholicorum, qui dogmata sua conantur (utinam conatui correspondere effectus) vel maxime demonstrare ex Scriptura. Et plane, si *remittere peccata* seu *absolvere a peccato* idem est, ac *denuntiare, peccata esse remissa per fidem*, poterit quoque Laicus, ac femina absolvere; nam & hæc excitando peccatorem, ut credat in Christum, & confidat in merita Ejusdem, poterit dicere: *Si hanc fidem habeas, denuntio tibi remitti peccata.* Immo quis magis hanc denuntiationem remissionis peccatorum propter fidem in Christum facere poterit, quam peccator sibimetipsi, qui melius, quam exteriores, sentiet, qualem in corde suo habeat fidem, & fiduciam in Christum; sicque peccator sistendo in principiis Adversariorum posset contra communem praxin, & sensum antiquæ Ecclesiæ se ipsum absolvere.

48. Respondetur III. Per bona opera ac satisfactiones nostras, in meritis Christi & Divina gratia fundatas, obtinemus in Sacramento Pœnitentiæ condonationem peccatorum quoad pœnas temporales, sæpius post reatum culpæ remissum adhuc restantes, & alias vel in hac vel in altera vita solvendas. Hæc Responsio duas in se continet partes: nimirum 1. quod culpa remissa sæpius restet aliqua adhuc pœna temporalis. 2. Quod remissionem talis pœnæ possimus obtinere per bona opera & satisfactiones nostras. Prima pars patet exemplo S. Scripturæ: sic enim Rex David 2. *Reg. cap.* 12. *v.* 13. *&* 14. postquam perfecte corde contrito culpam suam de duplici gravissimo peccato, *Homicidio & adulterio*, per verbum *peccavi* confessus fuit, obtinuit remissionem culpæ Pœnitenti Regi per Nathan Prophetam annuntiatam his verbis: *Dominus transtulit peccatum tuum*; quo non obstante punitus est adhuc temporaliter, nimirum morte filii sui unice dilecti. Secunda pars ostenditur ex sacro Codice, & SS. PP. qui similibus *satisfactionibus*, seu (uti communiter vocantur) *Pœnitentiis* remissionem adscribunt. *Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo*, inquit Deus Jerem. c. 18. *agam & Ego Pœnitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei* &c. Et S. Augustinus in Enchiridio ad Laurentium c. 71. loquens de Oratione Dominica: *Oratio delet & illa* (supple peccata) *à quibus vita fidelium scelerate gesta, sed NB. pœnitendo in melius mutata, discedit. Quare Dominus orandus est: Dominus nostra satisfactione placandus est*, Concludit optimè S. Cyprianus *Serm. de Lapsis.*

49. Nec dicas: Satisfactio, ac merita Christi tamquam infiniti valoris sunt sufficientissima ad remittenda peccata nostra tam quoad culpam, quam quoad pœnam; ergo sunt injurii Christo, & ejus gloriam diminuunt, qui aliquam insuper remissionem pœnæ temporalis tribuunt meritis & satisfactionibus nostris. Respond. Disting. ant. Merita & satisfactio Christi sunt sufficientissima ad remissionem &c. in actu primo con. in actu secundo, nego. Etenim etsi ex se ipsis sint talia, attamen Christus in actu secundo noluit Homini ista illimitato modo applicare, sed potius voluit, ut pariter ad merendum merita sua, & ad satisfaciendum satisfactiones suas jungat. *Qui sic Deo satisfecerit, non jam solam Dei veniam NB. merebitur, sed coronam*, ait in formalibus antiquissimus S. Pater Cyprianus *serm. de lapsis.* Nec exinde diminuitur gloria Christi; cum ipsa hæc merita, & satisfactiones nostræ valorem suum habeant ex satisfactionibus & meritis Christi, intuitu quorum confertur nobis Divina gratia, opera nostra dignificans. Sic etiam in ipsis principiis Adversariorum, quamvis merita & satisfactiones Christi in se ipsis sint infiniti valoris noluit tamen Christus ea nobis applicare in actu secundo nisi dependenter à Sacramentis, & (uti ipsi inquiunt) à fide in Christum, qua apprehendimus justitiam.

ARTICULUS XIII.

De Usu Sacramentorum.

50. EXplicant in primis, *ac describunt Sacramenta in genere, quod sint signa & Testimonia voluntatis Dei, erga nos ad excitandam & confirmandam fidem in his, qui utuntur, proposita.* 2. *Dicunt, Sacramentis superius descriptis esse utendum ita, ut fides accedat, quæ credit promissionibus* 53. *Damnant illos* (puta Catholicos) *qui docent, quod Sacramenta ex opere operato justificent.* Ita Lutherani. Ubi nota, quod in Confessione sua Augustana à numero determinato Sacramentorum in specie adhuc abstraxerint, etsi defacto communiter tantum duo admittant, nimirum *Baptismum & Eucharistiam.*

51. Ceterum ex hac ipsa descriptione Sacramenti ut sic innuere volunt, tria principaliter in ipsorum principiis requiri ad rationem Sacramenti. 1. Ut id, tamquam *signum* habeat externum aliquod materiale, quod vocant Elementum. 2. ut Elementum, seu signum illud habeat expressum mandatum Divinum, seu

seu sit *institutum* à Deo. 3. Ut habeat annexam *promissionem gratiæ:* taliter nimirum, ut per signum à Deo institutum excitetur in nobis *fides in Christum*, qua, quasi aliqua manu, apprehendimus justitiam Christi; nobis exinde taliter imputatam, ut per eam dicamur justi, Deoque grati, & peccata nostra tegantur, sed non amplius imputentur.

Ex quo facile deducitur, Acatholicos non admittere gratiam, per Sacramenta nobis collatam, esse aliquod positivum supernaturale, qualiter Catholici intrinsecam aliquam qualitatem supernaturalem (quam habitum vocant) defendunt, per Sacramenta saltem moraliter causatam in anima justi; ubi econtra Lutherani eam gratiam Sacramentalem tantummodo extrinsecam asserunt, quatenus nimirum præcise mediante fide elicita ipsa Justitia, seu sanctitas Christi nobis imputantur; quin aliqua positiva qualitatis supernaturalis animæ infundatur.

52. E contra Catholici longe aliter definiunt, & vi ipsius definitionis alias ad Sacramentum requirunt conditiones, quam Acatholici: describunt nimirum taliter ex Catechismo Romano, quod sit *invisibilis gratiæ visibile signum ad nostram justificationem institutum.* Vel ex Scoto 4. *sent. dist.* 1. *quæst.* 2. quod sit *signum sensibile gratiam Dei, vel effectum ejus gratuitum ex institutione Divina significans, ordinatum ad salutem hominis Viatoris.* Singulas particulas hujus descriptionis fusius declaratas vide apud Reiffenstuel *Tract.* 14. *Theol. Moral. dist.* 1. *q.* 1. *Secundo* ex hac ipsa definitione inferunt, Sacramenta dici talia, non quatenus fidem actualem in Christum excitant, sed quatenus causant instrumentaliter gratiam primam aut secundam, & quidem tamquam aliquam qualitatem supernaturalem animæ infusam. *Tertio* Sacramenta causare illam gratiam ex opere operato, id est, immediate vi ipsius Sacramenti per merita Christi ad hanc causalitatem elevati, non autem intuitu meritorum alicujus operantis. *Quarto* talia Sacramenta statuunt septem, puta *Baptismum, Confirmationem, Pœnitentiam, Eucharistiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium.* His prænotatis

53. Respondetur I. Male describitur Sacramentum ut tale ex eo, quia excitat vel confirmat in nobis fidem in Christum, qua apprehenditur gratia justificativa. Ratio est *prima*, quia etiam aliqua concio, Liber spiritualis, vel devota Imago potest excitare fidem in Christum, præcipue vero ipsum Evangelium JESU Christi: nam *Evangelium virtus Dei est in salutem omni credenti.* Ad Rom. 1. v. 16. & tamen etiam juxta ipsos similia non sunt vera Sacramenta: ergo hæc definitio non convenit omni & soli, consequenter est mala.

Ratio est *secunda*, quia fides potius præsupponitur in adultis, ante susceptionem Sacramenti; ergo non causatur, seu excitatur primum per Sacramentum; alias enim esset effectus simul prior, & simul posterior suâ causâ. Antec. probatur in Baptismo, quem etiam Acatholici tamquam verum Sacramentum agnoscunt: ubi tamen fides præsupponitur ipsi in Scriptura: sic enim legitur Marci cap. 16. *Qui NB. crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Matth. cap. 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* Act. cap. 8. ver. 12. *Cum credidissent Philippo Evangelizanti de Regno Dei, in nomine JESU Christi baptizabantur.* Et ibidem v. 37. ac seqq. noluit Philippus baptizare Eunuchum Reginæ Candacis, nisi *credat ex toto corde.*

Ratio est *tertia*, quia apud Lutheranos etiam Infantibus, & perpetuo amentibus recte confertur Sacramentum Baptismi, & tamen ibidem Baptismus nequit excitare fidem actualem; cum sint incapaces rationis, sicque etiam incapaces eliciendi actum fidei, conformiter jam dictis Art. IX. licet ceteroquin nullum ponant obicem huic Sacramento: ergo ad rationem essentialem Sacramenti necessarium non est, ut excitetur actualis fides in Christum. Quod si varias extortas contra hæc solidissima fundamenta Catholica adducant evasiones, & distinctiones, petuntur ab ipsis textus Sacræ Scripturæ, ex quibus clare hæ eruantur: quoniam si ad salutem necessaria juxta eosdem eruuntur ex S. Scriptura præ omnibus id fieri debebit quoad Baptismum, per quem in Ecclesiam ingredimur.

54. Respondetur II. Sacramentum optime describitur à Catholicis per hoc, quod sit causativum gratiæ sanctificantis ex opere operato. Ratio est; quia Scriptura tribuit Sacramentis ipsismet effectum gratiæ, atque peccatorum remissionem: sic enim legitur de Baptismo. Act. 2. v. 38. *Baptizetur unusquisque vestrum NB. in remissionem peccatorum.* de Eucharistia autem Joan. cap 6. v. 50. & 52. *si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Item *panis, quem ego dabo, caro mea est NB. pro mundi vita &c.* Plures tales textus videri possunt apud Controversistas. Unde non video, quomodo ex hoc capite (uti nec ex aliis) Lutherus potuerit improbare Ecclesiam, & sumere ansam apostatandi.

55. Respondetur III. Gratia illa sacramentalis causata per Sacramenta, tamquam per instrumenta, est vera aliqua qualitas positiva, supernaturalis, animæque existens, per quam homo fit vel formaliter justus, amicus & filius adoptivus Dei, vel saltem ut talis jam inventus, in his prædicatis confirmatur & crescit.

Probatur 1. Ex illis textibus Sacræ Scripturæ, quibus gratia superius explicata comparatur indumento, juxta illud ad Ephes. cap. 4. *Induite novum hominem*; vel specialiter *vesti nuptiali* Matth. cap. 22. vel *stolæ primæ* Luc. cap. 15. quæ omnia utique non sunt quid pure extrinsecum, sed ens positivum adhærens corpori: ergo pariter gratia erit ens aliquod positivum, tamquam accidens inhærens animæ.

Probatur 2. Quia Christus est justus & sanctus per justitiam & sanctitatem non præcise imputativam, sed positive sibi inexistentem: ergo etiam nos per Sacramenta, meritis Christi elevata, erimus taliter justi & sancti: *Etenim omnis, qui spem habet in eo* (id est Christo) *sanctificat se, NB. sicut & ille sanctus est.* 1. Joan. cap. 3. v. 3.

Nec dicas, per Baptismum & Pœnitentiam tantummodo tegi peccatum originale, & actualia juxta illud Psalmi 31. *Beati &c. quorum tecta sunt peccata*; adeoque non requiri aliquod ens positivum, quo in Sacramentis formaliter constituamur justi, sed sufficere, ut in tantum dicamur, e. g. per Baptismum & Pœnitentiam justificati, in quantum per umbraculum meritorum Christi, seu per ipsam Ejus Justitiam, mediantibus Sacramentis fide apprehensam, nostra peccata obteguntur quasi veste purpurea, sicque nobis non amplius imputantur. Nam contra hanc evasionem est, quod à Sacra Scriptura peccata dicantur tolli. *Joan. cap.* 1. atque deleri, *Isai. cap.* 43. Item nos exinde ablui & mundari, 1. *Cor.* 6. atqui ista omnia non essent vera, si peccata tegerentur: nam tege leprosum toga, qua velis, pretiosa, lava sordidam vestem, qua potes, industria: si lepra adhuc in isto homine, vel sordes in veste remanent, homo hic erit à parte rei adhuc leprosus, & vestis adhuc sordida, quantumcumque tegantur; nec in simili casu vere loqui censeretur, qui diceret, lepram ab illo homine esse sublatam, maculas deletas, & vestem

vestem mundatam. Cur igitur non pariformiter loquamur circa remissionem peccatorum? præsertim cum juxta Acatholicos verba Scripturæ, quantum fieri potest, accipi debeant in sensu proprio, nisi evidenter constet contrarium, & quidem ex ipsa Scriptura. Ostendant ergo Adversarii doctrinæ nostræ circa Sacramentalem gratiam evidenter contrarium. Textus ab ipsis allegatus truncate profertur, ita enim habet: *Beati, quorum NB. remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Cur *remitti peccata* nolunt recipere in sensu proprio, & cur præcise *tegi peccata*? Audiamus super hunc textum non Lutherum, sed magnum Ecclesiæ Lumen S. Augustinum, qui eumdem explicat assumendo paritatem circa vulnera animæ, & circa vulnera corporis: vulnera enim corporis dupliciter tegi possunt, nimirum vel ab ipso vulnerato, vel à Medico, seu Chirurgo. Vulneratus tegit ea pallio abscondendo, non tollendo: Chirurgus emplastro ea tegit, & simul tollit. Idem contingit apud Peccatorem quoad vulnera animæ suæ; tegi hæc possunt vel ab ipso peccatore, vel à Christo: peccator tegit, quando abscondit vel dissimulat; Christus Medicus animarum tegit emplastro gratiæ divinæ, & simul per hoc emplastrum vulnera tollit. Videatur in hunc textum fusius præsertim num. 21. Le Blanc.

56. Respondetur IV. Sacramenta causantia gratiam, modo superius explicato, sunt numero septem, nimirum *Baptismus*, *Confirmatio*, *Eucharistia*, *Pœnitentia*, *Ordo*, *extrema Unctio*, & *Matrimonium*. Ita *una*, *sancta*, *Catholica*, & *Apostolica*, sicque juxta dicenda notis veræ Ecclesiæ (quæ nec in materia fidei propter certam Christi assistentiam fallere potest, nec falli) prædita Ecclesia Romana, cui etiam Ecclesia Græca schismatica (quamvis alias ex diuturno odio, ubi vel apparentes minimæ apparent rationes, contradicat) in hoc puncto consentit, non obstante, quod Lutherani Ejusdem Patriarchā Hieremiam diversis artibus & blanditiis in suas voluerint trahere partes, uti apud Controversistas celebriores passim invenies, qui pariter sanctorum Patrum antiquissimæ & primæ Ecclesiæ sententias varias modo in favorem hujus, modo alterius ex isto numero septennario Sacramentorum adducunt. *Multa non inveniuntur in litteris Apostolorum, nec in Conciliis Posteriorum, & tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita, & commendata creduntur.* Inquit S. August. lib. 2. de Baptismo contra Donatist. cap. 7.

57. Nec dicas I. In Sacra Scriptura de isto numero septennario nihil inveniri, & consequenter eumdem numerum male à Catholicis, & gratis adstrui. Respondetur enim I. ad hoc argumentum mere negativum, neque ex una parte inveniri in Sacra Scriptura contrarium, & ceteroquin ex altera parte pro veritate hac stare consensum universalis, atque ex notis superius allegatis veræ Ecclesiæ unacum Sanctis Patribus etiam antiquissimis. Respondetur II. Neque in Sacra Scriptura reperiri numerum præcise binarium Sacramentorum, uti moderni Lutherani solent adstruere, nimirum solummodo *Baptismum* & *Eucharistiam*. Sicque hæc objectio fortius contra ipsosmet pugnat Adversarios, qui omnia sua dogmata volunt ex Scriptura probare. Cur enim excludunt à ratione Sacramenti *Pœnitentiam*, cum tamen illic quoque reperiatur *signum externum*, puta confessio dolorosa, & absolutio? insuper (uti ipsimet ad rationem Sacramenti exposcunt) ibidem reperiatur *institutio*, seu uti vocant, *mandatum* Divinum, & *adpromissio gratiæ justificativæ*, Joan. cap. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Item cap. 3. *Pœnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Rursum Lucæ cap. 13. v. 3. *Nisi Pœnitentiam habueritis.* Cur igitur (inquam) à ratione Sacramenti *Pœnitentiam* excludunt? scio quidem, quod reponant apud P. Pichler hic, se ideo excludere, quia signum illud sensibile in Pœnitentia tantummodo sensu *auditus*, non autem sensu *visus* est perceptibile. Risum teneatis amici: si tamen in puncto tam arduo æternam salutem concernente ridendum, & non potius cæcitas ista deploranda est. Rogo, ostendatur Catholicis (citra tamen petitionem principii) ex claro aliquo Sacræ Scripturæ textu, quod ad rationem Sacramenti NB. *ut sic*, seu *in genere* necessario requiratur, ut sit signum *visu* (excludendo sensum *auditus*) perceptibile. Respondetur III. Catholicos non esse adeo steriles, quin junctis simul dictis n. 56. pro septennario numero Sacramentorum inveniant quoque textus Sacræ Scripturæ. De *Pœnitentia* patet ex proxime dictis. De *Confirmatione* Corinthios suos *in fide jam stantes* alloquitur Apostolus 2. Corinth. cap. 1. v. 21. *Confirmat* (supple Deus) *nos vobiscum in Christo, & qui NB. unxit nos Deus, qui & signavit nos.* De ceteris tribus Sacramentis (nimirum *extrema Unctione*, *Ordine*, & *Matrimonio*) invenies passim textus sacræ paginæ apud Theologos & Controversistas, ad quos brevitatis gratia lectorem remitto notanter ad P. Pichler *Parte posteriori Theologiæ Polemicæ Controvers.* 3. *art.* 2. & Henno *Tractatu de Sacramentis disput.* 2. *quæst.* 3.

58. Nec dicas II. Sanctos Patres antiquæ Ecclesiæ, nominatim S. Augustinum Epistola 118. ad Januarium stare potius contra nos, adstruentes duo tantum Sacramenta, *Baptismum* nimirum & *Eucharistiam*, cui sententiæ pariter favet Ecclesia Græca in Confessione suæ fidei, quam Patriarcha Constantinopolitanus Cyrillus Liparus Anno 1633. imprimi curavit, ubi hæc leguntur formalia: *Credemus Evangelica Sacramenta esse ea, quæ Dominus instituit in Evangelio, & ipsa esse NB. duo, nempe Baptismum & Eucharistiam, ampliorem numerum Sacramentorum non habemus.*

Respondetur enim in primis quoad sanctos Patres, eosdem in ceteris textibus non quidem omnia septem Sacramenta recensere insimul; facere tamen mentionem successive, id est, de quibusdam in uno, de aliis in altero loco. Paucis: in similibus textibus, si qui contra nos ab Adversariis adducuntur, loquebantur, Sancti Patres *precisive*, non *exclusive*; prout nimirum requirebat eorum propositum, vel materia, quam tractabant, eo ferme modo, quo explicavimus Articulo IV. textus Sacræ Scripturæ, qui ad justificationem nostram subinde solam fidem requirere videbantur. Sic in specie, ac nominatim S. Augustinus, qui Epistola 118. ad Januarium meminit tantummodo duorum Sacramentorum, Epistola statim sequenti seu 119. facit mentionem de tribus. Libro autem 5. de Baptis. contra Donatist. cap. commemorat quatuor, *Baptismum* nempe, *Unctionem*, *Eucharistiam* & *Ordinem*. Sacramentum Chrismatis, seu Confirmationis contra Petilianum adducit apud Pichler hic sequentibus formalibus: *NB. Sacramentum Chrismatis in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus.* Sacramentum Pœnitentiæ apud Franciscum Henno *Tract. de Pœnit.* allegat lib. de adult. conjug. cap. 28. his verbis. *Quæ autem Baptismatis, eadem Reconciliationis est causa, si forte pœnitentem finienda vita periculum præoccupans est.* Subsumitur, sed Baptismus juxta Divum Augustinum per modum

Sacramenti causat remissionem peccatorum: ergo etiam remedium reconciliativum, nimirum Pœnitentia, cum juxta D. Augustinum eadem reconciliationis, ac Baptismatis sit causa. De Matrimonio ait lib. de fide & operibus cap. 7. *In Ecclesia NN. nuptiarum non solum vinculum, sed etiam Sacramentum commendatur.*

Quantum ad Ecclesiam Græcam quod ea septem credat Sacramenta, clarissime patet ex Responsione Hieremiæ Patriarchæ ad litteras Acatholicorum, videnda in Examine Polemico P. Pichler Art. VI. Verum quidem est, quod Cyrillus Liparus in sua confessione duo tantummodo admiserit Sacramenta: sciendum tamen, quod ille declinaverit ad partes Hæreticorum, & propterea à suo successore Anno 1683. fuerit Anathematizatus his verbis: *Carillo dogmatizanti, & credenti, non esse NB. septem sacramenta Ecclesiæ &c. sed mentienti non esse tradita à Christo in Evangelio, nisi solum Baptismum & Eucharistiam, &c.* Videatur Franciscus Henno Tract. de Sacrament. *Disputat. 2. Quæst. 3.*

ARTICULUS XIV.

De Ordine Ecclesiastico.

59. DE *Ordine Ecclesiastico docent, quod nemo debeat in Ecclesia publice docere, aut Sacramenta administrare, nisi rite vocatus.* Ita Lutherani, & absque hæsitatione consentiunt Catholici, repetentes tamen suam interrogationem ex ipsis, jam semel Articulo V. factam, à quonam Eorum Pastores & Præcones sint rite vocati ad publice docendum, ad danda Sacramenta, & Absolutionem Pœnitentibus administrandam? Certe destituti supremo in terris Christi Vicario, etiam superiores eorum Pastores, seu Superintendentes, recurrere finaliter debent juxta jam dicta Art. V. ad Potestatem Laicam; cum tamen nemo dat, quod nec formaliter, nec eminenter in se habet. Recordor in præsenti curiosæ cujusdam historiolæ, quam Principem inter quempiam Acatholicum, & ejus superintendentem contigisse Vir quidam magnæ fidei, & Auctoritatis mihi narravit: Interrogavit nempe Princeps sub familiari quondam discursu suum supremum Superintendentem, à quo potestatem haberet, Ipsum absolvendi à suis peccatis? Respondente illo, *à sua Serenissima Celsitudine ipsamet.* Tandem Reposuit Princeps: *Si ita se res habet, potero quoque eamdem potestatem uni ex infimis meis stabulariis committere,* quod Principi videbatur absurdum, & extra suam sphæram: hincque ad Catholicam se se contulit Religionem, ubi præsidet Christi Vicarius, & successor D. Petri, cui (& non Regi) *tradidit DEUS claves Regni Cœlorum, ut quæcumque solverit super terram, soluta sint & in Cœlis.* Matt. cap. 16. v. 19. *Qui tenet Sedem Romæ &c. Ipse primus est, sicut Petrus, cui data est potestas in omnes NB. Principes Christianos, & omnes populos eorum &c.* inquit Concil. Generale Nicænum, etiam ab Adversariis admissum Can. 39. uti citat Pichler in sua Theolog. Polem. *cap. 4. art. 1. §. 4. n. 23.*

ARTICULUS XV.

De Ritibus Ecclesiæ.

60. DOcent, 1. *Quod Ritus Ecclesiastici illi, qui sine peccato servare possunt, & prosunt ad tranquillitatem & bonum ordinem in Ecclesia, sint servandi, cujusmodi ritus sunt certæ feriæ, festa, & similia.* Addunt, *esse tamen admonendos homines, ne conscientiæ onerentur, tanquam talis cultus sit ad salutem necessarius.* 3. Aiunt, *dicere, traditiones humanas institutas esse ad placandum DEUM, ad promerendam gratiam, & ad satisfaciendum pro peccatis, adversari Evangelio & Doctrinæ fidei.* 4. Ex hoc ipso inferunt, *Vota, traditiones de cibis & diebus institutas, ad promerendam gratiam & satisfaciendum pro peccatis inutiles esse & contra Evangelium.* Ita Lutherani.

61. E contra Catholici firmiter tenent in primis similes Ritus Ecclesiasticos (puta quoad certa festa vel jejunia &c. (non solum observari laudabiliter, verum etiam obligare in conscientia, ita, ut voluntarius similium transgressor, si fiat sine sufficiente causa in materia gravi, peccet mortaliter, neque æternam consequatur salutem, nisi perfecte contritus aut confessus &c. 1. Defendunt, similia opera moraliter bona, esse quoque meritoria, vel de congruo, vel de condigno, atque satisfactoria pro peccatis, seu rectius loquendo pro pœnis ex peccato adhuc residuis, uti notatur apud Reiffenstuel *Tract. 1. Dist. 2. post num. 48. addit. I. & II.* Semper tamen (quod Acatholici bene notent, ut nos bene intelligant) concurrente aliqua gratia Divina, per merita, satisfactiones, & passionem Domini Nostri JESU Christi nobis comparata, similia contingunt, ita, ut finaliter omnia redeant ad mare Rubrum Passionis Domini Nostri JESU Christi, omniumque Ejusdem meritorum; atque satisfactionum, à quo tamquam fonte exierunt. 3. Ex hac ipsa doctrina consequenter asserunt, Vota, jejunia, etiam præscribendo certum genus &c. aliaque bona opera esse plurimum conducentia in ordine ad remissionem peccatorum, vitam æternam, augmentum gratiæ & gloriæ.

62. Porro probationes harum assertionum Catholicæ veritatis à potiori jam præcesserunt Art. 4. Ar. 6. & Ar. 12. quibus ostendimus non solam fidem, sed & charitatem, aliaque bona opera prodesse mediate, vel immediate ad justificationem, ad promerendam gratiam, & satisfaciendum modo superius indicato pro peccatis: de quibus pariter fusius agitur in Theologia speculativa Tractatu de gratia, & apud Reiffenstuel in Theologia morali *Tract. I. Dist. 2. q. 6.* Quoad Vota Religiosorum, & quoad præceptum, atque modum nostrum jejunandi recurret memo. §. sequenti. Hincque in præsenti nil restat, nisi ut ostendatur Ecclesiam habuisse potestatem, & potuisse juste subditos suos ad Ritus Ecclesiasticos tales obligare, sicque eorum conscientias onerare, quod hic & nunc succincte taliter probatur. Ecclesia potest obligare in conscientia, & præcipere res & Ritus honestos: sed Jejunium & observantia certorum festorum sunt utique res & Ritus honesti, uti de se patet, & ipsimet Sectarii certis temporibus practicant: ergo, Major probatur ex eo; quia DEUS Ipsemet NB. *sub interminatione damnationis* injungit subditis *ad Romanos cap. 13. v. 2.* ut obediant Potestati (si Civili, utique magis Ecclesiasticæ) quod haud dubie non faceret tamquam infinite sanctus, Justus, & misericors, si inhonesta ab illis præciperentur, aut ipsi subditi obedire non tenerentur. Qualiter enim essem damnandus propter transgressionem illius præcise, ad quod servandum non sum obligatus? formalia loc. cit. sunt sequentia. *Qui resistit Potestati, DEI ordinationi resistit, Qui autem resistunt, NB. ipsi sibi damnationem acquirunt.*

ART.

ARTICULUS XVI.

De Rebus Civilibus.

63. IN compendio de his docent 1. *Quod Ordinationes legitimæ Civiles sint bona opera Dei.* 2. *Quod liceat Christianis gerere Magistratus, exercere Judicia, constituere supplicia &c.* 3. *Quod necessario debeant Christiani obedire Magistratibus suis & Legibus.* 4. *Quod liceat tenere proprium.* 5. *Pariter ducere Uxorem seu nubere.* Ita Lutherani, neque quoad omnia hæc puncta contrarii sunt Catholici, dummodo sub licentia nuptiarum Religiosos, Vota solemnia emittentes, vel Clericos in Sacris constitutos non subintelligant, de quibus §. sequenti.

ARTICULUS XVII.

De Judicio DEI.

64. ADmittuntur, *Quod Christus appareat in consummatione mundi ad judicandum, & mortuos omnes resuscitet, piis & electis vitam æternam daturus; impios autem homines, & Diabolos condemnaturus, ut sine fine crucientur. Damnant exinde Anabaptistas, qui sentiunt, hominibus damnatis, & Diabolis finem pœnarum futurum esse &c.* Ita Lutherani, idemque fatentur Catholici.

ARTICULUS XVIII.

De libero Arbitrio.

65. DOcent. 1. *Quod humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam Civilem justitiam & diligendas res rationi subjectas.* 2. *Quod bona naturalia, seu quæ de bono naturæ oriuntur, qualia sunt* (prout exemplificant in formalibus) *velle laborare in agro, velle manducare & bibere, velle habere amicum, velle habere indumenta, velle fabricare domum, velle uxorem ducere, pecora nutrire, artem addiscere &c.* 3. *Pariter libertatem admittunt in malis, qualia sunt, velle Idolum colere, velle homicidium &c.* 4. *Quoad justificationem autem seu justitiam spiritualem negant, quod voluntas habeat vim sine spiritu sancto efficiendæ justitiæ Dei, seu justitiæ spiritualis; quia animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, sed hæc fit in cordibus, cum per Verbum spiritus concipitur.* Ita Confessioni Augustanæ addicti, qui, etsi distinguendo inter opera diversa respectu libertatis non tam obscure loquantur, uti eorum Magister Lutherus, atque Calvinus, quorum prior vi propositionis inter damnatas à Leone X. *ordine* 36. generaliter libertatem indifferentiæ à voluntate creata sustulisse videbatur, dum ait: *liberum arbitrium post peccatum est res de solo titulo*; posterior vero illud omnino *simulacrum* intitulabat. Nihilominus tamen etiam ex parte Augustanæ Confessionis optaretur adhuc major claritas. Quod enim ad remissionem peccatorum, & ad quodcumque opus vitæ æternæ sive de congruo, sive de condigno meritorium requiratur spiritus S. gratia, etiam Catholici admittunt; quæstio tamen adhuc remanet, utrum gratia Divina taliter influat, ut voluntas creata ad suam conversionem ne quidem tamquam per gratiam Divinam elevata, ac excitata possit partialiter concurrere. Pro cujus majori claritate,

66. Sciendum, qualiter Principaliores ex modernis Sectariis soleant circa præsentem materiam discurrere. Fatentur itaque 1. quod homo etiam infidelis, vel fidelis quidem, sed gravis adhuc peccator, habeat *libertatem indifferentiæ* in naturalibus, politicis, imo etiam in moraliter ac spiritualiter bonis externis; negant tamen id quoad opera spiritualiter bona interna, seu quatenus conducentia ad vitam æternam, uti juxta ipsos sunt *recte credere, Deum diligere* &c. &c. de quibus ultimis tenent 1. quod per peccatum originale, vel quodcumque mortale personale homo spiritualiter ita moriatur, ut se habeat adinstar demortui Lazari, qui intra quatriduum mortis nullas amplius habuit vires, usque dum solus Christus, absque cooperatione Lazari, eumdem resuscitavit à mortuis: ita pariter (aiunt hi) apud talem peccatorem, spiritualiter mortuum prorsus nullæ amplius restant vires in ordine ad suam conversionem, ita, ut ad eamdem voluntas nostra neque ut excitata, & collustrata Divino lumine supernaturali cooperari queat, usque dum à Christo solo, mediante gratia imputativa, per fidem apprehensa, vivificetur spiritualiter. Atque hos peccatores vivificatos vocant *renatos*, si mundentur à peccato originali, econtra vero *renovatos*, si purificentur à mortali personali post Baptismum commisso. Ubi

67. Ulterius in suis principiis notandum volunt, quod post talem Regenerationem, seu renovationem homo conversus novis à Deo donetur viribus, atque exinde consequatur aliam arbitrii libertatem, ita, ut voluntas in eo statu non amplius sit otiosa, sicuti prius ante conversionem, sed per istas vires de novo acquisitas postea cooperetur Spiritui sancto, sicque concurrat tamquam instrumentum liberum ad bonum spirituale etiam internum, puta ad continuationem rectæ fidei, dilectionis &c. Ita illi.

68. E contra Catholici fundati (prout Controversistæ agendo de principiis generalibus Theologiæ Polemicæ efficaciter probant) in Verbo Dei scripto & tradito, nec non in auctoritate supremi in terris Christi Vicarii, ac Conciliis generalibus de libero arbitrio taliter sentiunt. 1. Supponunt, quod in statu innocentiæ, ubi homo adhuc erat præditus originali, habuerit is vires eliciendi actus moraliter ac spiritualiter bonos, etiam internos, puta rectæ fidei, &c. 2. Fatentur, quod per peccatum originale vires istæ ob appetitum irascibilem & concupiscibilem plurimum rationi refractarios fuerint valde debilitatæ; negant tamen, ac pernegant, easdem omnino unacum libero arbitrio in ordine ad actus spiritualiter bonos internos fuisse extinctas, 3. Aiunt, Gratiam Divinam actualem excitantem æque ac concomitantem succollare liberum arbitrium, & vires imbecilles, instar luminis simul illustrando intellectum, & inflammando voluntatem, quo mediante homo adultus necdum baptizatus cum libertate indifferentiæ credere, & Deum (utor verbis Concilii Trid. *sess.* 6. de justificat. c. 6.) diligere incipiat: Item baptizatus in gravia peccata relapsus de his salubriter conteratur, ita nimirum, ut etiam liberum arbitrium unacum gratia, per merita Christi nobis comparata, vere influat in similes actus internos spiritualiter bonos, sicque etiam in ipsam conversionem, & quidem cum vera libertate à necessitate, seu indifferentiæ. Pro qua

69. Advertendum universim, quod in voluntate alia libertas dicatur *à coactione*, & alia *à necessitate*, *Libertas à coactione* adesse censetur, quando potentia in agendo non patitur vim ac necessitatem

sitatem à principio aliquo extrinseco. Taliter juxta communem exemplificationem Deus se ipsum, & Beati Deum amare dicuntur cum libertate à coactione; etsi enim potentia volitiva in his exemplis necessario determinetur ad amorem, ita ut Deus non possit non amare se ipsum, nec Beati non amare bonum infinitum, intuitive per Visionem Beatificam cognitum; ad hunc tamen actum amoris volitiva potentia non cogitur ab aliquo principio extrinseco. *Libertas à necessitate* tunc intervenire dicitur, quando potentia nec ab extrinseco, nec etiam ab intrinseco principio necessitatur, ita nimirum, ut eadem, etiam positis omnibus ad agendum requisitis, possit adhuc agere vel non agere: E. G. amare Deum, vel non amare &c. Hæc libertas vocatur etiam *libertas indifferentiæ*: item à multis Acatholicis *Libertas Rectitudinis*. H. N.

70. Respondetur, homo post peccatum sive originale, sive personale, etsi necdum renatus, vel renovatus, habet liberum arbitrium, seu libertatem à *necessitate* in spiritualiter bonis etiam internis, & in ordine ad conversionem suam: puta quoad rectum actum fidei, vel dilectionis Dei & proximi &c. unacum gratia Divina illuminante ac inflammante eliciendum. Hæc veritas Catholica probatur *primo*: Juxta Sacram Scripturam homo potest eligere vel non eligere *vitam*, & *bonum*, prout sibi placuerit: ergo etiam homo nondum renatus, vel renovatus habet liberum arbitrium in ordine ad vitam spiritualem, & ad actus spiritualiter bonos: nam habere potestatem sibi quippiam eligendi juxta suum beneplacitum, ex communi hominum persuasione, etiam in politicis & naturalibus, indicat liberum in ordine ad hoc arbitrium, seu libertatem indifferentiæ. Ant. prob. ex c. 15. Ecclesiastici v. 18. *Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.*

Confirmatur 1. Homo nondum renatus vel renovatus habet liberum arbitrium, ac libertatem indifferentiæ quoad actus internos spiritualiter malos, quales sunt (utor formalibus Confessionis Augustanæ hîc) *velle Idolum colere, velle homicidam &c.* Quomodo enim alias misericordissimus Deus posset talem æterna poena castigare, si non foret in potestate illius hos actus malos omittere? ergo etiam habebit liberum arbitrium quoad actus internos spiritualiter bonos, cum Sacra Scriptura loc. cit. pariformiter quoad hoc loquatur de malo ac bono, vita ac morte.

Confirmatur 2. Homo peccator habet liberum arbitrium ad eliciendos actus fidei, & internæ dilectionis Dei, qui actus etiam juxta adversarios sunt spiritualiter ac supernaturaliter boni: ergo datur liberum arbitrium seu libertas indifferentiæ cum prævia cognitione ad actus internos spiritualiter bonos. Ant. probatur. Homo peccator, si hos actus non eliciat, in æternum damnabitur: nam *qui non crediderit, condemnabitur.* Marc. ultimo, & *qui non diligit, manet in morte.* 1. Joan. cap. 3. ergo signum est, quod sit in ejus libera potestate hos actus eliciendi: durissimum enim videtur punire aliquem, & quidem poena æterna propter omissionem actus illius, quem elicienda nullam habet potestatem. Profecto manibus, pedibusque ligatus non afficitur gravi aliqua poena etiam solummodo temporali ex eo, *quod non incedat*, idque propterea principaliter, quia in his circumstantiis non est in ejus potestate *incedere*. Poterit contigisse, quod homo hic etiam ex culpa præcedenti juste vincula sustineat; ast vinculatum propterea de novo gravibus afficere poenis, eo quod non incedat, videtur exuere omnem clementiam. Vide de hoc ulterius n. 75.

71. Dices cum Augustana confessione. Juxta S. Paulum Apostolum 1. Cor. cap. 2. v. 14. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus*: ergo peccator (qui *comparatus est jumentis, & similis factus est illis*, Psalm. 48. v. 13.) non habet vires sufficientes in ordine ad actus spiritualiter bonos internos. Respond. negando consequentiam; quod enim homo animalis, seu (ut alii loquuntur apud Cornelium à lapide hic) homo sensualitatibus & concupiscentiis deditus, non sentiat actualiter ea, quæ sunt spiritus, ex eo haud provenit, quasi vero Divina gratia adjutus non haberet potentiam & vires sufficientes, sed potius, quia renuit ordinarie Divinæ gratiæ cooperari. Pulsat Christus ad ostium, & talis sensualis non aperit: gestit clarissimum Divinæ gratiæ lumen densissimas penetrare tenebras, ast concupiscentiis immersus sponte valvas occludit. Talis homo animalis non percipiens ea, quæ sunt spiritus, & à S. Juda Apostolo in sua Epistola ad vivum descriptus erat Confessionistarum Magister Lutherus, qui præcepta, saltem aliqua, Decalogi, præsertim illud *non concupisces*, servatu impossibile credidit, Jejunia Ecclesiastica sustulit, Sacerdotibus & Monachis contra sua vota expressa uxores concessit, ac ipsemet pessimo præivit exemplo, sacrilegum cum quadam Moniali contrahens Matrimonium. En hominem animalem, ex cujus Apostasia tanta mala, dissidia in Romano Imperio, diffidentia statuum inter se, Bella cruenta &c. &c. fuere exorta.

72. Dices 2. Juxta eumdem Apostolum 2. ad Corinthios cap. 3. v. 5. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*: ergo à fortiori neque sufficientes sumus operari ex nobis spirituale bonum: *nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio*: inquit iterum Apostolus ad Roman. c. 7. Respondeo explicando textum primum: non sumus sufficientes aliquid cogitare ex nobis (supple spiritualiter bonum) absque gratia Divina corroborante nostras vires imbecilles, conced. absolute loquendo; nego Ant. & pariformiter quoad *operari* distinguo consequens. Etiam multi infirmi ob suam debilitatem dicuntur insufficientes ad ambulandum, non, quod nullas habeant prorsus vires, sed quia vires sunt valde adhuc imbecilles, ita, ut indigeant aliquo sustentante & adjuvante. Alter textus ad Romanos c. 7. ubi Paulus videtur adscribere sibi *velle*, non autem *perficere*, ne quidem loquitur de spiritualiter bonis, sed potius ibidem Paulus discursum movet de motibus concupiscentiæ primo primis, rationem prævenientibus, sicque in principiis Catholicorum, juxta dicta & dicenda, rationem formalis peccati non habentibus, quos equidem mediante gratia Divina potest velle, seu optare abesse, ut autem actu semper maneant, fatetur penes ipsum non stare: Deus etenim eosdem sæpe permittit apud homines quoque justos pro majori humiliatione. Sic conquestus est Paulus 2. *Cor. cap.* 12. *v.* 8. de stimulo carnis; Responsum tamen v. 9. tulit à DEO, quod sufficiat sibi gratia sua, qua nimirum efficaciter adjuvante, omnem consensum deliberatum, ac voluntariam delectationem excludat. Ceteroquin Deus non solum *perficere*, sed etiam *velle* in nobis operatur (mediante nimirum sua gratia coadjuvante) uti clarissime attestatur Paulus ad Philipp. cap. 2. v. 13.

73.

73. Dices III. Homo peccator comparatur in S. Scriptura, & PP. *mortuo*, nam *stipendia peccati mors*, ad Rom. cap. 6. v. 23. Item assimilatur *servo* ad Rom. 6. v. 20. sed mortuus nullas prorsus habet vires in ordine ad vitam & actus vitales, atque servus nullam libertatem respectu sui Domini: ergo neque peccator. Resp. hoc argumentum probare nimium, quod nempe peccator neque haberet amplius liberum arbitrium in ordine ad actus naturales, & politicos, ac spiritualiter bonos externos; sicuti mortuus nullas prorsus habet vires in ordine ad vitam, actusque vitales, & servus deperdit libertatem respectu Domini etiam quoad bona naturalia, qualia ab adversariis adducuntur, *uxorem ducere*, *domum fabricare &c.* Item argumentum hoc pariter probaret contra ipsosmet Adversarios, quod neque justus à peccato jam liberatus haberet libertatem indifferentiæ in ordine ad actus internos spiritualiter bonos, etenim sicuti D. Paulus loc. cit. peccatorem vocat *servum peccati*, ita liberatum à peccato v. 18. appellat *servum Justitiæ*: ergo si debemus adæquatam instituere paritatem inter servum temporalem, & inter hos, utrobique non erit libertas indifferentiæ ad actus internos spiritualiter bonos. Itaque inter mortuum & servum ex una, & inter peccatorem ex altera parte non est adæquata paritas in omnibus, sed tantum in aliquibus, puta, quod sicuti mortuus vitam perdit, ita peccator gravis gratiam habitualem sanctificantem, quæ hominem vivificat: Item, sicuti servus obedit Domino, ita peccator obediat concupiscentiis, & liberatus à peccato obediat justitiæ in sanctificationem. Hoc modo sacer Textus v. 16. & v. 22. se ipsum explicat, dummodo legatur in fonte.

ARTICULUS XIX.

De causa peccati.

74. DE *hac docent, quod, tametsi Deus creat & conservat naturam, tamen causa peccati est voluntas malorum, videlicet Diaboli, & impiorum, quæ, non adjuvante Deo, avertit se à Deo*, sicut Christus ait Joan. c. 8. *cum loquitur mendacium, ex se ipso loquitur*: Ita Lutherani, & libentissime consentiunt Catholici, quod DEUS non influat ullatenus ad esse formale peccati, sed sola creatura sit causa ejusdem: nam quoniam ex una parte *mandata Dei gravia non sunt*. 1. Joan. c. 5. v. 3. idque præsertim verum, si Divina simul cooperatur gratia, quæ nulli hominum denegatur: ex altera vero parte in principiis Catholicorum quilibet homo rationis capax habeat liberrimum arbitrium ad observanda dicta mandata, consequenter recte soli homini malitia adscribitur, si contra sanctissimam voluntatem Divinam hæc mandata transgreditur.

75. Econtra vero in principiis Adversariorum ex una parte saltem aliqua mandata Dei (in specie illud in Decalogo *non concupisces*) sunt servatu impossibilia; ex altera vero, non obstante hac impossibilitate, homo peccator talia mandata transgrediens committit formale grave peccatum, pœnæ æternæ damnationis subjectum, quamvis non libertatem indifferentiæ evitandi illud, ac servandi mandatum. Viderint modo Adversarii, qualiter stantibus his principiis defendere adhuc possunt, quod nullatenus Deus, sed solus homo sit Auctor peccati. Numquid talis homo nondum *renatus*, vel necdum *renovatus* culpam potius in Deum conjiceret, clamando: *Domine Deus; tu optime noscens insufficientiam meam, hoc non obstante mihi aliquando præceptum servatu impossibile imposuisti, nec vires novas tales dedisti, ut servare possem; ergo potius tu es causa transgressionis talis præcepti, quam ego: tu enim potuisses non præcipere, ego vero hoc præceptum semel à te positum non potui observare.* Revera si Rex aliquis malefactori, ob certum delictum in vincula conjecto (pone etiam, quod stimulis conscientiæ agitatus talis Malefactor ipsemet suum delictum coram Judice manifestaverit, ac sponte vincula subierit) Si Rex, inquam, huic malefactori manibus, pedibusque ligato de novo mandaret, ut illico suum thronum accederet, alias novam gravissimam subiturus pœnam, talis Rex, nisi prius vincula solvi juberet, censeretur immisericordissimus, nec malefactori (ut pote in his circumstantiis impotenti) ullatenus adscriberetur culpa, seu tamquam peccaminosa transgressio hujus mandati de accessu ad Thronum regium, sed potius Regi ipsimet impossibilitas mandati.

76. Non credis forsan Catholice, quod similia, quæ de impossibilitate servandi nonnulla præcepta, ac de libertate post Adæ peccatum per concupiscentiam quasi vincula dicuntur, teneant, atque defendant Lutherani? Audi Magistros eorum Gerandum, & Lomer, apud Pichler Part. II. Theologiæ Polemicæ Controv. I. Art. I. III. & IV. ubi I. admittunt definitionem S. Augustini peccati ut sic, *quod sit dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei.* Cujus explicationem Catholicam, tu Lector benevole, vide apud Reiffenstuel *Tract. 3. Theol. Moral. dist. 1. q. 2* II. jam ipsi dividunt peccatum ut sic in Mortale & Veniale, ast longe in alio sensu, quam Catholici. Nos enim Catholici veniale dicimus, quod vel ex parvitate materiæ (puta ablatio unius oboli apud divitem) vel ex imperfectione actus (puta ob defectum plenæ advertentiæ ac deliberationis) non solvit amicitiam Dei, etsi aliquam mereatur pœnam temporalem. Econtra vero Acatholici ex genere suo, aiunt, omnes transgressiones legum esse peccata mortalia, sicque æterno supplicio digna, puta ablationem unius oboli, levissimam indignationem: imo (quod mireris) motus quoq; primo primos rationem prævenientes, posito etiam, quod in somno citra ullam causam prius in Vigiliis datam contingerent, dicunt esse transgressiones contra præceptum Decalogi, *Non concupisces.*

77. Quare asserunt III. circa divisionem peccati in mortale & veniale respiciendum potius esse ad personam, quæ legem transgreditur quam ad parvitatem materiæ, qualem non admittunt &c. si enim illa sit persona venia haud digna (quales inquiunt esse homines nondum per Baptismum *renatos*, vel renatos quidem, ast per sua peccata iterum *Justitiam Christi deperdentes*) omnes transgressiones legis etiam indeliberate, vel absque libertate indifferentiæ contingentes, apud hosce fore peccata mortalia, pœna æterna damnationis subjecta, E. G. apud Turcam, vel Judæum motus levissimus indignationis, aut carnalis concupiscentiæ, quamvis fuerit primo primus, ac rationem præveniens; Econtra vero, si homo per fidem semel apprehendit justitiam Christi, nec eamdem iterum deperdidit, tales ipsissimi motus irascibiles, vel carnales ex parte hujus, *veniam mererentur*, ut sibi non imputarentur ad pœnam æternam, sed per umbraculum meritorum Christi tegerentur, atque sic ex hoc capite ratione *veniæ* vocarentur *venialia* peccata,

peccata. Ubi tamen, ut sint talia apud similes justos, IV. Requirunt, ut transgressio contingat ex infirmitate, vel ignorantia, aut prava concupiscentia sine perfecta advertentia, & consensu, atque peccator desuper doleat, & Mediatoris Christi meritis tegi petat, quod si hic lapsus (puta ablatio etiam unius oboli) fieret à justo scienter, meditato, cum complacentia, advertentia, ac consensu, vel si, loquendo de praecedentibus (puta motibus indeliberatis) nullus conciperetur dolor, etiamsi cognoscantur similes transgressiones, tunc omnes istae transgressiones juxta ipsos forent peccata mortalia, imputarentur à Deo, fides ac spiritus sanctus excuterentur, & deinceps ipsis omnes motus etiam indeliberati, concupiscibiles, ac irascibiles &c. imputarentur pro gravi peccato, usque dum iterum per fidem apprehenderent justitiam Christi. Ita Lutherani, & quod hi dicunt de *renatis* seu *renovatis*, & de *non renatis*, aut *renovatis*, idem tenent Calvinistae de *praedestinatis*, ac *non praedestinatis*, de quibus omnibus adhuc recurret sermo, explicando Propositiones damnatas Jansenianas, & Quesnellianas. Interim solummodo notes velim, quam difficulter (imo imperceptibiliter) memorati Acatholici sistentes in dictis principiis, salvare queant, Deum non esse Auctorem peccati, saltem quoad eas transgressiones, quae non sunt in libera potestate hominis, sicque praecepta desuper tali homini servatu impossibilia.

ARTICULUS XX.

De fide, & bonis operibus.

78. IN compendium redigimus hunc articulum, utpote longiorem, fideliter tamen nihil substantiale de eorum doctrina intermittentes, quod subinde in nonnullis quoque praecedentibus articulis (à potiori tamen verba formalia ponimus) pro majori claritate, & brevitate observatum fuit. Qui totam Confessionem Augustanam verbotenus videre cupiet, eam in Theologia Polemica P. Pichler prope finem reperiet. Igitur in praesenti.

79. Repetunt primo *doctrinam suam de fide justificativa & bonis operibus Art. IV. VI. & XII. ac alibi saepius traditam, conquerentes, quod falso accusentur, quasi bona opera prohibeant, cum tantum asserant, quod in his confidere non debeamus.* Secundo *vituperant Concionatores Catholicos, quod olim de his rebus parum docuerint, tantum urgentes certas ferias, certa Jejunia, fraternitates, peregrinationes, Rosaria, Monachatum, quae vocant NB. opera puerilia.* Tertio *gloriantur novi Reformatores isti Ecclesiae (si superis placeat) quod Catholici ab ipsis admoniti non perinde, uti olim, opera haec inutilia atque puerilia praedicent, atque insuper nunc fidei mentionem faciant, de qua altum antea erat silentium.* Quarto aiunt, *fidem hanc justificativam pavidis conscientiis plurimum consolationis afferre, quae non possunt reddi tranquillae per ulla bona opera, sed tantum fide; nam justificati per fidem pacem habemus apud Deum per Dominum nostrum Jesum Christum, excitat nos Apostolus ad Rom.* cap. 5. v. 1. Quinto *admonent homines, quod hanc fidem justificativam non debeant sumere praecise pro fide Historica, qualis etiam est in impiis, & diabolo, sed pro fiducia, quae consolatur, & erigit perterrefactas mentes, quatenus firmiter credunt, & confidunt, sibi per merita, & justitiam Christi mediante hac fide apprehensam peccata sua non amplius imputari.* Ita Lutherani: Ubi

80. Catholici ipsis ad singula puncta respondent: *Ad primum* jam fuit ad Art. IV. VI. & XII. probatum, quod sacra Scriptura non solum fidei, verum etiam dilectioni ac Poenitentiae, aliisque bonis operibus adscribat remissionem peccatorum, augmentum gratiae, & Regnum Coelorum vel de congruo, vel de condigno, mediate, vel immediate, prout nimirum est status promerentis, ac qualitas operis, de quibus integer tractatus in Theologia speculativa habetur, agendo de gratia & meritis. *Venite Benedicti Patris mei,* inquit Christus apud Matt. c. 25. v. 35. ac seqq. *Possidete Regnum paratum vobis à constitutione mundi. NB. esurivi enim & dedistis mihi manducare; sitivi, & dedistis mihi bibere.* Illud sufficienter capere nequeunt Theologi Catholici, quomodo Confessionistae volentes, fidem justificatam debere apud illud, in quo existit, ferre bona opera, tamquam bonos fructus, quomodo (inquam) doceant consequenter doctrinae sui Magistri Lutheri, qui inter propositiones à Leone X. damnatas 31. voluit, quod etiam NB. *Justus in omni opere bono* peccet; ubi ergo apud Justificatum vera, & proprie talia bona opera? Quod si per bona opera velint peccata intelligere, gratis admittimus, in similibus nos non debere confidere.

81. *Ad secundum*, si aliqui fuerint Concionatores Catholici, qui nullam in pulpitis mentionem fecerunt (quod tamen ignoro) de fide & bonis operibus, particulares hi homines male fecerunt, longe pejus tamen Acatholici, si propter particulares hos abusus cum ingenti perturbatione, & damno Ecclesiae à fide apostatarunt, nam *propter abusum non est tollendus usus*, uti communiter receptum sonat proverbium. Ceterum falsitas hujus assertionis Augustanae videtur ex ipsis ejusdem Verbis erui: si enim (uti fatentur) nostri Concionatores praedicarunt de feriis ac Jejuniis observandis, de Confraternitatibus, Rosariis, Monachatu &c. eo ipso praedicarunt de bonis operibus. Vosne haec opera *puerilia* publice pronuntiare, & sic in scriptis Catholico Imperatori Carolo V. praesentare ausi fuistis, cum ipsamet coronata Capita saepius eadem opera, quae vos *puerilia* nominatis summa devotione, ac populi aedificatione exercuerint? *pueriliterne* egit S. Basilius, qui tempore antiquissimo, id est circa Annum Christi 369. (ubi veram adhuc agnoscitis Ecclesiam) celeberrimum suum Ordinem instituit? Puerilia exercuerunt famosissimi sancti Patres, & Ecclesiae Doctores, Hieronymus, Chrysostomus, Gregorius Nazianzenus, qui primis adhuc saeculis mentionatum S. Institutum, seu, uti vos vocatis, *Monachatum* amplexi fuerunt? Absit ab impio filio, suum sanctissimum aeque ac doctissimum Patrem, nec non Ecclesiae Columnam S. Augustinum nominare puerilem, eo quod sanctissimam fundaverit Religionem? Ut taceam jam sanctissimum Patriarcham Benedictum; pariter primis quinque saeculis florentem, sub cujus cucullo quamplures Imperatores, Reges, & Principes se se absconderunt. Istane exercere, aut pro stimulo Virtutis in Cathedra Populo proponere apud vos sunt puerilia.

Ad tertium punctum patet responsio ex praecedenti: si enim mentionata puerilia non sunt, nec inutilia, potuerunt laudabiliter in Cathedra Populo proponi. Quod si in aliquibus locis de necessariis fidei neque in pulpitis, neque in instructionibus Catecheticis quidnam fuerit adductum, error erat particularis, quales correxit quamplures Conc. Trid.

Trid. tractando de Reformatione; exinde tamen nihil sequitur ad intentum: si enim in agro reperitur triticum, & zizania, atque in vera Christi Ecclesia boni & mali, mirandum non est, quod etiam in aliquibus locis mali subinde abusus vigeant.

Ad quartum in primis non video, quomodo fidem justificativam habens possit esse adeo tranquillus, & securus de sua salute, quoniam in principiis Lutheri juxta propositionem à Leone X. damnatam ordine 35. *nemo* NB. (adeoque nec justus) *est certus, se non semper peccare mortaliter propter occultissimum superbiæ vitium.* Insuper si Domini Pastores apud suas oviculas subinde Ecclesiæ Catholico-Romanæ non affingerent nescio quæ falsa, qualia docere ne quidem cogitavit: si ipsis proponerent, quod sententia tenens *fidem sine operibus salvare*, fuerit error Ætianorum, seu Eunomianorum, jam primis quatuor sæculis nimirum circa annum Christi 353. teste Joanne Sianda existentium: si insuper sincere adderent fundamenta Catholicorum, cur hi negent, solam fidem salvare, nescio sane, qualem consolationem & pacem, utrum non potius Conscientiæ stimulos atque anxietates essent habituræ dictæ oviculæ, commiseratione dignissimæ. Pacem habeamus apud Deum per fidem, sed per fidem vivam, quæ sine operibus mortua est. *Si omnem* (NB nulla hic excipitur) *habuero fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum*, inquit Apost. 1. Corinth. c. 13. Commendent ergo Domini Pastores oviculis suis enixe charitatem: habebunt enim exinde forsan circa fidem ignorantia invincibilis laborantes, ac ceteroquin à via mandatorum Dei graviter aberrantes saltem hoc remedium restans salutis æternæ.

Ad quintum etiam nos Catholici volumus, ut fides sit conjuncta cum fiducia in Deum, solummodo negantes, quod hæc sola justificet. Audiant, quæso, errantes oviculæ verba formalia doctrinæ Catholicæ, & redeant ad ovile, in quo unus est Pastor. Textus igitur sic sonat: Sess. VI. Conc. Trid. c. VI. de Justificatione. *Disponuntur ad ipsam Justitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes, vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt; atque illud in primis, à Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo JESU; & dum peccatores se esse intelligentes à Divinæ Justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem erigunt, NB. fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore &c.*

ARTICULUS XXI.

De Cultu Sanctorum.

82. DE hoc docent, *quod memoria Sanctorum proponi potest, ut imitemur fidem eorum, & bona opera juxta Vocationem Uti Cæsar imitari potest exemplum David in bello gerendo ad depellendos Turcas à Patria. Sed Scriptura non docet, invocare Sanctos, aut petere auxilium à Sanctis, quinimo Christum populo nobis Mediatorem, Propitiatorem, Pontificem, & Intercessorem &c.* Ita Lutherani.

83. E contra vero Catholici, pro aris & focis loquentes, defendunt, posse Sanctos in Coelis non solum coli, verum etiam invocari, atque ab ipsismet auxilium peti, idque erui saltem deducive ex sacra Scriptura. Et dato etiam, quod illic non haberetur, sufficere deberet continua praxis etiam antiquissimæ Ecclesiæ, per Testimonia SS. PP. primorum quinque sæculorum nobis manifestata.

84. Ut autem hæc veritas Catholica magis intelligatur, ante probationem ejusdem prænotandum, quid sit Cultus & quid *Invocatio.* Itaque cultus ut sic, est *excellentiæ in altero relucentis agnitio, ejusque cum debita animi submissione contestatio.* Solet is in sensu largiori etiam dici *adoratio*, quamvis rigorose loquendo adoratio competit soli Deo. Dividitur autem cultus ut sic in *politicum* seu *Civilem*, & in *Religiosum* pro diversitate excellentiæ in altero recognitæ: nam si excellentia alterius respicitur pure naturalis, qualis est in Principibus, Magistratibus, Parentibus &c. etiam cultus exhibitus censetur mere *politicus* ac *Civilis.* Sic solemus apud magnos Principes flectere genua, apud Illustres præsentes detegere caput &c. Quod si vero excellentia alterius respiciatur supernaturalis, cultus exinde exercitus erga talem dicetur *Religiosus*, qui si exhibetur Deo, est cultus *Latriæ*: si Beatissimæ Virgini, *Hyperduliæ*: si Sanctis, *Duliæ*, de quibus vide Reiffenstuel *Tract.* 5. *Theol. Moral. Dist.* 1. *q.* 3. & 4.

Loquendo de *Invocatione*, eadem est *petitio Auxilii vel patrocinii alterius cum aliqua fiducia.* Addit igitur invocatio super cultum adhuc duo, nimirum *fiduciam cordis, ac preces* ad illos, quos colimus, & quorum patrocinium seu auxilium imploramus, directas, pro quo

85. Sciendum ulterius, quod, dum Deum invocamus, nullatenus *patrocinium* (cum ipse sit superius) sed potius *auxilium* humillime flagitamus ab Eodem, tamquam ab Auctore omnium gratiarum, & Donorum, qui ex propria sua Virtute, potestate, & Auctoritate, potest petita nobis clementissime conferre. Econtra Sanctorum frequentius, saltem in petitionibus, imploramus potius *Patrocinium*, ut Isti tamquam singulares Dei amici sint Intercessores, Patroni, & Advocati nostri apud ipsum Deum, pro nobis & nobiscum orando, quatenus tamquam Auctor omnium gratiarum hoc vel illud beneficium elargiti, seu hoc aut illud malum misericorditer avertere dignetur. Et hinc ad Deum clamamus: *miserere nobis*; ad Sanctos vero, *orate pro nobis.* Nolo tamen per hæc dicta negare, quod aliquoties Sanctorum non solum *Patrocinium*, verum etiam *auxilium* immediate petatur, suspirando E. G. ad Beatissimam Immaculatam Virginem pro dono Castitatis; ad S. Antonium Paduanum pro inventione rerum deperditarum; ad S. Apolloniam pro avertendo dolore dentium &c. non quasi putaremus, Sanctos habere hanc potestatem largiendi similes gratias ex se ipsis, sed quia existimamus, Deum hisce tamquam specialissimis Amicis hujusmodi potestatem quasi præmium accidentale dedisse, vel quia & hi in vita quoad talem Virtutem singulariter eminuerunt, vel in simili parte corporis amore Dei tormenta principaliter sustinuerunt, ut hac ratione aliis invocantibus similia dona conferre queant. Majoris claritatis gratia pro exemplo nobis serviat magnus aliquis in Aula Regia Minister, quem Rex in signum æstimationis, atque amoris sui plurimis cumulat muneribus: apud talem Ministrum vel possum immediate rogare auxilium, supplicando E. G. pro aliquo ex his pretiosis munusculis sibi Rege dono datis, vel implorare patrocinium, quatenus meum agat Patronum apud ipsum Regem, apud quem pro gratia supplico. Unde maximam Catholicis faciunt injuriam, qui eos quasi Idololatras, & Ethnicos procla-

proclamant; nullatenus enim nos colimus Sanctos tamquam Deos, cultu Latreutico, nec imploramus, quasi à se habentes Virtutem sanandi &c. sed veneramur tamquam Amicos Dei, Patronos, vel auxiliatores mediante ipsomet Deo, qui honoratur in Sanctis suis, & à quo tamquam immenso omnium donorum mari diversa gratiarum flumina principaliter exeunt, & ultimato iterum in illud mare redeunt. H. N.

86. Respondetur I. Saltem deductive ex Sacra Scriptura habetur, licite invocari Sanctos in Coelis. Probatur *Primo*, Juxta Sacram Scripturam possunt invocari pii homines in hac vita adhuc degentes: ergo recte exinde deducitur, multo magis posse invocari Sanctos in altera vita existentes: cur enim hi in gratia jam confirmati, atque singulares amici Dei essent deterioris conditionis, quam homines in terris, non raro, quamvis ceteroquin pii, nonnullis tamen imperfectionibus maculati? Antec. Prob. ex c. 15. ad Romanos v. 30. ubi S. Paulus ait: *Obsecro vos, ut adjuvetis me in orationibus pro me ad Deum*, & ad Coloss. cap. 4. vers. 4. *Orationi instate &c. orantes simul & pro nobis.*

Probatur 2. Juxta Sacram Scripturam Angeli possunt invocari: ergo etiam Sancti; cum eadem sit utrobique ratio. Ant. probatur; sic enim Angelum invocavit Jacob Patriarcha Oseoe cap. 12. v. 4. ibi: *Jacob invaluit ad Angelum, flevit, & rogavit eum*, sic Eliphas Job Amico suo c. 5. v. 1. in miseriis sequens dedit consilium: *ad aliquem Sanctorum convertere.* Super quem textum D. Augustinus apud Pinedam per *Sanctos* intelligit *Angelos*. Nec obest Consilium Laodicense teste Theodoreto prohibens invocationem Angelorum: Etenim in primis illud erat Concilium praecise particulare, quod non habet Auctoritatem fidei conformiter Quæst. Prolegom. nisi quoad ea, respectu quorum à summo Pontifice approbatur, aut à tota Ecclesia recipitur. Deinde prohibuit invocare Angelos non absolute, sed tamquam Deos minores, qui fabricassent mundum, prout voluit Simon Magus. Ita S. Paulum intelligunt SS. Hieronymus & Chrysostomus.

87. Respondetur II. Dato etiam (nullatenus tamen concesso) quod ex Scriptura non sufficienter colligeretur licita Invocatio Sanctorum, deberet pro hoc sancto exercitio sufficere Traditio Apostolica, quam declarat praxis continua Ecclesiæ ex Patrum antiquissimorum Testimoniis nobis innotescens. Sic in *primo* statim *sæculo* præter Liturgias S. Petri & Jacobi, Divus Dionysius Areopagita suasit, ut quis *suæ parvitatis conscius adeat ad aliquem Sanctum, ut se adjuvet, ac pro se roget. Sæculo II.* S. Irenæus lib. 5. cap. 19. Beatissimam Virginem Mariam proposuit tanquam *advocatam. Sæculo III.* Origenes in Lament. inquit: *Incipiam me genibus prosternere, & deprecari universos Sanctos, ut mihi non audenti petere Deum propter nimietatem peccati succurrant. Sæculo IV. & V.* tot absunt SS. PP. textus, ut nec Adversarii moderni, nominatim Lomer, audeant negare, pro tunc jam viguisse invocationem Sanctorum. *Ut efficax nostra sit oratio* (inquit S. Ambrosius precat. 2. præparante ad Missam) *B. Mariæ V. suffragia peto &c. Apostolorum Intercessionem imploro &c. Martyrum preces deposco &c. Confessorum Orationes expostulo.* Cui adstipulatur S. Augustinus in meditat. c. 40. *Exaudi me Trinitas Sanctorum per merita Prophetarum, per suffragia Apostolorum, per Constantiam Martyrum, per fidem Confessorum, per castitatem Virginum, & NB. per intercessionem omnium Sanctorum.* Plures similes textus & Orationes reperies apud Controversistas, notanter apud Pichler *Part. 2. sua Theol. Polemicæ hîc*, fundamentaliter refutantem Præconem Augustanum Lomer, qui per quaterniones plusquam quinquaginta veritatem istam Catholicam impugnare præsumpsit: Recogitent Domini Pastores ultimam vitæ suæ luctam, ubi, antequam in longam eatur æternitatem, pugnandum adhuc est cum potenti illo adversario, *qui tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret*, 1. Pet. c. 5. an non consultum tunc foret cum SS. PP. Augustino, Ambrosio, & aliis B. Virginem Mariam, atque Sanctos conciliare sibi tanquam adjutores, & Patronos, quam eosdem cum Luthero excludere?

88. Dices I. Christus qua Homo, unicus est Mediator, Propitiator, Pontifex & Intercessor noster, per quem accessum habemus ad Deum juxta illud 1. Timot. cap. 2. v. 5. *Unus est Mediator Dei & hominum, Homo Christus Jesus*: ergo Catholici non recte invocant plures, nimirum Sanctos, tamquam Mediatores, & Intercessores pro nobis ad DEUM. Respond. Explicando textum disting. Ant. Christus qua Homo unus est Mediator & Intercessor noster ad Deum principalis, & in quem ultimato omnia redundant, concedo; minus principalis, nego. Christus itaque qua Homo in tantum est unicus Mediator noster Principalis, & in quem ultimato omnia redundant, quatenus ex Ejusdem meritis, sanguine, & NB. Redemptione omnes Reliqui facti sunt Sancti, amici Dei &c. valentes exinde suum pro Clientibus interponere Patrocinium, & quasi Dispensatores Dei præstare auxilium, prout textus, si integer ponitur, se ipsum declarare videtur sequentibus formalibus: *Unus Deus, unus mediator Dei & hominum Homo Christus Jesus NB. qui dedit Redemptionem semetipsum pro omnibus.* Alias sane si per Christum minus principales, & mediati Intercessores excluderentur, nec tales forent pii in terris, nec Angeli in Cælo contra ipsos textus Sacræ Scripturæ superius in Responsione I. adductos. Siste ante oculos tuos in Aula Regia unicum Regis filium, omnia apud Patrem valentem, simul tamen etiam potentes Ministros, & Regis amicos, quos Rex honorari cupit. Num male, aut filio Regis injuriam facit, qui equidem pro suo principali Patrono filium Regium sibi eligit, aliquoties tamen etiam Regios amicos, & Ministros accedit, ut vel sibi ulteriorem apud Regium Principem favorem, vel apud ipsum Regem Patrem Supplicatam impetrent gratiam?

89. Dices II. Sancti in tanta distantia Coeli à terra non vident, nec audiunt nostras preces, neque intelligunt interne directa ad ipsos suspiria in particularibus nostris necessitatibus: ergo non sunt invocandi, cum foret labor frustraneus. Antec. Probatur ex ille Eccl. c. 9. *Viventes sciunt se morituros, mortui vero nihil noverunt amplius.* Et ex Isaia c. 63. *Abraham nescivit nos, & Israel ignoravit nos.* Res. I. Si etiam cum nostro Bernardino Vetweis in suo Speculo transmitteretur, Sanctos nec videre, nec audire in particulari nostra desideria & preces, necdum sequi, Hos non esse invocandos, eo quod adhuc possent generaliter pro omnibus eosdem implorantibus suam interponere intercessionem apud Deum omnia audientem, omnia videntem. Res. II. Quamvis Sancti has hominum preces non viderent, possent tamen à Deo quasi audire, seu percipere per specialem Revelationem. Res. III. Sanctos similia, uti ipsosmet Angelos, videre in Deo tamquam clarissimo speculo. Textus pro contraria sententia adducti, si quid probarent, solummodo ostenderent, quod in Antiquo Testamento non fuerint cognita

ista

ista suspiria, & invocationes in hac vita degentium, cum Patres in Lymbo clarissimum hoc speculum, nempe essentiam Divinam, similes invocationes repræsentantem, necdum intueri potuerint. Deinde præfati textus nec sunt ad propositum; primus enim, uti ex contextu patet, solummodo vult, mortuos nihil amplius conducens ipsis ad bona opera, & ad peragendam Pœnitentiam noscere, sicut noscunt viventes, se morituros, & exinde etiam remedium contra peccatum possunt assumere. Secundus textus declaratur, quod Abraham Israelitas non amplius noverit tamquam filios ob sua peccata, sic pariter sponsus in Parabola Evangelica de decem Virginibus dicit ad fatuas, *Nescio Vos*. Clementissimus avertat Deus, nec similia suo tempore verba, *Nescio Vos*, loquâtur ad Acatholicos, dum Cœlestes cum sponso celebraturi nuptias intrare volunt januam Regni Cœlestis, non portantes secum oleum bonorum operum, & lumen veræ charitatis. *Qui recte & credunt, & vivunt, juste assimilantur quinque prudentibus: qui autem profitentur quidem fidem in Jesu, non autem præparant se bonis operibus ad Salutem, reliquis quinque assimilantur Virginibus fatuis*, inquit antiquissimus Origenes Homil. 37. in Matthæum.

§. VII.

Septem prætensi & à Confessione Augustana per septem Articulos Catholicis imputati abusus refutantur.

90. Antequam Descendam ad refutationem singulorum præmonendum censui, quod & ipsa Confessio Augustana, priusquam singulos referat prætensos in Ecclesia Catholica quasi introductos abusus, incipiat à verbis veritati non consentaneis, & claudat verbis sibi contradictoriis, ut nimirum vel sic eorum Confessio, tamquam *symbolum fidei suæ*, sit conformis ipsimet illorum *fidei*. Initium itaque circa abusus in formalibus ponit memorata Confessio Augustana taliter: *quod de nullo Articulo fidei dissentiant ab Ecclesia Catholica*, cum tamen in superioribus Articulis circa *fidem justificativam*, *bona opera*, *causalitatem Sacramentorum ex opere operato*, *ac invocationem* totaliter à Catholicis discrepent &c. En in principio falsitatem! Item in Epilogo post Articulum VII. aiunt, *quod de pluribus abusibus dici potuisset &c.* & tamen in principio inquiunt, *paucos tantum esse abusus*, quos ipsi tamquam novos, & contra voluntatem NB. Canonum receptos omittunt. En in fine contradictionem! pergamus nunc ad singulos.

ARTICULUS I.

De utraque specie.

91. *Laicis datur utraque species Sacramenti in Cœna Domini &c. Et tantum consuetudo non ita vetus aliud habet &c. Hæc vero consuetudo non solum contra Scripturam, sed etiam contra veteres Canones & exemplum Ecclesiæ recepta est.* Ita Acatholici.

E contra vero Catholici, etsi ultro admittant, in Scriptura non esse prohibitum, ut Laicis distribuatur Eucharistia sub utraque specie; addunt tamen, sed nec esse ibidem præceptum positive à Domino, ut porrigatur ipsis sub specie utraque: Item porrigere Laicis Eucharistiam sub una tantum specie nec pugnare contra veteres Canones, nec contra exemplum Ecclesiæ antiquæ; in qua modo sub una, modo sub duabus Eucharistia speciebus dabatur. Veritas hæc Catholica ut pateat magis,

92. Supponendum est, etiam sub unica tantum specie panis vel vini realiter contineri Christum Dominum totum carne & sanguine, corpore & anima, Divinitate & humanitate, ita tamen, ut vi verborum in consecratione panis ponatur immediatè *corpus*; alia vero concomitanter; in consecratione verò vini vi verborum *Sanguis Christi*. Cur autem tam in consecratione panis, quam vini reliqua ponantur post concomitantiam, sicque realiter totus Christus; ratio est, quia Christus utrobique, nimirum sub speciebus æque panis, ac vini, adest non tamquam mortuus (Etenim post resurrectionem non amplius moritur *ad Rom. c. 6. v. 9.*) sed tamquam vivus, & quidem homo Deus, ac consequenter propter naturalem connexionem partium inter se, & propter unionem Hypostaticam, naturam inter humanam & Divinam in qualibet specie existit totus Christus. H. N.

93. Respondetur I. nullum est assignabile in S. Scriptura mandatum Divinum, quo Christus Laicis præcepisset sumptionem Eucharistiæ sub utraque specie. Probatur 1. si foret assignabile aliquod tale mandatum, esset deducendum ex eo, quod Christus in ultima Coena, dum instituit sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sub utraque specie panis & vini, adjunxerit hæc formalia Matth. cap. 26. *Bibite ex hoc omnes*. Sed ex his verbis non eruitur mandatum Domini pro laicis, ergo Majorem ultro fatentur adversarii in sua Confessione Augustana. Minor probatur ex eo, quia Christus ibidem ultiman Cœnam instituit non præcise per modum Sacramenti, sed & insuper per modum sacrificii, direxitque mentionata verba, *Bibite ex hoc omnes* ad Apostolos, quos consecravit Sacerdotes; adeoque ex his verbis non eruitur mandatum Domini pro Laicis, ut sumant Eucharistiam etiam sub speciebus vini. Confirmatur: Illi, ad quos Christus direxit hoc mandatum, obtemperantes biberunt omnes; ita enim legitur Marci cap. 14. v. 23. *Et biberunt ex illo omnes*. Ubinam autem vel ex S. Scriptura, vel ex communi antiquæ Ecclesiæ persuasione habetur, quod pariter præter Apostolos biberint ex illo calice E. G. Paterfamilias Cœnaculi, & alii inservientes? Quod si non: signum est, ad alios extra Apostolos illa verba non fuisse à Christo Domino directa.

94. Probatur 2. Si mandatum Christi Domini in ultima Cœna sumendi Eucharistiam sub utraque specie fuisset directum præter Apostolos ad omnes etiam Laicos; tunc ipsimet Apostoli numquam porrexissent Eucharistiam Laicis sub una specie, sed sic porrexerunt: ergo. Major patet, quis enim audeat dicere, Apostolos in causa tam ardua fuisse transgressos mandatum Christi Domini? minor probatur: Etenim Apostoli fidelibus, ad audiendam eorum prius doctrinam congregatis, distribuerunt potius Eucharistiam sub speciebus panis, juxta illud Act. cap. 2. v. 24. *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis*; de qua fractione panis Apostolus 1. Corinth. cap. 10. v. 16. ait: *panem quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Ubi haud dubie pariter de speciebus vini mentio facta fuisset, si in omni distributione panis Eucharistici etiam calix Domini non solum potuisset, sed etiam ex mandato Christi in Communione Laicorum necessario addi debuisset. Profecto neq; Israelitæ comedentes Agnũ

 Paschalem,

Paschalem, vel Mannam de Coelo pluentem (quæ NB. erant figuræ *Eucharistiæ*) leguntur adjunxisse semper ac necessario aliquem potum: cur ergo à figura non liceat hic argumentari ad figuratum?

95. Probatur 3. Non solum Apostoli, verum etiam successores in primitiva Ecclesia, ac primis quatuor sæculis sæpius porrexerunt Laicis Eucharistiam sub unica tantum specie vel panis, vel vini: ergo signum est, quod ex parte Laicorum non adsit mandatum Domini semper sub utraque specie sumendi Eucharistiam. Consequentia patet, nam ex Confessione Adversariorum Ecclesia antiqua primis quatuor sæculis erat adhuc in sua doctrina conformis Doctrinæ Christi, *sponsa immaculata*, ac *sine rugis*. Antecedens verò probatur: sic enim I. jam ad annum Christi 57. itinerantibus hoc Sacramentum datum fuit sub sola specie panis, ut in vitæ discrimine (Sacerdotibus pro tunc adhuc valde raris) Viatico muniri possent. Ita apud Franciscum Henno testatur Baronius ad dictum annum. II. Græci per totam quadragesimam (exceptis diebus Sabbatinis & Dominicis, quibus Sacerdotes consecrabant) communicabant solummodo ex *præsanctificatis*, id est, ex illis tantummodo hostiis, quæ aliis jam diebus, puta Sabbatinis & Dominicis fuerant à Sacerdotibus consecratæ, de quo usu videantur Concilium Laodicense can. 49. Trullanum can 51. & Innocentius I. in Epistol. I. c. 4. III. Pariter primis sæculis tradebatur Eucharistia Eremitis, ut in subtuguria deferrent, ac tempore sibi bene viso sumerent, quod idem fiebat in navigatione longa, aut gravi persecutione quoad alios: non autem est verosimile, quod species vini simul cum hostia secum acceperint, tum quia præsertim continuante diutius persecutione, Eucharistia aliquoties per integrum annum reservabatur; tum quia ab Eremitis sæpius ad remotissimos à loco receptionis recessus deferebatur: ubi interim species vini fuissent corruptæ. Ita testantur Tertullianus, S. Cyprianus, Clemens Alexandrinus, Basilius, & alii passim apud Controversistas videndi. IV. Infirmis, saltem unum, alterave vice porrigebatur Eucharistia sub sola specie panis, uti præter Eusebium Cæsar. lib. 6 Histor. Ecclesiast. plures citat Cardinalis Bellarminus hic. Item infantibus necdum potentibus solidum cibum comedere olim instillabatur præcise sacratissimus sanguis Christi sub speciebus vini &c. ergo à primo ad ultimum in primitiva Ecclesia non porrigebatur semper Eucharistia sub utraque, sed aliquoties etiam sub unica tantum specie.

96. Respondetur II. Cum sacra Communio sub utraque specie non fuerit à Deo Laicis præcepta, sed tantum permissa, prout jam ante Concilium Constantiense docuerunt Alexander Alensis, Albertus Magnus, D. Bonaventura, & D Thomas apud nostrum Bosco hic *dist.* 4. *sect.* 8. potuit exinde Ecclesia pro diversitate temporum & circumstantiarum hanc communionem sub ambabus speciebus, vel adhuc permittere, vel etiam positive ex gravi causa præcipere, aut prohibere, prout videbatur in Domino. Probatur 1. Ex Potestate Vicaria Christi: si enim Rex in temporalibus potest ordinare ea, quæ ex una parte non sunt contra mandatum Divinum, & ex altera spectant ad bonum temporale Reipublicæ, cur non æque Vicarius Christi S. Petrus, & successores quoad illa, quæ respiciunt bonum spirituale? Accedit, quod S. Paulus tamquam Minister Dei, & Dispensator Mysteriorum ejus, partim nonnulla, quæ non sunt contra mandatum Divinum actualiter disposuerit spectantia adhuc ad Coenam Domini, uti patet 1. Corinth. c. 11. v. 33. partim plura adhuc ordinare intenderit, uti colligitur ex propriis loc. cit. v. 34. ibi: *Cetera, cum venero, disponam*. Cur igitur hæc potestas disponendi denegetur Petro, & illius successoribus?

97. Respondetur III. Sacra Communio sub utraque specie fuit defacto ab Ecclesia Catholico-Romana, præsertim à Concilio Constantiensi *sess.* 21. *c.* 2. & ibidem *Can.* 2. recte Laicis originarie prohibita ex causis valde gravibus; hincque immerito eadem propterea traducitur ab Acatholicis, prout magis patebitur assignando nonnulla ex motivis prohibendi. Itaque 1. porrectus antea Laicis sanguis non raro in Communione, præsertim apud pueros, Rusticos, tremulos senes, vel in magna communicantium compressione effundebatur cum magna irreverentia sanctissimi Sacramenti; ad quam evitandam etiam jam antea fuit apud Infantes sublata consuetudo sumendi sacratissimum Sanguinem. 2. Species vini non potuerunt, maxime in pagis remotioribus & Ecclesiis filialibus, tam prompte haberi pro ægrotis; nam reservatæ acescebant faciliter non sine gravi irreverentia SS. Sacramenti, maxime in Regionibus calidioribus, & tempore æstatis. 3. Idem sæpe contingebat, quando in maximis solemnitatibus, refrigescente in dies devotione, magna vini quantitas consecrata remansit, quam deglutire Sacerdotes frequenter abhorrebant, repertis in fundo Calicis variis non raro sordibus, præsertim si & Vetulæ ex naribus stillantes, lepra, aliisque deformitatibus, quas natura abhorrere solet, affecti, vel vehementi tussi molestati, præsertim alias agrestes homines ex illo calice biberunt. 4. Cessabat frequens usus Eucharistiæ, præsertim in Ecclesiis pauperibus, & ubi vinum caro emebatur pretio. 5. Magna in hoc puncto inter membra Ecclesiæ extabat difformitas, populo in una regione sub una, in altera sub duplici specie SS. Sacramentum Eucharistiæ sumente. Hæc, præsertim periculum irreverentiæ, ut melius evitentur, tandem Ecclesia præcepit, ut Laicis deinceps, nisi ob novas circumstantias aliter aliquando disponendum videatur, SS. Eucharistia non nisi sub speciebus panis porrigatur, quamvis & hi antecedenter potuerint calicem sumere, non prohibente id Christo, sed relinquente determinationem charissimæ sponsæ suæ Ecclesiæ. Ut autem hoc magis capiatur ab Acatholicis, & eorum objectiones clarius solvantur.

98. Sciendum 1. Catholicos omnino admittere hoc Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum fuisse institutum in ultima Coena Domini: ibi enim post prolata verba consecratoria sub speciebus panis & vini vere continebatur SS. Corpus & sanguis Christi, in quo principaliter consistit dictum Sacramentum, quod dein à fidelibus devote acceptum per modum cibi spiritualis longe magis confortat animam, quam cibus naturalis ipsum corpus. 2. Defendunt Catholici cum Concilio Trid. *sess.* 22. *de sacrific. Missæ cap.* 2. Sanctissimam Eucharistiam non solum in ultima Coena habuisse rationem Sacramenti, verum etiam rationem sacrificii incruenti, repræsentantis cruentum in ara Crucis sacrificium, ubi utrobique Hostia, seu Victima pretiosissima est ipsemet Christus Coelesti Patri oblatus. Docent, hanc cruenti sacrificii repræsentationem in eo vel maxime consistere, quod mystice ac vi verborum utriusque consecrationis separetur corpus à sanguine, quamvis realiter loquendo tam in consecratione panis, quam calicis adsint corpus & sanguis Christi cum anima & Divinitate, de quo vide Reiffenstuel *Tract.* 14.

14. Theol. Moral. *Distinct.* 5. q. 1. 2. & 4. Firmiter credunt, conformiter Concilio Trident. *sess.* 22. *de Missæ sacrif.* Can. 2. Apostolos in ultima Coena à Christo fuisse simul consecratos novi Testamenti Sacerdotes, ipsisque traditam potestatem in corpus Christi verum, puta consecrandum, offerendum, & sumendum &c. uti post resurrectionem eisdem complete fuit attributa potestas in corpus Christi mysticum, quando Christus Joan. cap. 20. v. 22. & 23. insufflavit, & dixit eis: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* 5. Fatentur cum Concilio Tridentino in formalibus sess. 22. cit. c. 1. quod Christus Apostolis in ultima Coena tamquam novis Sacerdotibus non solum *tradiderit corpus & sanguinem, ut sumerent* (puta pro integrando sacrificio) verum etiam *eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præceperit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem, uti semper Ecclesia Catholica intellexit, & docuit.* Et licet hæc ultima verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, apud Evangelistas reperiantur solummodo penes consecrationem panis; expresse tamen S. Paulus 1. Corinth. cap. 11. v. 25. testatur, eadem quoque à Christo fuisse addita in consecratione vini, prout de facto quoque in Missa post consecrationem calicis ad elevationem dicuntur sequentia: *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* 6. Notant Theologi Catholici, quod, etsi ex Concilio Tridentino eruatur per verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, Apostolis ac successoribus tamquam Sacerdotibus sacrificantibus fuisse à Christo præceptum, offerre hanc Hostiam, nimirum SS. Corpus ac sanguinem Christi, atque etiam pro integritate Sacrificii sumere illud: disputetur tamen adhuc inter Catholicos, utrum pariter Laicis fidelibus, utpote non sacrificantibus, fuerit datum mandatum Divinum sumendi illud saltem sub speciebus panis, sub quibus realiter præter corpus juxta jam dicta continetur concomitanter, sanguis Christi? ubi non defuerunt, præsertim ante Concilium Tridentinum graves doctores, uti noster Alensis, & D. Bonaventura apud Bosco, loco proxime citando, defendentes præceptum sumendi ex parte Laicorum esse præcise Ecclesiasticum, non Divinum, uti videre poteris apud Franciscum Henno, *Tract. de Eucharist. Disp.* 9. *quæst.* 1. La Croix *lib.* 6. *Theol. moral. Part.* 1. *n.* 594. & fusius apud nostrum Bosco hic *disput.* 4. *sect.* 8. *Conclus.* 2. 7. Advertunt Theologi Catholici, de facto quidem Communiorem esse inter nostros sententiam quam etiam ex antiquioribus jam S. Scripturæ Expositoribus defendit noster Lyranus teste Sabino Bononiensi *part.* 1. *Lucernæ Mysticæ tract.* 38. *n.* 93 nimirum Laicis quoque à DEO mandati sumptionem Eucharistiæ, pro cujus tamen efficaciori probatione adducunt AA. potius alium textum Scripturæ, nimirum Joan. cap. 6. v. 54. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Hæc septem Notanda si attente legantur, faciliter Adversariorum argumenta solvuntur, à quibus contra nostras resolutiones.

99. Objicitur I. Christus generaliter in ultima Coena porrigens calicem dixit, *Bibite ex eo omnes*: ergo etiam Laicis datum est mandatum Divinum bibendi. Respondeo distinguendo Antec. Dixit ad assidentes mensæ Apostolos Testamenti novi Sacerdotes: atque ad eorum successores, *Bibite ex eo omnes*, conc. ad reliquos etiam non assidentes, seu præsentes, neg. Rationes negandi sunt allatæ in nostris probationibus.

Urges: Sicut Christus dixit in consecratione calicis, *Bibite ex eo omnes*: ita pariter in consecratione panis ait: *accipite & comedite*, Matth. cap. 26. v. 26. sed quoad manducationem corporis Domini Divinum mandatum intelligendum est non solum de Sacerdotibus, verum etiam de Laicis, qui utique obligantur mandato Divino sumere corpus Domini: ergo etiam quoad calicem Domini bibendum.

Respond. neg. minorem, uti enim mandatum *bibendi*, ita etiam *manducandi* erat directum ad ipsos Apostolos, atque successores Sacerdotes, non autem ad Laicos; quod autem Laici obligentur mandato Divino ad sumendam Eucharistiam, Doctores illi Catholici, qui hanc tenent sententiam, non desumunt ex allegatis Christi verbis, *manducate ex hoc omnes*; sed principaliter ex aliis Joan. cap. 6. v. 54. præcedenti numero allegatis.

100. Objicitur II. Sicut Christus in ultima Coena dando panē præcepit comestionem per illa verba: *Hoc facite in meam commemorationem*; ita per eadem verba porrigendo calicem mandavit bibitionem: ergo utrobique adest mandatum Divinum: Consequentia tenet à paritate rationis: Antecedens vero probatur ex eo, quia etsi Evangelistæ tractantes de ultima Coena in bibitione non æque, uti in comestione, apposuerint illa verba: *Hoc facite in meam commemorationem*; testatur tamen Apostolus, id factum fuisse à Christo utrobique; nam narrans Corinthiis suis Historiam; quæ contigit in ultima Coena. 1. Corinth. c. 11. v. 25. de Calice Domini ita loquitur: *Similiter & calicem postquam cœnavit* (supple *accepit*) *dicens: Hic Calix novum Testamentum est in meo sanguine, hoc facite, NB. quotiescumque biberitis: in meam commemorationem.*

Ante Responsionem nota 1. tempore isto Apostolorum fuisse Laicis permissum adhuc sumere Eucharistiam etiam sub speciebus vini, ut patet *loc. cit. v.* 28. Nota 2. Paulum non intendisse in illo *capite* 11. Corinthios, suos instruere, quasi non solum permissio, sed etiam mandatum Divinum esset, ut Laici sumant Eucharistiam sub utraque specie: nam de hoc nihil pro tunc movebatur à Corinthiis. Voluit igitur ibidem potius Corinthiis suis exprobare abusus, ab ipsis, dum celebrarunt hanc sacram Coenam, introductos, & pro exemplo sobrii, atque honesti convivii proponere Coenam Domini ipsiusmet. Videatur de hoc Cornelius à Lapide in cit. c. 11. ad Corinth. H. N. Respondetur uti in priori objectione distinguendo Antec. sicut Christus in ultima Coena præcepit comestionem, ita etiam bibitionem præsentibus Apostolis, & aliis futuris Sacerdotibus conced. Extraneis, atque Laicis, nego.

101. Ostendant igitur nobis Adversarii in controversia tam famosa aliquem Scripturæ textum, qui nostra enervet superius allegata fundamenta, & clare probet, Christum sub his verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*: voluisse etiam Laicis non sacrificantibus mandare positive sumptionem sanguinis sub speciebus vini. Profecto nec Christus Luc. cap. 24. legitur dedisse calicem discipulis euntibus in Emmaus, quando ibidem *accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum.* v. 30. Ubi ex tam mirabili effectu apertionis oculorum mentis colligunt SS. PP. nominatim SS. Chrysostomus, Augustinus, Theophilactus, & Hieronymus apud Patrem Kedd in suo Constantino Magno, panem hunc non fuisse communem, sed Eucharisticum.

102.

102. Objicitur III. Christus Dominus, quando Joannis c. 6. v. 54. præcepit universaliter, sicque etiam Laicis sumptionem Eucharistiæ, non solum mandavit manducationem, sed etiam bibitionem calicis, & quidem sub deperditione vitæ spiritualis: ergo adest mandatum Divinum bibendi sanguinem etiam ex parte Laicorum. Antec. probatur ex ipso textu sequentis tenoris: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: ubi pariformiter loquitur Sacra Scriptura de carne ac sanguine Filii Hominis. Ante Resp. nota, quod primi, qui ex his ipsis Christi verbis necessitatem Communionis sed utraque specie ex mandato Divino asseruerunt, dicantur circa annum Christi 1409. vel 1412. Petrus Dresdensis, & Jacobellus *Misnensis*, seu apud Sianda V. *Jacobellus*, melius *Misensis* in *Bohemia*, non in superiori *Saxonia*. Hos Wicleffi erroribus contaminatos secuti sunt Joannes Huss cum suis. & ejus discipulus Hieronymus Pragensis à Concilio Constantiensi circa Annum 1415. damnati, ac subsequen er Lutherus & Calvinus, H. N.

Respondetur in primis, in allegato textu particulam *&* commode juxta phrasin Hebraicam alibi etiam sic usurpatam posse accipi disjunctive pro particula *vel*: sic pariter dixit Petrus Act. cap. 3. v. 6. *Argentum & aurum non est mihi*, id est, argentum vel aurum, sic Paulus 1. Corinth. capit. 11. versic. 29. *Qui manducat NB. & bibit indigne, judicium* (id est, damnationem teste D. Chrysostomo apud Cornelium à Lapide) *sibi manducat & bibit*. Quamvis ad damnationem hanc incurrendam non necessario requiratur, ut *copulative*, seu simul indigne manducet & bibat, sed sufficiat *disjunctive*, si alterutrum ex his indigne fiat, de quo vide ulterius subtiliter discurrentem nostrum Bosco de Sacramentis *Part. 2. Disput. 4. sect. 8. Conclus. 8.* His igitur stantibus, cur ob fundamenta in nostris Resolutionibus allegata non posset pariformiter discurri circa textum præsentem?

Respondet. 2. Aliter distinguendo Antec. Christus præcepit ibidem etiam bibitionem sanguinis realiter, & quoad substantiam conced. formaliter & quoad modum negatur. Id est, Christus quidem ibi præcepit, ut sumatur à parte rei sanguis Christi, quod fit etiam manducando panis vivus; non autem mandavit determinate in ordine ad Laicos quoad modum, ut nimirum expresse sub modo bibitionis Christi sanguis accipiatur.

Hinc mirum non est, quod eodem capite 6. Joannis Christus absque mentione alicujus bibitionis soli manducationi hujus panis vivi, sub quo unacum carne sumitur pariter sanguis Christi, vitam æternam adscripserit. Sic enim legitur loc. cit. v. 50. *Hic est Panis de Cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.* Similiter v. 52. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Item v. 59. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* In quibus textibus nullibi fit mentio de formali bibitione.

103. Objic. IV. Gelasius Papa expresse mandat *Can. comperimus. 12. de Consecrat. dist. 2.* ut Sacramentum Eucharistiæ non dividatur taliter, quatenus, *sumpta tantummodo corporis Sacri portione, a calice Sacri cruoris abstineatur*: ergo male à modernis Pontificibus prohibetur id, quod Gelasius fieri mandavit, & SS. PP. antiqui vel maxime commendarunt.

Respondeo in primis, hunc Canonem posse explicari conformiter priori Canoni undecimo, quod nimirum loquatur de sacrificantibus, non de Laicis communicantibus. Ita declarat D. Thomas 3. *part. q. 80. Art. 12. ad primum.* Atque etiam *Summarium* Canonis in Decreto Gratiani sic habet. Deinde transmisso in Antecedenti Adversariorum supposito, quod Pontifex loquatur quoque de Laicis, negatur tamen consequentia quoad primam partem; etsi enim Gelasius Papa secutus exemplum Divini Leonis *serm. 4. de Quadrages.* etiam sub grandi sacrilegio mandasset, ut pro suo tempore Sacra Communio sub utraque specie accipiatur, hoc tamen ideo factum fuisset, ut occulti plures Manichæi, qui vinum abhorrent, credentes, illud à diabolo creatum, exinde arceantur à Communione, ad quam alias, dum sub solis speciebus panis Eucharistia porrigebatur, permixtim cum Catholicis non sine gravi irreverentia Sacrilegi accedebant: quæ ratio apud nos his temporibus jam cessat.

Sancti Patres, si qui ab Adversariis adducuntur in contrarium, intelligendi sunt vel de illis temporibus, quibus Communio sub utraque specie adhuc erat permissa, aut etiam præcepta, vel discurrunt de re sumenda, non de modo sumendi, vel denique loquuntur de Sacerdotibus Sacrificantibus, non de Laicis communicantibus. Ceterum miror, Acatholicos adeo conqueri de subtractione Calicis, cum tamen id ex gravissimis factum sit rationibus, & contra Lutherus hoc ipso Calice carere paratus fuisset præcise in contemptum alicujus Concilii, si ab eodem communio sub utraque specie præciperetur. Verba formalia Lutheri Tom. 3. Jen. de formula Missæ sic sonant: *Tunc* (id est, si præciperetur) *minime omnium vellem utraque specie potiri, imo tum primum in despectum Concilii, vel statuti sui vellemus aut alterutra, aut neutra potiri.*

ARTICULUS II.

De Conjugio Sacerdotum.

104. DE hoc inquiunt, *quod ad evitanda publica scandala alias data, liceat Sacerdotibus illud instituere ex sequentibus*, 1. *quia Paulus dicit. Habeat unusquisque uxorem suam propter fornicationem. Item* 2. *juxta eumdem melius est nubere, quam uri. Nam Deus conjugium tamquam remedium humanæ infirmitatis instituit.* 3. *Quia idem Paulus* 1. *Timoth.* 4. *doctrinam prohibentem conjugium vocat doctrinam Dæmoniorum.* 4. *Quia pariter Paulus ait, Episcopum eligendum esse, qui sit maritus: cur ergo non etiam alius Sacerdos?* 5. *Quia Deus creavit hominem ad propagationem, dicens: Crescite & multiplicamini. Gen.* 1. *nec est humanæ potestatis sine singulari dono, & opere Dei creationem mutare, & mandatum tollere Divinum.* 6. *Quia constat, in Ecclesia veteri Sacerdotes fuisse Maritos, & primum ante annos quadringentos (puta à Confessione Augustana computandos) vi coactos ad Cælibatum.* 7. *Quia ex antiquis PP. S. Cyprianus suadet Lib. I. Epistolarum Epistola undecima: adeoque à pari idem de virit.* 8. *Quia Cælibatus est res difficillima, plerisque impossibilis, atque horrenda contra naturam parit flagitia & scandala.* 9. *Quia alias Ecclesiæ videntur aliquando defuturi Pastores, si diutius prohibeatur Conjugium.* Ita Pastores Acatholici loquentes pro Thalamo, & suis uxoribus, nec non, ut exinde Magistrorum, Lutheri & Calvini, defectionis causam præcipuam (amorem nimirum mulierum) saltem apparenter aliquo modo cohonestent.

105. E contra Catholico-Romani in primis quidem

dem gratis admittunt, conjugium esse aliquid honestum & bonum. 2. Pariter in hoc rerum ordine ad propagationem generis humani necessarium. Atque 3. exinde respectu totius naturæ humanæ in communi præceptum, ita nimirum, ut saltem aliqui ex genere humano sint, qui illud contrahant, ne genus humanum deficiat. 4. Non autem obligati hoc præcepto singulos in particulari: alias enim Elias, Jeremias, Joannes Baptista, Joannes Evangelista, S. Paulus, pluresque SS. PP. antiquissimi cum primis fundatoribus SS. Ordinum violassent hoc mandatum. 5. Tenent, Cælibatum esse meliorem conjugio: ita enim clare loquitur D. Paulus 1. Corinth. cap. 7. v. 38. & 40. *Qui matrimonio jungit Virginem suam, bene facit; qui non jungit, melius facit, Beatior erit, si sic permanserit secundum meum consilium, puto autem, quod & ego spiritum Dei habeam.* 6. Asserunt, Cælibatum esse naturæ humanæ gratia Divina (quæ facientibus, quod in se est, omnino non negatur) adjutæ observatu omnino possibilem; quomodo enim alias prudenter D. Paulus 1. Corinth. c. 7. v. 25. & loco proxime allegato tam absolute, Virginitatem suadere potuisset? *Qui te hortatur, ut voveas, Ipse adjuvat, ut reddas*, inquit D. August. in Psalm. 147. 7. Libenter concedunt, quod de jure Divino non sit necessario Cælibatus Sacerdotio annexus, cum defacto quoque Sacerdotes Græci, etiam non schismatici, conformiter *cap. cum olim 6. de Cleric. conjugatis*, possint habere Uxores, quas ante sacros Ordines duxerunt, licet post sacros Ordines semel susceptos non liceat ipsis amplius contrahere. 8. Defendunt, posse tamen ab Ecclesia Sacerdotio, & aliis sacris Ordinibus recte annecti Cælibatum; nam cum cælibatus sit res honesta, & bona, imo melior conjugio, & simul observatu possibilis, cur Summo Pontifici sit adempta potestas præcipiendi eundem in casu, quo aliqui sponte & libere volunt suscipere sacros Ordines? 9. Addunt aliquas congruas rationes, cur Ecclesia actualiter alligaverit SS. Ordinibus Cælibatum; ex quibus præcipua est, quod primaria officia Ministrorum Ecclesiæ (puta *sacrificare & Sacramenta aliis ministrare*) melius administrentur à cælibe, ut pote magis mundo, quam à conjugato.

106. Hæc Catholicorum dicta si benè notentur, facilis erit solutio rationum, quas in contrarium allegat Confessio Augustana; nam ad 1. Paulus 1. Corinth. cap. 7. v. 2. dum ait: *habeat unusquisque suam uxorem propter fornicationem*; loquitur ad actualiter jam conjugatos, non ad solutos, ad quos ultimos primum v. 8. suum dirigit sermonem: in præsenti autem vult, ut unusquisque conjugatus penes se habeat, non autem repudiet uxorem suam *propter fornicationem*, id est, ne fornicetur cum altera. Ita textum istum explicat celeberrimus antiquissimæ Ecclesiæ Pater & Scripturæ Expositor S. Hieronymus Libro 1. contra Jovinianum. Aliam adhuc declarationem videre poteris apud Cornelium à Lapide in dictum textum. Ad 2. Verissimum est ibidem consilium S. Pauli illis adhuc solutis personis datum, quæ experientia doctæ putant, se non restituras tentationibus carnis, 1. Corinth. c. 7. v. 9. nempe, *quod melius sit nubere quam uri*, id est, *melius maritum ducere, quam fornicari.* Ita glossant S. Hieronymus Apolog. pro libris contra Jovinianum, Ambrosius, Augustinus & alii apud Cornelium à Lapide hic. Ad 3. Doctrina absolute prohibens conjugium est doctrina dæmoniorum, hoc autem non facit Ecclesia Catholico-Romana. sed permittit libertatem, solummodo conditionate sacros assumentes Ordines adstringens ad Cælibatum, idque propter excellentiam status, & sanctitatem functionum. Ad 4. falsum est, quod Paulus umquam dicat, Episcopum eligendum esse, qui sit *Maritus.* Equidem 1. Timoth. cap. 3. sic habet, *oportet Episcopum esse unius uxoris Virum*; per hoc tamen nil aliud intendit, quam exclusionem Bigami, ut nimirum Episcopus eligendus non sit talis, qui duas successive habuerit ante Episcopatum uxores. Ceteroquin idem Apostolus ad Titum cap. 1. v. 8. desiderat Episcopum esse *sobrium, justum, sanctum & NB. continentem.* Videatur de hoc S. Chrysostomus primorum sæculorum Pater in 1. *Timoth. c. 3. & cap. 1. ad Titum.* Ad 5. etiam Deus ad pisces & aves dixit: *Crescite & multiplicamini*, non tamen fuit hoc præceptum Divinum, sed potius benedictio. Dato autem, quod censeatur mandatum Divinum, non intendebat obligare singulos in particulari, sed solum genus humanum in communi. Ad 6. Quod Sacerdotes, qui sponte & voluntarie suscipientes sacros Ordines se submiserunt præcepto Cælibatus, adigantur ad observantiam, posito, quod fiant transgressores, æque parum injustum censeri debet, quam si Violatores Legum Civilium ad observantiam compellantur. Ceteroquin veritati omnino consentaneum non est, quod hic usus primum ante quadringentos annos fuerit introductus; cum Concilia in Germania habita, puta Aquisgrani, Moguntiæ, Wormatiæ &c. Cælibatum hunc jam ante 800. annos statuerint. Quinimo S. Clemens primo statim sæculo præcepit, ut nullus Cælebs ad Clericatum perveniens admittatur ad nuptias contrahendas, nisi Lectores & Cantores, uti expresse refertur in Jure Canonico inter Canones Apostolorum Canone vigesimo quinto. Ad 7. Verba formalia S. Cypriani vix credo esse fideliter allegata: apud Cornelium enim à Lapide in cap. 7. 1. Ep. ad Corinth. v. 9. sic sonant: *si perseverare nolint* (supple Virgines) *aut non possint, melius est nubere quam uri.* Ubi loquitur de Virginibus nondum Deo actualiter per votum dicatis, sed dicandis, quas monet, ne se Deo devoveant, si perseverare nolint. Ceteroquin eadem Epistola Virgines Deo per actuale votum jam dicatas vocat Christi NB. adulteras, si post votum castitatis Viris copulentur. En! sanctum Cyprianum potius pro nobis, quam contra nos. Ad 8. Cælibatus perpetuus est quidem carni difficilis, non tamen impossibilis accedente præsertim gratia Divina, observatisque ad Castitatem tenendam mediis, passim apud Ascetas reperiendis, inter quæ à SS. PP. vel maxime commendatur jejunium, quale profecto parum videtur curasse Lutherus, ignominiose cum suis traducens abstinentiam à carnibus, & duplici refectione tempore Quadragesimæ, Angariarum atque Vigiliarum &c. à Catholicis præscriptam. Ceteroquin S. quoque Paulus sensit stimulum carnis; vicit tamen gratia Divina accedente, quæ si deesset, ex ipsis Acatholicorum principiis, & paritate rationis etiam conjugati reputandi forent adulteri in longiori morbo, vel absentia compartis, atque urgente simul concupiscentia ad alienam. Ad 9. Non advertimus nos Catholici propter annexum sacris Ordinibus Cælibatum quempiam defectum Sacerdotum; nec propterea sanctissimam hanc Cælibatum inter & Sacerdotium connexionem dissolvendam existimamus, eo quod hinc inde per accidens fiant abusus. Recogitent parum Acatholici, quæ flagitia apud Ipsos aliquoties etiam ab Uxoratis, vel militibus, quibus matrimonium passim non conceditur, committantur.

ARTICULUS III.

De Missa.

107. De hoc aiunt 1. *Quod etiam apud ipsos Missa retineatur, & summa reverentia celebretur, nec non usitatæ ceremoniæ fere omnes observentur.* 2. *Quod hæc habeatur in lingua Germanica ad docendum populum.* 3. *Quod ipsos non admittantur Missæ privatæ sed tantum publicæ, per quas ultimas intelligi volunt Missas, sub quibus populus communicet, ad quam Communionem* (subjungunt) *nulli admittuntur, nisi antea explorati, & auditi.* 4. *Negant, quod ulla Missa etiam publica ex opere operato causet triplicem illum fructum à Catholicis assertum, nempe propitiatorium, impetratorium, & satisfactorium, quem Christus potius contulit in Ara Crucis sacrificio cruento satisfaciens pro nobis, & nos Cœlesti Patri suo iterum reconcilians.* 5. *Exinde negant, in Missa contineri verum aliquod sacrificium, docentes, eam solummodo esse institutam, ut renovetur per ipsam memoria Christi, & mediante sumptione Eucharistiæ apud illum, qui utitur hoc Sacramento, fides excitetur, rememorans, quanta per Christum accipiat Beneficia; per quam memoriam hominis talis conscientia pavida erigitur, & nova afficitur consolatione.* 6. *Demum prætendunt varios à Catholicis in Missis privatis introductos abusus, ita, ut nulla res Divina ita videatur umquam ad quæstum collata fuisse, uti Missa.* Ita Acatholici, qua autem veritate, & fundamento, videbimus infra successive respondendo ad singula. Interim

108. Prænotandum 1. ex Theolog. Morali Patris Reiffenstuel Tract. 15. Dist. 5. q. 2. quod hæc vox *Missa* sit antiquissima, cujus jam meminit in Epistol. 6. ad Smirnenses S. Ignatius Antiochenæ Ecclesiæ tertius post S. Petrum Episcopus & Martyr, quod autem apud Latinos *Missa*, idem apud Græcos est *Liturgia*. Porro juxta communem Catholicorum sensum Missa accipitur pro collectione omnium Orationum, quæ à principio ejusdem usque ad finem peraguntur. Principaliter vero Missa consistit in consecratione corporis & sanguinis Christi, mediante qua actione Sacerdos juxta dicenda verum peragit sacrificium incruentum, repræsentans nobis cruentum sacrificium in Ara Crucis peractum, ex cujus Sacrificii cruenti virtute suam quoque vim obtinet. Pro quo

109. Prænotandum 2. Sacrificium ut sic proprie tale recte definiri, quod sit *Oblatio externa rei permanentis, à legitimo Ministro exhibita Deo, qua significetur supremum illius Dominium mediante aliqua rei oblatæ destructione, seu immutatione.* Ulteriorem hujus descriptionis declarationem reperies apud Reiffenstuel loc. cit. q. 1. num. 4. & seqq. Porro oblatio sacrificii semper erat in usu; utpote non solum in Lege Mosaica, verum longe ante in ipsa lege naturæ exercita. Sic enim jam tempore Adami legitur Abel obtulisse primogenitos gregis sui, *Gen. cap.* 4. Non de cunctis pecoribus, & volucribus mundi post diluvium *Gen.* 8. & Melchisedech panem & vinum tamquam *Sacerdos Dei Altissimi. Gen. cap.* 14.

110. Prænotandum 3. Sacrificium in Lege Mosaica fuisse divinum tam ratione *materiæ*, quam ratione *formæ*. Ratione materiæ in Victimam, immolationem & libamen. *Victima* comprehendebat oblata, & in honorem Dei mactata animalia. *Immolatio* res inanimatas solidas, puta panem, thus, fructus terræ &c. *Libamen*, res inanimatas liquidas per effusionem in terram &c. Ratione formæ sacrificium dividebatur in Holocaustum, Hostiam pro peccato, & Hostiam pacificam. *Holocaustum* erat sacrificium Deo pure in laudem, & ad cultum suum consecratum, in quo tota res oblata destruebatur, seu comburebatur. *Hostia pro peccato* offerebatur pro peccatis, præsertim externis, atque legalibus, vocabaturque *Sacrificium propitiatorium*; ubi res data partim cremabatur, partim cedebat in usum Sacerdotum. *Hostia pacificorum* offerebatur vel in gratiarum actionem pro aliquo beneficio impetrato, & tunc alio nomine dicebatur *Sacrificium laudis*, vel pro beneficio impetrando, & erat *Sacrificium impetratorium*, atque itidem una pars comburebatur, altera Sacerdotibus dabatur, & tertia remanebat offerenti. H. N.

111. Respondetur I. In Missa, in qua à Sacerdote offertur panis & vinum, verum peragitur Sacrificium. Probatur ex S. Scriptura tali fundamento: A Christo; in ultima Coena panem & vinum offerente, fuit peractum verum Sacrificium: ergo etiam à Sacerdote ex mandato Dei idem faciente in sui memoriam, juxta illud, *Hoc facite in meam commemorationem*, peragitur verum Sacrificium. Antec. probatur: Melchisedech offerendo panem & vinum erat peractum verum Sacrificium: ergo etiam à Christo in ultima cœna, antec. patet ex eo, quoniam, teste S. Scriptura Gen. 14. v. 18. protulit Melchisedech panem & vinum, quia erat NB. *Sacerdos Dei Altissimi*, consequenter sacrificando obtulit; alias enim ad hoc non fuisset necessarium *Sacerdotium*; consequentia vero principalis ostenditur; etenim Christus est *Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, teste Apostolo *ad Hæbr.* cap. 5. v. 6. adeoque pariter ab eodem in ultima Coena panem ac vinum offerente erat peractum verum Sacrificium; nam Melchisedech Sacrificans in pane & vino fuit Typus offerentis Christi, uti innuit ipsemet D. Paulus cap. 7. Hæb. v. 11. *Quis magis Sacerdos Dei summi* (loquitur optime ad propositum D. Cyprianus Lib. 2. Epist. 3. *quam Dominus noster Jesus Christus, qui Sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc quidem, quod Melchisedech obtulerat, panem scilicet & vinum, hoc est, suum corpus & sanguinem.* Plura de hoc reperies apud Bosco *Pars.* 2. *Theolog. Sacrament. D.* 5. §. 1. *Conclus.* 1.

112. Confirmatur hæc veritas Catholica immediate de nostra Missa taliter: Juxta Apostolum cap. 13. Hæb. v. 10. *Habemus altare de quo edere non habent potestatem, qui Tabernaculo deserviunt,* nimirum Sacerdotes antiqui Testamenti: sed si habemus verum Altare, etiam habemus verum Sacrificium; nam altaria sunt ordinata ad Sacrificium: ergo *Subsumitur*: atqui nec tempore Divi Pauli, post peractum jam pro tunc cruentum Sacrificium, nec tempore nostro assignabile est aliud verum Sacrificium, quam illud, quod peragitur in Missa: ergo. *Non taurorum carnes* (inquit Apostolus Andreas testibus Achaiæ Præsbyteris) *ego omnipotenti Deo sacrifico, sed Immaculatum Agnum in altari.* Idem in suis Lyturgiis exprimunt Sancti Apostoli, Petrus, Jacobus, & Matthæus apud Coccium de Eucharist. *Art.* 4. *Tom.* 2. *lib.* 6. Idem sentiunt SS. PP. plurimi, videndi apud Bellarminum, & nostrum Bernardinum Vetweis hîc. Cur igitur recedunt sectarii nostri temporis? forsan quid deest in Missa ad verum Sacrificium requisitum? Absit: habemus enim Sacerdotes sacrificantes, habemus altaria, habemus Victimam seu Hostiam, nimirum Christum Dominum, Agnum Immaculatum, non quidem physice, moraliter tamen ac mystice in contestationem supremi Domini Dei occisum, quatenus vi ver-

verborum consecrationis sanguis separatur à carne, & Christus modo ad operandum naturaliter inepto definitive, compenetratis inter se partibus, utrobique ponitur.

113. Respondetur II. Missæ Sacrificium ex opere operato est propitiatorium, impetratorium, & satisfactorium. *Propitiatorium* quidem, quatenus causat ex opere operato gratias actuales, quibus peccator incitatur ad poenitendum, sibique Deum iterum reddendi propitium: *Impetratorium* quatenus per id varia impetrantur beneficia spiritualia, & etiam temporalia, si sint nobis utilia. *Satisfactorium*, quatenus delet poenas pro peccatis quoad culpam jam dimissis sæpe restantes. Probatur hæc Catholica veritas à pari: sacrificium cruentum in Altari Crucis peractum causat enumeratos tres fructus, uti facile consentiunt Adversarii: ergo etiam Sacrificium incruentum: nam incruentum habet suam virtutem ex Sacrificio cruento, cujus est repræsentativum. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum; ut offerat dona, & Sacrificia pro peccatis*; inquit Apostolus ad Hæbreos cap. 5. v. 1. Vide de hoc Reiffenstuel, *Tract.* 14. *Theolog. moral. Dist.* 5. *q.* 4.

114. Respondetur III. Missæ sacrificium applicatum pro defunctis prodest etiam ipsis saltem quoad fructum satisfactorium Probatur: in Testamento antiquo Sacrificia applicata pro defunctis proderant ipsis: ergo multo magis Sacrificium Missæ in Testamento novo. Consequentia stringit à fortiori: nam utique Missæ repræsentativa Sacrificii cruenti non est minoris Virtutis, quam Sacrificia veteris Legis, quæ erant tantum umbra & figura Sacrificii tam cruenti quam incruenti in Testamento novo. Anteced. vero probatur. Propterea enim Judas Machabæus 2. Machab. cap. 12. v. 43. & 46. *duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum Sacrificium &c. ut à peccatis* (quoad poenas nimirum restantes) *solvantur*. Nec dicas, libros Machabæorum non esse Authenticos, seu canonicos: nam quod sint tales, probabitur alio loco, pro nunc vero sufficiat, quod saltem dicta illa mereantur fidem Historicam, nimirum Judam Machabæum allegata ibidem fecisse; prout etiam teste Pichler Part. poster. Theologiæ Polemicæ Controvers. II. Art. I. §. I. exinde Lutherani eosdem libros ponunt in Codice Bibliorum, & recte legi in Ecclesiis aiunt, saltem *ad morum ædificationem*. Confirmatur: In primitiva jam Ecclesia erat in Missis facta memoria & deprecatio pro Defunctis: ergo signum est, quod Ecclesia primitiva, quæ etiam ab Adversariis existimatur adhuc vera, jam senserit, Missæ sacrificium pro Defunctis applicatum ipsis prodesse. Antec. probatur: ita enim, tacendo quamplures SS. PP. in Lyturgiis S. Jacobi ac S. Clementis reperitur, & doctrina Aerii negantis pro mortuis esse Sacrificandum, fuit damnata jam ab Ecclesia antiqua circa annum Christi 340. tamquam Hæresis, testibus SS. Augustino & Epiphanio, prout desuper videri quoque poterat Joannes Sianda in suo Lexico Polemico V. Aeriani.

Itaque negandum non est, Defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis Sacrificium Mediatoris offertur &c. Concludit Augustin. in Enchirid. c. 109. apud nostrum Bosco *Part.* 2. *Theolog. sacram. Disp.* 5. *sect.* 3. *prope finem.*

115. Respondetur IV. Missæ non solum illæ, quas Hæretici *communes* seu *publicas* intitulant, eo quod sub iis populus actualiter communicet, verum etiam aliæ, quas Isti privatas nominant, & sub quibus populus non communicat, sunt retinendæ in Ecclesia. Ita expresse Concil. Trident. sess. 22. de Sacrificio Missæ cap. 6. cujus verba, quia valde sunt notabilia, pono formalia sic sonantia: *Optaret quidem Sacrosancta synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo uberior ad eos sanctissimi hujus Sacrificii fructus proveniret: nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas & illicitas damnat, sed probat, atque commendat, siquidem quoque illæ Missæ vere communes censeri debent, partim, quod in eis populus spiritualiter communicet; partim vero, quod a publico Ecclesiæ Ministro non pro se tantum; sed pro omnibus fidelibus, qui ad Corpus Christi pertinent, celebrentur.* Ubi specialiter nota ultima Concilii verba, quod nimirum etiam illæ Missæ, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, debeant dici communes, seu suo modo publicæ, quia Is, *tamquam publicus Ecclesiæ Minister non pro se tantum, sed etiam pro tota Ecclesia offert.* Majorem vero ad rationem Missæ publicitatem requiri, gratis ab Hæreticis asseritur, & consequenter gratis Missa privata in illo Adversariorum sensu ab ipsis excluditur. Non equidem me latet, quod Christus in ultima Coena consecrans Apostolis quoque sacram Eucharistiam distribuerit: ad reflectendum est, quod Christus ibidem juxta jam dicta præcedentia Apostolos respexerit ut brevi post Coenam ordinandos Sacerdotes, quibus haud dubie competit, si sacrificent, non solum consecrare Hostiam, verum etiam sumere, *can. Relatum XI. de consecrat. Dist. II.* Accedit, quod non omnia, quæ Christus in ultima Coena fecit, sint statim de præcepto: alias deberet pariter à nobis sumptioni Eucharistiæ præmitti comestio Agni Paschalis, Lotio pedum, fractio panis distribuendi &c. quæ omnia in ultima Coena contigerunt.

116. Confirmatur: ex nullo textu Sacræ Scripturæ potest ostendi, quod vel ad essentiam Sacrificii ut sic, vel ad integritatem Sacrificii Missæ requiratur, ut ipsi adstantes de Victima seu Hostia oblata participent: ergo gratis propterea Missa ab Adversariis *privata* appellata excluditur, eo quod nulli adstantes communicent. Quinimo neque in antiqua lege populus semper in Sacrificiis de re oblata participabat, uti patet ex Notato n. 110. Accedit, quod nec legitur in primitiva Ecclesia id semper, & quasi de necessitate fuisse observatum, volebat quidem Concilium Agathense circa annum Christi 506. ut ter in anno populus communicet, & singulis diebus Dominicis Missam audiat, quod autem fuisset ab Ecclesia subjunctum præceptum, ut aliqui necessario sub his missis communicent, non reperietur. Et dato, quod non solum praxis (quam etiam optat Concilium Tridentinum) verum etiam positivum extitisset aliquando tale præceptum Ecclesiasticum, potuit tamen illud à successoribus ex gravi ratione iterum cassari, sicut aliquando Christiani ter in anno, nimirum in Nativitate Domini, Paschate, & Pentecoste debuerunt communicare, nunc vero tantummodo semel, tempore nimirum Paschali.

117. Respondetur. V. Etsi potuisset Ecclesia admittere Missam in lingua vulgari, puta Germanicam in Germania, Italicam in Italia &c. Recte tamen noluit, ferme semper solita adhibere unam ex tribus linguis sacris, nempe vel Latinam, vel Græcam, vel Hebraïcã; tum quia magis videbatur lingua sacra conducere ad Majestatem & reverentiam sacrosancti hujus Mysterii, quam alia quæcumque vulgaris: tum quia sic magis conservatur commercium Ecclesiarum

arum particularium ad invicem inter se, ut nimirum Italus in Germania, Germanus in Italia, Gallus in Polonia &c. possint celebrare Missas si illic proficiscantur, quod sæpe sub itinere fieri non posset, uti consideranti patet, si passim Missa in lingua vulgari concederetur. Nec refert, quod populus magis doceri posset in lingua vulgari, nam Missa non est instituta ad docendum populum; sed ad colendum Deum, & impetrandos fructus. Inveniuntur insuper libelli precatorii passim apud Catholicos sub variis linguis, quibus varia SS. Missæ Mysteria Laicis explicantur &c.

118. Alia, quæ addit Confessio Augustana contra Catholicos, calumniæ sunt, & tantum abest, quod Ecclesia Catholico-Romana approbet quæstũ quoad Missas instituendum; ut potius talem rigidissime prohibeat, injungens, ut habentes curam animarum pro ovibus saltem aliquoties Missas offerant &c. ac ceteroquin apud omnes taxa justi stipendii titulo congruæ sustentationis non excedatur &c. quod si alicubi circa hoc irrepserint nonnulli abusus, particulares sunt contra voluntatem Ecclesiæ, & consequenter in consequentiam non trahendi. Cuperem insuper rescire; ubinam Catholicorum vigeat opinio, Christum sua passione satisfecisse quidem pro peccato originis, Missam vero instituisse pro peccatis actualibus, & quotidianis delictis mortalibus atque venialibus, prout audacter Nostris imputat Confessio Augustana hic &c. Potest quidem similibus simplex populus dementari: falsis tamen hisce imposturis veritas cujusdam Religionis neutiquam stabilitur.

119. Objicitur I. Principaliter probando, in Missa non reperiri sacrificium proprie tale, & consequenter nec fructus Sacrificii ex opere operato enumeratos, nimirum *propitiatorium*, *impetratorium* & *satisfactorium*: Illud quod est proprie sacramentum, nequit esse simul proprie Sacrificium; sed Missa, seu Coena Domini est Sacramentum proprie tale, prout etiam fatentur Catholici: ergo non erit proprie Sacrificium. Major probatur ex eo, quia hæc duo *Sacramentum & Sacrificium* ad invicem opponuntur, sicque unum excludit alterum: nam in Sacramento dicimur nos aliquid accipere à Deo, nimirum ipsum Christum, ejusque gratiam, seu Justitiam; in Sacrificio autem aliquid offerimus Deo ipsimet, nimirum Hostiam, seu Victimam: sed accipere & dare respectu ejusdem entis sunt opposita: ergo

Respond. neg. maj. ejusque suppositum, quod nimirum *Sacramentum* & *sacrificium* sint duo opposita se se ab invicem excludentia: nam una eademque res potest habere hunc duplicem Respectum sub diversa consideratione: Offert Sacerdos qua sacrificans Patri Coelesti Unigenitum suum Filium: accipit vero gratiam &c. qua sumens ipsius SS. Corpus & Sanguinem, sub speciebus panis & vini contentum. Et profecto, si *dare & accipere* absolute etiam sub diverso respectu se se ab invicem excluderent; tunc neque in antiquo Testamento potuissent offerri sacrificia: quid enim possumus dare Deo, quod non simul ab Eo tamquam supremo Domino accipimus?

120. Objic. II. Juxta S. Scripturam unica oblatione, nimirum peracta in Ara Crucis, sanctificati sumus: ergo de facto repetitæ sæpius Missæ non amplius sunt oblationes, seu sacrificia sanctificantia. Antec probatur ex illo ad Hebræos cap. 9. v. 28. *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Item cap. 10. vers. 10. *Sanctificati sumus per oblationem Corporis JESU Christi semel* ac v. 14. *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*: Ergo Respond. Disting. ant. & simul explicando similes textus: unica oblatione cruenta sanctificati sumus, quæ tamen nobis utilissime applicari potest per sacrificia incruenta, cruentum repræsentantia con. quæ non sic potest applicari, nego Ant. & similiter disting. conseq. Ergo de facto Missæ non sunt amplius sacrificia: cruenta, conced. incruenta, per quæ nobis cruentum utilissime applicatur, neg. consequent. Nec exinde dignitas sacrificii cruenti diminuitur, prout nobis obtrudunt Adversarii, quoniam gratis concedimus, Missam vim ac virtutem suorum fructuum productivam habere ex ipso sacrificio cruento &c.) sic etiam in ipsis principiis Acatholicorum exinde vis sacrificii cruenti non minuitur, quatenus primum per ipsum Baptismum mediante fide nobis (uti loquuntur) Justitia Christi seu justificatio confertur.

121. Objic. III. Juxta proxime dicta sacrificium cruentum delet peccata nostra, nobisque prodest, quatenus nobis illud per alia media à Deo præscripta applicatur: atqui illa applicatio sacrificii cruenti non fit mediantibus Missis ex opere operato, sed potius per fidem; *nam fide obtulit Deo plurimam Hostiam Abel* cap. 11. Heb. v. 4. & Jesum Christum *proposuit Deus per fidem in sanguine Ipsius*. cap. 3. Rom. v. 25. Respond. nego min. Adducti autem textus sacræ Scripturæ solummodo ostendunt, quod in applicatione ista fides aliqua interveniat: non autem evincunt, quod sola fides cum exclusione Missæ nobis sacrificium cruentum in Ara Crucis peractum applicet. Itaque si adversariorum objectio aliquid roboris haberet, deberet probare, quod per solam fidem fiat applicatio sacrificii cruenti, & non etiam per alia media ex opere operato, vel per alios actus Virtutum dilectionis Dei &c. &c. ex opere operantis.

ARTICULUS IV.

De Confessione.

122. *Aiunt 1. quod Confessio apud ipsos non sit abolita, nec soleat porrigi corpus Christi, nisi antea exploratis & absolutis. 2. Negant tamen Conscientias esse onerandas cura enumerandi omnia delicta.* Ita illi.

123. Quid autem reponant Catholici, sufficienter declaratum jam est §. præcedenti præsertim Articulo XI. & XII. quorsum Lectorem remitto, & hic solummodo duo adjungo. *In primis*, quod S. Chrysostomus, quem Adversarii in puncto de obligatione enumerandi omnia peccata pro se citant, solummodo loquatur de Confessione publica singulorum gravium peccatorum in specie facta homini, non habenti potestatem absolvendi, qualem improbat, in hoc puncto ob ingens scandalum, occasione talis publicæ confessionis exortum, secutus Nectarii antecessoris sui exemplum, sicque statuens, ut confessio publica fiat potius Deo. Ceteroquin quoad confessionem privatam Sacerdoti faciendam non intendit approbare doctrinam Adversariorum, sed potius vult (utor verbis ipsis S. Chrysostomi hom. 42. in Matthæum) *ut peccata per singulas species recolantur. Secundo*, quod Cõfessio Augustana pro se alleget glossam Juris Canonici, negantẽ, quod enumeratio peccatorum omnium specifica sit Juris Divini: id etiam admissum non obesset; nam etsi foret hæc præcise Juris Ecclesiastici, prout vult Glossa, deberent se se tamen submittere Acatholici, nec propterea recedere ab unione cum tanta perturbatione. Deinde Advertendum ulterius, quod glossa juxta notoria Juristarum non faciat auctoritatem Juris, & ipsi insuper resistat Concilium Tridentinum, cui haud dubie Glossator se se ultro submisisset, si eo tempore vixisset.

ARTICULUS V.

De Discrimine Ciborum.

124. I. *Non absolute Jejunia improbant Lutherani, sed tantum illa, in quibus fit discrimen ciborum, puta diebus Jejunii exclusio carnium.* 2. *Carpunt Catholicos, quod in similibus rebus ponant peccatum, si omittantur.* 3. *Quod iidem doceant, per Jejunia observata homines promereri gratiam, & remissionem peccatorum.*

125. E contra Catholici opponunt I. etiam illa Jejunia, in quibus non solum à secunda refectione, verum etiam absolute à carnibus abstinetur, esse rem bonam & honestam; cum appetitus exinde non solum in quantitate, verum etiam in qualitate ciborum mortificetur; quoniam cibi de carne de se alias non tantum, communiter loquendo, magis, quam cibi Jejunales nutriunt; sed & insuper plerumque, præsertim pretiosiores (uti selectæ aviculæ, carnes sylvestres &c.) hominem, singulariter acuendo appetitum, alliciunt ad comedendum. II. Cum igitur abstinere à carnibus ex dictis sit res honesta, quærunt ex Adversariis, cur non possit certis diebus talem abstinentiam præcipere Ecclesia, cui à dilectissimo suo Sponso Christo utique haud minor est potestas tradita in spiritualibus, quam alicui Regi in temporalibus? Neutiquam Regibus, sed Ecclesiæ specialis hæc data est prærogativa Matth. cap. 18. v. 17. ut si quis eam non audierit, sit habendus *sicut Ethnicus & publicanus*. Videantur dicta Art. XV. præcedenti §.

III. Addunt, hunc jejunandi modum non esse novum, sed jam observatum in primitiva Ecclesia, à qua rigidissime fuit injunctum Jejunium quadragesimale. Audiatur præ plurimis aliis antiquissimus S. Clemens Romanus can. Apostolorum 68 sequentibus formalibus: *Si quis Episcopus aut Presbyter, aut Diaconus, aut Lector, aut Cantor sacram quadragesimam Paschæ, aut quartam feriam, aut Parasceven non jejunaverit, deponitor* (id est *deponatur*: talis enim phrasis loquendi erat apud antiquos) *præterquam si imbecillitate impediatur corporis. Si Laicus sit, Communione privator*: id est, *privetur*.

126. IV. Mirantur Catholici, quod Acatholici Jejunium quadragesimale tam quoad abstinentiam à carnibus, quam à secunda refectione apud suos omnino tollant in praxi, cum tamen illud in primitiva Ecclesia, immo brevi post discessum Christi, ubi eadem vera etiam juxta ipsos adhuc extiterat, fuerit tam rigide præceptum, & à SS. Patribus tam frequenter inculcatum; imo (quod plus est) contraria doctrina prorsus rejecta. Audiantur præ aliis quasi innumeris, ac bene notentur ab Adversariis verba S. Augustini de Hæresibus cap. 53. ubi sic loquitur. *Aerius in Arianam hæresin lapsus propria dogmata affinxit nonnulla, NB. non esse solemniter celebranda statuta Ecclesiæ Jejunia, sed cum quisque voluerit, jejunandum, ne videamur sub lege.*

V. Quod Jejunia æque ac alia opera bona sint satisfactoria pro peccatis, & meritoria de condigno, vel de congruo, mediate vel immediate pro diversitate personarum promerentium, & juxta operum qualitatem, probatum jam fuit paragrapho præcedenti Art. IV. VI. XII. XV. XVIII. & XX. ubi notanter ad præsentem materiam Art. VI. num. 26. adduximus S. Ambrosium Epist. 82. ita loquentem: *Quæ salus nobis esse potest, nisi Jejunio eluerimus peccata nostra; cum Scriptura dicat, Jejunium & Eleemosyna à peccato liberant?* VI. Demum non vident Catholici, quem effectum Acatholicorum modus jejunandi habeat, dum dies *precationis & pœnitentiæ*, uti vocant, subinde (rarius tamen) instituunt, abstinentes omni cibo usque ad noctem, qua postea comedere solent absque discrimine ciborum: etsi enim nos nec talem abstinentiam, si alias sit debite circumstantionata, reprobemus; reprobare tamen videtur eorum Magister Lutherus, dum à similibus bonis operibus plus, quam à peccato cavendum esse censeat. Verba illius formalia in sermone de Missa hæc sunt: *Caveamus à peccatis, sed multo magis à legibus, & operibus bonis, tantum attendamus Deum promissorem & fidem.*

127. Objicitur ab Adversariis I. Si recte sub peccato Ecclesia præcepisset abstinentiam à cibis carnalibus; tunc cibi isti sumpti diebus ab Ecclesia prohibitis coinquinarent hominem: sed non coinquinant hominem: ergo. Min. probatur, nam teste Matthæo cap. 15. dum Christus ibi improbat mandata & traditiones hominum, illico v. 11. subjungit: *Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.* Et hinc etiam idem Christus apud Lucam cap. 10. v. 8. Discipulis suis licentiam comedendi apposita sine discrimine ciborum absolute tribuit his verbis: *Manducate quæ apponuntur vobis.* Respond. Disting. Min. Cibi Carnales ex se ipsis non coinquinant hominem, conced. quando, & quo tempore sunt prohibiti, neg. Certe Pomum in Paradiso comestum non ex se, sed quatenus prohibitum coinquinavit Adamum cum tota posteritate. Ceteroquin Christus ibidem non absolute improbat mandata hominum, sed tantum quasdam traditiones Pharisæorum, ad quas hi rigide attendebant, parum tamen curantes mandata Dei. Legatur in fonte. Quantum ad alterum textum Luc. cap. 10. Christus ibidem præcise docere intendit suos Discipulos, quod non debeant exquisitos exigere cibos, sed esse contenti appositis, etsi fuerint viliores. Ceterum gratis admittimus, quod ipsemet Christus non prohibuerit comedere carnes; præceptum enim Jejunii non est Divinum, ex quo tamen neutiquam infertur, non potuisse Ecclesiam id, quod Christus interim permisit, prohibere.

128. Objicit. II. Contra eandem, D. Paulus I. Timoth. *cap. 4. v. 3. & 4.* prædixit, esse venturos quosdam prohibentes vesci certis cibis, quos tamen Deus creavit, ut percipiantur cum gratiarum actione: à talibus hominibus jubet Apostolus ibidem caveri; ergo signum est, quod homines isti male præcipiant abstinentiam à certis cibis, puta carnalibus; nam alias Apostolus non juberet caveri à sic præcipientibus, quos vocat homines attendentes *spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum.*

Respond. Apostolum esse intelligendum de Hæreticis illis, qui, uti textus ibidem loquitur, prohibebant nubere, ac quosdam cibos condemnabant tamquam impuros, & in se malos, quod non facimus nos Catholici, etsi nobis imputent Adversarii puncto VII. de abusibus, quasi doceremus, ipsos certos cibos polluere conscientiam, quod tamen nequidem somniamus: non enim ignoramus, omnem Creaturam Dei esse bonam in se, hincque tantum ad certum aliquod tempus seu ad certos dies comestionem carnis suspendimus ad refrænandam carnis petulantiam, ad satisfaciendum ex parte pro peccatis, & ad acquirendas varias gratias, Jejunantibus in sacra Pagina adpromissas.

129. Obj. III. Apostolus Paulus Epistola ad Colossenses toto capite secundo est contrarius discrimini ciborum, & exclusioni carnium in Jejuniis: ergo tale præceptum non est sustinendum. Antec. probatur: Etenim in primis ibidem v. 16. vult, ut Colossenses *nemo judices in cibo & potu, aut in parte diei festi, aut*

Neomeniæ; aut Sabbatorum. Secundo improbat ver. 21. & 22. præcepta & doctrinas hominum prohibentium: *Ne tetigeritis, neque gustaveritis.* Respond. Apostolum non carpere locis citatis dies festos, & jejunia nostra, sed Sabbata, Neomæniæ, Jejunia Judaica, & Legalia, puta, *ne tetigeritis cadaver hominis, ne gustaveritis carnem suillam &c.* quæ à nonnullis adhuc obligatoria etiam post promulgationem Evangelii credebantur, quem errorem in præsenti voluit dedocere.

130. Objicitur IV. Si posset præcipi sub peccato diebus certis abstinentia à carnibus, tunc ex macello similes carnes ementes, & comedentes deberent sibi ducere conscientiæ, ergo. Major de se patet. Minor probatur ex Apostolo 1. Corinth. cap. 10. vers. 25. ubi Corinthios suos sic instruit: *Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam*: ergo. Respond. negando minorem, & textum S. Pauli explico; manducantes non debent sibi ducere conscientiæ ex eo, quod hæ carnes in macello existentes fuerint fortassis aliquando idolis oblatæ, Conc. Non deberent sibi non conscientiæ, supposito quod dictæ carnes fuerint certis diebus prohibitæ, & tamen in iisdem comederentur, neg. Quare notandum hîc est, multos ex Corinthiis ausos non fuisse emere carnes ex macello, sicque emptas comedere, timentes ne forte jam fuerint hæ ipsæ aliquando immolatæ Idolis, sicque comedendo quasi se participes redderent immolationis Idolorum, atque Idololatriæ, à qua anxietate voluit eos S. Paulus eximere, resolvens, tales carnes ex macello emptas licite posse manducari; quia nimirum ad commune macellum repositæ non amplius censentur Idolothyta, sed moraliter iterum redeunt ad profanum & communem usum, sicuti aliæ carnes. Secus foret dicendum, si dictæ carnes comederentur in ipsis templis aris, vel mensis, ubi proxime Idolis sacrificabatur. Idque solum (nil aliud) resolvere intendebat D. Paulus, eaque resolutione apud Cornelium à Lapide hic usi sunt in simili casu Christiani Antiocheni tempore Juliani Apostatæ, prout testatur antiquissimus Theodoretus *l. 1. c. 14.*

131. Ceterum occasione hujus ultimæ objectionis formo positivum argumentum pro veritate Catholica contra Adversarios taliter: Non obstante licentia Apostoli, loco superius citato, comedendi carnes emptas ex macello, erat adhuc Corinthiis, aliisque conversis prohibitum empta ex macello *suffocata* comedere: ergo signum est, quod Apostolus per hanc licentiam comedendi empta ex macello non intenderit dare facultatem manducandi ex macello quoque illa, quæ aliunde sunt prohibita. Antecedens probatur ex Actibus Apostolorum cap. 15. v. 20. ubi Apostoli expresse voluerunt, *ut* (Christiani) *abstineant a suffocatis & sanguine*; quod mandatum Apostolicum utique pro tunc transgredi non licuit, etsi defacto ea lex usu abolita fuerit jam tempore D. Augustini, uti testatur apud Cornelium à Lapide in cap. 15. Actuum Apostolorum.

132. Coronidis loco quæro ex Adversariis, cur non liceat Ecclesiæ ponere absolute præceptum certis diebus abstinendi à carnibus, cùm licuerit Collegio Apostolico absolute præcipere, ut Christiani abstineant à suffocatis & sanguine?

ARTICULUS VI.

De Votis Monachorum.

133. *Improbant Vota Monachorum 1. quia* (uti inquiunt) *sunt contra mandatum Dei præcipientis nuptias. 2. Quia sunt de re impossibili. 3. Quia sunt cultus impius ab hominibus* (nimirum regularibus Catholicis) *sine mandato Dei institutus & electus ad promerendam gratiam, atque justificationem, quod est detrahere de gloria Christi, & obscurare, atque negare Justitiam fidei, sicque hæc vota sunt prorsus irrita & nulla: neque enim votum debet esse vinculum iniquitatis. 4. Addunt, quod tempore S. Augustini Monasteria ita fuerint instituta, ut, qui voluerit, iterum libere egredi potuerit; nunc autem homines cogantur ibidem manere adstricti ad Vota & Claustrum.* Ita Confessionistæ, ut vel sic sub allegato prætextu Lasciviam & turpitudinem Magistri sui Lutheri ac sequacium diversis sacris Ordinibus perfidorum Apostatarum coram sæculo aliquo modo saltem apparenti cohonestent. Ast audiamus nunc, quod desuper sentiant Catholici: Hi itaque

134. Dicunt I. Quod *esse castum, relinquere sua, & voluntatem propriam propter Deum*, sint res honestæ, quæ Deo summopere placent. Ratio est *prima*: quia per ista tria à potiori impedimenta illa, quæ nos multum retardant à perfectiori vita, tolluntur: puta amor effusus in alterum sexum per *castitatem*; inordinata cura ad bona temporalia per *paupertatem*; & voluntas propria atque cæcitas Judicii per *obedientiam.* Ratio est *secunda*: quia si hæc non forent bona, atque honesta, Deus nobis illa non consuluisset in Evangelio; atqui eadem consuluit, uti patebit illico; ergo. Igitur

135. Dicunt II. Enumerata tria equidem ob suam arduitatem à Deo clementissimo, & in regimine suo suavissimo non absolute præcipiuntur; attamen tamquam ad majorem perfectionem vel maxime conducentia suadentur in Evangelio, ut patet enumeratione: Castitas enim consulitur ab Apostolo 1. Corinth. cap. 7. v. 8. ibi: *Dico autem non nuptis, & viduis, bonum est illis, si sic permanserint, sicut & ego &c.* Paupertas Matth. cap. 19. v. 21. *Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in Cœlo.* Obedientia Matth. cap. 16. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum*; & 1. Reg. cap. 15. v. 22. *Melior est obedientia, quam Victima, & auscultare magis, quam offerre adipem Arietum.*

136. Dicunt Catholici III. cum hæc tria sunt laudabilia & possibilia (alias enim certe à Deo non suaderentur) poterunt ex consequenti laudabiliter quoque voveri; quamvis ceteroquin non sint res à Deo præceptæ, sed tantummodo consultæ. Ratio est, quia etiam in Antiquo Testamento potuerunt voveri gratuita Sacrificia, & vota hæc fuerunt accepta Deo, ut legitur Levit. cap. 22. v. 20. Cur igitur non æque, si quis nunc per totum sacrificet se ipsum una cum tota sua substantia? *Votum vovit Jacob, erexitque Lapidem in titulum, ut vocetur Domus Dei.* Gen. cap. 28. v. 20. nec legitur Deo fuisse inacceptum hoc votum, quamvis de re aliunde non præcepta. Quis igitur audeat asserere Deo inacceptum fore, si honesta quædam puella Deo voveat suam Virginitatem, ut cum sancta Lucia Virgine Syracusana fit etiam suo modo Domus Dei, & templum Spiritus sancti?

137. Dicunt Catholici IV. Si qui hæc tria supererogatoria sponte voverunt, tenentur etiam eadem observare: nam *cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*: ait Æterna Veritas Deuteronomii cap. 23. v. 21. Et hinc Viduæ adolescentiores, quia fidem suam (puta quam Deo promiserant per votum Castitatis) iterum fregerunt, volentes nubere, pronuntiantur ab Apostolo 1. Timoth. cap. 5. v. 11. & 12. habere

damnationem

damnationem. Legatur desuper S. Augustinus in Psalm. 75. taliter scribens: *Quid autem ait* (supple Paulus Apostolus) *de quibusdam, quæ voverunt, & non reddiderunt? habentes, inquit, damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Quid est primam fidem irritam fecerunt? voverunt, & non reddiderunt.*

138. Dicunt V. falsum esse, quod tempore S. Augustini Religiosi semel professi potuerint libere iterum è Monasteriis egredi nubendo, vel dominium suarum rerum iterum recuperando &c. Nam ipsemet D. Augustinus in Psalmum septuagesimum quintum, postquam plurimis laudibus extulit votum Castitatis & Paupertatis, hæc formalia subjungit: *Nemo positus in Monasterio frater dicat, recedo de Monasterio &c. quia vovit &c.* Hoc equidem gratis admittitur, quod plures ex Monasteriis tempore antiquo fuerint promoti ad dignitates Cardinalitias, & Infulas Archi-Episcopales æque, ac Episcopales assumpti: ex hoc tamen non sequitur, quod libere potuerint egredi juxta suum beneplacitum ad nuptias &c. transeundo. Id etiam velim notatum ab Adversariis, equidem alicubi, etiam in Germania reperiri nonnullos Cœtus, ex quibus iterum ad honestas nuptias egredi licet. Hæc tamen non sunt proprie Monasteria, nec deponuntur Vota Monastica.

139. Objicitur I. Non datur votum validum contra præceptum Divinum: sed vota Monachorum sunt contra præceptum Divinum: ergo. Major patet ex eo, quia nullum votum est vinculum iniquitatis, & consequenter neque stringit ad transgressionem alicujus præcepti Divini. Minor vero probatur nominatim de voto castitatis; quia nubere est de præcepto Divino juxta illud Apostoli 1. Corinth. cap. 7. v. 2. *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum maritum.* Ergo vovere non nubere est contra præceptum Divinum. Accedit, quod Deus statim ab initio creationis voluerit Matrimonium, utque per id genus humanum multiplicetur juxta illud Scripturæ: *Crescite, & multiplicamini*: Gen. 1. v. 28. Et hinc creavit masculum & fœminam, dicens Gen. cap. 2. v. 18. *Non est bonum, hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi.* Respond. negando minorem. Textus allegatus Apostoli, juxta jam dicta Art. II. agendo de Conjugio Sacerdotum neutiquam loquitur de solutis, seu voto Castitatis obstrictis, sed de Conjugatis. Quoad confirmationem responsum pariter jam fuit præcedenter agendo de Cœlibatu Sacerdotum, nimirum præceptum propagationis humanæ per matrimonium intelligendum esse de natura humana in communi, non de singulis hominibus in particulari.

140. Objicitur II. Votum de re impossibili est nullum: sed tale est votum perpetuæ Castitatis; nam nemo potest esse continens sine speciali Dei dono, quale tamen pauci habent: nec quisquam sibi id, multo minus ejusdem perseverentiam adpromittere potest: ergo. Respondeo *in primis* quærendo ex Adversariis, si vota Religiosorum sunt impossibilia, cur ergo Acatholici etiam in sua religione admittunt Lutheranos, vel Calvinistas Equites illustrissimi ordinis Equestris Teutonici, qui pariter (uti optime mihi notum) sub Serenissimo suo Capite Magistro supremo existentes adstringuntur ad vota, maxime castitatis: num omnes & soli illi sunt præditi singulari illo dono unacum perseverantia perpetuæ Castitatis?

Respond. *secundo* directe ad objectionem negando minorem. Ad ejus probationem nego, quod specialis hæc gratia non detur Religiosis; spectat enim ad Providentiam Divinam, ut omnibus conferat Auxilia suo statui semel electo competentia: sic nec statui Conjugali desunt gratiæ particulares, ad eumdem statum spectantes, cur ergo Religioso denegentur? Verum quidem est, utrobique multos sæpe huic auxilio à Deo clementissime concesso non cooperati, ast defectus iste non gratiæ, sed socordiæ, vel etiam malitiæ hominum adscribendus venit. Si ingressus in Religionem contingit absque prævia matura deliberatione, vel ex fine vano & pure naturali, si in Religione vivitur tepide, & otiose, non applicando se litteris, vel honesto labori manuali, si sacræ meditationes, lectiones spirituales, & media ad conservandam puritatem efficaciter conducentia passim negliguntur, si nocturnæ compotationes, ac nimiæ cum altero sexu sensitivæ familiaritates frequentantur, si mandata superiorum ex superbia contemnuntur &c. Hæ sunt causæ transgressionum, ac subsequentis aliquoties Apostasiæ, non defectus Divini auxilii, & consequenter ista, ubi reperiuntur, sunt emendanda, non autem Vota Monachorum annullanda. Perpendamus animo indifferenti, utrum tempore Lutheri & Calvini Apostatantes Clerici sæculares vel regulares non fuerint saltem uno alterove ex enumeratis maculati? unde non habent, quod ex eorum societate multum glorientur Acatholici.

141. Obj. III. Vota Religiosorum continent cultum impium: ergo sunt coram Deo nullius valoris; nam vota debent esse de bono meliori. Antec. probatur: fingunt enim Religiosi, quod Eorum Professio, in qua Vota hæc fiunt, sit alter Baptismus; Item quod quis per eamdem obtineat gratiam & justificationem; quod est detrahere gloriæ Christi, & obscurare justitiam fidei, & consequenter impium: ergo. Respond. neg. Antec. quod autem à nonnullis Catholicis Professio Religiosa vocetur alter Baptismus, Eique ab aliquibus scriptoribus tribuatur remissio peccatorum, non provenit ex eo, quasi utrobiq; intercederet adæquata paritas (scimus enim optime, quod Professio Religiosa non deleat peccatum originale, sicuti Baptismus &c.) sed quia saltem aliqualis intervenit similitudo, eo quod homo in utroque explicite renuntiet diabolo, & novam vitam spiritualem inchoet, ac insuper, si in statu gratiæ professionem emittat, remissionem peccatorum suorum obtineat, non quoad culpam, sed quoad pœnam, fortassis adhuc restantem, idque tum propter Indulgentias plenarias Professioni Religiosæ per Sixtum IV. & Paulum V. summos Pontifices annexas, tum quia homo in eadem propriam voluntatem, donum alias præ omnibus rebus pretiosum, & charissimum Deo consecrat, atque amore ipsius in servitutem redigit, ex quo pie creditur, quod vicissim Deus intuitu hujus omnes pœnas, quas antea voluntas propria per transgressionem mandatorum Dei promeruerat, clementissime remittat, hæcque omnia suam virtutem habeant à meritis & passione D. N. Jesu Christi. Videantur Suarez, *Tom. 3. de Relig. lib. 6. cap. 13.* & Kerchove in Commentariis *cap. 1. §. 14. num. 21.* qui ultimus *num. 22.* subjungit, etiam posse commode defendi, quod concomitanter saltem Professio Religiosa sit deletiva quoque peccatorum quoad culpam, in tantum nimirum, quatenus plerumque eamdem comitatur aliquis actus veræ Charitatis Dei deletivus peccatorum quoad culpam; cum à potiori in illo primo fervore Deo propria voluntas, & tota substantia consecretur *ex puro ipsius amore.*

ART.

ARTICULUS VII.

De Potestate Ecclesiastica.

142. *De hac docent* 1. *Potestatem clavium, seu Ecclesiasticam de per se non esse confundendam cùm potestate gladii.* 2. *Vi potestatis clavium competere facultatem prædicandi Evangelium, atque exinde doctrinam Evangelio dissentientem rejiciendi, remittendi, & retinendi peccata, & administrandi Sacramenta.* 3. *Non autem acquiri exinde potestatem condendi præcepta Ecclesiastica obligantia sub peccato quoad Jejunia dies festos &c.* 4. *Esse contra S. Scripturam asserere, quod per eorum observationem possimus satisfacere pro peccatis, aut promereri justitiam.* Ita Lutherani.

143. E contra nos Catholici equidem quoad prima duo puncta, si in sano sensu accipiantur, nec potestas clavium ad enumerata præcise restringatur, omnino convenimus; quoad tertium tamen sumus contrarii, agnoscentes obligationem obediendi præceptis Superiorum Ecclesiasticorum etiam in conscientia: etenim libertas Evangelica seu Christiana, qua semper gloriantur Acatholici, neutiquam consistit in liberatione à præceptis Ecclesiasticis, sed in liberatione à peccatis, & à servitute Legum Judicialium, atque Cæremonialium Veteris Testamenti. Nec S. Paulus Apostolus, dum cap. 2. Coloss. v. 20. inquit: *Si ergo mortui estis cum Christo ab Elementis hujus mundi: quid adhuc tanquam viventes in mundo decernitis?* intendit exinde prohibere Decreta Ecclesiastica, sed potius illas Leges, quæ inhibebant, *ne tangatur cadaver, ne gustentur certi cibi quasi immundi &c.* prout ipsemet Apostolus v. 21. illico subjungit. Item voluit, ut Colossenses non decernant certa dogmata Philosophorum, eo tempore varia de Cœlis, de Angelis, eorumque superstitioso cultu, atque animarum purgatione fingentium. Ceteroquin vero Apostolus expresse mandavit, Superiorum præcepta non solum propter iram, sed etiam *propter conscientiam esse servanda, atque resistentem incurrere damnationem.* Verba formalia cap. 13. Rom. v. 2. sic sonant: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi NB. damnationem acquirunt* & v. 5. *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam NB. propter conscientiam*, de quo plura hinc inde jam tractavimus, uti pariter.

144. Quoad punctum quartum, ostendendo ex variis Sacræ paginæ textibus, quod Jejunium, cultus Divinus specialis diebus festivis, aliaque bona opera sint tam satisfactoria, quam suo modo quoque meritoria remissionis peccatorum, & salutis æternæ, idque vel de congruo, vel de condigno vel immediate ac proxime, vel mediate, & remote juxta qualitatem operis, & constitutionem operantis, de quo conformiter jam dictis in Theologia speculativa integer habetur Tractatus agendo de gratia & meritis. Quod si compendium hujus doctrinæ exigitur, id legi poterit apud Reiffenstuel *Tract.* 1. *dist.* 2. *q. VI.* & apud Pichler P. 2. *Theologiæ Polemicæ Controvers.* 1. *Art.* 5. §. 4. *& Controvers.* 3. *Art.* 4. §. 4. *de satisfactione.* Nobis in præsenti sufficiat, quod Remissio peccatorum & Vita æterna, tam in sacra Scriptura, quam SS. PP. antiquæ Ecclesiæ non solum fidei, verum etiam spei & Dilectioni, aliisque bonis adscribatur operibus, qualia utique etiam censetur cultus Divinus diebus feriatis, & Jejunium, &c. *Filius hominis, quando venturus est in gloria Patris sui, cum Angelis suis, reddet unicuique secundum opera Ejus. NB.* non præcise secundum *fidem*, sic loquitur Æterna veritas Matth. cap. 16. v. 27. & Ecclesiastici cap. 16. v. 16. *Misericordia faciet locum unicuique NB. secundum meritum operum suorum*; Vide de hoc plura Art. IV. VI. XII. XV. XVIII. & XX. præcedentis Paragraphi.

145. Quod si ab Adversariis in contrarium ex sacra Scriptura, vel SS. PP. aliqui textus allegentur, qui opera bona à ratione meriti omnino excludere videntur loquuntur hi vel de gravibus peccatoribus quoad meritum *de condigno*, non quoad meritum *de congruo*; nam graves peccatores in principiis Catholicorum neque per fidem, neque per alia bona opera justificationem & salutem æternam de condigno promerentur, sed tantum de congruo: vel textus isti intelligendi sunt præcise de operibus Cæremonialibus, ac Judicialibus Legis Mosaicæ, aut de operibus pure naturalibus, id est, quæ neque à gratia Divina supernaturali, atque à singulari promissione Divina suum valorem neque dependentiam habent, quam tamen dependentiam nos Catholici ad meritum omnino requirimus; utpote cum ista bona opera alias Deo sint infinitis quasi titulis jam debita.

146. Corollarii loco, occasione *Potestatis Ecclesiasticæ* Lutheranis finaliter considerandum relinquo, utrum non æque ipsi, ac Catholici in vera Ecclesia Caput quodpiam visibile *suprema Potestate Ecclesiastica* præditum tamquam necessarium, atque in solvendis dubiis circa controversias fidei infallibile cognoscere debeant? Quomodo enim alias certum aliquod, & in conscientia securum fidei symbolum concreditis poterunt proponere oviculis; cum ipsimet Pastores Lutherani non raro extreme ad invicem inter se contrarii existant, & utraque Pars contradictoria diversos Sacræ Scripturæ textus in favorem suæ sententiæ allegare soleat? sic plura millia Lutheranorum receperunt *librum Concordiæ* tamquam doctrinam fidei suæ: Alii vero æque Lutherani, numero non pauciores dictum librum tamquam erroneum reprobarunt; quinimo Dani juxta dicta §. V. num. 13. etiam flammis adjudicarunt. Item loquamur pressius de solis bonis operibus, de quibus aliqua ex parte etiam mentio facta est in hoc ultimo Articulo. Controversia circa eadem inter ipsosmet Lutheranos, teste P. Pichler, *part.* 2. *Art.* 5. §. 3. oritur multiplex, utrum nimirum sint homini necessaria? Lutherani rigidi, seu qui strictius sequuntur Lutheri placita, putant contra moderatos, eadem nullatenus necessaria. Wigandus cum sociis ait, eadem ad salutem non esse necessaria; bene tamen arbitraria. Alii ex his contendunt, ea ne quidem esse arbitraria, sed noxia & ad salutem pernitiosa: ita Theologi Ducales Saxoniæ in Altemburgensi colloquio cum Nicolao Ambsdorffio Adiaphoristarum Misnensium præcipuo Adversario, & Contradictore. Alii ex Lutheranis, uti Theologi Electorales Saxonici asserunt, bona opera omnino esse necessaria, quam sententiam pariter tenet Confessio Augustana Art. IV. VI. At post absolutam *Quæstionem An*, nova inter ipsos Lutheranos denuo exurgit disceptatio, *quomodo* bona opera sint necessaria? Ubi nonnulli distinguunt dicendo, eadem necessaria esse *ad salutem*, sed non *ad justificationem*. Alii econtra cum Gerardo vix non eorum Primipilo, bona opera neque ad salutem, neque ad justificationem, sed præcise ideo struunt esse necessaria, quia à DEO expresse sunt mandata.

147. Quo in tanta sententiarum contrarietate, ubi unus affirmat *pernitiosum*, quod alter defendit *necessarium* vertet exinde perplexus redditur Lutheranus? forsan *ad Scripturam*? sed hanc omnes enumerati pro-

pro se adducunt, nec unus cedit alteri. E. G. si confessio Augustana pro stabilienda bonorum operum necessitate afferat sacræ Paginæ textus bona opera præcipientes, illico Lutherani rigidi generalem supremi Magistri sui Doctoris Martini Lutheri interpretandi hos textus Regulam opponent, dum Is *Tom.* 43. *Wirtemberg. fol.* 134. *in Ps.* 5. taliter loquitur: *Ubi Scriptura mandat, ut fiant bona opera, sic intelligas, quod prohibeat, ne facias bona opera, cum non sit in tua potestate opera bona facere.*

Quorsum igitur (repetito interrogo) de sua quidem salute sollicitus, ex tanta tamen opinionum contrarietate perplexus Lutheranus pro quietanda conscientia, & dubiorum solutione recurrere debet? Num ad *spiritum privatum*? sed hic est generale omnium errorum asylum: quo pariter Ariani, Pelagiani, Manichæi, Anabaptistæ &c. uti poterunt. Num *ad Principes & Magistratus sæculares*? ast Isti, præterquam quod ad decernendos vel explicandos articulos fidei à Deo non sint destinati, ipsimet non raro inter se vel maxime dissident, uti patet de libro Concordiæ à multis recepto, ab aliis reprobato. Non alius itaque finaliter patet refugii locus, quam Cathedra Petri, ubi sedet Christi Vicarius, suprema ab Eodem præditus potestate Ecclesiastica, cui tradidit Deus claves Regni cœlorum, ut quæcumque solverit in terris, soluta sint & in Cœlis.

§. VIII.

De vita & moribus Joannis Calvini alterius Hæresiarchæ quoad suam Sectam in Romano Imperio tolerati.

148. Calvinus Anno 1509. Novioduni in Gallia natus, ibidem pariter scholas inferiores absolvit, usque ad Jurisprudentiæ studium, cui partim Lutetiæ Parisiorum, partim (uti fertur) Aureliæ animum applicuit. Inde Bituricum fuit profectus, ut apud celeberrimum eo tempore Legis peritum Alciatum adhuc magis perficeretur: dum tamen proficere voluit in scientia, defecit in fide; incidens enim in Volmarum Lutheranum ibi morantem, & amicitiam cum eo contrahens, hoc Magistro non solum linguam græcam, verum & Hæresin didicit, quo detecto (alii aiunt ob sodomiam) Biturico exulare cogitur. Fugiens in alium locum docendo linguam græcam qua per Volmarum instructus erat, aliquo tempore se se sustentavit. Inde absoluto circiter triennio, in Germaniam abiit, ubi Basileæ libros erroribus plenos, à se vero *Institutiones Christianæ Religionis* appellatos, composuit. Subinde iterum in Galliam rediens suos Pictavis errores liberius disseminare cœpit, pro adjutoribus assumens quatuor præcipuè in perversitate vix impares Magistro discipulos: nimirum *Antonium Dugvium, Professorem Academicum, Philippum Verosium Procuratorem, Albertum Papinottum, & Joannem Vernovium* Pictavienses, quos, ut latius noxiam, spargerent Zizaniam, destinavit ad *Santtones, Angolismenses, Burdigalenses, Aquitanos & Tolosanos*; ipse vero *Genevam* se se contulit, à qua Republica Promotore Guilielmo Farello, ad Cathedram Theologicam & Concionatoriam evectus, paulo post (id est Anno 1558.) iterum pellitur, Asylum suum Argentorati quærens, in qua Civitate teste Sianda pariter fertur uxorem duxisse.

Sedato Genevæ tumultu, & sopitis vel extinctis suis Adversariis, illuc iterum reversus non cessavit latius pestiferum diffundere venenum, usque dum, juxta citatum Joannem Sianda in Lexico Polemico v. *Calvinus*, Anno 1564. dæmones invocans, sibique maledicens, ac intolerabilem ex ulceribus emittens fœtorem, canis instar rabidi discessit, Cerberum nunc Infernalem acturus.

149. Hæresis Calvini in multas abiit sectas: alii enim dicuntur Calvinistæ *rigidi*, alii *molles*: alii Arminiani, seu Remonstrantes, alii Gomoristæ seu contra Remonstrantes. Priores à Jacobo Arminio Lugduni Batavorum Professore originem traxerunt. Gomoristæ, primis quoad plura, præsertim circa materiam de prædestinatione, & gratia contrarii, ortum suum adscribunt Francisco Gomaro pariter Professori Lugdunensi, qui 31. articulis Jacobo Arminio totidem graves imputat errores. In *Belgio* Calvinistæ vocantur *Geusii*, ab initio quidem sub Regia Gubernatrice Margarita à nonnullis ejusdem Ministris per ludibrium sic appellati, qui tamen successu temporis (excitata Bruxellis per fœderatos quosdam Nobiles ob non concessam libertatem conscientiæ &c. horrenda seditione) plurimum accrescentes hoc nomen retinuerunt pro rei memoria. In Gallia intitulantur *Hugonotæ*, vel ab Hugone quodam Ludimagistro Parisiensi, vel ab Hugone militiæ Reformatæ in Gallia duce, vel à Porta Urbis Turonensis, quæ *porta Regis Hugonis* dicebatur, & ubi Calvinistæ prima sua Conventicula instituere solebant. In *Anglia* dividuntur in *Episcopales & Presbyterianos*, quorum Priores retinent adhuc Episcopos, & plures Cæremonias Ecclesiasticas; Posteriores vero utrumque rejiciunt, plurimum ubique ad invicem inter se contrarii, ut vel ex hoc solo capite eorum colligatur infelicitas, dum tamquam errantes oviculæ carent supremo Pastore, qui eas ducat ad Pascua veritatis.

§. IX.

Quænam sint propositiones, seu Articuli, in quibus Calvinus contra Catholicos convenit cum Confessione Augustana?

150. Respondetur: Calvinus cum confessione Augustana in sequentibus convenit.

I. Etiam Calvinus admittit peccatum consistere in concupiscentia, dum *lib.* 11. *Instit. cap.* 2. & *lib. Respons. contra Pighium* dicit, in homine post Baptismum remanere concupiscentiam, quæ est peccatum. Refutationem vide supra in hoc *capite secundo num.* 16.

II. Pariter soli fidei justificationem adscribit, dum *lib.* 3. *Instit. cap.* 13. §. 15. & 16. asserit, hominem non per gratiam sanctificantem, sed per solam fidem justificari. Rejicitur *num.* 18. & *seq.*

III. Negat *in Antidoto contra Tridentinum Con.* 20. bona opera esse necessaria ad salutem: sed contra loquitur Æterna Veritas, dum ait Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* ubi bonis operibus à Deo mandatis adscribitur æterna Beatitudo. Videantur dicta *num.* 22. & *seqq.*

IV. Rejicit confessionem peccatorum coram Sacerdote, uti & satisfactiones pro peccatis. *lib.* 3. *Instit. cap.* 4. §. 19. Refutatur *à num.* 37. *usque ad num.* 50.

V. Similiter cum Confessione Augustana tenet, Sacramenta non conferre gratiam ex opere operato, sed solum excitare fidem, *Lib.* 4. *Instit. cap.* 14. Reprobatur *num.* 53. & *seqq.*

VI. Rejicit numerum septenarium Sacramentorum; in hoc tamen contrarius Confessioni Augustanæ quod præter Baptismum & Eucharistiam etiam *Lib.* 4. *Instit. cap.* 18. admittat Sacramentum Ordinis. *Vide num.* 56.

VII. Conformat se cum Confessione Augustana, quod Ecclesiæ non competat potestas ferendi Leges obligantes in conscientia, & quod nequeat eadem sub peccato injungere opera supererogatoria, sed tantum alias jam à Deo mandata. *Lib.* 4. *Instit. cap.* 10 confutatur *num.* 62. & alibi sæpius, præsertim §. VII.

VIII. Tollit quoque liberum arbitrium ab homine, *Lib.* 2. *Instit. cap.* 3. §. 7. & 11. eo audacior, quod dicto *Lib.* 2. *instit. cap.* 2. §. 4. fateatur, Sanctos Patres stare pro libertate indifferentiæ; quam, hoc non obstante, præsumit homini denegare. Reprobatur *à num.* 66. *usque ad num.* 73. Item specialiter de novo §. VIII.

IX. Propugnat, in hac carne impossibile esse Legis implementum. *Lib.* 2. *Instit. cap.* 7. vide dicta *n.* 75. & *seqq.*

X. Non patitur exhiberi cultum Angelis, vel Sanctis: *Lib.* 2. *Instit.* 11. §. 11. & *cap.* 14. §. 12. uti pariter negat *Lib.* 2. *Instit. cap.* 20. Sanctos pro nobis in cœlis intercedere, ast contrarium probatur *n.* 82. & *seqq.*

XI. Eodem modo *Lib.* 1. *Instit. cap.* 11. §. 3. & *Lib.* 2. *cap.* 7. docet, Sanctorum Reliquias, & Imagines non esse colendas, & peregrinationes ad loca Sanctorum dicit esse inanes. Error hic est Eudoxii, Armeni, & Eunomii Cappadocis, priori amicissimi, atque in perversa doctrina Collegæ, qui ambo primis jam quatuor sæculis fuerunt damnati. Refutatur dictus error iisdem principiis, quibus reprobatur doctrina præcedens; si enim Sanctis ipsis, pro nobis in cœlo intercedentibus, conformiter dictis *n.* 82. & *seqq.* ob excellentiam sanctitatis, gratiæ ac gloriæ, abnuendus non est cultus Religiosus *absolutus*, cur eorum ossibus, & imaginibus denegetur cultus religiosus *respectivus*?

Profecto de cultu politico, & civili loquendo, si homini præsenti e. g. Regi exhibetur absolutus, pariter expositæ sub baldachino Imagini Regem repræsentanti exhiberi poterit cultus politicus respectivus. Ubi notandum venit, quod cultus *absolutus* sit ille, quo quis ob excellentiam sibi adhuc actualiter inexistentem honoratur: *respectivus* vero, quo quis colitur ob excellentiam alterius, quam vel ipsa res honorata repræsentat, vel saltem in ordine ad eumdem consideratur. Priori cultu solum creaturæ rationales actualiter viventes; posteriori vero res quoque inanimatæ coluntur. Sic honoratur imago propter prototypon: Sacra Lipsana, quatenus fuerunt aliquando membra hujus, vel illius Sancti: Sacræ vestes, seu instrumenta martyrii, quia Sanctorum adhuc in terris degentium usu, vel attactu extiterunt sacrata, ex quo devoto cultu sperantur, & sæpius (prout testes sunt antiquissimi Scriptores, S. Augustinus, & S. Gregorius Turonensis) obtinentur quam plura beneficia. Cur ergo inanes sint peregrinationes ad loca Sanctorum institutæ? Umbra S. Petri adhuc in vita existentis sanabat infirmos, *Act. cap.* 5. *v.* 15. Similiter sudaria, & semicinctia S. Pauli deferebantur ad languidos, & recedebant ab eis languores, *Act.* 19. *v.* 12. cur igitur Ossibus Sanctorum in cœlis cum Christo gloriose regnantium hæc virtus abnegetur? Quod si opponas abusus varios subinde in hoc cultu irrepentes, hi abrogandi sunt, sed propter abusum non est tollendus usus; alias deberet quoque tolli usus Sacræ Scripturæ, utpote qua toties hæretici antiqui & moderni fuerunt abusi. Videatur Reiffenstuel. *Tract.* 5. *Theologiæ Moralis dist.* 1. *Quæst.* 4. & Pichler, *Part.* 2. *Theo. Polemicæ Controvers.* 2. *Art.* 2. §. 3. & 4.

XII. Quantum ad prætensos septem abusus quasi à Catholicis in Ecclesiam introductos conspirant Calvinistæ cum Lutheranis, numquam citius concordes, quam si contra Catholico-Romanos agitur. Refutantur omnibus illis fundamentis, quæ in toto §. septimo fuere adducta.

§. X.

An Calvinus cum Confessione Augustana conveniat circa Purgatorium, & Indulgentias?

151. Respond. I. Etsi Confessio Augustana in suo symbolo Carolo V. Imperatori oblato Art. XXI. expresse contestetur, quod hæc sit *Summa Doctrinæ* Lutheranorum, attamen de purgatorio, utrum detur, & an animæ ibidem detentæ precibus, ac piis fidelium operibus, vel indulgentiis juventur nihil prorsus decidit, prout pariter ego assumens præcise in præcedentibus declarationem articulorum Confessionis Augustanæ ex hac ipsa ratione de industria circa illa duo puncta abstraxi, & cum nec Confessio Augustana quidquam de his statuat positive contra Catholicos. Et quis non exinde inferret, circa memorata duo puncta Confessionistas adhærere Catholicis? eo quidem magis, cum eorum Magister Lutherus in propositionibus à Leone X. rejectis, atque §. 2. in Compendio relatis saltem non absolute, & ex integro rejecerit indulgentias, atque purgatorium: quinimò de ultimo in Disputat. Lipsiensi 8. Julii 1519. habita expresse sic loquatur: *Credo fortiter; imo ausim dicere, scio purgatorium esse &c. ego nihil de purgatorio novi, nisi animas ibi pati, nostris precibus, & orationibus juvandas.* Hoc tamen non obstante,

Respond. II. Moderni Lutherani Confessionistæ in his duobus punctis quoad rem omnino contra Catholicos conveniunt cum Calvinistis, & eorum auctore Calvino, qui *Lib.* 3. *Instit. cap.* 5. asserit, indulgentias esse sanguinis Christi profanationem, & eodem Libro, §. 6. purgatorium esse execrabile Satanæ commentum, negans exinde consequenter orationes, & suffragia oblata pro mortuis ipsis proficere.

152. Quæres I. Quomodo contra Calvinum, & quoad præsens contra Calvino-Lutheranos probetur existentia Purgatorii? ubi notetur, quod Catholici per purgatorium intelligant illum locum, in quo aliquæ animæ Justorum defunctorum ad tempus purgari debent vel igne, vel aliis poenis, donec ab omni reatu, etiam poenæ, ex integro emundatæ valent cœlum intrare; nam in cœlum *non intrabit aliquid coinquinatum.* Apocalyp. cap. 21. v. 27. Præscinditur autem in præsenti tam de situ hujus loci, quam de modo torquendi, ac qualitate pœnarum, de quibus (non de ipsa existentia purgatorii) jam olim inter SS. PP. atque inter Græcos, & Latinos tempore Concilii Florentini erat controversia; ubi de his Ecclesia nihil adhuc decidit H. N.

153. Respondetur. Existentia purgatorii ostendi potest ex Sacra Scriptura, & SS. PP. antiqua Ecclesia, & ratione. Probatur I. ex S. Scriptura, quæ etsi hoc nomen, ly *purgatorium* explicite

non exprimat, in re tamen ipsa admittit, aliquos in altero sæculo posse fieri salvos; non tamen nisi *per ignem*, adeoque non nisi per *aliquam purgationem.* Textus 1. Corinth. cap. 3. v. 13. & 15. sic sonat: *Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit &c. si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit; sic tamen quasi per ignem* II. Probatur ex SS. PP. quorum plures Græci, & Latini apud Bellarminum, & Salmeron. intelligunt cum Concilio Florentino allegatum proxime Sacri Codicis textum expresse de Purgatorio, signanter SS. Ambrosius, Theodoretus, & Augustinus *quinquaginta Homiliarum Homil.* 16. qui etiam in psal. 37. invehitur in contemnentes hunc ignem, eo quod adhuc salvus fiat, *quia dicitur* (ita S. Pater loquitur) *Salvus erit; hinc ignis ille contemnitur, sed gravior erit, quam quidquid homo pati potest in hac vita.* III. Probatur ex Ecclesia antiqua, quæ statim primis sæculis æque, ac Judas Machabæus in antiquo testamento 2. *Machab. cap.* 12. *v.* 46. censuit quod sit *Sancta*, *& salubris cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*: consequenter judicavit, apud mortuos sæpius remanere adhuc aliquod vinculum (puta reatum pœnæ) à quo solvi possunt per suffragia, sacrificia & preces fidelium viventium, in quocumque demum loco pauperculæ hæ animæ post mortem detineantur. *In Machabæorum libris legimus* (inquit August. Lib. de cura pro mortuis cap. 1.) *oblatum pro mortuis sacrificium: sed etsi nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, NB. non parva est universa Ecclesia, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas.* Sic Clemens Romanus Summus Pontifex Apostolis Coævus Lib. 8. Apostol. Constitut. cap. 47. inquit: *Pro quiescentibus in Christo rogemus, ut Deus, qui animam defuncti suscepit, dimittat ei omne peccatum.* Similiter loquitur S. Dionysius Areopagita, qui apud Cornelium à Lapide hic *cap.* 7. *p.* 3. *Ecclesiasticæ Hierarchiæ* testatur, se id accepisse ab Apostolis, *Statuerunt Apostoli* (subjungit D. Chrysostomus apud dictum Cornelium à Lapide Homil. 69. ad popul.) *ut in Missæ Sacrificio oretur pro defunctis.* Ad quid autem oretur pro defunctis, si omnes post mortem existerent vel in inferno, in quo nulla est redemptio, vel in cœlis, ubi nostro non amplius indigent adjutorio in æternum jam felicissimi? Inde nec mirum, quod Ecclesia antiqua Aerium, Suffragia pro defunctis irridentem, circa annum 340. condemnaverit, uti refert S. Epiphanius Hæresi 75. IV. Probatur ratione; quia non est credendum de misericordissimo Deo, quod hominem propter unicum obolum ditissimo deliberate ablatum, vel propter levissimam impatientiam aliqualiter verbis ostensam in æternum damnet, si subito præventus, puta apoplexia tactus moriatur; certe nec ab ipso Christo Domino *Matth.* 5. *v.* 22. aliqualiter iratus, vel qui dixerit fratri suo *Raca*, fuit illico declaratus reus Gehennæ, sed solum, qui dixerit *fatue.* Quorsum ergo talis cum ablatione unius oboli, vel cum levissima impatientia deveniet? non in infernum, uti proxime dictum: non in cœlum, in quod nihil coinquinatum intrabit: ergo in Purgatorium, tanquam in locum tertium. *Nec refert*, quod Ecclesiastes *cap.* 11. *v.* 3. tantum de duobus locis alterius vitæ mentionem facere videatur, scilicet de inferno, & cœlo. *Nam* præterquam quod necdum satis constet, textum illum, quem Acatholici contra nos adducere solent, de futura vita altera intelligi debere; hoc tamen etiam concesso responderi potest, quod sacer textus de receptaculis in æternum etiam post extremum Judicii diem duraturis loquatur, qualia utique sunt tantum duo, cœlum nimirum, & infernus; purgatorium autem pro tunc cessabit.

154. Quær. II. Quomodo contra memoratos adversarios probetur valor indulgentiarum? Ante responsionem ab Adversariis bene notentur tria, nimirum quid sit thesaurus Ecclesiæ, ex quo indulgentiæ sumuntur: quid ipsamet indulgentia, & quomodo eadem distribuatur. Itaque *primo*, sistendo in Catholicorum nostrorum principiis, notetur, quod thesaurus ille spiritualis Ecclesiæ nihil aliud sit, quam satisfactio Christi, & Sanctorum, ex quo thesauro tunc censetur depromere, & fidelibus distribuere Ecclesia indulgentias, quando Satisfactiones Christi, atque Sanctorum, fidelibus applicat. Ubi advertatur, quod Thesaurus iste principaliter, & præ omnibus confletur ex Satisfactionibus Christi, & quod Satisfactiones Sanctorum pariter suam vim habeant ex satisfactionibus Christi. Notetur *secundo*, quod in principiis Catholicorum indulgentia describatur, quod sit *remissio pœnæ temporalis peccatis actualibus quoad culpam jam remissis coram Deo adhuc debitæ, ab habente potestatem ex justa causa facta per applicationem sufficientis, & condignæ Solutionis ex communi thesauro Ecclesiæ.* Ulterior hujus descriptionis declaratio, uti pariter, quid sit thesaurus, ex quo Ecclesia sumit indulgentias, videri poterit apud Reiffenstuel *Tract.* 12. *Theolog. Moral. Dist.* 3. *Quæst.* 1. & 2. *Tertio* notetur, quod summus Pontifex fidelibus adhuc vivis donet indulgentias per modum absolutionis, id est, quod ut Judex eosdem tanquam suos subditos etiam à pœnis peccatorum, sæpius post remissionem culpæ adhuc restantibus, absolvat, ac simul loco propriarum satisfactionum satisfactiones Christi, atque Sanctorum substituat; econtra vero fidelibus jam defunctis dictas satisfactiones applicat per modum suffragii, non immediate remittendo pœnam tanquam Judex, (utpote cum defuncti non amplius sint subditi Pontificis) sed tanquam constitutus Supremus Dispensator, atque Thesaurarius, offerendo Deo ex Satisfactionibus Christi, atque Sanctorum pretium aliquod æquivalens, ut exinde ipse Deus remittat. Videri poterunt de suffragiis plura apud Reiffenstuel cit. *Tract.* 12. *Dist.* 3. *Quæst.* 12. H. N.

155. Respondetur. Valor indulgentiarum probari potest ex Sacra Scriptura, & antiquissima praxi Ecclesiæ. Ex Sacra Scriptura ostenditur sic: Juxta Eamdem valet remissio pœnæ temporalis à summo Pontifice intuitu Satisfactionum Christi concessa: ergo etiam valebunt indulgentiæ. Consequentia patet, quia in hoc ipso valor indulgentiarum consistit. Anteced. vero probatur taliter: vi sacræ Scripturæ valet remissio culpæ intuitu meritorum, & satisfactionum Christi: ergo etiam remissio pœnæ aliquoties post remissionem culpæ restantis, præsertim cum Christus in verbis generalibus ad Petrum, existentem adhuc super terram, Matth. cap. 16. v. 19. dixerit: *Tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.*

Ostenditur quoque ex praxi antiquæ Ecclesiæ: *Nam exstant Romæ* (inquit Bellarminus de indulgent.) *in antiquissimis Ecclesiis memoria indulgentiarum à Pontificibus concessarum.* Sic jam S. Gregorius, qui vixit sæculo sexto, teste D. Thoma in

in 4. *Dist.* 20. concessit indulgentias Stationum &c. Quod si quæras, quare ergo Patres, & Pontifices adhuc Gregorio anteriores tantum teneant silentium de indulgentiis? Respondetur, id contigisse, vel quia antiquissimo tempore nullus impugnavit Easdem, vel quia pro tunc in rarissimo usu fuerunt, vigente adhuc severissimo rigore in injungendis pœnitentiis per plures sæpe dies, vel etiam annos continuandis, in cujus rigoris supplementum propter majorem indies humanæ naturæ fragilitatem frequentiores successerunt indulgentiæ. Ne tamen bona opera satisfactoria omnino negligantur ab hominibus, non solent indulgentiæ nimis profuse, neque absque gravi causa concedi, atque hæ insuper ordinario alligantur aliis bonis operibus, puta certis orationibus, confessioni, communioni &c. Ceterum si non obstiante hac mitigatione Sectarii nostri conqueruntur contra rigorem Catholicorum in Sacramento Pœnitentiæ quid fecissent, si illis primis vixissent sæculis?

Objectiones ex dictis facile solvuntur, & apud Controversistas passim videri poterunt. Novissime D. Eusebius Amort in suo Tractatu de Origine & Progressu Indulgentiarum probare conatur fusius, quod, etsi primis sæculis hoc nomen *Indulgentia* non fuit ab Ecclesia ad præsens intentum applicatum; attamen relaxationes antiquæ Canonum pœnitentialium in substantia perinde fuerint, ac Indulgentia. Ex quo erui videtur, quod in seipsa (quidquid sit de Nomine:) jam extiterit Indulgentia, etsi non tam copiosa.

§. XI.

Quænam sint Propositiones speciales Calvini ab Ecclesia Catholica damnatæ, circa prædestinationem Electorum ad vitam æternam?

156. Non est mens mea singula Calvini, & Calvinistarum mala dogmata referre, eaque ad refutandum assumere; exinde enim libellus iste contra primum intentum in immensum excresceret; quoniam errores sunt adeo copiosi, ut Franciscus Feuardentius apud Sianda v. *Calvinus*, mille, & quadringentos excusserit, & pariter noster le Grand apud Henno *Tract. de principiis act. Hum. Disp.* 2. *Conclus.* 5. Calvinum, & Calvinistas quoad errores tam fæcundum asseruerit, ut vix ad certum numerum redigi queant; cum nullus sit in Symbolo fidei articulus, nulla in oratione Dominica petitio, nullum sive Dei, sive Ecclesiæ mandatum, nullum Sacramentum, aut Cæremonia Sacramentalis, quam non ipse, aut ejus Sectatores vel exterminarint, vel mutilarint, vel depravarint. Ita ille. Quare ne Manuale hoc in integrum Tomum transmigret, brevitatis gratia tantummodo principaliores, & famosiores adduco propositiones Calvini ab Ecclesia rejectas, puta de *prædestinatione Electorum, ac reprobatione malorum, de libero arbitrio, & gratia efficaci*, nec non *utrum Corpus Christi in Eucharistia realiter existat*? Et quidem in præsenti §. tantummodo agitur de Prædestinatis. Ubi

157. Dicit Calvinus 1. *Eosdem fuisse efficaciter à Deo præelectos ad cælestem gloriam, & vitam æternam ante prævisum ullum meritum.* 2. *Ecclesiam veram constare ex solis his Electis, ac prædestinatis tamquam membris propriis.* 3. *Fidem veram, & justitiam propriam esse solummodo Electorum, seu horum prædestinatorum.* 4. *Hanc fidem semel vere acceptam nulla ratione amplius posse amitti.* 5. *Inde prædestinatis seu præelectis peccata ab Ipsis commissa non amplius, sicuti reprobis, à Deo imputari.* 6. *Infantes, ab his progenitos, sanctos esse, & veræ Ecclesiæ propria membra censeri debere, etiam antequam baptizentur.* Ita Calvinus in diversis locis suarum Institutionum, notanter *lib.* 3. *cap.* 2. §. 11. & 12. atque *Admonit. II. contra Westphalum*, necnon *Lib.* 4. *Instit. cap.* 15. Sed contra.

158. Respondetur I. Utrum prædestinatio efficax ad vitam æternam fuerit ante, vel primum post prævisa merita, est quidem controversia inter ipsosmet Catholicos acriter disputata, & utriusque partis fundamenta apud Theologos in 1. Sententiarum passim videri possunt. Interim tamen etiam hac efficaci prædestinatione Electorum ad Gloriam ante prævisa merita gratis pro hîc & nunc admissa, necdum sequitur paritas circa reprobos, quoad præordinationem ad æternam damnationem ante prævisa demerita. nam actus prædestinationis ad vitam æternam est actus liberalitatis & misericordiæ Dei, utique in prima sua intentione nobis elargiendi hanc summam gratiam ad nostra opera non alligati. Econtra vero actus reprobationis ad mortem æternam, & pœnas inferni est actus justitiæ vindicativæ, quæ consequenter præsupponit culpam: nam etiam in humanis censeretur Rex aliquis Tyrannus, qui intenderet, & efficaciter decerneret gravem in subditos pœnam independenter à delictis, seu absque reflexione ad delicta; etenim Rex iste censeretur interpretative ita dispositus, quod ad Decretum suum executioni mandandum velit talem punire, sive delicta perpetret, sive non, vel saltem quod intendat misero huic talia præcepta imponere, quæ nequeat subditus servare, ut Rex exinde occasionem habeat, eumdem graviter castigandi, & per hoc suam in subditos potestatem ostendendi. Numquid hæc tyrannis?

159. Respondetur II. Vera Ecclesia non constat tantummodo prædestinatis, tamquam solis propriis Ejusdem membris: Ratio est; quia in omni Ecclesia videmus etiam malos, atque hypocritas, & quidem aliquoties finaliter impœnitentes, velut graves peccatores subitanea morte extinctos: unde nec mirum, quod Apostolus 2. Timoth. cap. 2. v. 20. Ecclesiam comparet magnæ Domui, in qua *non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam NB. autem in contumeliam.* Nec dicatur, Apostolum esse intelligendum de Ecclesia visibili, in qua haud dubie præter præelectos tamquam vasa honoris etiam continentur reprobi, seu vasa contumeliæ, non autem intelligi debere de Ecclesia invisibili, quæ existens teste Sacra Scriptura *tota pulchra, Sancta, non habens maculam, & rugam*, eo ipso excludit reprobos tamquam finaliter maculatos &c. *Nam contra est*, quod gratis adstruatur aliqua Ecclesia invisibilis: nam vel illa invisibilis foret præcise pars totius Ecclesiæ, vel esset complete alia Ecclesia, quam ea, quæ est visibilis. Si primum: habetur intentum, quod sumendo Ecclesiam completam, & totalem, Eadem constet partim Electis, partim reprobis. Si vero teneatur, Ecclesiam invisibilem totaliter esse distinctam à visibili: ergo duplex daretur in terris Ecclesia, quod assertum non habet solidum fundamentum in Scriptura, ex qua tamen Hæretici sua omnia volunt deducere. Neque obest, quod vera Ecclesia dicatur *tota pulchra &c. sine macula &c.* nam similia prædicata huic conveniunt non ratione singulorum membrorum, sed ratione quorumdam; item insuper ratio-

ne doctrinæ, finis, mediorum, præceptorum & Sacramentorum, quæ omnia ex integro sancta sunt, pulchra sunt, absque ruga, & absque macula. Videatur de hoc Pichler Tomo priori Theologiæ Polemicæ *c.* 1. *art.* 1. & dicta præcedentia contra Lutheranos Art. VII. agendo de Ecclesia.

160. Respondetur III. Non solum prædestinati, sed etiam reprobi potuerunt veram aliquando fidem, & justitiam habuisse. Probatur: omnes infantes legitime baptizati fiunt per baptismum justi, sive sint proles Catholicorum, sive Lutheranorum, sive Calvinistarum: atqui non omnes isti sunt ex numero prædestinatorum, adeoque etiam non prædestinati poterunt aliquando habuisse fidem & justitiam, seu fuisse aliquando justi per gratiam sanctificantem, vel (uti ipsi loquuntur) per fidem, quæ apprehendit justitiam Christi. Major patet, quia per Baptismum passim dicimur in Sacra Scriptura *abluti, mundati, sanctificati &c.* Minor vero probatur: nam si omnes legitime baptizati, sunt pariter prædestinati efficaciter ad gloriam; ergo omnes isti, quantumcunque suo tempore adulti impie vivant, salvabuntur; etenim efficaciter prædestinati ad gloriam certo salvantur. Ad quid ergo Calvinistæ rejiciunt Lutheranos, & damnant Catholicos? cur Calvinus defecit ab Ecclesia Catholico-Romana, in qua legitime baptizatus, sicque in ejusdem principiis ex numero prædestinatorum (si Superis placet) collocatus potuisset certo salvus fieri?

161. Respondetur IV. Fides justificativa, seu (ut loquuntur Catholici) gratia sanctificans semel à prædestinatis acquisita potest iterum deperdi. *Probatur* I. ex jam dictis; quia alias omnes Prædestinati, legitime semel baptizati retinerent pro omni tempore vitæ suæ gratiam justificativam, sicque finaliter certo salvarentur, quantumcumque impie viverent, & cujuscumque demum forent Religionis, supposito, quod fides justificativa semel acquisita nequiret amplius à Prædestinatis deperdi. Probatur 2. Quia generaliter in Sacra Scriptura habetur, per malam vitam animæ mortem superinduci, quæ utique non potest stare cum justitia, seu gratia sanctificante. Antec. ostenditur ex Ezechiel. cap. 18. v. 24. & 26. ibi: *Si averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem &c. Morietur.* Atque ad Rom. cap. 8. v. 13. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.* Nec opponas, hos textus esse intelligendos de morte naturali, non de morte animæ: *nam contra est*, quod hæc non sit specialis poena impiorum; cum non solum impii, verum etiam pii naturaliter moriantur, & improbus sæpe longius vitam naturalem protrahat, quam probus.

162. Respondetur V. Etiam prædestinatis Deus imputat peccata, si quæ committant: nam generaliter de omnibus in Sacra Scriptura dicitur Luc. cap. 12. v. 47. *Qui cognovit voluntatem Domini sui, & non fecit, vapulabit multis.* Item Ezechiel. cap. 18. v. 4. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Et sane, si solis reprobis, non autem prædestinatis peccata imputarentur, reprobus in Calvinistarum principiis etiam propter levissimam, imo & indeliberatam indignationem, vel propter ablationem unius oboli ab homine alias ditissimo factam æternis addiceretur flammis; ubi econtra prædestinatus non obstantibus suis homicidiis, furtis gravissimis, atque adulteriis salvaretur, quamvis subitanea tactus apoplexia de nullo horum poenitentiam egisset, quod de Deo, præ omnibus aliis mali gravitatem peccati abominante, præsumendum non est. Hoc equidem negari nequit, quod in sententia illorum Catholicorum, qui tenent, Deum in intentione Electos suos efficaciter prædestinasse ad gloriam ante prævisa merita, quod (inquam) in illorum Catholicorum sententia similis prædestinatus, cooperante efficaci gratia Divina, omnia suaviter æque, ac fortiter disponente, non sit consensurus in peccatum grave, vel, si jam peccaverit, ponendus in aliis circumstantiis, in quibus illud libere per poenitentiam finalem erit retractaturus. Quod autem prædestinato nullum grave peccatum tamquam tale imputetur, numquam somniarunt Theologi Catholici, etsi in modo explicandi gratiam efficacem, qua prædestinati certo à peccato gravi finali præservantur, sint adinvicem inter se differentes, utrum nempe hæc gratia sit intrinsece, vel extrinsece solummodo efficax; ubi tamen utraque pars omnino parata est se submittere Ecclesiæ, si quid positive circa hoc decidat.

163. Respondetur VI. Nec parvuli à prædestinatis progeniti salvantur absque aliquo Baptismo. Probatur: quia teste Sacra Scriptura Joann. cap. 3. v. 3. & 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ubi nulla fit distinctio inter proles prædestinatorum, & non prædestinatorum. *Noli* itaque *credere* (inquit S. Augustinus Lib. 3. de anima, & ejus origine cap. 9.) *noli dicere, noli docere, infantes, antequam baptizentur, morte præventos pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.* Accedit, quod parvuli etiam prædestinatorum rationis adhuc incapaces ante collationem Baptismi nullam fidem habeant, neque habitualem infusam; quoniam primum communicatur per Baptismum: sed absque ulla fide vel habituali, vel actuali, vel in re, vel in voto impossibile est placere Deo *cap.* 11. *Hebr. v.* 6. consequenter nec parvuli prædestinatorum absque Baptismo Deo placere possunt, sicque nec regnum coelorum ingredi.

§. XII.

Quænam sint propositiones speciales Calvini, à Catholica Ecclesia rejectæ circa præordinationem reproborum ad mortem æternam?

164. Circa reprobationem Calvinus *docet* 1. *præordinationem ad mortem æternam æque factam fuisse à Deo ante prævisa peccata, uti facta est prædestinatio Electorum ad vitam æternam ante prævisa merita.* 2. *Deum, ut actum justitiæ vindicativæ erga hos reprobos tamquam Supremus Dominus exercere valeat, ipsis non solum imputare ad peccatum quoscumque motus concupiscentiæ etiam indeliberatos; verum etiam eosdem ad peccata impellere, ita ut impulsus iste sit quasi effectus reprobationis.* 3. *Deum imperare Satanæ, aliisque impiis hominibus, ut maleficia concipiant, ac hominem ad peccandum inducant: sic Satanam jussu Dei tentasse Job, & Deum ipsum præcepisse Judæis, ut Christum crucifigerent.* 4. *Similia tamen respectu Dei nec esse, neque dici posse peccata, sed opera justa; quia quod homines mala intentione, Deus bono consilio facit, ac proinde,* 5. *Deum ipsum nec peccare, nec peccati auctorem dici posse.* Ita Calvinus diversis in locis, præsertim *Lib.* 1. *Instit. cap.* 17. §. 11. *Lib.* 2. *cap.* 4. §. 5. *& cap.* 18.

§. 1. & 8. *Item cap.* 22. & 23. *Item l.* 3. *institut. c.* 22. §. 11. *ac cap.* 23. §. 8. sed contra à Catholicis.

165. Respondetur I. Deus non reprobat, seu præordinat positive ad æternam mortem ante prævisa eorum peccata. Ita Catholici idque Doctor subtilis, 1 Sentent. D. 14. Quæst. 1. jam suo tempore adeo certum judicavit, ut contrariam dixerit sententiam non posse sine crudelitate excogitari. Probatur 1. quia si præordinatio ad æternam poenam fieret præprimis à Deo, tunc perditio nostra principaliter non esset ex nobis, sed potius ex Deo, utpote qui nos ad eamdem præordinasset, sicut ob eamdem rationem salus prædestinatorum præprimis est à Deo, quia electos ante merita præordinavit ad gloriam: atqui reproborum perditio præprimis non est ex Deo, sed potius ex nobis: nam *perditio tua* (id est tua culpa) *Israel*, inquit æterna Veritas *Osee cap.* 13. *v.* 9. ergo. Hinc Deus protestatur sæpius in Sacra Scriptura, quod non fecerit mortem, nec lætetur in perditione vivorum, *Sap. cap.* 1. *v.* 13. & quod nolit mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, & vivat *Ezech. cap.* 18. *v.* 23. & 32. Probatur 2. Salvator Deus non solum prædestinatos, sed omnes suo pretioso sanguine intendit redimere, ut omnes salvos faceret: ergo Deus antecedenter, nimirum ante prævisa nostra peccata, nullum voluit præordinare ad poenam æternam. Anteced. patet ex sequenti clarissimo textu Sacri Codicis 1. Timot. cap. 2. v. 1. 3 4. 5. & 6. *Obsecro igitur, primum omnium fieri obsecrationes, &c. pro omnibus hominibus &c. hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: unus enim Deus, unus & Mediator Dei, & hominum, homo Christus Jesus, qui dedit Redemptionem semetipsum pro omnibus.* Notentur singulariter verba illa: *omnes vult salvos fieri, & pro omnibus semeptipsum dedit redemptionem*; ergo nec damnandos exclusit ante prævisa eorum peccata. Videatur circa hunc textum fusius P. Herincx. 1. *Sent. D.* 8. *Quæst.* 2. *num.* 20. & *seqq.* Accedit pro confirmatione nostræ sententiæ auctoritas Sanctorum Patrum. *Bonus est Deus, justus est Deus* (inquit S. Augustinus Lib. 3. contra Julianum, cap. 18.) *potest aliquos sine bonis operibus liberare, quia bonus est, non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est.* Allego autem ex industria etiam contra Calvinistas Patres antiquos, quia etiam apud ipsos Præfati cum antiquis Conciliis in veneratione existunt, saltem uti aiunt in sua confessione à Beza gallice conscripta, & à nostro Francisco Fevardentio fideliter in latinum translata; ubi Articulus 6. taliter sonat: *Admittimus, quod determinatum fuit per antiqua Concilia, & detestamur omnes Sectas, & hæreses, quæ rejectæ fuerunt per Sanctos Doctores, ut per Sanctum Hilarium, S. Athanasium; S. Ambrosium, S. Cyrillum.*

166. Respondetur II. Deus non impellit ad peccata, multo minus aliis præcipit, ut ad eadem homines inducant. *Non est in Deo malum* (inquit in antiquissima Ecclesia S. Dionysius de Divinis Nominibus cap. 4.) *sed nec ex Deo est malum: aut enim bonus non est, aut bona facit.* Ulterius hæc Catholica veritas probatur ex testimonio Regis David Psalm. 5. v. 3. dicentis: *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Probatur 2. Deus odio habet peccatorem: *nam odio sunt Deo impius, & impietas ejus* Sap. cap. 14. v. 9. ergo ad peccata non impellit per se, vel ex præcepto per alios; nam ea, à quibus habet aliquis efficacem aversionem, non solet ipsemet consiliis, aliisque mediis promovere. Probatur 3. Deus in Sacra Scriptura severissime prohibet peccata gravia, iisque annectit poenam æternæ damnationis, uti patet ex præceptis Decalogi, & obviis S. Scripturæ textibus: ergo repugnat ejusdem sanctitati & justitiæ, ut simul ad hæc ipsa peccata per se, vel per alios impellat. Probatur 4. Si Deus per se, vel per alios alliceret, imo impelleret ad peccatum, præsertim intrinsece tale, puta mendacium, vel Dei odium, censeretur causa moralis ipsius talis peccati, seu Auctor ejusdem: sed juxta ipsum Calvinum num. 164. Deus non potest dici causa, & auctor peccati: ergo. Sequela majoris probatur; quia etiam homo, qui alterum instigat, & impellit ad peccatum, puta ad mendacium, vel odium Dei, censetur causa moralis talis peccati: ergo etiam taliter reputaretur Deus. Nec excusaret bonitas intentionis, non enim sunt suadenda intrinsece mala, ut eveniant bona. Videatur de hoc fusius adhuc Herincx *Lib.* 1. *sent. Disp.* 7. *Quæst. IV. num.* 30.

167. Respondetur III. Si afferantur loca Sacræ Scripturæ, quibus Deus videtur suasisse peccata, aut ad ea incitasse, vel etiam præcepisse juxta formalia antiquissimi Patris S. Damasceni Lib. 4. de fide cap. 20. *Non à Deo NB. ut agente, accipienda sunt, sed NB. ut permittente.* Quatenus nimirum Deus ob peccata, seu (ut vocat S. Augustinus) ob mala merita hominis non tollit, sed permittit illas occasiones, in quibus prævidet hominem talem libere esse lapsurum. Sic quando 3. Regum cap. 22. legitur, Deum immisisse spiritum mendacii in Prophetas. Item Ezech. cap. 14. decepisse Prophetam: hoc ipsum exemplum S. Augustinus de gratia, & libero arbitrio cap. 23. declarat modo sequenti: *Quando auditis dicentem Dominum: Ego Dominus seduxi Prophetam illum; & quod ait Apostolus: Cujus vult, miseretur, & quem vult, obdurat: in eo quem seduci, vel obdurari NB. permittit, mala ejus merita credite.*

168. Neque est insolitum in Sacra Scriptura tam ipsius peccati, quam occasionum permissionem exprimere verbo aliquo præseferente formam præcepti, vel consilii, uti Herincx 1. *sent. Disp.* 7. *Quæst.* 4. *num.* 35. *ac seqq.* optime notat. Nam Pharisæis dicentibus Marci cap. 10. v. 4. *Moyses NB. permisit scribere libellum repudii*, respondit Christus v. 5. *ad duritiam cordis vestri scripsit vobis NB. præceptum istud.* Item vice versa quando Matth. cap. 19. prior discursus de repudio v. 7. à Pharisæis repetebatur sapienti interrogatione: *Quid ergo Moyses NB. mandavit dare libellum repudii?* Christi responsio erat: *ad duritiam cordis vestri NB. permisit vobis dimittere uxores vestras.* v. 8. Si Deus 2. *Reg. cap.* 16. *v.* 10. dicitur præcepisse Semei, ut malediceret David, permittendo ex una parte amarum Semei animum erga David, & ex altera occursum ipsius David non impediendo, quem impedire quidem haud dubie potuisset, sed noluit, ad probandum David in patientia, quam ibi adeo exercuit, ut exemplum istud in toto mundo pro imitatione diligendi inimicos proponatur. Simili modo Deus concessit, seu permisit Satanæ, ut affligeret Job, eique plurima mala inferret; & Judæis, ac Gentilibus, ut crucifigerent Christum &c. Item legitur in Sacra Pagina Deum induratse cor Pharaonis, quatenus in poenam præcedentium delictorum extraordinaria gratiæ auxilia, qui-

bus

bus noverat cor Pharaonis emolliendum, subtraxit, variaque alia operatus fuit quoad Pharaonem, quibus ille (non obstante adhuc clementissima concessione gratiæ sufficientis) occasionem sumpsit indurandi semetipsum obstinata voluntatis malitia. Videatur de hoc utilissime noster P. Herincx Episcopus Iprensis, Loc. cit. & *Disp.* 8. *n.* 90.

169. Opponunt Calvinistæ contra dicta, præsertim contra responsionem primam, in qua negavimus, reprobationem positivam à Deo fieri ante prævisa peccata, opponunt (inquam) Calvinistæ, & in contrarium proponunt exemplum Esau, & Jacob; ubi utrobique non ex meritis, vel demeritis, sed ex ordinatione potius Divina fuit respective primogenitus à privilegiis primogenituræ exclusus, & alter assumptus, *ut secundum electionem propositum Dei maneret*: prout loquitur Paulus cap. 9. Rom. v. 11. qui pariter ibidem totam illam historiam ad prædestinationem, & reprobationem referre videtur sequentibus verbis: *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei; Quia major serviet minori, sicut scriptum est* (nempe Malachiæ cap. 1.) *Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud Deum? absit. Moysi enim dicit: miserebor cujus misereor, & misericordiam præstabo, cujus miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Ex quo textu tria ab ipsis eruuntur, §. quod Deus præordinet, ac vocet ad vitam æternam absque meritis. 2. Quod pariter præordinet ad pœnam absque demeritis, cum Apostolus utrobique pariformiter loquatur. 3. Quod exinde non sit iniquitas apud Deum, sicque nec Deo tamquam auctori peccatum imputandum. Ita illi.

170. Ad hanc oppositionem Respondetur *in primis*, posse adversariis negari totum suppositum, quod nimirum in allegato textu sermo instituatur de particulari cujuslibet prædestinatione ad gloriam, seu exclusione ab eadem; cum potius Doctor Gentium loqui videatur de præelectione Communitatis Christianorum præ Synagoga Judæorum ad constituendam in testamento novo veram Ecclesiam; etsi enim Synagoga repræsentata suo modo per Esau fuerit senior; hoc tamen non obstante communitas Christiana figurata per Jacob, erat præelecta, idque non ex operibus nostris, sed ex gratia miserentis Dei, relicta ceteroquin Judæis plenissima libertate transeundi à synagoga ad Communitatem Christianam, sicque veræ Ecclesiæ sese incorporandi. Videatur Cornelius à Lapide in hunc textum.

Respondetur *secundo*: Si etiam cum aliquibus Catholicis Theologis, prædestinationem ad gloriam ante prævisa merita defendentibus, admittatur, Divum Paulum ibidem loqui de prædestinatione, & reprobatione in ordine ad vitam æternam, posset adhuc congruenter explicari citatus textus, dicendo, Deum Electos præordinasse ad gloriam positive ante prævisa merita, & pro eo signo alios, respective loquendo, reprobasse *negative*, id est *pro eo signo non simul cum præcedentibus positive elegisse*; in quo (non in omnibus aliis) stat paritas inter Jacob, & Esau ex una, & inter prædestinatos, ac reprobatos ex altera parte: nimirum quod, uti quoad temporales benedictiones Deus ante ulla opera Jacob elegerit præ fratre suo Esau, ita quoad cœlestia quosdam præ aliis ante merita prævisa destinaverit ad vitam æternam, circa reliquos pro eo signo se habendo negative, & primum pro alio post prævisa eorum peccata ipsos reprobando positive. Nec hæc distinctio inter reprobationem positivam, & negativam est novum recentiorum Theologorum inventum; cum de reprobatione negativa Scholarum Principes Doctores Angelicus, & Subtilis jam fecerint mentionem, ex quibus apud Henno *Tract. de Deo uno. Disp.* 10. *Quæst.* 1. *Conclus.* 2. Divus Thomas Part. 1. Quæst. 23. Art. 3. ad 1. sic loquitur: *In quantum Deus quibusdam non vult bonum, quod est vita æterna, dicitur eos habere odio, vel reprobare.* Scotus 1. *Sent. D.* 41. *Quæst. unica.* §. *contra istud*, postquam interrogavit, quid Deus velit Judæ in eo instanti, quo vult Petro Beatitudinem? sibimet ipsi respondet: *Dici potest, quod in isto primo instanti NB. nihil vult Judæ, sed tantum ibi est negatio volitionis gloriæ.*

171. Quæres, quid sentiendum sit de recentioribus illis Calvinistis, qui, ut magis errorem suum, ac Deo summe injuriosam de reprobatione Doctrinam coram hominibus honestis pallient, distinctionem faciunt inter peccatum originale, & inter peccata personalia, dicendo, quod præordinatio positiva reproborum ad mortem æternam facta quidem fuerit à Deo ante prævisa eorum peccata personalia, & actualia; non autem ante prævisum peccatum originale? Priusquam respondeatur.

Notandum 1. quod hanc distinctionem excogitasse videatur synodus Calvinistica Dordrechtana; quæ teste nostro Patre Smising, *Tomo de Deo uno D.* 6. *num.* 692. causam primæ reprobationis statuit peccatum originale, cui, quantum ad præsens Calvinistæ ex Britannia, Gallia, ac Germania superiori, & inferiori subscripserunt. Ubi taliter discurrunt, nimirum quod Deus post prævisum Adæ peccatum, & corruptam inde totam massam generis humani quosdam ex massa damnationis gratuito ante ulla prævisa merita efficaciter elegerit ad vitam æternam, ut ostendat suam misericordiam; alios vero in massa æternæ damnationis positive propter peccatum originale relinquere voluerit, ad exhibendam justitiam vindicativam; subtrahendo ipsis gratias ad Legis implementum necessarias, atque nihilominus has transgressiones Legum ipsis imputando, & æternis pœnis subjiciendo.

Notandum 2. Quod pœnæ damnatorum communiter à Theologis dividantur in pœnam damni, & in pœnam sensus. Prior est privatio visionis, & fruitionis Dei in æternum: posterior autem diversa afflictio, & cruciatus potentiarum vitalium, puta per continuam alligationem localem, & intentionem ignis infernalis, vel ut loquitur D. Augustinus, per alios diversos, miros tamen modos. H. N.

172. Contra ista Calvinistarum persuasionem est præprimis eorum proprius Magister Calvinus, qui teste Sianda in Lexico Polemico *v. Calvinus*, *n.* 10. docuit expresse *Lib.* 3. *Institut. c.* 23. quod non solum peccata nostra personalia, verum etiam primum peccatum Adami à Deo decretum, & prædefinitum fuerit ante lapsum Adami, consequenter in principiis Calvini peccatum originale, ante præcedentem illam prædefinitionem necdum in mente Divina existens, non potuit Deo præbere causam generalem positive reprobos damnandi, & sic manent priora contra Calvinistas Catholica fundamenta in sua firmitate.

Contra est *secundo*; quod, etsi cum nostro P. Henno *Tract. de Deo uno Disp. X. Q.* 2. non abnuatur

nuatur potuisse Deum de absoluta sua potentia post prævisum peccatum originale quospiam in tantum relinquere in massa damnationis, in quantum potuit illos afficere pœna damni, nimirum positive nolendo hisce concedere ob peccatum originale Visionem beatificam: negatur tamen, misericordissimum Deum in moderno rerum Ordine taliter fecisse, utpote qui omnes vult salvos fieri, & post prævisum quoque peccatum originale ex hoc fine pro omnibus merita Passionis suæ applicavit, uti ejus sanctissima voluntas ex Scriptura 1. *Timoth. c.* 2. clare constat, juxta dicta n. 165. consequenter ipsum peccatum originale prævisum non fuit causa generalis omnino reprobos excludendi à vita æterna; cum Deus etiam post illud prævisum voluerit adhuc pro omnibus mori, 2. *Corinth. c.* 5. *v.* 18. vide dicta *n.* 165.

Contra est *tertio*: Multi sunt reprobi, quibus peccatum Originale per susceptum Baptismum tamquam per lavacrum regenerationis absolute remittitur: ergo hi non damnantur ob peccatum originale, adeoque neque ipsis damnatio æterna est decreta propter peccatum Originale. Quomodo enim est perceptibile, quod DEUS ab æterno decreverit omnibus in futurum recipientibus Baptismum (etsi isti non fuerint ex positive prædestinatis) remittere peccatum Originale; & tamen voluerit hos ipsos propter idem peccatum Originale per Baptismum delendum adhuc in æternum damnare?

Contra est *quarto*. Permisso etiam (numquam tamen concesso) quod peccatum Originale fuerit DEO generalis causa præordinandi quosdam ad pœnas æternas, saltem ad pœnam damni, repugnat tamen de novo sanctitati Divinæ, tales reprobos (forsan per Baptismum à peccato originali jam mundatos) impellere positive ad peccatum grave personale; prout tamen voluit Calvinus *Lib.* 2. *Institut. c.* 22. & *c.* 23. docens expresse *c.* 18. §. 1. DEUM præcepisse Judæis, ut Christum crucifigerent: ergo evasio Recentiorum Calvinistarum adhuc non subsistit. Videantur dicta superius *n.* 166. Poterit insuper de tota hac materia suo tempore utilissime legi noster P. Franciscus Bonal *integra parte II. Christiani hujus temporis*: Cujus auctoris præclarissimus Tractatus ob operis à R. P. Udalrico Dirrhamer S. J. è Gallico translatus inest idioma latinum.

§. XIII.

Propositiones damnatæ Calvini de Gratia efficaci, & libero arbitrio referuntur, & refutantur.

173. 1. Negat Calvinus, dari liberum arbitrium *Lib.* 2. *Institut. cap.* 3. § 7. & 11. quod tamen intelligit de libertate indifferentiæ, seu de libertate à necessitate: nam 2. si coactioni opponitur libertas, liberum arbitrium, id est, libertatem à coactione admittit *Lib.* 2. *de libero arbitrio contra Pighium*; & hinc 3. ait, liberum arbitrium non se habere mere passive, sed pariter active concurrere, ita tamen, ut influat solummodo tamquam instrumentum à DEO motum, quod aliud facere non potest, quam quod voluerit artifex. Ita eruitur ex *Lib.* 1. *Instit. cap* 7. §. 11. & ex *Lib.* 2. *cap.* 4. §. 5. 4. tenet *Lib.* 2. *Institut. cap.* 7. quod extra controversiam sit, impossibile esse Legis implementum: 5. Addit tamen, prædestinatos propter non adimpletam Legem, seu propter transgressionem Legis non mereri mortem æternam, non quasi tales transgressiones in se ipsis mortalia non essent, sed quia hisce à DEI misericordia non imputantur. 6. in *caput sextum Joannis* docet, hominem gratia efficaci motum non posse dissentire. Ita Calvinus cum suis, quorum omnia puncta ex se ipsis ruunt, si ostendatur, etiam post lapsum Adami hominem liberum arbitrium libertate indifferentiæ, seu libertate à necessitate habere; taliter nimirum, ut positis omnibus ad agendum requisitis, possit adhuc agere, vel non agere, facere malum, vel etiam, influente simul Gratia Divina (incitante, & cooperante, non tamen necessitante) præstare bonum. Igitur cum Catholicis

174. Respondetur: Homo etiam in statu naturæ lapsæ liberum habet arbitrium libertate indifferentiæ; tam in ordine ad bonum, quam in ordine ad malum modo superius declarato. Veritas hæc Catholica equidem jam superius contra Lutherum, §. *VI. n.* 65. *ac seqq. Art. XVIII.* & *XIX.* fuit probata; quia tamen Calvinus circa præsentem materiam nonnulla specialia immiscet; ideo hic singulariter iterum contra Calvinum probatur 1. ex Sacra Scriptura, *Deut. c.* 30. *v.* 19. ubi DEUS testes invocat cœlum & terram, quod Populo Israelitico ad eligendum proposuerit vitam & mortem, benedictionem, & maledictionem, suadens tamen, ut eligat vitam, ex quo sequens formatur probatio: Si datur libera electio, datur etiam libertas indifferentiæ; sed in ordine ad vitam, & mortem datur libera Electio, juxta textum citatum; ergo. Confirmatur: Datur libertas indifferentiæ ad malum, quo quis mortem incurrit: ergo etiam ad bonum, quo quis vitam acquirit. Consequentia tenet, quia Sacra Scriptura *loc. cit.* pariformiter loquitur de vita, ac morte: antecedens autem patet ex eo; quia alias si ad malum necessitor à DEO, DEUS potius esset auctor peccati, quam ego, uti ostensum jam est §. VI. Art. XIX. & §. præcedenti.

175. Probatur 2. ex SS. PP. qui communissime sentiunt, hominem etiam post lapsum libertatem indifferentiæ ad bonum, & malum retinuisse; pro quo testimonia clarissima, & quasi innumera recitat Bellarminus *Lib.* 4. *de gratia*, & *libero arbitrio. cap.* 9. ac *Lib.* 5. *cap.* 25. & *seqq.* prout etiam fatetur ipsemet Calvinus apud Herincx *part.* 2. *Theologiæ Scholasticæ Disp.* 2. *Quæst.* 1. *num.* 9. suæ in hoc puncto doctrinæ adversari SS. PP. tam Græcos, quam Latinos; atqui communis SS. PP. utique Sacram Scripturam melius intellexisse, & in interpretando securiorem Spiritus Sancti assistentiam quam Calvinus, habuisse, prudentissime præsumitur, præsertim si vita Calvini superius descripta simul legatur: ergo.

176. Nec dicant Calvinistæ, Calvino saltem favere S. Augustinum; nam contra est, quod etiam hic S. Pater expresse contrarius existat, dum *Lib. de duab. animab. cap.* 11. sic habet: *Peccatum est voluntas retinendi, vel consequendi, quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere*: ubi notetur, quod egerit ibi contra Manichæos, qui NB. libertatem indifferentiæ negantes duplex in homine principium, seu duplicem animam statuebant, unam bonam necessario bona, alteram malam, necessario mala operantem, quam doctrinam S. Pater rejicit: ergo. Reponunt Adversarii, Augustinum ibidem intelligi debere de Adamo adhuc ante lapsum in statu naturæ integræ existente, in quo statu libenter concedunt libertatem indifferentiæ. At denuo contra est, quod Manichæi, contra quos S. Augustinus ibi loquebatur, libertatem indifferentiæ

rentiæ ab homine vel maxime in statu naturæ lapsæ excluserint, consequenter etiam S. Augustinus contra Manichæos agens de statu naturæ lapsæ loqui censendus est. Unde finaliter contra Calvinistas tale formo argumentum: Si S. Augustinus voluisset homini in statu naturæ lapsæ denegare libertatem indifferentiæ, non efficaciter potuisset impugnare Manichæos, qui duas in homine animas, nempe bonam & malam adstruentes, pariter in statu naturæ lapsæ in eodem hanc libertatem indifferentiæ negarunt: adeoque ne sequatur, S. Patrem inefficaciter Manichæos impugnasse, admitti debet, quod Is in allegato textu, ac alibi voluerit, in homine, & quidem in statu naturæ lapsæ debere adhuc concedi aliquam libertatem indifferentiæ: neque quoad hoc punctum intendit improbare doctrinam Pelagianorum, sed ideo potius, quia addebant, liberum illud arbitrium operari meritorie absque adjutorio gratiæ. Verba ejusdem formalia Lib. 2. de Nupt. & concupisc. cap. 3. sic sonant: *Liberum in hominibus esse arbitrium &c. Utique dicimus*; *NB. non hinc estis Pelagiani. Liberum autem esse quenquam ad agendum bonum sine adjutorio DEI &c. Hoc vos dicitis, hinc NB. estis Pelagiani.*

177. Objicitur 1. ab Adversariis: S. Augustinus variis in locis expresse ait, per peccatum Adami periisse liberum arbitrium: ergo in statu naturæ lapsæ negat liberum arbitrium cum libertate indifferentiæ. Anteced. probatur: sic enim inquit in Enchirid. cap. 30. *Libero arbitrio male utens homo, & se perdidit, & ipsum &c. Cùm libero peccaretur arbitrio, victore peccato amissum est & liberum arbitrium.* Similiter epist. 107. ad Vitalem: *Liberum arbitrium ad diligendum* DEUM *primi peccati granditate perdidimus.* Item Lib. de perfect. Justit. cap. 4. *Victa vitio, in quod cecidit, voluntate, caruit libertate natura.* Non utique libertate à coactione: ergo libertate à necessitate, seu indifferentiæ. Ante declarationem horum, & similium D. Augustini textuum præsciendum est 1. quod strenuus ille Ecclesiæ Catholicæ Archistrategus non solum Manichæis libertatem indifferentiæ negantibus, verum etiam Pelagianis, omnia huic libertati, exclusa gratia, adscribentibus bellum indixerit. Si impugnat Manichæos, in modo loquendi videtur subinde favere Pelagianis, ac quasi omnia libertati humanæ attribuere; si certat contra Pelagianos, in modo loquendi, & nisi antecedentia, & subsequentia ad invicem connectantur, videtur subinde quasi integram ab homine in statu naturæ lapsæ cum Manichæis excludere libertatem indifferentiæ. Præsciendum est 2. quod homo in statu naturæ integræ, seu in statu innocentiæ habuerit liberum arbitrium, non qualecumque, sed quod simul erat facile, & ad bonum expeditum; cum pro eo tempore homo fuerit præditus justitia originali, quæ fuit donum supernaturale, præter gratiam sanctificantem includens quoque alia beneficia, per quæ homo reddebatur facilis in omni occasione ad bene operandum, & impediebatur rebellio carnis ad spiritum. H. N.

Respondeo, Sanctum Augustinum non intendisse propter lapsum Adami in similibus textibus liberum arbitrium absolute negare in homine, prout nimirum liberum arbitrium est potentia naturalis, positis omnibus ad agendum requisitis adhuc valens agere, vel non agere, sed potius voluit ibidem Augustinus excludere post lapsum Adami liberum arbitrium, quatenus antea tam facile expeditum ad operandum bonum, quod utique per peccatum originale fuit amissum, succedente loco ipsius fomite peccati, quo homo non quidem necessitatur, multum tamen ad peccandum allicitur. Videantur de hoc fusius Herincx *par. 2. Theolog. Scholast. Disp. 2. Q. 1. Num. 9. ac seqq. & Franciscus Bonal. Part. 2. Christiani hujus temporis c. 14. & 15.*

178. Objicitur 2. DEUS præscivit ab æterno omnia nostra Opera bona æque ac mala; sed quæ DEUS semel ab æterno præscivit, necessario in tempore sic eveniunt, cum scientia DEI sit infallibilis: ergo omnia nostra opera bona, & mala necessario eveniunt, sicque non habemus libertatem indifferentiæ ad eadem facienda, vel non facienda.

Respondeo *in primis*, retorquendo argumentum quoad opera Adami, & Evæ elicita ante peccatum, in quo statu juxta Calvinistas homo adhuc habuit libertatem indifferentiæ, licet DEUS ab æterno etiam illa opera, & eos actus præsciverit, quos primi parentes nostri ante peccatum elicuerunt.

Respondeo *secundo* disting. min. Omnia à Deo præscita necessario eveniunt necessitate consequente, Con. necessitate anteced. neg. min. & sub simili distinctione conceditur & negatur consequentia. Etenim quæ DEUS ab æterno præscivit, equidem in tempore *infallibiliter* sic existent, non tamen necessario necessitate antecedente aliquam determinationem liberi arbitrii; nam præscientia DEI non ponit opus futurum creaturæ, sed potius præsupponit illud, concurrente simul ante scientiam visionis aliquo Decreto ex parte DEI, juxta diversitatem scholarum, vel prædeterminante, vel condeterminante, vel permittente saltem creaturis liberis motus suos agere. De hoc fusius in Theologia speculativa, ac pulcherrime desuper discurrit noster Franciscus Bonal. *part. 2. c. 8. 9. & 10.*

179. Objicitur 3. Saltem prædestinati ad gloriam æternam non libere operantur in ordine ad bonum, & malum: ergo non datur absolute in homine liberum arbitrium ad bonum, & malum. Probatur anteced. Prædestinatis ad vitam æternam datur gratia finalis efficax, qua infallibiliter operabuntur bene: ergo isti non libere, seu cum libertate indifferentiæ operantur in ordine ad bonum, & malum. Respondeo neg. anteced. ad ejus probationem disting. anteced. Prædestinatis datur gratia efficax, qua infallibiliter bene operantur in tantum, in quantum à DEO ponuntur in his circumstantiis, in quibus prævidentur certo finaliter cooperaturi libere gratiæ Divinæ, con. anteced. quasi per gratiam Divinam efficacem, ad bene operandum necessitarentur, & ita prævenirentur, ut non haberent libertatem proximam, seu indifferentiæ ad bene operandum: neg. anteced. & sub data distinctione nego pariter consequentiam. Cur autem DEUS non omnes, sed tantum aliquos hac singulari afficiat gratia efficaci? hoc *non volentis, neque currentis, sed miserentis est DEI* ad Rom. cap. 9. ubi cum Divo Augustino in caput undecimum Apostoli ad Romanos exclamare necesse est: *O altitudo divitiarum Sapientiæ, & scientiæ DEI, quam incomprehensibilia sunt judicia Ejus!* Interea DEUS nec reliquos negligit, sed saltem gratiam sufficientem tribuit, qua pariter facile salvari possent, dummodo cooperari vellent. *Vocavi, & renuistis* (inquit Largitor omnium gratiarum DEUS, Proverb. cap. 1.) *extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret.*

180. Non equidem me latet, quod Calvinus *Lib. 2. Instit. c.* 3. §. 10. omnem gratiam sufficien-

tem apud Herincx hic absolute neget, solam pro prædestinatis gratiam efficacem admittens; ubi quoad infelicissimos residuos sentit, eosdem à Deo ad ostendendam suam Omnipotentiam, & supremum in creaturas Dominium fuisse relictos in massa æternæ damnationis, subtrahendo ipsis omnia supernaturalia auxilia, utpote propter factam eorum præordinationem ad pœnam æternam, non habitura finaliter suum effectum. Sed contra est 1. quod DEUS omnes velit salvos fieri, 1. *Timoth. c.* 2. hincque pro omnibus sit passus 2. *Corinth. c.* 5. ergo etiam omnibus providit de gratiis supernaturalibus ad consequendam salutem necessariis; nam qui vult finem, etiam vult media ad consequendum finem necessaria. Contra est 2. quod Stephanus *Act.* 7. *v.* 51. increpet Judæos tamquam homines incircumcisos corde, ac semper resistentes Spiritui Sancto. Quomodo autem increpari potuissent, quod quasi semper Spiritui Sancto resistant, si nullum S. Spiritus instinctum intrinsecus advertissent? Quomodo appellari potuissent homines *incircumcisis cordibus* si cor eorum pullos sensisset ad bonum amplectendum internos stimulos? *Subsumitur*: atqui hi ipsi interni stimuli proveniunt à Gratia Divina, non quidem semper efficaci: alias enim huic libere correspondissent: ergo saltem à sufficiente. Videatur desuper Herincx *Part.* 2. *Tract.* 4. *Disput.* 1. *Quæst.* 3. *num.* 17. & audiatur Divus Augustinus *Lib.* 2. *de peccat. merit. c.* 17. ubi ait: *Cum voluntate, NB. gratia adjuvante Divina, sine peccato in hac vita possit homo esse, cur non sit, possem facillime, ac veracissime respondere; quia homines nolunt.* Quid clarius pro gratia sufficienti.

§. XIV.

De reali Præsentia Corporis Christi in Eucharistia.

181. Inter illos, qui equidem Christum in terris verum DEUM, & hominem ex una parte confitebantur; negabant autem ex altera, sub Eucharistia eumdem vere, ac realiter contineri, primus, qui publice id asserere ausus fuit, communiter scribitur fuisse circa annum Christi 1050. Berengarius, exinde pariter Sacramentariorum Parens appellatus. Quamvis non desint alii, qui hunc errorem præcedenter jam aliis, præsertim alicui Joanni Scoto (non quidem nostro *Joanni Duns Scoto*, utpote realis existentiæ Corporis Christi in Eucharistia acerrimo propugnatori, ac primum ultra ducentos annos post Berengarium nato, sed longe alteri, nimirum *Joanni Scoto Erigenæ*) adscripserunt, ex cujus Libro, ad tempora usque Berengarii delitescente, demum ipsemet Berengarius, Patria Turonensis Gallus, suum deprompsit venenum, & Andegavi, ubi erat Archidiaconus, ubique diffudit. Liber ille memorati Joannis Scoti tempore Berengarii factus famosior, in Concilio Vercellensi productus, atque examinatus æque, ac pestifera Beringarii Doctrina, fuit condemnatus, ac demum Berengarius, Divino afflante Numine hæresin abjuravit, & Turonem reversus, in insula, quæ dicitur S. Cosmæ, per octo annos pœnitentiis corpus suum castigans, & in servitutem redigens, anno 1088. teste Sianda V. *Berengarius*, in bona opinione decessit: impedire tamen non potuit hæreticæ hujus doctrinæ sectatores Albigenses, Wicleffistas, Zwinglianos, & Calvinistas &c. Contra hos itaque,

182. Respondetur: Sub Eucharistia non tantum figurative, & per modum signi, sed vere; ac realiter continetur Corpus, & Sanguis Christi. Probatur I. Christus, quando in ultima Cœna porrexit Apostolis species panis, subjunxit Matth. cap. 26. & Luc. cap. 22. *Hoc est Corpus meum*, & non: *hoc figurat Corpus meum*, ergo sub speciebus panis vere continetur corpus Christi, & non tantum figurative uti volunt Calvinistæ: nam debemus Verba sacræ Scripturæ in sensu proprio accipere, quando citra aliquod absurdum sic sumere possumus; alias aperiretur porta Hæreticis, etiam ab antiquissima Ecclesia jam reprobatis, suos circa diversa Mysteria SS. Trinitatis, Incarnationis &c. renovandi errores. Confirmatur 1. Christus in ultima Cœna porrexit Apostolis illud corpus, quod postea fuit traditum ad crucifigendum, item distribuit illum sanguinem, qui fuit in Sacratissima Passione effusus; atqui Corpus Christi traditum, & sanguis fuerunt verum Corpus & sanguis realiter, uti est de fide, neque negant Calvinistæ: ergo pariter fuit verum Corpus, & Sanguis in ultima Cœna. Major probatur; quia Christus teste D. Paulo 1. Corinth. cap. 11. v. 24. dum Apostolis in ultima Cœna ante suam Passionem porrexit corpus suum, hæc verba subjunxit: *Hoc est Corpus meum, NB. quod pro vobis tradetur*; & quando dedit sanguinem suum Matth. cap. 26. v. 28. *Hic est Sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Confirmatur 2. Christus Apostolis in ultima Cœna & nobis in novo Testamento utique plus voluit dare, quam Israëlitis in Testamento antiquo; cum præcedentia fuerint præcise umbra futurorum: sed in figura Christum obtinuerunt etiam Israëlitæ sub Agno Paschali, & sub Manna cœlesti in deserto &c. Ergo Apostoli, & nos defacto non obtinemus amplius præcise in figura, ac signo, sicque realiter.

183. Probatur II. Ex praxi antiquissimæ Ecclesiæ; Etenim Ecclesia ante Berengarium, aut saltem ante memoratum Joannem Scotum Erigenam indubitate in ea perstitit sententia, nimirum Corpus Christi realiter existere in Eucharistia; hincque sacram Hostiam in Liturgiis, seu Missis post peractam consecrationem adorare numquam dubitavit: *Nemo illam Carnem manducat* (loquitur de suo tempore S. Augustinus in Psalm. 98.) *nisi prius adoraverit.* Est autem incredibile, quod Christus Ecclesiam suam sponsam dilectissimam etiam primis sæculis in tam gravi Idololatriæ errore reliquisset, si corpus Christi à parte rei non foret realiter præsens in Eucharistia. Scio quidem, quod Claudius non adeo pridem Sacramentariorum Minister in Gallia effutire non erubuerit, primum circa annum 820. Paschasium Monachum Corbejensem in suo libro de Corpore, & Sanguine Christi introduxisse realitatem Corporis Christi in Eucharistia, antea in Ecclesia inauditam. Sed falsissimum hoc esse patet ex ipsis verbis dicti Paschasii, qui Lib. 12. in Matthæum apud nostrum Franciscum Henno *Tract. de Eucharistia, Quæst. proœmiali Art.* 3. *conclus.* 3. sic loquitur: *Miror, quod velint NB. nunc quidam dicere, non in re esse veritatem Carnis Christi, vel Sanguinis, sed in Sacramento virtutem Carnis, non carnem, virtutem sanguinis, & non sanguinem, figuram, & non veritatem, umbram, & non corpus.* En! Paschasius miratur, *NB. nunc* (id est suo tempore) NB. *esse quosdam*, qui velint negare existentiam Corporis Christi in Eucharistia: qua veritate ergo asseritur, præfatum Monachum primum introduxisse hanc sententiam de existentia reali Corporis Christi in Eucharistia? qua prudentia

ria credi potest, totam Ecclesiam illico absque aliqua decisione Pontificia, vel Concilii decreto unius Monachi opinioni acquievisse, si Eadem cum SS. PP. integris octo sæculis anteà contrariæ fuisset sententiæ? Interim ex verbis formalibus dicti Monachi Paschasii colligo, quod vel Joannes Scotus Erigena jam vixerit ad initium sæculi noni, id est circa annum 820. fueritque *inter illos aliquos*, qui negarunt existentiam realem Corporis Christi in Eucharistia, vel quod eumdem exiguo temporis spatio nonnulli minus celebres præcesserint in pestifera illa doctrina Calvinistica, quæ primum publice famosa fieri cæpit tempore Berengarii.

184. Probatur III. Ex antiquissimis Conciliis & SS. PP. Sic enim Nicænum I. *Lib. 3. Cap. de sacra mensa*, ait: *Intelligamus, situm in illa sacra mensa Agnum illum Dei, tollentem peccata mundi, incruenter à Sacerdotibus immolatum, & pretiosum Ejus Corpus & Sanguinem NB. vere sumentes credamus, hæc esse nostræ Redemptionis symbola.* Nicænum II. *actione 6.* postquam fuse ostendit, nullum Apostolorum, aut illustrium Patrum vocasse Eucharistiam *imaginem*, seu (quod idem est) *figuram* Corporis Christi, tandem ita concludit: *Dixit* (supple Christus) *accipite, edite, hoc est corpus meum &c. Non autem dixit: sumite, edite imaginem corporis mei. Cum Christus ipse sic affirmet* (inquit *S. Cyrillus Catechesi 4. Mystagogiæ*) *atque dicat de Pane: hoc est corpus meum, quis deinceps audebit ambigere?* Similiter S. Damascenus Lib. 4. Orthod. fidei cap. 14. *Nec panis, & vinum corporis Christi figura sunt (absit enim hoc) verum ipsummet Domini corpus Divinitate affectum.* S. Chrysostomus loquens de Calice Domini in Epistola 1. caput 10. Apostoli ad Corinthios quærit: *Quid est in Calice?* & sibimet Ipsi respondet: *Quod ex latere Christi fluxit.* S. Augustinus Prologo in Psalmum 33. tamquam aliquod miratione dignum proponit, quod Christus in ultima Coena corpus suum in manibus suis portaverit; ubi utique mirandum non fuisset, si ibi extitisset tantummodo Christi Corpus figurative tale; nam statuam, seu imaginem se repræsentantem quilibet portare potest. S. Hilarius Lib. 8. de Trinitate: *Carnis, & Sanguinis non est relictus ambigendi locus; nunc enim & ipsius Domini professione,* & fide nostra *NB. vere caro, & vere sanguis est.* Notetur hic denuo superius jam citata Confessio Calvinistarum Gallica apud Pichler de Conciliis num. 10. taliter ponens 6. symboli sui Articulum: *Admittimus, quod determinatum fuit per antiqua Concilia, & detestamur omnes Sectas, & hæreses, quæ rejectæ fuerunt per Sanctos Doctores, ut per NB. Sanctum Hilarium, Sanctum Athanasium, Sanctum Ambrosium, NB. Sanctum Cyrillum.*

185. Objicitur I. Christus in sacra Scriptura dicitur etiam *Agnus*, *Leo de tribu Juda*, *Vitis vera*, *Panis de Cœlo descendens* &c. & tamen similia prædicata sumuntur tantum improprie, utpote quæ Christo competunt solummodo tropice, & sub aliqua figura: ergo etiam à pari ex eo, quod Christus in ultima Coena dixerit: *Hoc est Corpus meum*, non sequitur, fuisse sub pane verum corpus reale Christi, sed tantum improprie, & per modum signi rememorativi, atque figurative tale. Respondetur distinguendo Anteced. quoad secundum membrum: Similia prædicata *Leo*, *Vitis*, *Agnus*, *Panis* (supple materialis) &c. &c. sumuntur tantum improprie, & hoc ideo, quia aliunde ex S. Scriptura, & fide noscitur, quod Christus non sit realiter *Leo*, *panis materialis*, vel *vitis* &c. sed potius verus Homo, Conced. secus negatur Anteced. & similiter distinguitur consequens: ex eo, quod Christus dixerit, *hoc est corpus meum*, non sequitur sub speciebus panis existere corpus reale Christi, si aliunde ex S. Scriptura, vel ex fide &c. sciretur contrarium; nimirum non contineri sub speciebus panis corpus Christi, conced. consequentia. Debemus enim juxta dicta in prima probatione verba sacræ Scripturæ tamdiu in sensu proprio sumere, quamdiu aliunde nos non cogit necessitas detorquendi in sensum improprium, qualis necessitas in præsenti non adest; cum ex una parte non possit ostendi implicantia replicationis ejusdem corporis juxta dicta in Philosophia; ex altera vero pro reali existentia Christi in Eucharistia stent textus Sacræ Scripturæ, plurima Concilia, SS. Patres veteres, & praxis antiquæ Ecclesiæ. Scio equidem, quod aliqui ex SS. PP. antiquis Sacramentum Eucharistiæ nominent *Symbolum*, seu *Signum*, &c. ubi tamen, ne sibi contradicant, non de Symbolo, seu signo speculativo, sed de signo practico, in quo ipsum signatum, nempe Christus realiter continetur, sunt intelligendi. Insuper potest sacra Eucharistia dici symbolum &c. quatenus est memoriale passionis, & mortis Domini nostri JESU Christi. Ex quo prorsus nil contra nos sequitur.

186. Objicitur II. Si caro Christi esset in Eucharistia realiter, tunc haberet aliquem specialem effectum utilitatis, ad quid enim alias ibidem cum tanto miraculo poneretur? atqui nullum habet effectum utilitas, nam *spiritus est, qui vivificat* (quando nempe panis iste figurativus spiritualiter fide manducatur) *caro non prodest quidquam*, teste ipsomet Christo Joan. cap. 6. v. 64. ergo. Respondeo neg. min. etenim specialem hujus sanctissimæ carnis manducatæ utilitatem Christus ipsemet loco proxime citato indicat, dum v. 55. ait: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam.* Quod autem eodem capite v. 64. subjungat, *caro non prodest quidquam*, intelligendum id est de carne Christi sumpta absque spiritu, & absque fide: item de carne manducata sub specie visibili, & modo carnali, puta concisa dentibus &c. non autem de carne Christi sub speciebus panis modo spirituali, seu definitive, & compenetratis ubique ad invicem partibus existente, & tali modo sumpta. Videatur desuper fusius Cornelius à Lapide in citatum textum.

187. Objicitur III. Si Christus cum corpore, & anima, humanitate & Divinitate realiter existeret in Eucharistia; tum etiam post gloriosam ascensionem Christi in cœlos adhuc semper eumdem haberemus nobiscum in terris; sed post gloriosam ascensionem eumdem non semper habemus nobiscum in terris, teste Ipsomet Matth. cap. 26. v. 11. ibi, *Me autem non semper habetis*; ergo. Resp. Dist. Maj. haberemus nobiscum adhuc Christum modo visibili, & circumscriptive in terris existentem neg. Maj. modo invisibili, ac definitive Conced. Maj. & similiter distincta minori, negatur consequentia. Quod autem Christus semper nobiscum sit modo saltem invisibili, fatetur Is apud eumdem Matthæum c. ult. v. 20. *Ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.*

188. Objicitur IV. Ex concessione realis existentiæ Christi in Eucharistia sequerentur plurima inconvenientia, atqui ea in reverentiam Christi utique non possunt admitti: ergo. Sequela Majoris probatur; sequeretur enim 1. Christum per

os hominis descendere in stomachum sæpe variis spurciitiis adhuc repletum. 2. Exinde emitti in secessum. 3. Integrum Virum cum carne, & ossibus intra brevissimum temporis spatium deglutiri. 4. Posse eumdem projici in Cloacam, putrescendo abire in vermes, &c. quæ omnia sunt inconvenientia: ergo. Ad has objectas absurditates, quasi ex admissione realis existentiæ Christi in Eucharistia sequerentur, terminis modestis, fundate tamen respondet Pichler hic, negando absurdum esse id, quod Christus ipsemet juxta probationes jam in responsione allegatas fieri voluit, cupiens ex summo erga nos amore intime nobiscum uniri. Neutiquam à nostra abhorret vilitate, qui pro nobis quasi malefactor duos inter latrones voluit crucifigi; nec à nostro nauseat stomacho &c. cum Ipse nil amplius pati queat in Eucharistia, partim quia corpus ejusdem jam est gloriosum in cœlis: partim quia compenetratis in ordine ad locum ad invicem inter se partibus modo quasi spirituali (uti loquuntur Theologi) in Eucharistia, imò etiam in minima particula existit, & consequenter facile deglutiri potest. Porro qui indigne tractant Corpus Christi, peccant quidem gravissime, à parte rei tamen Corpori ejusdem glorioso nullum realem dolorem causant. Si in Cloacam, vel alium immundum locum deveniat, tam parum fœdatur Christus, quam parum polluitur Deus qua talis ubique, & consequenter etiam in fœdissimis locis existens, aut radius solaris cloacam pertransiens. Nec Christus computrescit, aut in vermes abit. Similia enim non amplius Christum, in cœlis jam gloriosum, afficiunt, sed dumtaxat species Eucharisticas, ubi Deus in defectum substantiæ panis, stante simili specierum corruptione aliam substituit. Plura videre poteris apud P. Henno. Tract. de Eucharistia, fusius in Quæstione Procemiali desuper tractantem.

§. XV.

APPENDIX,

Continens modum disputandi cum Protestantibus Romani Imperii, puta cum Lutheranis, & Calvinistis; ubi etiam succincta, solida tamen pro veritate Catholica contra Protestantes inseruntur Principia.

189. Quær. I. An, & quomodo consulatur disputatio cum Protestantibus? Respond. 1. publicam & solemnem cum ipsis disputationem instituere in Romano Imperio absque speciali licentia legitimorum tam in Ecclesiasticis, quam politicis Superiorum non licet. Ratio est; quia posset exinde oriri in fide prostitutio, & magna quoad quietem publicam perturbatio, adeoque necesse est, prius ad utrosque recurrere Superiores. Resp. 2. Equidem in Jure Canonico etiam privata disputatio cum Hæreticis absque Superiorum facultate instituenda prohibetur, Clericis quidem *Can. cum quibus* 24. *Q.* 3. Laicis autem *cap. quicumque* 2. *de Hæreticis in* 6. In Germania autem, ubi Protestantes sunt tolerati, Decreta ista non sunt recepta, vel saltem quoad hoc punctum usu contrario abrogata; cum passim videamus similes Disputationes institui, etiam à timoratis, absque scrupulo, & anxietate. Optandum tamen, ut semper debitæ adhibeantur cautelæ. Respond. 3. Si Hæretici sunt materiales, ac tales, respectu quorum prudens affulget spes conversionis, salubriter (præcedente Divinæ gratiæ Invocatione) cum ipsis ex sancto, non vano fine instituitur disputatio; amicabilis tamen, & si fieri potest, remotis aliis, ob quorum præsentiam fortassis alias, ne coram illis confundantur, pressius suæ doctrinæ adhærerent. Ratio eruitur ex principiis Christianæ Charitatis. Respond. 4. Si apud Hæreticos præcise materiales non appareat prudens spes conversionis, consultius disputatio cum ipsis intermittitur. Ratio est; quia in tali casu nil boni, illud autem mali evenire posset, ut ex materiali fieret Hæreticus formalis, sicque formaliter delinqueret, qui antea tantum materialiter peccavit. In hoc prudenter ages, si talem materialem Hæreticum in discursu familiari suaviter disponas ad eliciendam sæpius de suis peccatis perfectam contritionem: ita enim si forsan peccatorum quoque carnis, vel aliorum gravium præter defectum fidei reus esset, adhuc salvari posset. Resp. 5. Si Hæreticus fuerit formalis, effrons, & pertinax, obsequendum est consilio D. Pauli ad Titum c. 3. v. 9. *Hæreticum post unam, & secundam correptionem devita.* Non enim foret spes alicujus fructus nisi alii forsan præsentes utilitatem exinde caperent, vel nonnulli ex intermissione Disputationis hujusce inciperent in fide vacillare. Supponitur autem hic, te alias capacem, & sufficienter pro simili certamine esse instructum.

190. Quær. II. An consultius sit in tali disputatione se habere potius defensive, quam aggressive? Resp. ordinarie loquendo melius, ac consultius aget, qui in tali certamine se potius defensive, quam aggressive gerit, rejiciendo onus probandi in Protestantes. Cum enim hi dicant, nostram Ecclesiam primis sæculis veram successu temporis defecisse, factamque esse meretricem illam Babylonicam, de qua in Apocalypsi, ipsis incumbit, assertum suum probare, nobisque in possessione existentibus ex Sacra Scriptura defectum hunc, & errores contra fidem ostendere.

191. Quær III. Quomodo se gerere debeat Catholicus ille, qui in disputatione cum Protestante se habet defensive? Resp. *in primis* ex Protestante interroget, ex quibus Principiis probet, nostram Ecclesiam defecisse, & in errores contra fidem prolapsam esse. Illico respondebit ille: *ex Scriptura*; nam ad hanc Protestantes refugiunt, accumulantes, ac etiam capillis (uti dicitur) ad suum intentum attrahentes Sacræ Scripturæ textus. Sed ulterius quærendo urgeat Catholicus, cum ex terminis, & de fide per se notum non sit, quod Codex ille, quem Sacram Scripturam aiunt, sit verbum Dei, quomodo id contra Judæos, qui Thalmud, & contra Mahometanos, qui Alcoranum credunt potius esse Verbum Divinum, efficaciter suum intentum probare queant? Experieris, quod jam hallucinentur Protestantes, coacti ad traditiones quas alias negant, refugere, & ad alias notas Ecclesiæ Christianæ, quæ eamdem præ aliis tamquam veram distinguunt. Ulterius concesso contra Christiani Nominis hostes Sacro Codice tamquam Verbo Divino, indaget: *secundo*, quoniam ante disputationem cognosci debet, quinam Libri Scripturæ sint Canonici, undenam sciant Protestantes, quod potius Eorum Canon, seu Catalogus librorum, quam noster, contineat Verbum Divinum, cum tamen Catalogum nostrum Concilium Tridentinum desumpserit ex Florentino: Florentinum à Romano, celebrato sub Gelasio I. Pontifice; Gelasius ab Augustino: Augustinus à Concilio Carthaginensi: Concilium Carthaginense ab Innocentio I. Papa in

in Epistola ad Exuperium, qui Innocentius vixit circa annum Christi *quadringentesimum secundum*, adeoque primis respective quatuor sæculis? Sane ex ipsa Scriptura Protestantes in æternum non probabunt legitimos Libros Canonicos sacræ Scripturæ; itaque refugere necesse erit ad Auctoritatem Ecclesiæ nobis hunc Canonem proponentis. Cur autem præ Ecclesia Catholica in hoc puncto deberet respici Ecclesia Protestantium?

Instet *tertiò*, cum intra ipsum Corpus Religionis Christianæ exortæ sint variæ hæreses, ubi quælibet in suum favorem adducit textus sacræ Scripturæ, Cuinam competat Auctoritas authentice suos textus interpretandi? Nec Calvinus Luthero, nec inter Lutheranos rigidi moderatis, nec inter Calvinistas Remonstrantes, ac Sociniani Gomoristis in allegandis sacri Codicis textibus, atque apparentibus rationibus ullatenus cedent, nisi admittatur Caput supremum aliquod visibile, sine, vel saltem cum Ecclesia hæc dubia decidens. Cur ergo excludunt Summum Pontificem quasi Anti-Christum? Profecto in æternum Protestantes ex ipsa Scriptura non poterunt demonstrare Catholicis, solam fidem justificare, seu salvare, cum Hi illico alios copiosos opponent sacræ Scripturæ, & antiquorum Sanctorum Patrum textus, qui similiter Charitati aliisque bonis operibus remissionem peccatorum, & æternam salutem attribuunt. Quorsum ergo pro resolutione recurrendum, nisi ad supremam Cathedram, à qua sese Protestantes sine sufficienti causa separarunt?

192. Quær. IV. Quid observare debeat Catholicus, qui cum Protestantibus disputat aggressive? Respond. talis non facile debet descendere ad materias particulares E. G. de Confessione auriculari, de Communione sub una specie, de reali præsentia Christi in Eucharistia &c. vel de transubstantiatione &c. Itaque suadetur, ut potius regulariter loquendo, & nisi circumstantiæ aliud exigant, maneat in principiis generalibus; nimirum quod vera Ecclesia in fide non possit errare; Item quod nostra sit vera Ecclesia, & quod aliæ Religiones non habeant notas veræ Ecclesiæ &c. &c. nam ex his principiis generalibus possunt probari singuli articuli Catholicorum. E. G. sit disceptatio, utrum præter fidem bona opera sint necessaria ad justificationem, & salutem æternam, ut probetur sententia affirmativa, sequens argumentum formari, & ad quemlibet articulum fidei nostræ in *minori* applicari posset taliter proponendo:

Omnia illa, quæ vera Ecclesia Christi docet requiri ad justificationem, & salutem, sunt necessaria ad eamdem;
Sed vera Ecclesia Christi docet, requiri præter fidem bona opera ad justificationem, & salutem.
Ergo præter fidem bona opera sunt necessaria ad eamdem.

Major patet.

Quia juxta Sacram Scripturam vera Ecclesia est *columma Veritatis, posita supra Petram*, adversus quam Portæ inferi non prævalebunt; consequenter in iis, quæ concernunt fidem, seu quæ nostram concernunt justificationem, & salutem nequit errare, & falsum docere. Et plane alias Fideles in vera Ecclesia numquam quiete vivere possent, utrum non in præscriptis ad Salutem consequendam ab Ecclesia Regulis decipiantur, & inducantur.

Minor probatur.

Ecclesia Catholica Romana docet, præter fidem requiri bona opera ad justificationem & salutem;
Sed hæc est vera Christi Ecclesia, uti ex notis veræ Ecclesiæ mox ostendetur: ergo.

193. Quær. Itaque V. Quænam sint illæ Notæ veræ Ecclesiæ? & quomodo probetur, easdem habere Ecclesiam Catholicam? Ante responsiones præsciendum 1. Notam esse *signum, quod ducit, vel ducere potest in cognitionem alterius*; ex quo eruitur, quod Nota debeat respectu nostrum esse notior, quam id, cujus est nota, seu signum. Præsciendum 2. Gratis Acatholicis concedi, apud veram Ecclesiam existere purum Verbum DEI, & legitimam Sacramentorum administrationem, utrum autem his competat definitio Notæ superius descriptæ, quæstio est, ad quam

Respond. I. Notæ veræ Ecclesiæ non bene à Protestantibus assignantur pura, & inconcussa prædicatio Evangelii, atque legitima administratio Sacramentorum. Ratio est, quia quælibet secta ex Religione Christiana hæc duo sibi attribuit; ergo debet primum per aliquod notius ostendi, quænam ex his, utrum Calvinistica, vel Lutherana, aut Religio Catholica prædicet purum Verbum Divinum; & legitime administret Sacramenta. Confirmatur; ut prædicetur purum Verbum Divinum, debet illud prædicari juxta legitimam interpretationem textuum: ergo iterum debet primum ex alio constare, quisnam illos legitime interpretetur; nam æque Calvinistæ, ac Lutherani, Zwingliani, Ariani, & Sociniani &c. &c. sibi legitimam interpretationem sacræ Scripturæ attribuunt.

Respond. II. Notæ veræ Ecclesiæ sunt præcipue quatuor. 1. ut sit *Una*, 2. *Sancta*, 3. *Catholica*, & 4. *Apostolica*. Ita memorata prædicata Ecclesiæ veræ appropriat partim Symbolum Apostolorum, partim Nicænum, quod utrumque admittunt Protestantes. Accedit, Confessionem Augustanam Art. 7. ipsammet fateri, quod *una sancta Ecclesia perpetuo mansura sit*: consequenter admittunt, veram Ecclesiam debere esse *unam, sanctam*, (& cum perpetuo mansura sit) *Apostolicam*, quam etiam Art. 21. vocant *Catholicam*. Videatur Reiffenstuel *Tract*. 4. *Theologiæ Moral. Dist*. 3. *Quæst*. 2. *num*. 12.

194. Respond. III. Hæ quatuor Notæ competunt Ecclesiæ Romano-Catholicæ, prout patet succincta enumeratione. *In primis* enim est *una* unitate Fidei, nec aliud credunt in Indiis, quam in Europa, nec diversum in Asia, ac in Africa, ibidem existentes Romano-Catholici, utpote ubique habentes eumdem supremum Controversiarum Fidei Judicem. Lites inter Catholicos Theologos non concernunt punctum Fidei, ac insuper utraque Pars se submittit Ecclesiæ, si aliter, ac sentiunt, decidatur. *Secundo* est *sancta*, tum ob sanctitatem Doctrinæ magis coarctans, quam relaxans libertatem humanam, alias ob fomitem peccati ad mala pronissimam: Tum propter sanctissimos Viros in hac Ecclesia existentes, quales sunt Hieronymus, Ambrosius, Chrysostomus, & Augustinus, qui ultimus tanti eam, in qua vixit (id est nostram) æstimavit Ecclesiam, ut Lib. contra Epist. fundam. c. 5. dicere non dubitaverit; *Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret Auctoritas. Tertio* Ecclesia nostra est *Catholica*, seu per

totum terrarum orbem diffusa, prout in omnibus quatuor mundi partibus invenietur ubique prædicans Evangelium, etiam cum copiosa sæpius effusione sanguinis. Quære in locis, in quibus cum Protestantibus permixti vivimus, ubinam degant Catholici, vel quænam sit eorum Ecclesia, & illico tibi via monstrabitur ad nostram. *Quarto* Ecclesia nostra est *Apostolica*, seu à Christo, & Apostolis per continuam legitimam successionem derivata. Probatur: Ecclesia nostra primis sæculis fuit Apostolica, & de facto non potest ostendi, quod à Doctrina Christi, nobis per Apostolos communicata, successu temporis recesserit: ergo adhuc manet Apostolica. Anteced. quoad 1. partem admittitur ab ipsismet, in quantum scio, Adversariis. Et quæso, ad quam aliam Ecclesiam illo tempore pro audiendo puro Verbo Dei, & legitima administratione Sacramentorum debuisset recurri, nisi ad eam, in qua erat prima sedes Petri? Unde cognosci potuisset primis statim duobus sæculis, Ebionitas, Nicolaïtas, Montanistas, Gnosticos &c. Juste fuisse ab Ecclesia reprobatos, si Caput Ecclesiæ fuisset illegitimum, & spurium? Quoad secundam partem, quod successu temporis non defecerit nostra Ecclesia, probatur; quia nec potest assignari tempus hujus defectionis, in quo assignando mire inter se disconveniunt Protestantes; Neque locus, in quo illa vera Ecclesia ante Lutherum, & Calvinum post prima sæcula existerit, si nostra defecisset: Insuper argumenta contraria, quibus errores ostendere conantur, facile solvuntur. Quare finaliter Ecclesia Romano-Catholica inconcusse in sua manet possessione, & Protestantes unico constringuntur Syllogismo sequenti:

Congregatio illa, quæ est Una, Sancta, Catholica, & Apostolica, est vera Ecclesia;
Sed Congregatio Romano-Catholicorum est Una, Sancta, Catholica, & Apostolica:
Ergo Congregatio Romano-Catholicorum est vera Ecclesia.

195. Quæritur ultimo, An non possint pariter afferri succincta aliqua Principia, quibus efficaciter impugnatur Secta Protestantium? Respondeo, sequentes Syllogismos efficaciter impugnare Sectam Protestantium.

SYLLOGISMUS I.

Illa Ecclesia non est vera, quæ docet errores jam ab Ecclesia antiqua primis sæculis proscriptos;
Sed Ecclesia Protestantium docet errores primis sæculis jam proscriptos:
Ergo Ecclesia Protestantium non est vera.

Minor probatur.

Protestantes in primis docent, solam fidem conferre justificationem, & salutem, non autem ullatenus ipsa opera bona. Idem docuit Simon Magus anno Christi 40. testibus S. Irenæo *adversus hæreses* cap. 20. & Theodoreto *Lib. 1. hæret. fab.* Idem Aetiani, seu Eunomiani teste S. Damasceno *Lib. de Hæres.* quos damnavit Ecclesia circa annum Christi 360. teste S. Augustino *hæresi 54.* *Secundo* Protestantes rejiciunt cultum Religiosum, & invocationem Sanctorum. Idem docuit Faustus Manichæus teste S. Augustino, & Vigilantius teste S. Hyeronymo, aliique plures, propterea ab Ecclesia antiqua damnati, testibus Cedreno, ac Nicephoro apud Pichler in Appendice Art. 9. *Tertio* irrident suffragia pro defunctis, quod idem fecerunt Aeriani, referente Divo Augustino circa annum 340. apud Sianda V. Aeriani. Nota hic, quod Aetiani sint alii Hæretici, ac Aeriani.

SYLLOGISMUS II.

Illa Ecclesia non est vera, quæ non est Una;
Sed Ecclesia Protestantium non est Una:
Ergo Ecclesia Protestantium non est vera.

Major patet ex dictis superius, uti pariter minor, dum præcedentibus paragraphis jam indicavimus, quomodo Lutherani Calvinistas, & ex ipsis Lutheranis Ambsdorffienses Confessionistas &c. ex Calvinistis Remonstrantes Contra-Remonstrantes &c. &c. rejiciant, & gravissimorum errorum arguant. Convenerunt circa annum 1568. ex ordinatione Augusti Electoris Saxoniæ, & Joannis Guilielmi Ducis Saxoniæ duodecim Theologi Lutherani, sex Electorales, & totidem Ducales, ut finem imponerent periculosis inter se litibus circa justificationem, liberum arbitrium &c. & aliud actum non est, quam quod mutuis sese dicteriis laceraverint, vocando se adinvicem vel *Manichæos*, vel *Epicureos*, *falsarios*, *impios*, *errorum*, & *corruptelarum palliatores* &c. &c.

SYLLOGISMUS III.

Illa non est Ecclesia vera, quæ non exstitit tempore Christi, & Apostolorum, Sed Ecclesia Protestantium non exstitit tempore Christi, & Apostolorum:
Ergo Ecclesia Protestantium non est Ecclesia vera.

Major patet, quia Ecclesia vera debet esse Apostolica, & durare usque ad consummationem sæculi. Minor probata fuit antecedenter: Nam Lutherani, & Calvinistæ tempore Apostolorum nec quoad nomen, nec quoad doctrinam suam extiterunt. Vel ostendant nobis efficaciter ex Sacra Scriptura, quod Doctrina E. G. adscribens soli fidei justificationem jam fuerit Doctrina Christi, & Apostolorum &c. ergo.

SYLLOGISMUS IV.

Illa non est Ecclesia vera, quæ non est Ecclesia Sancta;
Sed Ecclesia Protestantium non est Ecclesia Sancta:
Ergo Ecclesia Protestantium non est Ecclesia vera.

Minor probatur.

Etenim Ecclesia Protestantium non est Sancta à suis Auctoribus Luthero, & Calvino, quorum vita ex authenticis Scriptoribus desumpta superius ad nauseam usque legi poterit: neque est sancta sanctitate Doctrinæ, qua Sacerdotibus uxores, Principibus bona Ecclesiastica multorum Episcopatuum, singulis comestionem carnis tempore jejunii concessit, tollendo Quadragesimam &c. Profecto non invenio sanctitatem in illa doctrina, quæ in uno die mille non curat fornicationes, dummodo conservetur fides in Christum. Ita docet Lutherus, de quo vide hoc capite n. 25. Fusius P. Pichler *part. 5. Theolog. Polemicæ. c. 1. & 2. per totum.*

O. A.

O. A. M. D. G.

CAPUT III.

Comprehendens

Propositiones damnatas Michaelis Baji, Cornelii Jansenii, & Paschasii Quesnelii, circa Liberum Arbitrium, Gratiam Divinam, & Charitatem, a potiori respicientes Theologiam Speculativam, & Dogmaticam.

ETsi Theologia speculativa in contemplatione rerum Divinarum, DEI nimirum Unius in Essentia, & Trini in personis, Verbi Divini incarnati &c. sese potissimum occupet; non tamen juxta modernam Scholasticorum methodum alias quoque à sua speculatione excludit materias, quin accuratius de iisdem E. G. *de gratia*, & *libero arbitrio*, *de meritis*, atque *peccatis* examen instituat. Quare cum præsentes Propositiones damnatæ circa proxime allegatas materias ex una parte versentur; ex altera vero Auctores ipsimet necdum ab Ecclesia (uti Lutherus, & Calvinus) tamquam formales hæretici declarentur, merito potius ad hoc tertium, quam ad secundum Caput reducuntur.

§. I.

Præmittuntur Notanda Generalia circa Propositiones damnatas Michaelis Baji, Cornelii Jansenii, & Paschasii Quesnelii, seu (ut vulgo scribi solet) Quesnellii.

1. Notandum I. Omnes tres in titulo paragraphi allegatos sese, ac Doctrinam suam Sanctæ Romanæ Catholicæ Ecclesiæ submisisse, ita tamen, ut Paschasius Quesnellius in sua à Papa ad futurum Generale Concilium appellatione ad mortem usque perstiterit, cujus fidei professio quatuor diebus ante obitum emissa sic sonat:

Ego infra scriptus Paschasius Quesnellius natus Parisiis, Presbyter Oratorii Galliæ, lecto decumbens, graviter infirmus, & fortassis brevi supremo Judici redditurus rationem omnium vitæ meæ actionum declaro, quod sequitur. Credo omnes veritates, quas JESUS Christus docuit Ecclesiam suam, cujus in sinu mori volo, & cum qua damno omnes errores, quos illa condemnaverit. Agnosco summum Pontificem Primum JESU Christi Vicarium, & Apostolicam sedem centrum unitatis. Declaro, quod nihil unquam intenderim dicere, nihil scribere, nec cogitare contrarium illi, quod sancta Ecclesia Catholica credit, aut docet: vel reverentiæ, quam humillimi Ecclesiæ Filii ejus decisionibus debent. Quod attinet ad meum librum Reflexionum Moralium in novum Testamentum, declaro, quod, dum eum componerem, nec minimam unquam cogitationem habuerim aliquid ibi ponendi, quod Ecclesiæ sensui esset oppositum, vel haberet connexionem cum perniciosis erroribus, aut perversis intentionibus, qui mihi imputati fuere tum Romæ, tum in Galliis, quosque toto corde detestor: sed quod sola intentio, quam habui eum componens, fuerit exhibere Ecclesiæ modicum quoddam obsequium instruendo fideles; quod perseveram in ea opinione, quod nihil docuerim in meo libro Reflexionum Moralium, nec in aliis scriptis meis, quod non sit summe conforme Ecclesiæ fidei. Casu quo tamen contra meam intentionem aliquid mihi excidisset, quod esset illi contrarium, id revoco, atque detestor, submittendo me insuper omnibus illis, quæ definiet Ecclesia circa scripta mea, meamque personam: quod renovem meas querelas, ac protestationes, quas feci contra injustitiam manifestam eorum, qui me condemnarunt, absque eo, quod me audissent, aut a me in meam defensionem scripta legissent; quod persistam in appellatione ad futurum Generale Concilium, quam interposui à Constitutione N. S. P. Papæ, quæ incipit his Verbis, Unigenitus Dei filius *& ab omnibus gravaminibus, de quibus justitiam mihi fieri ab Ecclesia petii: quod tandem detester omnem spiritum schismatis, & divisionis. Hi sunt sensus animi mei, quibus immori volo in communione, & unitate Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ. Actum Amstelodami in præsentia Protonotariorum Apostolicorum, & testium requisitorum 28. Novembr. anno* 1719.

2. Notandum II. Paschasium Quesnellium in hac fidei Professione longe audaciorem fuisse suis antecessoribus Bajo, & Jansenio. Etenim Michael Bajus, absque ullius appellationis ad aliquod Concilium interpositione anno 1580. 24. Martii ingenue fassus est, à Summis Pontificibus suarum *sententiarum damnationem, atque prohibitionem jure, meritoque, ac non nisi maturo judicio, & diligentissima discussione præmissis, factam, atque decretam esse*; ubi etiam in fine declarat, *se ab iis omnibus recedere, & damnationis a Sancta sede factæ acquiescere, neque posthac ullam earum docere, aut defendere velle*, prout totam confessionem verbotenus refert noster Herincx in appendice ad II. Sent. fol. 8. Item Cornelius Jansenius testamento, quod media ante obitum hora perfecisse scribitur, expresse hæc formalia inseruit: *Sentio quidem, difficulter aliquid mutari posse; si tamen Romana Sedes aliquid mutari velit, sum obediens filius illius Ecclesiæ, in qua semper vixi: usque ad hunc lectum mortis obediens sum. Ista mea postrema voluntas est.* Quin imo etiam jam antea in ipsomet suo libro *Augustinus* intitulato, se suaque omnia subjecit censuræ supremi Pastoris his verbis: *Quidquid ab ista Petri Cathedra, NB. ab isto universæ Ecclesiæ Capite, Moderatore, Pontifice præscriptum fuerit, hoc teneo: quidquid improbatum, improbo; damnatum, damno: anathematizatum, anathematizo.* Ubi econtra Paschasius Quesnellius, etsi quoad Doctrinam suam presse insistat vestigiis Baji, ac Jansenii, noluit tamen ex integro quoad revocationem antecessorum sequi exemplum, utpote renuens obedire Mandato Summi Pontificis Clementis XI. per famosam Bullam *Unigenitus* expresse indicato, contra quam Bullam ad futurum Concilium Generale (nescio quo tempore futurum) appellavit.

3. Notandum III. Hanc ipsam Quesnellii appellationem omnibus Hæreticis servire tanquam universale refugium: nam appellare ad futurum generale Concilium est appellare ad Judicem, qui nunc non existit, & probabilissime non existet toto tempore, quo Appellantes vitam suam ducunt; quoniam Generalia Concilia rarissime, & non nisi cum summis expensis, ac maximis difficultatibus celebrantur; hincque tales exinde haberent occasionem amplissimam intra tantum temporis spatium latissime suam ulterius extendendi pestiferam doctrinam. Videatur de hoc Dominicus Viva, in *Trut. Thes. damnat. Part.* 1. *Quæst. Prodroma. n.* 7. Accedit insuper, quod similibus Appellantibus, etiam congregato jam Concilio Generali, facile foret, illud quoque, si advertant sibi contrarium, novo

actu

actu eludere, quasi non esset legitimum, & liberum. Hoc refugio ad lucrandum tempus astute usus erat Martinus Lutherus, qui præprimis à Cardinali Cajetano ad Pontificem, exinde à Pontifice male informato ad melius informandum, ac demum à Pontifice ad futurum Concilium Generale appellavit; dumque advertit, neque hoc sibi fore favorabile, contra istud quoque excepit. Videsne fructum talis appellationis? Quare.

4. Notandum IV. Dictum appellationis principium nullatenus à Catholicis esse admittendum, ne alias Ecclesia longiori sæpius tempore quoad controversias gravissimas fidei maneat incerta, & dubia, indeque plurimæ in eadem oriantur confusiones, perturbationes, & schismata. Itaque vel absolute est tenendum, summum Pontificem in materia fidei, & morum etiam se solo esse infallibilem, dummodo loquatur ex Cathedra, prout nos istam sententiam in Quæstionibus prolegomenicis defendimus, vel saltem, si cum non paucis Theologis Gallis summo Pontificis absque consensu Ecclesiæ hæc infallibilitas denegetur, adstrui debet ob rationes proxime allegatas, sufficere Ecclesiæ consensum quoad membra potiora etiam extra actuale Concilium Generale: Sic enim jam ante primum Generale Concilium (nempe Nicænum I) damnatæ fuerunt hæreses Ebionitarum, Novatianorum, Sabellianorum &c. Item extra aliquod generale Concilium damnata fuit hæresis Pelagii teste Prospero in suo Chronico, nec non hæreses Priscilliani, Vigilantii, Joviniani, & aliorum, apud Bellarminum *Lib.* 4. *c.* 3. quæ omnes enarratæ hæreses possent adhuc reclamare, si ad legitimam damnationem requireretur necessario congregatum Generale Concilium. Imo, quod plus est, nec ipsum Generale Concilium habet hanc infallibilem Spiritus sancti assistentiam, nisi quatenus repræsentat totam Ecclesiam. Subsumitur: Atqui Ecclesia quoad membra potiora (paucissimis respective Episcopatibus exceptis) consensit in Bullam Clementis XI. *Unigenitus*: ergo debet eadem recipi, & Doctrina Paschasii Quesnellii ibidem rejecta à veris Catholicis reprobari. In compendio contra Quesnellianos formatur sequens Syllogismus:

Omnia, quæ summus Pontifex cum Ecclesia; in materia fidei, ac morum infallibilis, damnat, debent a veris Catholicis reprobari:

Sed summus Pontifex cum Ecclesia in materia fidei, & morum infallibilis, per Bullam, Unigenitus, *damnat* 101. *propositiones Paschasii Quesnellii:*

Ergo hæ centum & una propositiones debent à veris Catholicis reprobari.

5. Notandum V. Bajanistas, & Jansenistas, quorum Auctores summo Pontifici, etiam soli, si loquatur ex Cathedra, non ausi sunt denegare infallibilitatem, saltem in materia Juris, posse impugnari sequenti argumento:

Quæcumque Summus Pontifex loquens ex Cathedra damnat, debent a veris Catholicis censeri legitimè reprobatæ: Sed Summus Pontifex loquens ex Cathedra damnat septuaginta novem Propositiones Michaëlis Baji, & quinque Jansenii:

Ergo à veris Catholicis debent dictæ Propositiones censeri legitimè reprobatæ.

6. Non equidem me latet, quidnam ad hunc Syllogismum reponant Bajanistæ, & Jansenistæ: nimirum has propositiones debere quidem a Catholicis censeri legitime reprobatas, *prout jacent in sensu obvio*, non vero *in sensu a Bajo, & Jansenio intento*. Quoniam ultima non amplius est quæstio *juris*, in qua admittunt summum Pontificem etiam extra Generale Concilium infallibilem, sed potius est quæstio *facti*, respectu cujus, aiunt, summum Pontificem ex mala aliorum informatione falli posse. Sed contra est *primo*, quod hanc ipsam Adversariorum evasionem Successores Pontifices Alexander VII. Innocentius XII. & Clemens XI. de novo reprobaverint, expresse addendo, se propositiones prædictas damnare etiam in sensu à suis auctoribus intento; uti per extensum hæc Bulla refertur in principio Tomi primi.

Contra est *secundo*: Quod illæ ipsæ Propositiones Bajanæ, Jansenistæ, & Quesnellianæ, prout continentur in Bullis eas damnantibus, & uti reperiuntur in Libris horum Auctorum, sint prorsus eædem in sensu communi significationis ex una parte; ex altera vero neque ex immediate antecedentibus, neque ex immediate subsequentibus per auctores ad alium, quam istum significationis sensum communem restringantur, uti summi Pontifices post diligens examen, & accuratissimam ad invicem collationem optime adverterunt: ergo si recte fuerunt damnatæ in sensu obvio, ac prout jacent, pariter fuerunt recte damnatæ in sensu ab auctoribus intento, utpote prorsus eodem.

Contra est *tertiò*: Quod etsi verum sit, summum Pontificem in quæstionibus particularibus facti, & non pertinentibus ad communem Ecclesiæ fidem, Religionem, ac morum sanctitatem, posse falli, atque errare; hoc tamen falsum est in quæstionibus facti, habentibus necessariam connexionem cum quæstionibus juris in puncto Fidei, Religionis, & morum: alias enim eadem distinctione potuissent efficaciam damnationis facillime pariter eludere Pelagius, Vigilantius, & Jovinianus, sicque in sinu Ecclesiæ tamquam serpentes in gremio Matris cum ingenti Ecclesiæ detrimento conservare sectatores suos dicendo, propositiones quidem illas fuisse recte damnatas, *prout jacent*; non tamen *in sensu* ab his auctoribus *intento*.

Contra est *quarto*: Generale Concilium cum supremo Capite in materia fidei est infallibile non solum in materia juris, sed etiam in materia facti: ergo etiam summus Pontifex loquens ex Cathedra extra Concilium Generale. Consequentia eruitur ex jam dictis; cum textus Sacræ Scripturæ æque, imo respective magis Petro, ac Successoribus tribuant assistentiam Spiritus Sancti, quam Concilio Generali repræsentanti Ecclesiam &c. Antecedens vero probatur: alias enim Ariani, & Nestoriani adhuc possent defendere suam perniciosam hæresim, dicendo, se non bene a Conciliis, Nicæno, & Ephesino, quæ in quæstionibus facti possunt errare, fuisse intellectos.

COROLLARIUM.

7. Ex prioribus Notandis clare deducitur, quod contra propositiones damnatas Michaëlis Baji, Cornelii Jansenii, & Paschasii Quesnellii non tam necessariæ sint particulares cujuslibet Articuli probationes, quam earumdem propositionum, ubi ratio exigit, declarationes: nam dum prædicti Romano-Catholicam veram agnoscunt Ecclesiam, neque ab ea sese separare intendunt; Ista vero propositiones horum Auctorum infra specificandas rejicit

rejicit etiam in sensu ab Auctoribus intento; consectaneum est, ut, si eorum submissio ex sincero corde procedat, pariter Ecclesiæ sese subjiciant Sectatores. Inde nihil superest, quam ut occurrente aliquo dubio explicetur, quomodo talis propositio sit intelligenda: quando autem sensus illius jam patet, à vero Catholico similis propositio tamquam falsa respuatur, & in praxi talis Doctrina evitetur. Nunc agendo de quolibet trium memoratorum singulariter, ponitur.

§. II.

Vita Michaëlis Baji.

8. Michael Bajus Melini Ducatus Brabantiæ prope Nicellam in Confinibus Hannoniæ circa annum 1513. hanc lucem aspexit. Ad maturiorem perveniens ætatem tam illustria scientiæ Theologicæ Lovanii (ubi 40. annis docuit) dedit specimina, ut habitus tamquam Oraculum ad Sanctum Petrum Lovanii Decanus, ac tandem etiam Universitatis Cancellarius fuerit proclamatus, quam supremus Hispaniarum Monarcha Philippus II. suum declaravit Theologum, & ad Concilium Tridentinum destinavit. Famam suam, alias valde eximiam, post hanc Legationem non parum obscuravit datis ad typum scriptis plenis errorum, ex quibus 79. propositiones excerptæ à S. Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. fuerunt damnatæ. Ipse tamen Bajus non declaratus tamquam Hæreticus, utpote qui juxta jam dicta paragrapho præcedenti sese judicio supremi Pontificis submisit, ex hac vita decedens anno 1589. vel 1590. postquam septuaginta septem ætatis suæ annos numeravit.

§. III.

9. *Propositiones LXXIX. Michaëlis Baji damnatæ à S. Pio V. per Constitutionem* Ex omnibus, *& à Gregorio XIII. per Bullam*, Provisionis nostræ, *videantur in principio Tomi primi.*

10. Declaratio ulterior harum propositionum ideò in præsenti intermittitur, quia aliquarum falsitas de se patet; aliarum verò explicatio differtur ad §. VII. & XIII. agendo de quinque Propositionibus damnatis Cornelii Jansenii, & aliis Quesnellii. Item ad Cap. IV. tractando de propositionibus confixis ab Alexandro VIII. Occurrente dubio particulari in præsenti necdum perfecte soluto poterit quoque consuli Joannes Martinez de Ripalda Tomo tertio, qui fuse dictas examinat propositiones.

§. IV.

Historia prævia de Cornelio Jansenio.

11. Ne Juniores decipiantur in nomine, præscire oportet, duos esse Cornelios Jansenios, & ambos Lovanienses Doctores. Prior origine Flander, factus Decanus Lovanii ad S. Jacobum, ac publicus Theologiæ Professor, tandem à Philippo II. ad Concilium Tridentinum cum Michaële Bajo fuit destinatus; ubi tanto Doctrinæ, ac Modestiæ encomio enituit, ut reversus in Belgium renunciatus fit Episcopus Gandavensis, in quo officio plenus virtutibus, & meritis anno 1576. decessit ætatis suæ 66. annorum; atque de hoc non amplius sermo recurret. Alter Cornelius Jansenius, de quo in præsenti, in vico *Accoy* prope Leerdam in Hollandia ex communibus, & plebejis Parentibus ortum habuit sub anno 1585. Humaniora absolvit Ultrajecti; Superiora autem (puta Philosophiam & Theologiam) Lovanii, Magistrum nactus (uti aliqui scribunt) occulte addictum Doctrinæ Michaëlis Baji. Exinde se contulit Parisios, illic promotus à Joanne du Verger, postea Abbate San Cyrano, jam antea Ejusdem amico, cujus patrocinio pariter postmodum Directoratum Bajonæ (quæ Joannis Vergerii patria erat) obtinuit in Collegio recens erecto. Hic duo isti Collegæ novam aliquam fabricare Theologiam designarunt, annis duodecim præprimis intenti legendo S. Augustino, maxime circa materiam de gratia, & libero Arbitrio, usque dum denuo Cornelius Jansenius ex Decreto Philippi III. Hispaniarum Regis fuerit revocatus Lovanium ad interpretandam in celeberrima hac Universitate S. Scripturam, qua occasione simul elaborare coepit famosum librum illum, *Augustinus Cornelii Jansenii* intitulatum, ubi sibi proposuerat universam Divi Augustini (utinam ad veram hujus Sanctissimi Ecclesiæ Patris mentem) Doctrinam in materia Gratiæ, liberi arbitrii, & Prædestinationis perstringere. Interim crescente Ejus Nominis fama anno 1635. renuntiatur Episcopus Iprensis; qua constitutus in dignitate, dum Augustinum suum ex integro perficere voluit pestilentiali morbo pro tunc grassante correptus anno 1638. sexto Maji finem vitæ suæ & operi huic imposuit, in hoc saltem laudandus, quod juxta jam dicta §. 1. n. 2. omnia censuræ, & Judicio sanctæ Matris Ecclesiæ subjecerit. Virulentam illam Doctrinam intimus defuncti amicus Sancyranus, seu Joannes Vergerius equidem dilatare fortassis optavit, ob mala tamen pariter dogmata à Cardinali Richelio, anno mortem Jansenii præcedente (nimirum 1637.) Vicennensi carceri addictus, votum suum executioni dare haud voluit; utpote in illa captivitate usque ad obitum Cardinalis Richelii (nempe usque ad annum 1642.) persistere coactus. Recommendavit tamen Jansenius, antequam e vivis discessit, Augustinum suum aliis duobus Lovanii Doctoribus Liberto Fromondo, & Henrico Caleno, à quibus opus anno 1640. prælo commissum erat; ast non sine maximo strepitu, illico ex eodem excerptis diversis propositionibus Bajanam doctrinam, à Summis Pontificibus jam proscriptam, redolentibus. Quare Urbanus VIII. dictum Jansenii librum fidelibus legendum prohibuit, & Successor illius Innocentius X. habitis hac de causa triginta duabus Cardinalium, & Consultorum Congregationibus (ex quibus decem in præsentia Summi Pontificis celebratæ fuerunt) quinque propositiones solemnissime damnavit per Bullam sequentem cum occasione.

§. V.

12. *Referuntur quinque Propositiones Jansenii Innocentio X. cum Bulla quâ damnantur, in principio Tomi primi.*

§. VI.

Effugia Jansenistarum, dicentium, has quinque Propositiones vel in Jansenii libro non reperiri, vel non in sensu ab eodem intento damnatas esse, excluduntur per aliam Bullam Clementis XI.

CLEMENS

Servus Servorum DEI.

13. Vineam Domini Sabaoth, quæ est Catholica Ecclesia, pro commisso Nobis Divinitus Apostolicæ

licæ servitutis munere custodire, atque excolere omni studio, atque industria jugiter satagentes, ea, quæ à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris ad succrescentes in illa perniciosarum novitatum Vepres radicitus evellendos, prudenti, salubrique consilio constituta esse noscuntur, ut quibusque inimici hominis mollitionibus dejectis, firmius semper, atque exactius observentur, Apostolici muniminis nostri præsidio libenter laboramus, atque alias desuper solicitudinis, & providentiæ nostræ partes interponimus, sicut omnibus maturæ considerationis trutina perpensis ad fidelem, ac totam Orthodoxæ veritatis Custodiam, nec non animarum pretioso Unigeniti DEI Filii Domini nostri JESU Christi Sanguine Redemptarum salutem expedire in Domino arbitramur.

Sane, postquam fel. record. INNOCENTIUS Papa X. Prædecessor Noster per quandam suam desuper editam Constitutionem quinque famosas propositiones ex libro Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, cui titulus, *Augustinus*, excerptas Apostolici censura judicii rite confixerat, rec. mem. ALEXANDER Papa VII. etiam Prædecessor noster ad ejusmodi jam damnatos errores e Christi fidelium mentibus prorsus abolendos, publicæque tranquillitatis perturbatorum subtili tectas calliditate Machinationes penitus evertendas, prædictam INNOCENTII Prædecessoris constitutionem, toto illius inserto tenore, confirmavit, novarumque declarationum accessione constabilivit, sua in id pariter edita constitutione tenoris, qui sequitur, videlicet:

ALEXANDER Episcopus Servus Servorum DEI. Universis Christi Fidelibus salutem, & Apostolicam Benedictionem. Ad Sanctam Beati Petri sedem, universalis Ecclesiæ regimen, inscrutabili Divinæ Providentiæ Dispositione, nullis nostris suffragantibus meritis evecti, nihil Nobis antiquius ex muneris nostri debito esse duximus, quam ut Sanctæ Fidei nostræ, ac Sacrorum dogmatum integritati tradita nobis à DEO potestate opportune consuleremus.

Ac licet ea, quæ Apostolicis Constitutionibus abunde fuerunt definita, novæ decisionis, sive declarationis accessione nequaquam indigeant; quia tamen aliqui publicæ tranquillitatis perturbatores illa in dubium revocare, vel subdolis interpretationibus labefactare non verentur, ne morbus iste latius divagetur, promptum Apostolicæ Auctoritatis remedium censuimus non esse differendum.

Emanavit siquidem alias à fel. rec. INNOCENTIO Papa X. Prædecessore nostro constitutio, & definitio tenoris, qui sequitur.

Hic tenor Bullæ Innocentianæ inseritur, quæ jam fuit verbotenus allegata §. 5. *Præcedenti. Post eamdem pergit Bulla Alexandri ulterius.*

Cum autem, sicut accepimus, nonnulli iniquitatis Filii prædictas quinque propositiones, vel in libro prædicto ejusdem Cornelii Jansenii non reperiri; sed fictæ & pro arbitrio compositas esse, vel in sensu ab eodem intento non damnatas fuisse, asserere magno cum Christi Fidelium scandalo non reformident.

Nos, qui omnia, quæ in hac re gesta sunt sufficienter, & attenter perspeximus, utpote qui ejusdem Innocentii Prædecessoris jussu, dum adhuc in Minoribus constituti, Cardinalis munere fungeremur, omnibus illis congressibus interfuimus, in quibus Apostolica auctoritate eadem causa discussa est, ea profecto diligentia, qua major desiderari non posset, quamcumque dubitationem super præmissis imposterum auferre volentes, ut omnes Christi fideles in ejus fidei unitate sese contineant, ex debito nostri Pastoralis officii, ac matura deliberatione præinsertam Innocentii prædecessoris nostri Constitutionem, declarationem, & definitionem harum serie confirmamus, approbamus, & innovamus, & quinque illas propositiones ex libro præmemorati Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, cui titulus est, *Augustinus*, excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento damnatas fuisse, declaramus, & definimus, ac uti tales, inusta scilicet eadem singulis nota, quæ in prædicta declaratione, & definitione unicuique illarum sigillatim inuritur, iterum damnamus, ac eumdem librum sæpedicti Cornelii Jansenii, cui titulus, *Augustinus*, omnesque alios tam manuscriptos, quam typis editos, & si quos forsan imposterum edi contingerit, in quibus prædicta ejusdem Cornelii Jansenii Doctrina, ut supra damnata defenditur, vel astruitur, aut defendetur, vel astruetur, damnamus itidem, atque prohibemus: Mandantes omnibus Christi fidelibus, ne prædictam doctrinam teneant, prædicent, doceant, verbo vel privatim, palam vel occulte imprimant, sub poenis, & censuris contra hæreticos in jure expressis ipso facto absque alia declaratione incurrendis.

Præcipimus igitur omnibus Venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archi-Episcopis, ceterisque locorum Ordinariis, ac hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, Judicibus Ecclesiasticis, ad quos pertinet, ut præinsertam ejusdem INNOCENTII Prædecessoris Constitutionem, Declarationem, ac Definitionem, juxta præsentem nostram determinationem, ab omnibus observari faciant, ac inobedientes & rebelles prædictis poenis, aliisque Juris, & facti remediis, invocato etiam, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, omnino coerceant. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ 1656. 16. Octob.

Subinde vero, quo omnis Apostolicarum definitionum eludendarum aditus intercluderetur, memoratus ALEXANDER Prædecessor, priscum Ecclesiæ morem secutus, certam edidit formulam ab omnibus Ecclesiastici Ordinis tam sæcularibus, quam regularibus personis subscribendam per aliam suam hac in re promulgatam Constitutionem tenoris sequentis, videlicet:

ALEXANDER Episcopus Servus Servorum DEI. Ad perpetuam rei memoriam. Regiminis Apostolici Divina Providentia Nobis, quamvis immeritis, commissi ratio postulat, ut ad ea potissimum, quæ Catholicæ Religionis integritati, & propagationi, animarumque saluti, & fidelium tranquillitati consulere apta, & idonea esse judicantur, animam & curam omnem, quantum licet, in Domino applicemus: Quamobrem Cornelii Jansenii Hæresin in Gallia præsertim serpentem ab INNOCENTIO X. fel. rec. Prædecessore nostro fere oppressam ad instar colubri tortuosi, cujus caput attritum est, in varios gyros, & Cavillationum deflexus euntem singulari Constitutione ad hunc finem edita, altero Assumptionis nostræ anno extinguere conati fuimus.

Sed ut multiplices hostis hominum generis artes adhibet, nondum plene consequi potuimus, ut omnes

omnes errantes in viam salutis redirent, qui tamen unicus erat votorum, & curarum nostrarum scopus, quibus operam, & industriam suam egregio sane studio Venerabiles Fratres nostri Archi-Episcopi, & Episcopi Regni Galliæ, earumdem Constitutionum Apostolicarum executioni præcipue intenti contulerunt, & Charissimus in Christo Filius noster Rex Christianissimus singulari pietate auxiliarem dexteram strenuo, ac constantissimo animo porrexit.

Cum autem præfatus Rex Christianissimus eodem Religionis Zelo ductus per suum in Urbe Oratorem Nobis significari, exponique curavit, nullum aliud opportunius remedium pestiferæ hujus contagionis Reliquiis extirpandis adhiberi posse, quam si omnes certam formulam subscriberent nostra Auctoritate firmatam, in qua quinque propositiones ex Cornelii libro, cui titulus, *Augustinus* excerptas, sincere damnarent, ac proinde illam à Nobis quantocyus expediri ad quælibet effugia præcludenda, omnesque removendos Obtentus flagitaverit.

Nos tam piis dicti Regis Christianissimi votis benigne annuendum esse ducentes, formulam infra scriptam ab omnibus Ecclesiasticis, etiam Venerabilibus Fratribus nostris, Archi-Episcopis, & Episcopis nec non aliis quibuscumque Ecclesiastici Ordinis tam regularibus, quam sæcularibus, etiam Monialibus, Doctoribus, & Licentiatis, aliisque Collegiorum Rectoribus, atque Magistris subscribi districte mandamus, idque intra tres menses à die publicationis, seu notificationis præsentium; alias contra eos, qui intra terminum prædictum non paruerint, irremissibiliter procedi volumus juxta Canonicas Constitutiones, & Conciliorum decreta.

Formula à supradictis scribenda.

Ego N. Constitutioni Apostolicæ INNOCENTII X. datæ die 31. Maii 1653. & Constitutioni ALEXANDRI VII. datæ die 16. Octobris 1656. Summorum Pontificum, me subjicio, & quinque propositiones ex Cornelii Jansenii Libro, cui nomen, Augustinus, *excerptas, & in sensu ab eodem Auctore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio, ac damno, & ita juro: sic me DEUS adjuvet, & hæc S. Evangelia.*

Decernentes insuper præsentes litteras semper, & perpetuo validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenos, & integros effectus sortiri, & obtinere; Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos ubique judicari; & definiri debere sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate: ac irritum, & inane, si secus super his à quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca Venerabilibus Fratribus Archi Episcopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis committimus & mandamus, ut singuli in suis Dioecesibus, ac locis suæ jurisdictioni subjectis præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque exequantur, & executioni mandari, ac observari ab omnibus curent, & inobedientes quoscumque per sententias, & poenas aliaque juris & facti remedia, appellatione postposita, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, omnino compellant.

Volumus autem, ut præsentium transumptis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostram Constitutionem, & Ordinationem infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI ac BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno 1664. 15. Febr.

Sic equidem causa finita est; non tamen sic, ut par erat, finitus est error Apostolico toties mucrone percussus. Neque enim defuere, nec adhuc desunt homines veritati non acquiescentes, & numquam Ecclesiæ contradicendi finem facientes, qui variis distinctionibus, seu potius effugiis ad circumventionem erroris excogitatis Ecclesiam ipsam turbare, eamque interminatis Quæstionibus, quantum in ipsis est, involvere, & implicare conantur; quodque deterius est, ipsamet Apost. Sedis decreta, redarguendis eorum pravis sensibus condita, ac præsertim quasdam piæ mem. CLEMENTIS Papæ IX. die 19. Jan. 1669. ad quatuor Galliæ Episcopos, nec non binas similis memoriæ INNOCENTII Papæ XII. etiam prædecessorum nostrorum die 6. Febr. 1694. & die 24. Novembris 1696. ad Episcopos Belgii in forma Brevis respective datas litteras in erroris sui patrocinium advocare, temerario plane ausu non erubescunt, perinde, ac si memoratus CLEMENS Prædecessor, qui eisdem suis litteris se INNOCENTII X. & ALEXANDRI VII. Prædecessorum constitutionibus supradictis firmissime inhærere, ac à dictis quatuor Episcopis veram, & totalem Obedientiam, adeoque formulæ à præfato ALEXANDRO prædecessore, sicut præmittitur, editæ sincere per eos subscribi voluisse declaravit, aliquam in tam gravi negotio exceptionem, seu restrictionem, quam nullam prorsus se unquam admissurum fuisse protestatus fuit, reipsa admisisset: dictus vero INNOCENTIUS XII. Prædecessor, dum sapienter ac provide prædictas quinque propositiones ex memorato libro Jansenii excerptas in sensu obvio, quem ipsamet propositionum verba exhibent, ac præseferunt, damnatas esse pronuntiavit, non de ipsomet obvio sensu, quem in Jansenii libro habent, quive ab eodem Jansenio intentus, ac à præfatis INNOCENTIO X. & ALEXANDRO VII. Prædecessoribus damnatus fuit, sed de alio quopiam diverso sensu cogitasset; dictasque INNOCENTII X. & ALEXANDRI VII. Prædecessorum Constitutiones temperare, restringere, aut alio quovis modo immutare voluisset, iisdem ipsis litteris, quibus eas in suo robore fuisse, & esse, seque illis firmiter inhærere verbis apertissimis asserebat.

Præterea iidem inquieti homines sparsis undequaque scriptionibus, ac libellis exquisita ad fallendum arte compositis, non sine gravi Apostolicæ sedis injuria, maximoque totius Ecclesiæ scandalo docere non sunt veriti, ad obedientiam præfatis Apostolicis Constitutionibus debitam non requiri, ut quis prædicti Janseniani Libri sensum in antedictis quinque propositionibus, sicut præmittitur, damnatum, interius ut hæreticum damnet, sed satis esse, si ea de re obsequiosum (ut ipsi vocant) silentium teneatur. Quæ quidem assertio quam absurda sit, & animabus fidelium perniciosa, satis

apparet, dum fallacis hujus Doctrinæ pallio non deponitur error, sed absconditur: vulnus tegitur, non curatur; Ecclesiæ illuditur, non paretur: & lata demum filiis inobedientiæ via sternitur ad fovendam silentio hæresim, dum ipsam Jansenii doctrinam, quam ab Apostolica Sede damnatam Ecclesia universalis exhorruit, adhuc interius abjicere, & corde improbare detrectent.

Quin etiam eo impudentiæ nonnullos devenisse, compertum est, ut veluti naturalis honestatis, nedum Christianæ sinceritatis, obliti, asserere non dubitaverint, præfatæ formulæ a memorato ALEXANDRO prædecessore præscriptæ subscribi licite posse etiam ab iis, qui interius non judicant prædicto Jansenii libro doctrinam hæreticam contineri: Quasi vero, contra quam scriptum est: *Qui loquitur veritatem in corde suo, &, qui jurat proximo suo, & non decipit*, hujusmodi erroris sectatoribus liceat Ecclesiam ipsam jurejurando decipere, simulque Apostolicæ sedis providentiam fallere, dum ejusdem formulæ conceptis verbis loquuntur, quod Ecclesia loquitur, quod tamen sentit ipsa, non sentiunt; seque parere Constitutionibus Apostolicis profitentur, quibus animo contradicunt.

Hinc est, quod Nos ad opportunum, & efficax tam exitiali morbo, qui ut cancer serpit, & quotidie in deterius vergit, remedium adhibendum, non minus demandatæ Nobis omnium Ecclesiarum solicitudinis debito, quam plurimorum Venerabilium Fratrum nostrorum diversarum partium, ac præsertim Regni Galliarum, Episcoporum Zelo, ac precibus excitati, ne hujusmodi pravi homines Catholicæ Ecclesiæ pacem subvertere impune pergant, & simplicium ac pusillorum mentibus imponere, docentes quæ non oportet: neve ullus apud eos quoque, qui bona, ut aiunt, fide, ac falsis rumoribus decipi se fortasse patiuntur, de mente ac sententia Apostolicæ Sedis amplius ambigendi supersit locus, Divino prius tam privatis nostris, quam publice indictis precibus, implorato præsidio, ac re mature discussa de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, auditisque complurium in Sacra Theologia Magistrorum suffragiis; primo quidem præinsertas INNOCENTII X. & ALEXANDRI VII. Prædecessorum Constitutiones, omniaque & singula in iis contenta Auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, approbamus, & innovamus.

Ac insuper, ut quævis imposterum erroris occasio penitus præcidatur, atque omnes Catholicæ Ecclesiæ filii Ecclesiam ipsam audire, non tacendo solum (nam & impii in tenebris conticescunt) sed & interius obsequendo, quæ vera est Orthodoxi hominis obedientia, condiscant, hac nostra perpetuo valitura Constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio minime satisfieri, sed damnatum in quinque præfatis propositionibus Janseniani libri sensum, quem illarum verba præseferunt, ut præfertur ab omnibus Christi fidelibus ut hæreticum, non ore solum, sed & corde rejici, ac damnari debere, nec alia mente, animo, credulitate supradictæ Formulæ subscribi licite posse; ita, ut qui secus, aut contra, quoad hæc omnia & singula, senserint, tenuerint, prædicaverint, verbo vel scripto docuerint, aut asseruerint, tanquam præfatarum Apostolicarum Constitutionum transgressores, omnibus, & singulis illarum censuris, & poenis omnino subjaceant, eadem Auctoritate Apostolica decernimus, declaramus, statuimus, & ordinamus.

Decernentes pariter easdem præsentes, & præinsertas litteras semper, & perpetuo validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos ubique judicari, & definiri debere, sublata eis, & eorum cuilibet quamvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, auctoritate; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis Auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca Venerabilibus Fratribus Archi-Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, nec non hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, & Judicibus Ecclesiasticis, ad quos pertinet, committimus & mandamus, ut singuli in suis respective Dioecesibus, ac locis suæ jurisdictioni subjectis ipsas præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque exequantur, & executioni mandari, & observari ab omnibus curent, & inobedientes, & rebelles quoscumque per censuras, & poenas præfatas, aliaque juris, & facti remedia, appellatione postposita, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, omnino coerceant, & compellant.

Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Confirmationis, Approbationis, Innovationis, Decreti, Declarationis, Statuti, & Ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum Ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno 1705. decimo septimo Calendas Augusti.

§. VII.

Damnatæ quinque propositiones Jansenii succinctè declarantur.

14. *Prima propositio* ait: *Hominibus etiam justis defacto aliqua præcepta esse impossibilia, deesse quoque ipsis gratiam, qua possibilia fiant.* Hæc ipsissima fuit doctrina Martini Lutheri, & Joannis Calvini cap. præced. §§. 18. 19. 20. refutata, id ipsum quoque ante Jansenium docuit Michael Bajus, volens propositione 54. Deum homini aliquod impossibile præcepisse, & contrariam vocans sententiam Pelagii. Miror, quod homines, qui adhuc volunt audiri Romano-Catholici, ut Bajus, & Jansenius, similia docere præsumant; cum tamen Concilium Tridentinum Sess. 6. de Justificatione cap. 11. expresse dicat: *Nemo temeraria illa, & a Patribus sub anathemate prohibita voce uti debet, NB. Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia.* Item Canone 18. *Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam justificato, & sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia; anathema sit.* Igitur cum Divo Augustino sermone 191. de tempore: *Execramur blasphemiam eorum, qui dicunt, impossibile aliquid homini à Deo esse præceptum, & mandata Dei non a singulis, sed ab omnibus in communi posse observari.*

15. Se-

15. *Secunda propositio Jansenii vult*: *Quod interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistatur*; ex quo eruitur, quod ab homine in statu naturæ lapsæ Jansenius excluserit omnem gratiam interiorem sufficientem, volens non dari nisi efficacem seu talem, cum qua semper connectitur effectus bonus. Idem cum Jansenio sensit Calvinus in antidoto Concil. Tridentini Seff. 6. cap. 6. dicens, *Motum Spiritus sancti sic esse efficacem, ut fidem semper gignat; constituere autem hoc in hominis optione, ut Dei inspirationi, si velit, auscultet, hoc nullo modo conciliari posse.* Ita ille, cui tamen assertioni Concilium Tridentinum Seff. 6. de Justificat. cap. 5. expresse contradicit sequentibus verbis: *Tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo iste nihil omnino agit, inspirationem illam recipiens, NB. quippe qui illam abjicere potest.* En! Concilium Tridentinum gratiam sufficientem, seu talem, quem homo abjicere potest, vivis depingit coloribus, deberetque ejusmodi decisio Jansenio, tanquam homini Catholico, omnimode silentium imponere. Ulteriorem si cupis probationem, videre poteris cap. II. §. XIII. prope finem.

16. *Tertia propositio Jansenii defendit*: *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiri libertatem indifferentiæ, seu à necessitate, sed sufficere libertatem à coactione.* Ast hæc fuit ipsissima Doctrina Lutheri circa nondum renatos, vel non renovatos; atque Calvini circa reprobos quoad demerita, seu peccata ab ipsis commissa; quam etiam doctrinam ambabus manibus amplectitur Synodus Calvinistica Dordrecensis.

Nec dicatur, in statu naturæ lapsæ ad rationem demeriti sufficere libertatem indifferentiæ in sua causa, quatenus nimirum potuisset libere poni, vel non poni peccatum illud originale, quod postea in natura lapsa tanta mala causavit. Nam contra est, quod eodem prorsus modo respondeant Calvinistæ jam refutati præcedenti capite II. §. XIII. *Dicere, reum teneri quempiam, quia non fecit, quod facere non potuit summe est iniquitatis & insaniæ*, inquit Divus Augustinus *Lib. de duabus animabus cap.* 12.

Nec opponas cum Jansenistis: Dæmones, & damnati peccant Deum odio habendo, Eumque maledicendo: Item Christus sustinendo mortem promeruit, quamvis utrobique non adfuerit libertas indifferentiæ, utpote cum Christus habuerit à Patre Coelesti præceptum moriendi, quod non potuit ob suam impeccabilitatem transgredi. Respondetur enim negando in primis quoad damnatos, & dæmones, quod non habeant libertatem indifferentiæ ad ponendum, vel non ponendum similes actus; unde etiam exinde peccant, quamvis ipsis similes actus ad rationem demeriti, seu ad augmentum poenæ non imputentur; cum non amplius in via, sed jam existant in termino. Ita recte cum Doct. Subtilis P. Herincx *part.* 2. *Disput.* 6. *q.* 1. *num.* 9. Quoad meritum Christi autem in ordine ad mortem sibi à Patre suo præceptam, totum contigit ex speciali dispensatione Divina, uti notat Doct. Subtilis 4. *Sent. Dist.* 22. *Q. unic. Art.* 2. Qualis dispensatio non constat nobis data. Videatur Henno Tract. de Incarnat. *disput.* 11. *Q.* 4.

17. *Quarta propositio* Jansenii duas continet partes. Quoad primam pronunciat Jansenius. *Semipelagianos admittere prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei*: Quoad secundam partem inquit, *Semi-Pelagianos in hoc ipso fuisse hæreticos, quod voluerint eam gratiam talem esse, cui posset voluntas humana resistere, vel obtemperare.* Prior pars, utrum scilicet Semi-Pelagiani docuerint, *gratiam aliquam requiri etiam ad initium fidei*, spectat ad quæstionem facti; posterior vero, num *per hoc assertum fuerint hæretici*, pertinet ad quæstionem juris. Quoad primam partem Jansenius aperte falsum asserit; nam Semi-Pelagiani potius docuerunt contrarium, nempe ad initium fidei, & justificationis non requiri aliquam gratiam internam, etsi quoad continuationem eam admiserint contra Pelagianos, qui gratiam internam tam quoad initium, quam quoad continuationem operum meritoriorum negaverunt. Ita Divus Augustinus, tam Pelagianis, quam Semi-Pelagianis summe contrarius, sæpius testatur apud Amatum, præsertim *Lib. de prædestinat. Sanctorum cap.* 2.

Quoad secundam partem, hæreticum est dicere, quod Semi-Pelagiani exinde fuissent hæretici, posito, si tenuissent, ad initium fidei influere talem gratiam, cui possit voluntas humana resistere, vel obtemperare. Nam excludere gratiam internam, cui voluntas possit resistere vel obtemperare, est excludere gratiam internam sufficientem, quod utique juxta jam dicta est hæreticum: Ipsissima enim Catholica docet veritas, etiam in statu naturæ lapsæ aliam reperiri gratiam *efficacem*, qua possumus salutariter operari, & simul operabimur; & aliam *sufficientem*, qua possumus quidem salutariter operari, sed vitio voluntatis non operabimur, resistentes Spiritui sancto, & in vacuum Gratiam DEI recipientes. Concilium Trident. Seff. 6. *de Justificat. Can* 6. anathematizat illum, qui dixerit, liberum arbitrium NB. *à Deo motum, & excitatum* non posse dissentire, si velit: adeoque agnoscit aliquam Gratiam Divinam, cui tamen ex parte voluntatis creatæ non correspondet optatus effectus, quæ est ipsissima gratia sufficiens.

18. *Quinta propositio* Jansenii ait, *Semi-Pelagianum esse dicere, quod Christus pro omnibus omnino hominibus mortuus fuerit, aut sanguinem fuderit.* Ast falsissima est hæc Jansenii assertio: non enim alicujus Semi-Pelagianismi arguendi sunt illi, qui tenent id quod ipsamet æterna Veritas docet, nimirum quod Christus *dederit semetipsum Redemptionem pro omnibus*. 1. Timoth. cap. 2. Potius hæretica est doctrina Jansenii *Lib.* 3. *de gratia Salvatoris cap.* 21. volentis, Christum pro solis Electis, non autem pro reprobis fuisse passum, quod ipsum tenuit Calvinus *Lib.* 3. *Institut. in caput.* 17. *Joannis*. Cujus doctrinam damnat Concilium Trident. Seff. 6. de Justificat. cap. 3. de Christo inquiens: *Ille pro omnibus mortuus est*: ergo etiam pro infidelibus, ac reprobis. Vide dicta Cap. II. num. 165. & 180.

Profecto primus Adam peccato suo omnes maculavit: ergo etiam secundus Adam Christus sanguine suo omnes redemit: nam juxta Apostolum Rom. cap. 5. v. 18. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.* Judicabit aliquando Christus totum terrarum orbem, ostendendo etiam reprobis, qualiter ipsis per sanguinem suum procuraverit gratiam sufficientem, quos apud Divum Augustinum Lib. 2. de Symbolo ad Catechumenos cap. 8. sic alloquetur: *Ecce hominem, quem crucifixistis; ecce Deum, & hominem, in quem credere noluistis: videtis vulnera, quæ inflixistis, agnoscitis latus, quod pepigistis; quoniam & per vos, NB. & propter vos apertum est, & tamen intrare nolu-*

noluistis. En! quam clare stet pro veritate Catholica Divus Augustinus, qui pariter in Psalmum 95. *Judicabit orbem terræ in æquitate*, addit: *non partem; quia non partem emit; totum judicare habet Orbem, quia pro toto pretium dedit*; pretium nimirum sacratissimi sui Sanguinis. Vide de hoc fusius Dominicum Viva *Part. 3. Trutinæ Theologicæ apud me fol. 152. ac seqq.* & Franciscum Bonal. *Parte.. Christiani hujus temporis quasi per totum; præsertim vero capite 27.*

19. Corollarii loco ad intelligendam perfecte hanc quintam propositionem damnatam, atque solvendos nonnullos Sacræ Scripturæ, & SS. Patrum textus, qui primo aspectu videntur favere Jansenio, bene notabis, quod hæc Verba, *Christus pro omnibus ad Patrem suum cœlestem oravit; pro omnibus sanguinem fudit; pro omnibus est mortuus* &c. &c. quod (inquam) hæc verba duplicem possint habere sensum. *Primo* sic, quasi Christus æquali prorsus modo respectu omnium Orationes suas, effusionem sanguinis, & mortem voluerit applicare. *Secundo* taliter, quod quidem pro omnibus id fecisse intelligatur, inæqualiter tamen, ita, ut intenderit, Orationes, Sanguinem suum, & mortem peculiari quodam affectu, & adhuc efficacius applicare pro Electis, seu prædestinatis, Ipsis non solum gratiam sufficientem, verum etiam singularia auxilia, seu gratiam efficacem procurando. In secundo sensu tenent Catholici, Christum pro omnibus orasse, & passum fuisse; primo autem sensu putant Semi-Pelagiani, Deum voluisse omnes salvos fieri, ac Christum pro omnibus Orationes, & Passionem æqualiter applicasse. Contra quos S. Fulgentius Lib. de Incarnat. & grat. cap. 29. invehitur sequentibus verbis: *Illud Apostolicum, ubi dicitur de Deo; qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; non sicut oportet, intelligunt, qui hanc Dei voluntatem, sicut in vasis misericordiæ, sic & in vasis iræ accipiendam existimant.*

20. Ex hac distinctione de applicatione Orationum, atque Meritorum Christi respectu Prædestinatorum, & Reproborum (nimirum quod Christus quidem pro omnibus oraverit, ac omnibus voluerit sanguinem, & mortem suam applicare, speciali tamen, & singulari quodam modo Electis) ex hac, inquam, distinctione facile solvuntur textus Sacræ Scripturæ, & SS. PP. qui in favorem Jansenistarum innuere videntur, Christum non pro omnibus, sed tantum pro multis orasse, atque passum fuisse, uti habetur Joannis cap. 17. *Non pro mundo rogo, sed pro iis, quos dedisti mihi*: id est, *non pro reprobis, sed pro prædestinatis*, uti explicat Sanctus Augustinus Tract. 107. in Joannem. Item Matth. cap. 20. *Filius hominis venit dare animam suam Redemptionem pro multis.* Nec non cap. 26. *Hic est Sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur.* Respondetur enim declarando similes textus. Christus pro multis, id est pro prædestinatis, seu Electis tantum oravit, & passus fuit speciali quodam modo, hisce singularia, & extraordinaria procurando auxilia, Concedo. Taliter, ut absolute alios voluerit ab oratione, & Passione excludere, atque gratias sufficientes subtrahere, nego; nam Pater Cœlestis *proprio Filio suo non pepercit, sed NB. pro nobis omnibus tradidit illum.* Ad Rom. Cap. 8. V. 32. Videantur dicta Num. 18.

§. VIII.

Quomodo Doctrina Jansenii, eo mortuo fuerit uberius dilatata, maxime per Antonium Arnaldum, & per Paschasium Quesnellium, ejusque Sectatores.

21. Sublato per mortem Cornelio Jansenio, ac in carcere detento Ejusdem Collega Joanne Vergerio, aut sublata, aut saltem, ne ulterius sese diffunderet, coarctata videri posset Secta Janseniana; contrarium tamen ostendit experientia non satis deploranda, dum subintroeuntes alii duo (nimirum Arnaldus, seu Arnaudus, & Paschasius Quesnellius) præcedentium suffulti principiis, non minores in Ecclesia Catholica tumultus excitarunt. Erat Arnaudus anno 1612. nobili genere Parisiis natus, ibique absolutis humanioribus, & superioribus disciplinis Theologiæ Doctor creatus, vir acris quidem, sed simul tamen pertinacis ingenii, hincque successu temporis Societati Sorbonensi, cui anno 1643. fuit adscriptus, plurimum exosus. Cujus etiam librum, suppresso nomine, editum, atque *de magnitudine Ecclesiæ Romanæ, & Sanctorum Petri & Pauli supremo Pontificatu* inscriptum pariter Alexander VII. reprobavit, eo quod nullam inter hos duos Apostolos subordinationem, sed omnimodam in potestate æqualitatem defendere præsumpserit, occulte exinde rejiciens Suprematum Romani Pontificis Divi Petri successoris. Compulsus tandem excedere Galliis, Belgium adiit, quem Bruxellis morantem Paschasius Quesnellius Congregationis Oratorii Presbyter, ac amantissimus Patriota præcedentis (utpote pariter Parisiis anno 1634. genitus) inter mille gaudia invenit, ibique cum charissimo suo Arnoldo aliquot annis delituit, utpote cum nec Ipse Quesnellius in Galliis amplius securus fuisset, partim ob dissertationes in opera Sanctis Leonis Papæ, auctoritatem summi Pontificis non parum diminuentes; partim ob refractariam renitentiam, dum in comitiis Patrum Oratorii legitimorum suorum Superiorum Propositiones Jansenii in scholis suis severe prohibentium, assignatæ Doctrinæ formulæ noluit acquiescere, posthabitis non tantum horum Superiorum, sed & Archi-Episcopi Parisiensis, ac Regiis mandatis. Hoc igitur tempore exilii, ac Latibuli sui par nobile fratrum (si Superis placet) furtivis typis in lucem protruserunt plurimos pestiferos Libros, famosos libellos, aliosque partus Sectæ Jansenianæ summopere faventes, usque dum à Marchione de Castagna Generali Gubernatore recogniti anno 1690. à totius Belgii Catholici ditionibus exire jussi fuerunt, quærentes refugium apud Batavos Acatholicos, atque ab his eadem promptitudine recepti, ac ipsi libri Janseniani, quos præcedenter Calvinistæ in Hollandia illico laborarunt in vulgarem Patriæ suæ linguam traducere, altum clamantes, nil aptius fore ad confirmanda fidei suæ dogmata. A Batavis, seu Hollandis migrarunt ad Leodienses: demum Paschasius Quesnellius reversus est Bruxellas, & verosimilius cum eodem indivisibilis socius Arnaldus, qui anno 1694. ætatis suæ 82. annorum ex hac vita decessit, & huic agonizanti dicitur Prior adstitisse. Solus igitur tamquam principalis relictus Quesnellius non destitit plures undique sibi socios, ac fautores præsertim in Belgio, & Gallia conquirere, quorum etiam adjutorio anno 1693. & 1694. Parisiis in statu completo prodiit famosus ejusdem liber *Reflexiones morales in*

novum testamentum &c. intitulatus, diversis Jansenistarum scriptis publicis desensus. Erat in libro hoc in primis ipse textus sacer (teste Clemente XI.) in non Paucis vitiatus, à Vulgata editione multipliciter discrepans, ac versioni Montensi jam antea à Clemente IX. & Innocentio XI. rejectæ in multis conformis: deinde textus Scripturæ pluries in sensus alienos, & sæpe adeo noxios detortus, ut Clemens XI. anno 1708. 13. Junii non solum librum illum prohibuerit, sed etiam anno 1713. post maturissimum examen ex eo per Bullam *Unigenitus*, 101. propositiones variis censuris affecerit. Protestans Quesnellius à Papa ad futurum Generale Concilium (nescio quo tempore futurum) more Hæreticorum appellavit, huicque appellationi etiam brevi ante obitum suum conformiter jam dictis pertinaciter inhæsit, mortuus Amstelodami 1719. ætatis suæ 85. annorum.

§. IX.

22. *Bulla* Unigenitus, *Clementis XI. qua damnantur* 101. *Propositiones Paschasii Quesnellii, refertur in principio Tomi primi.*

§. X.

Damnatæ 101. *propositiones Paschasii Quesnellii explicantur.*

PROPOSITIO I.

23. *Quid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia, hoc est, generalis impotentia ad laborem, & orationem, & ad omne opus bonum?*

DECLARATIO.

Docet in præsenti Quesnellius; *primo* hominem peccatorem cum gratia deperdere omnia alia dona supernaturalia, nec remanere nisi peccatum, & peccati consecutiones &c. hoc tamen falsum est; quia in tali peccatore E. G. deliberatam complacentiam veneream admittente adhuc tamdiu remanent fides, & spes, usque tum talis peccatum committat his virtutibus directe oppositum. Unde Conc. Trid. sess. 6. de justif. can. 28. damnat illos, qui dicunt, *amissa per peccatum gratia simul & fidem semper amitti.* Docet Quesnellius *secundo*, hominem, deperdita per peccatum mortale gratia, reddi impotentem ad omne opus bonum. Hoc iterum est falsum; quia alias, si exinde talis peccator fieret impotens ad omne opus bonum, non haberet amplius libertatem indifferentiæ ad ullum actum bonum, mediante gratia Divina actuali incitante (non necessitante) eliciendum, sicque à tali peccatore tolleretur liberum arbitrium in ordine ad actus bonos, quæ præter Jansenium etiam est ipsissima Doctrina Lutheri, & Calvini damnata, & superiori Cap. II. jam sæpius reprobata.

PROPOSITIO II.

24. *Jesu Christi gratia, principium efficax boni cujuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum: absque illa non solum nihil fit, sed nec fieri potest.*

DECLARATIO.

Ista propositio excludit ab homine gratiam sufficientem, solamque hic, ac alibi per decursum sæpius concedit gratiam efficacem; cum gratiam Jesu Christi in Communi definiat, quod sit *Principium NB. efficax cujuscumque boni, sine qua nec aliquod bonum fit, nec fieri potest.*

Ast hæreticum est, sentire, gratiam efficacem ita ad omne opus bonum esse necessariam, ut sine ea ne quidem aliquid boni fieri possit; nam multa opera bona sunt, quæ etsi actualiter ab hominibus non peragantur, fieri tamen possent etiam meritorie cum sola gratia sufficiente, modo vellent homines cooperari: alias enim infideles, qui se non convertunt ad fidem, & Peccatores, ac reprobi, qui finalem non agunt pœnitentiam, merito se excusare valerent; quoniam similia sine gratia efficaci in principiis Quesnellii ex una parte facere nequeunt, ex altera vero non est in ipsorum potestate habere gratiam efficacem, quam Deus non cuilibet homini largitur: alias enim quilibet semper stante gratia poneret effectum.

PROPOSITIO III.

25. *In vanum Domine præcipis, si tu ipse non das, quod præcipis.*

DECLARATIO.

Ut mens Paschasii Quesnellii circa hanc, & plures subsequentes propositiones recte penetretur: pro nunc & semper *Notandum est.* 1. in ordine ad opus bonum *meritorium* faciendum, sive illud sit opus de præcepto, sive tantum de consilio, in principiis Catholicorum semper necessariam esse aliquam gratiam actualem. *Notandum* 2. gratiam actualem interiorem à Catholicis dividi in sufficientem, & efficacem: prima est, cum qua posset quidem elici ab homine opus meritorium, sed vel ex Socordia aut malitia voluntatis humanæ, aliave ex causa actualiter non elicietur. Altera nimirum interna efficax vocatur illa, cum qua non solum potest, verum etiam actu ponetur certo opus meritorium cooperante cum Gratia Divina actualiter, & cum libertate indifferentiæ voluntate creata. *Notandum.* 3. a Luthero, & Calvino gratiam sufficientem absolute negari. Quod si vero ipsis objiciatur, ex hoc sequi, legis implementum in statu naturæ lapsæ homini esse impossibile; Respondent concedendo totum; addunt tamen, hoc non obstante, hominem transgrediendo Legem, adhuc peccare, quoniam ad peccatum juxta præfatos sufficit libertas à coactione, & in sua causa ratione peccati originalis. *Notandum* 4. Pariter à Jansenio omnem gratiam sufficientem negari; hinc *Lib.* 3. *de gratia Christi*, gratiam sufficientem intitulat *monstrosam*, & propositione inter damnatas II. ait generaliter gratiam interiorem, esse illam, cui numquam resistitur, quæ in re ipsa est gratia efficax. *Notandum* 5. Paschasium Quesnellium in hoc puncto, uti in aliis presse insistere vestigiis Jansenii, & hinc in homine peccatore adstruere impotentiam generalem ad omne opus bonum, &c. ut colligitur ex præcedentibus.

His igitur prænotatis in principiis Quesnellii propositio ista tertia facit hunc sensum: *Domine si tu hominibus, quibus præcepta imponis, non das simul*

simul gratiam efficacem, in vanum ponis aliqua praecepta, cum homines sine gratia efficaci nullum opus bonum possint facere. Quis non intelligit in tali sensu dictam propositionem Deo esse summe injuriosam? Nam cum Deus pluribus hominibus non det gratiam efficacem, & tamen ipsis praecepta imponat, haec impositio apud Quesnellium foret actualiter vana, utpote de re servatu actualiter impossibili. Econtra vero, si Quesnellius praeter efficacem etiam admitteret gratiam sufficientem, mentionata propositio in ordine ad opus aliquod praeceptum meritorium verissima existeret, utpote hunc sensum faciens. *Si tu Domine non dares simul aliquam gratiam in ordine ad opus quodpiam praescriptum, ac simul meritorium, frustraneum foret tuum praeceptum, cum sine aliqua gratia (quam tamen saltem sufficientem Tu nulli denegas) non posset homo defacto aliquod opus NB. meritorium facere.*

PROPOSITIO IV.

26. *Ita Domine omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo.*

DECLARATIO.

Ista propositio alludit denuo ad gratiam efficacem, consequenter facit hunc sensum: *tunc omnia opera bona, ac praecepta sunt nobis possibilia, quando Tu Domine dando gratiam efficacem facis possibilia.* Ex quo sequeretur iterum, quod quamplures homines infideles, & fideles, quibus Deus non dat gratiam efficacem, haberent impotentiam sese ad fidem, vel ad salutarem poenitentiam convertendi. Ad quid ergo Deus omnibus praecipit impiis Ezech. cap. 33. *Convertimini à viis vestris pessimis*, si illi, quibus deest gratia efficax, sunt impotentes sese convertendi? Profecto *Deus impossibilia non jubet*; uti sub anathemate docet Concil. Trid. *Sess. 6. de justificat. cap.* 11.

PROPOSITIO V.

27. *Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiae suae, exhortationes, & gratiae exteriores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum.*

DECLARATIO.

Per unctionem interiorem gratiae Divinae intelligit Quesnellius conformiter praecedentibus dictis gratiam efficacem, ita ut dicta propositio hunc faciat sensum; *Nisi gratia interior efficax accedat, exhortationes, & gratiae exteriores non inserviunt, nisi ad magis cor hominis indurandum.* At denuo falsum est, quod exhortationes, miracula, aliaeve gratiae exteriores non inserviant, nisi ad cor hominis magis obdurandum, cum Clementissimus Deus similia cum gratia interiori saltem sufficienti conjuncta immittat ad cor hominis emolliendum quod si quis, uti alter Pharao per miracula Moysis, magis exinde obduretur, malitia & culpa peccatoris est, non ipsius misericordissimi Dei.

PROPOSITIO VI.

28. *Discrimen inter foedus Judaïcum & Christianum est, quod in illo exigit Deus fugam peccati, & implementum Legis à peccatore, relinquendo illum in sua impotentia: in isto vero Deus peccatori dat quod jubet, illum sua gratia purificando.*

DECLARATIO.

Propositio ista plura continet erronea. In primis enim falsum est, quod in foedere Judaïco Deus exegerit Legis implementum, & tamen non dederit gratiam sufficientem, sed reliquerit Judaeos in sua impotentia: sic enim iterum tolleretur libertas indifferentiae, & nihilominus Judaeis imputaretur peccatum. *Secundo* falsum est, quod nulli existentes in antiquo testamento Legem adimpleverint: multi enim cum Abraham, Isaac, Jacob, & Moyse per circumcisionem, vel per fidem in Messiam venturum, aut per alium remedium à Deo institutum à peccato originali mundati Legem taliter observaverunt, ut concurrente simul gratia efficaci finaliter absque actuali aliquo gravi peccato ex hac vita decesserint, nunc aeterna fruentes beatitudine. *Tertio* commentitium est, quod Deus in lege nova cuilibet peccatori tribuat gratiam efficacem, quam Jansenistae juxta jam dicta num. 25. subintelligunt in illis verbis: *Dat quod jubet.* Videmus enim etiam in Lege nova multos gravissimos peccatores impoenitentes, vel subitanea morte praeoccupatos ex hac vita abire.

PROPOSITIO VII. & VIII.

29. *VII. Quae utilitas pro homine in veteri foedere, in quo Deus illum reliquit ejus propriae infirmitati, imponendo ipsi suam legem? quae vero felicitas non est, admitti ad foedus, in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis.*

VIII. Nos non pertinemus ad novum foedus, nisi in quantum participes sumus ipsius novae gratiae, quae operatur in nobis quod Deus nobis praecipit.

DECLARATIO utriusque.

Duplex haec propositio innititur iisdem falsis principiis, quibus praecedens; quasi nimirum in lege veteri nulla fuisset data gratia interior ad legem observandam; existentibus autem in lege nova tribuatur gratia efficax, atque per hoc Lex antiqua distinguatur à Lege nova, quae vocatur Lex gratiae. Falsum autem esse, quod exinde desumenda sit distinctio inter utramque Legem, jam patet ex dictis, cum utrobique tam gratia sufficiens, quam efficax à Deo fuerit clementissime concessa, cum hoc tamen discrimine, quod in Lege nova ob merita Christi actu exhibita Deus nobis largiatur copiosiores, atque uberiores gratias, quam in lege veteri ob merita Christi praecise praevisa.

PROPOSITIO IX.

30. *Gratia Christi est gratia suprema, sine qua Christum confiteri numquam possumus, & cum qua illum numquam obnegamus.*

DECLARATIO.

Se denuo patefacit Quesnellius, quod nullam aliam gratiam internam per merita Christi nobis comparatam admittat, nisi efficacem, sive illam, *cum qua numquam Christum abnegamus*, quae est ipsissima gratia efficax. Erat autem Quesnellius in hoc, quia vult, absque hac gratia nos NB. neque

posse

posse Christum confiteri, quod est falsissimum; possemus enim id etiam facere cum gratia sufficiente, dummodo vellemus, juxta jam sæpius dicta. Unde æque ista Quesnellii, ac alia intimi sui amici Arnaldi doctrina merito tamquam hæretica rejici debet, dum nempe ille alius docuit, Sanctum Petrum ex defectu gratiæ efficacis non potuisse non abnegare Christum.

PROPOSITIO X. & XI.

31. *X. Gratia est operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare.*

XI. Gratia non est aliud, quam voluntas omnipotentis Dei, jubentis, & facientis, quod jubet.

DECLARATIO.

In duplici hac propositione ad minus duplex gravissimus error contra sensum Catholicæ Ecclesiæ reperitur. *Primo*, quia Quesnellius tam hic, quam adhuc clarius propositione 19. constituit gratiam divinam generaliter in aliquo extrinseco, nimirum in omnipotente voluntate Divina jubente, & faciente, quod jubet; cum tamen Concilium Tridentinum contra Lutherum, & Calvinum gratiam æque ac charitatem habitualem Sess. *6. de Justificat. Can.* 11. agnoscat tamquam ens positivum animæ inhærens. *Secundo* errat, quia iterum ab hominibus excludit gratiam sufficientem, seu illam, cujus operatio potest à libero arbitrio impediri: cum tamen eamdem agnoscat Apostolus 2. Corinth. cap. *6.* exhortando suos Corinthios, *ne in vacuum gratiam Dei recipiant*; quæ admonitio foret ridicula, si non daretur aliqua gratia sufficiens, seu talis, cujus operatio per liberum arbitrium posset impediri: Gratiam enim Dei in vacuum recipere nihil aliud est, quam gratiam quidem recipere, intentam tamen per gratiam operationem in effectum non deducere.

PROPOSITIO XII.

32. *Quando Deus vult salvare animam quocumque tempore, quocumque loco, effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei.*

DECLARATIO.

Ex hac propositione sequeretur, Deum non voluisse reprobos salvos facere; cum Salvationis effectus apud hos non sequatur: quo equidem docuit Calvinus, ac postea Jansenius: utriusque tamen hæresin jam superius refutavimus; cum Deus velit omnes salvos fieri, pro omnibus se dederit in Redemptionem, & pro omnibus sit mortuus, & consequenter etiam pro reprobis.

PROPOSITIONES XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. & XX.

33. *XIII. Quando Deus vult animam salvam facere, & eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit.*

XIV. Quantumcumque remotus à salute sit peccator obstinatus, quando Jesus se ei videndum exhibet lumine salutari suæ gratiæ, oportet ut se dedat, ac currat, sese humiliet, & adoret Salvatorem suum.

XV. Quando Deus mandatum suum, & suam æternam locutionem comitatur unctione sui spiritus, & interiori vi gratiæ suæ; operatur illa in corde obedientiam, quam petit.

XVI. Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil resistit omnipotenti.

XVII. Gratia est vox illa Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire facit ad Jesum Christum. Quicumque ad Eum non venit, postquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus est doctus à Patre.

XVIII. Semen Verbi, quod manus Dei irrigat, semper affert fructum suum.

XIX. Dei gratia nihil aliud est, quam Ejus omnipotens voluntas: hæc est idea, quam ipse nobis tradit in omnibus suis Scripturis.

XX. Vera Gratiæ idea est, quod Deus vult sibi à nobis obediri, & obeditur; imperat, & omnia fiunt; loquitur tamquam Dominus, & omnia sibi submissa sunt.

DECLARATIO.

Omnes istæ propositiones denuo se fundant in eo, quod non detur gratia, nisi efficax, cui in statu naturæ lapsæ numquam resistitur, uti docet Jansenius Antesignanus Propositione II. & Quesnellius constanter erroneam hanc doctrinam prosequitur. Quæro autem ego ex ipsis, utrum, *dum multi sunt vocati, pauci vero Electi*, Matth. 20. utrum, inquam, soli à Deo Electi, si aliquando peccent, habeant gratiam internam in ordine ad conversionem, vel non? si soli Electi: ergo alii frustra vocantur, cum in Jansenistarum Principiis sint impotentes ad omne opus bonum, consequenter etiam ad conversionem: profecto, si quis non habens alas, vocaretur ad volandum, ridicula foret hæc vocatio, prout recte observat Viva hic. Quodsi vero præter Electos etiam reliqui vocati obtineant à Deo gratiam internam, talis gratia apud illos peccatores, qui vocem hanc Domini non sequuntur, erit sufficiens: nam si quoad omnes vocatos foret efficax; omnes illi vocati converterentur actualiter; cum tamen contra multos conqueratur Deus Proverb. cap. 1. v. 24. *Vocavi, & renuistis.*

PROPOSITIONES XXI. & XXII.

34. *XXI. Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quæ est operatio voluntatis omnipotentis, sequela, & imitatio operationis Dei incarnantis, & resuscitantis Filium suum.*

XXII. Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis, cum libero ipsius voluntatis consensu demonstratur illico nobis in Incarnatione, veluti in fonte, atque archetypo omnium aliarum operationum misericordiæ, & gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes à Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio.

DECLARATIO.

Postquam Quesnellius mentem suam clarius adaperuit, quidnam proprie per interiorem Jesu Christi gratiam intelligat, dicendo, quod eadem nihil aliud sit, quam voluntas Dei omnipotentis, seu potius operatio voluntatis Divinæ *jubentis, quod vult*, & *dantis, seu efficientis quod jubet*: ulterius pergit, ut magis capiatur, instituendo aliquam paritatem inter Incarnationem, & Resurrectionem ex una, inter gratiam Jesu Christi ex altera parte, ut sic concordet omnipotentis Dei operationem cum libero ipsius voluntatis consensu: ait enim, uti

Incarnatio, & Resurrectio active sumendo est operatio omnipotentis voluntatis Dei, ita quoque Gratia Jesu Christi tamquam fortis, potens, suprema & invincibilis est imitatio operationis Dei Incarnantis, & resuscitantis filium suum. Ast plane, si alias omnis similitudo claudicat, hæc omnino utroque caret pede, dum non solum gratiam sufficientem iterum excludit, verum etiam ipsum quoque conceptum formalem gratiæ efficacis destruit: nam, stante hac paritate, voluntas à libera cooperatione per gratiam efficacem omnino excluditur; cum tamen gratia efficax juxta Catholicos liberum arbitrium quoad cooperationem suam omnino admittat. Probatur hoc nostrum assertum taliter: Operatio Dei Incarnantis, seu producentis unionem hypostaticam inter Verbum Divinum, & humanam naturam: item operatio Dei Patris resuscitantis Filium suum, seu reproducentis unionem inter animam, & corpus Ejusdem, est operatio solius Voluntatis Dei Omnipotentis, cui nihil ullatenus ex parte hominis potest reluctari: ergo si est utrobique paritas, etiam operatio Dei circa effectum salutarem erit operatio solius Dei, cui ex parte voluntatis hominis nihil potest reluctari. Subsumitur: atqui hoc pugnat expresse contra Concilium Tridentinum, juxta superius dicta: estque expresse sententia Lutheri, atque Calvini negantium libertatem indifferentiæ in ordine ad bonum spirituale: ergo.

PROPOSITIONES XXIII. XXIV. & XXV.

XXIII. *Deus Ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, qua creaturas e nihilo producit, & mortuis reddit vitam.*

XXIV. *Justa idea, quam Centurio habet, de Omnipotentia Dei, & Jesu Christi in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ quæ haberi debet de omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus à cupiditate.*

XXV. *Deus illuminat animam, & eam sanat æque ac corpus sola sua voluntate; jubet, & ipsi obtemperatur.*

DECLARATIO.

Ut Jansenistæ cum Quesnellio Ideam gratiæ Jesu Christi juxta suum conceptum hominibus magis imprimerent, adhuc duas instituunt paritates, sed æque infelici eventu. Prima paritas est de Deo hominem ex nihilo producente, vel mortuum resuscitante: altera vero de Centurione solo motu omnipotentis Divinæ voluntatis corporaliter sanato: nam taliter etiam (inquiunt) Deus per gratiam suam creat spiritualiter ex nihilo, & sanat morbos animæ humanæ. Ast contra est; quia ambæ præcedentes operationes ex integro non dependent ex cooperatione hominis; bene vero effectus, & operatio gratiæ etiam efficacis: etsi enim stante gratia efficaci infallibiliter, ac certo sequatur effectus; hoc tamen non provenit independenter à libera cooperatione hominis; cum talis homo ponatur à Deo in iis circumstantiis, in quibus prævidet eum libere suæ gratiæ cooperaturum. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quoad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac præparet, neque posse dissentire, si velit &c. &c. anathema sit*, inquit Concilium Trid. Sess. 6. de Justif. can. 4. toties jam Jansenistis inculcatum.

PROPOSITIONES XXVI. XXVII. XXVIII. & XXIX.

36. *XXVI. Nullæ dantur gratiæ, nisi per fidem.*

XXVII. Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum.

XXVIII. Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio.

XXIX. Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.

DECLARATIO.

Docet hic Paschasius Quesnellius, quod nullæ dentur gratiæ nisi per fidem, & quod ipsa fides sit prima gratia, ac consequenter cum extra veram Ecclesiam non sit vera fides, neque extra eamdem existat aliqua gratia, adjungit, quod respectu peccatoris, ut iterum fiat justus, sit prima gratia ipsa remissio peccatorum. Ast omnia ista apertam continent falsitatem: nam *in primis* datur gratia præveniens, excitans adultos ad veram fidem amplectendam: ergo non omnes gratiæ dantur per fidem, sed potius debent aliquæ admitti præcedentes ipsam fidem. *Secundo* item nec Ethnici, Turcæ, & Judæi carent gratia Divina excitante ad veram fidem &c. quamvis existent extra Ecclesiam: ergo datur aliqua gratia etiam extra Ecclesiam. *Tertio* per fidem, & spem, seu fiduciam in Deum &c. juxta Concilium Tridentinum *Sess. 6. de Justificat. cap. 6.* quis erigitur ad pœnitentiam, & detestationem peccatorum, quæ præcedit actualem eorum remissionem: ergo ex parte peccatoris remissionem peccatorum præcedunt alii actus salutares mediante gratia Divina eliciti, & consequenter ipsa remissio non est prima gratia peccatoris, ut iterum fiat justus.

PROPOSITIO XXX.

37. *Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter.*

DECLARATIO.

Quesnellius, æque ac Jansenius constanter Inimicus gratiæ sufficientis per hæc ipsa verba iterum eamdem rejicere, & solam interiorem efficacem adstruere tacite intendit; nam, cum juxta Eum, quos Deus vult salvos facere, infallibiliter salventur, signum est, quod Deus velit solos Electos salvari; isti enim soli (non reprobi) infallibiliter actu salvantur; sicque Deus alios extra Electos non vellet salvare consequenter nec ipsis aliquod Salvationis remedium, puta gratiam sufficientem procurare. Et ita plane sentiunt Jansenistæ, addentes propterea, quod Christus pro solis Electis voluerit sanguinem suum fundere, ac mortem obire, atque exinde solis Electis procurare gratiam, & quidem efficacem, ne voluntas Dei suo frustretur effectu. At contra hoc assertum pugnant Sacræ Scripturæ textus sæpius jam allegati: nimirum quod Deus velit omnes salvos fieri, Christus se voluerit dare in Redemptionem pro omnibus, ac pro omnibus voluerit mori. Et licet hoc desiderium sæpius ex parte creaturæ suo frustretur effectu; ex parte tamen Dei adhuc est omnino efficax, quatenus simul procurat etiam pro reprobis talia remedia sufficientia, seu gratias ut possent salvi fieri actualiter, dummodo vellent his remediis cooperari. Per dicta tamen nolo negare quod voluntas Divina salvandi homines &c. respectu Electorum adhuc sit efficacior, quam respectu reproborum, utpote cum Electis ad hanc salutem æter-

nam

nam obtinendam decreverit dare gratiam finalem non solum sufficientem, verum etiam efficacem, qua stante infallibiliter (absque tamen præjudicio libertatis indifferentiæ in voluntate creata ex parte actus primi proximi) sequetur effectus. Utrum autem hæc gratia sit intrinsece, vel tantum extrinsece efficax, relinquitur discussioni ulteriori Theologorum, juxta jam dicta. Mihi ultimum (citra tamen præjudicium alterius sententiæ) longe præplacet; cum exinde facilius infallibilitas effectus concilietur cum libertate humana ex una parte; ex altera vero adhuc salvetur profunditas Mysterii, uti consideranti patebit.

PROPOSITIONES XXXI. & XXXII.

38. XXXI. *Desideria Christi semper habent suum effectum; pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.*

XXXII. *Jesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine primogenitos, id est, electos de manu Angeli exterminatoris.*

DECLARATIO.

Manifestat se clarius in præsenti Quesnellius, præsertim propositione 32. quod idem ac Jansenius propositione quinta circa Passionem Salvatoris sentiat: nimirum quod Christus desideraverit pro solis Electis sanguinem fundere, & per sanguinem suum his solis (non reprobis) gratiam aliquam internam procurare. Id tamen falsum esse præcedenti numero, ac fusius numero 18. contra Jansenium ostendimus. Christus in cruce non solum pro omnibus mortuus est, verum etiam pro suis inimicis præsentibus ac futuris ibidem specialiter oravit, dicens Luc. C. 23. *Pater dimitte illis*: & tamen non omnes, etsi multi, ex inimicis Christi salvantur: quis ergo credat, desiderium Christi per Orationem ad Patrem suum patefactum semper suum habuisse effectum? Sanctus Augustinus Serm. 4. de Sanctis, loquens de Oratione Christi pendentis in cruce, inquit: *Quando in cruce pendens orabat, videbat, & prævidebat omnes inimicos, sed multos ex illis futuros amicos prævidebat, & ideo NB. omnibus veniam postulabat.* En! Christus ex numero inimicorum suorum tatummodo *multos* (NB. non *omnes*) futuros prævidit amicos, & tamen *pro omnibus* oravit, consequenter pro iis quoque, qui in inimicitia sunt perstituri, & sic pro reprobis, licet pro ultimis hæc oratio, & Passio Christi non habuerit desideratum Salvationis effectum.

PROPOSITIO XXXIII.

39. *Proh! quantum oportet bonis terrenis, & sibimetipsi renuntiasse, ad hoc, ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Jesum, Ejus amorem, mortem, & Mysteria, ut facit Sanctus Paulus, dicens*: Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.

DECLARATIO.

Ante declarationem nota, sibimet ipsi renuntiare idem esse, ac suæ propriæ utilitati alias ex actibus bonis capiendæ abdicare; ita ut nulla jam operatio fiat intuitu mercedis æternæ. Vult itaque Quesnellius, ut quis possit habere fiduciam appropriandi sibi mortem, & Mysteria Passionis Domini nostri Jesu Christi, debeat is, uti S. Paulus, renuntiare omnibus terrenis, ac etiam propriæ utilitati ex bonis operibus per modum mercedis accipiendæ. Utrumque hoc assertum non fundatur in Sacra Scriptura: nam in primis renuntiare omnibus Bonis terrenis est quidem Consilium Evangelicum; non tamen præceptum. Operari autem intuitu mercedis æternæ neutiquam in Sacra Scriptura prohibetur quasi malum. Quin imo Concil. Trid. Sess. 6. de Justificat. Can 31. anathematizat illum, *qui dixerit justificatum peccare, dum intuitu mercedis æternæ bene operatur.*

PROPOSITIONES XXXIV. & XXXV.

40. XXXIV. *Gratia Adami non producebat nisi merita humana.*

XXXV. *Gratia Adami est sequela Creationis, & erat debita naturæ sanæ, & integræ.*

DECLARATIO.

Collimat Auctor dictarum propositionum per hæc dicta iterum ad suam gratiam efficacem, faciens propterea aliquam distinctionem inter gratiam Adamo collatam in statu Innocentiæ, & inter gratiam nobis concessam. In statu Innocentiæ admittit quidem, quod gratia Adami non excluserit libertatem indifferentiæ ex parte hominis, additque hanc gratiam supposita creatione esse naturæ sanæ, & integræ debitam, nec tamen producere, nisi merita humana. Econtra vero in statu naturæ lapsæ vult gratiam esse ab intrinseco efficacem, quæ facit nos velle citra liberam nostram voluntatis electionem, & cooperationem, uti patet ex præcedenti propositione ejusdem 21. & tribus sequentibus. Ait autem hanc gratiam nobis per Christum comparatam producere talia opera supernaturalia, quæ proprie dici possunt merita gratiæ, & dona Dei. Sed contra est, quod in statu Innocentiæ præter vires, & perfectiones naturales ipsi naturæ puræ, ac integræ debitas, Deus Protoparentibus concesserit multa alia privilegia naturæ indebita, quæ pariter in nos fuissent derivata, nisi Adam peccasset. Inter dicta privilegia principale erat gratia sanctificans, quæ dabat jus ad Beatitudinem supernaturalem, seu ad visionem ac fruitionem beatificam, naturæ puræ ex se consideratæ neutiquam debitam. Unde falsum est, quod gratia Adami fuerit sequela creationis, ac naturæ debita, & quod opera bona exinde producta fuissent merita mere humana; quoniam ad illa præter voluntatem concurrissent gratia tam habitualis, quam actualis, sicuti defacto; etsi fortassis actualis non fuisset utrobique collata in æquali gradu, cum defacto ob rebellionem carnis, & fomitem peccati indigeamus uberiori. Sanctus Augustinus in Enchiridio c. 106. de natura humana ante peccatum sic loquitur: *Sine gratia tunc NB. nec ullum meritum esse potuisset; quia etsi peccatum in solo arbitrio erat constitutum, non tamen justitiæ habendæ, vel retinendæ sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni Divinum adjutorium præberetur.*

PROPOSITIONES XXXVI. & XXXVII.

41. XXXVI. *Differentia essentialis inter gratiam Adami & status innocentiæ, ac gratiam Christianam est, quod primum unusquisque in propria persona recepisset: ista vero non recipitur, nisi in persona Jesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus.*

XXXVII. *Gratia Adami Sanctificando illum in semetipso,*

erat illi proportionata: Gratia Christiana nos sanctificando in Jesu Christo est omnipotens, & digna Filio DEI.

DECLARATIO.

Duplicem differentiam, & quidem essentialem, statuit Quesnellius inter gratiam Adami, in statu innocentiæ, & inter gratiam nostram in statu naturæ lapsæ. *Prima est*, quod gratia Adami recipiatur in persona Jesu Christi, cui nos moraliter sumus uniti. *Secundo*, quod gratia Adami fuerit resistibilis: gratia vero nostra irresistibilis, seu irrefragabilis. Hæc tamen explicatio Jansenistica tribus falsis laborat suppositis, 1. falsum est, quod gratia Adami, ac nostra essentialiter differant. Id quidem negari nequit, quod gratia Adami ad constituendam justitiam Originalem completam habuerit aliqua annexa defacto per peccatum originale deperdita, præsertim subjectionem partis inferioris ad partem superiorem, ita, ut motus appetitus sensitivi subjicerentur appetitui rationali, nec ipso invito consurgerent, prout defacto caro rebellat adversus spiritum &c. ex hoc tamen necdum infertur, quod gratia Adami in se, & intrinsece distinguatur essentialiter à gratia in statu naturæ lapsæ. Falsum pariter est 2. quod gratia nobis collata non recipiatur vere in nobis; nam utraque tam actualis, quam habitualis animæ nostræ vere communicatur, cum hoc discrimine, quod gratia habitualis sanctificans ex sua natura sit qualitas permanens, animæ inhærens per modum habitus; actualis vero sit auxilium Divinum iterum transiens, de quo plura Theologi Tractatu de Gratia. 3. Similiter falsum, & toties jam refutatum est suppositum illud, quod in statu naturæ lapsæ omnis interior gratia sit irresistibilis; cum defacto detur sufficiens, cui resisti potest, imo actu resistitur ab hominibus.

Nota, quod si Jansenistæ velint per hæc sua dicta, Justitiam, ac gratiam nostram nullam esse aliam, quam Justitiam, & gratiam Christi nobis in tantum imputatam, in quantum sumus membra Christo tamquam supremo Capiti moraliter conjuncta, quod (inquam) in tali sensu non multum abludant circa nostram justificationem à Doctrina Lutheri, & Calvini, quin imo iisdem innitantur principiis.

PROPOSITIONES XXXVIII. XXXIX. XL. XLI. & XLII.

42. XXXVIII. *Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia Liberatoris.*

XXXIX. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum. Est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.*

XL. *Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.*

XLI. *Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philosophis Ethnicis, non potest venire, nisi à Deo, & sine gratia non producit, nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris.*

XLII. *Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium fidei, sine hoc nihil, nisi impuritas; nihil, nisi indignitas.*

DECLARATIO.

Patet absque ulteriori explicatione ex ipsis his propositionibus, quod Quesnellius per eas nihil aliud intendat, quam ab homine in statu naturæ lapsæ excludere omnem libertatem indifferentiæ, in ordine ad bonum, indeque insinuare necessitatem gratiæ efficacis ad illud. Sed contra est *primo*, quod hæc sit ipsissima Doctrina Michaëlis Baji multis antea annis ab Ecclesia damnata, cui censuræ etiam Bajus humiliter se subjecit. Propositio Baji ordine 27. sic sonat: *Liberum arbitrium sine gratiæ adjutorio non nisi ad peccandum valet.* Contra est *secundo*, quod exinde sequeretur, omnia opera infidelium fore mera peccata, utpote in principiis Quesnellii destituta gratia: nam juxta ipsum propositione 27. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum*; hincque juxta eumdem propositione 29. *Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.* Subsumitur: atqui falsum est, quod E. G. *largiri Eleemosynam, honorare parentes* sint apud infideles mera peccata; ergo Minor subsumpta probatur: erat enim ista Doctrina Lutheri, Calvini, & Baji jam antecedenter ab Ecclesia reprobata; nam Lutherus in caput 4. Epistolæ ad Galatas sic habet: *Opera extra fidem facta, ut maxime in speciem sancta videantur, sub peccato, & maledictio sunt.* Idem tenet Calvinus *Lib. 3. Instit. cap. 4.* Propositio Bajana inter damnatas vigesima quinta taliter sonabat: *Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.*

PROPOSITIO XLIII.

43. *Primus effectus gratiæ baptismalis est facere; ut moriamur peccato; adeo, ut spiritus, cor, sensus, non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habet pro rebus mundi.*

DECLARATIO.

Uti in prima propositione damnata tenuit Quesnellius, deperdita per peccatum gratia nihil remanere in peccatore præter generalem impotentiam ad omne opus bonum; ita e contrario in præsenti docet, quod sublato per gratiam baptismalem peccato in justo tali remaneat impotentia ad peccandum, ita ut in ordine ad exercendas actiones peccaminosas plus vitæ non habeat, quam aliquis mortuus ad res mundanas. At contra *primo*, quod in principiis Catholicorum gratia baptismalis tamquam sanctificans equidem tollat actuale peccatum, non tamen potentiam peccandi, neque fomitem peccati; alias enim acquisita semel per baptismum gratia homines redderentur impeccabiles, qui error fuerat Joviniani, jam quarto sæculo ab Ecclesia rejecti. Videatur Joannes Sianda V. *Jovinianus*. Contra est *secundo*, quod baptizatus habeat potentiam amittendi gratiam baptismalem non solum per infidelitatem, sed etiam per alia gravia peccata: ergo homo baptizatus, non obstante gratia baptismali, habet magis potentiam liberam ad peccandum, quam mortuus ad exercendas operationes mundanas, utpote cum mortuus omni careat potentia quoad operationes vitales. Anteced. probatur ex Concil. Trident. Sess. 7. de Baptis. Can. 6. anathematizantis illum, *qui dixerit baptizatum non posse, etiamsi velit, gratiam amittere, quantumcumque peccet, nisi nolit credere.*

PROPOSITIONES XLIV. XLV. XLVI. XLVII. XLVIII. XLIX. L. LI. LII. LIII. LIV. LV. LVI. LVII. LVIII. & LIX.

44. XLIV. *Non sunt, nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quem Deus remunerat;*

munerat; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum sit malus.

XLV. Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas omnesque actiones ejus corrumpat.

XLVI. Cupiditas, aut charitas usum sensuum bonum vel malum faciunt.

XLVII. Obedientia Legis profluere debet ex fonte; & hic fons est charitas. Quando Dei amor illius est principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exterius; alioquin non est, nisi hipocrisis, aut falsa justitia.

XLVIII. Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ, nisi aberratio, & nisi peccatum sine fidei lumine, sine Christo, & sine Charitate.

XLIX. Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine amore Dei.

L. Frustra clamamus ad Deum, Pater mi: si Spiritus Charitatis non est ille, qui clamat.

LI. Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur, nisi per charitatem.

LII. Omnia alia salutis media continentur in fide, tamquam in suo germine, & semine; sed hæc fides non est absque amore, & fiducia.

LIII. Sola charitas Christiano modo facit (actiones Christianas) per relationem ad Deum, & Jesum Christum.

LIV. Sola charitas est, quæ Deo loquitur, eam solam Deus audit.

LV. Deus non coronat, nisi charitatem, qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in vanum currit.

LVI. Deus non remunerat, nisi charitatem, quoniam charitas sola Deum honorat.

LVII. Totum deest peccatori, quando ei deest spes, & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei.

LVIII. Nec Deus est, nec Religio, ubi non est Charitas.

LIX. Oratio impiorum est novum peccatum, & quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium.

DECLARATIO.

Reassumit hic Quesnellius errores pridem ab Ecclesia rejectos, docendo, quod inter amorem Divinum, & inter amorem mundanum nihil mediet, ita quidem, ut omnia opera sint peccaminosa, nisi fiant ex motivo Charitatis Dei, quatenus in se ipso infinite boni; consequenter si credo in Deum, quia infinite verax est, si spero in ipsum intuitu mercedis, quia nobis bonus est, si abstineo à venereis ex motivo castitatis, vel si sustineo ærumnas absque ulla querela ex motivo patientiæ, vel do pauperibus ex motivo misericordiæ, vel obtempero Legi ex motivo obedientiæ, &c. omnes isti actus mali sunt, nisi fiant ex imperio, seu motivo charitatis, vel saltem habeant actum charitatis concomitantem.

45. Ast contra est *primo*, quod idem doceatur à Calvino in Antidoto ad Sess. 6. cap. 25. dicente: *Dei judicio nihil est sincerum, nec probum nisi quod ex perfecto Ejusdem amore manat.* Contra est *secundo*, quod Concilium Tridentinum Sess. 6. de Justificat. Can. 31. anathematizet illos, qui dicunt peccatum esse operari intuitu mercedis. Formalia sic habent: *Si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu mercedis operatur, anathema sit.* Contra est *tertio*, quod Sacra Scriptura ipsamet invitet sæpius ad exercitium bonorum operum intuitu mercedis, & præmii æterni: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas NB. propter retributionem*, inquit David. Psal. 118. & S. August. in Psalm. 14. *Non faciamus aliquid, nisi spe cœlestium præmiorum; ipsa est enim altitudo, non hic quærere mercedem, sed sursum.* Contra est *quarto*, quod ex hac doctrina, si inter charitatem, & vitia nihil mediaret, sequeretur, peccatorum gravium opera misericordiæ, & orationes ad Deum esse nova peccata, quam sequelam Quesnellius propositione 59. ultro quidem cum Bajo propositione inter damnatas trigesima quinta admittit; Sacra tamen Scriptura contrarium clamat, volens, quod Eleemosyna potius resistat peccatis *Eccles.* 3. *v.* 33. nec non a morte liberet, & peccata purget, *Tob. cap.* 12. *v.* 9. Item Orationes, Eleemosynæ procurarunt Cornelio Centurioni lumen veræ fidei, & sacrum Baptisma, uti testatur Angelus Domini *Act. cap.* 10. *v.* 4. Contra est *quinto*, quod hæc opinio Quesnellii de Charitate fuerit ipsissima Doctrina Michaëlis Baji jam centum annis, & ultra ante Quesnellium à summis Pontificibus S. Pio V. & Gregorio XIII. damnata. Sic enim Bajus propositione inter reprobatas 16. docebat: *Non est vera Legis obedientia, quæ fit sine charitate.* Et propositione 38. *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur: aut laudabilis illa Charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffuso Deus amatur.*

PROPOSITIONES LX. LXI. LXII. LXIII. LXIV. LXV. LXVI. & LXVII.

46. *LX. Si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quo hæc est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem.*

LXI. Timor non nisi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur.

LXII. Qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo.

LXIII. Baptizatus adhuc est sub lege, sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.

LXIV. Sub maledicto legis numquam fit bonum; quia peccatur sive faciendo malum, sive illud non nisi ob timorem evitando.

LXV. Moyses, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores Legis mortui sunt, absque eo, quod ullum Deo dederint filium, cum non effecerint nisi mancipia per timorem.

LXVI. Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad Ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem, sicut bestiæ, sed per fidem, & per amorem, sicuti filii.

LXVII. Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.

DECLARATIO.

Sensum harum octo propositionum facile capies, si principia Quesnellii, & Jansenistarum bene percipias. Itaque Is conformiter jam dictis propositione I. & seqq. puta 1. Absque gratia efficaci homines omnes in statu naturæ constitui in generali impotentia ad omne opus bonum, & consequenter etiam ad legis implementum. 2. Equidem non negare videtur, posse quaspiam leges observari intuitu mercedis, vel ex timore pœnarum; addit tamen id ipsum non esse legis implementum, sed novum peccatum, quia hæc non fiunt ex vera charitate. 3. Existimat gratiam Jesu Christi esse irresistibilem, ita quidem, ut si quis eam à Deo acquisierit, irresistibiliter

sistibiliter debeat operari bene; hincque à S. Augustino appellari gratiam *Victoriosam*, &c. &c. 4. Inquit, eamdem gratiam in novo Testamento, tamquam in lege gratiæ, obtinere multos, non tamen omnes, prout etiam Ipse Christus pro multis, sed non pro omnibus, (uti putat) sanguinem suum fudit. 5. Ait, in Lege Judaïca, seu veteris Testamenti gratiam illam Jesu Christi nondum fuisse concessam; unde 6. Israëlitas vixisse sub maledicto legis, seu (ut asserit) sub peccato, & generali impotentia adimplendi legem; etsi enim aliqui eamdem observaverint, id tamen vel intuitu mercedis, vel timore pœnarum contigisse dicit, ita, ut semper peccaverint, tam faciendo malum, quam declinando illud ob merum pœnarum metum. Et hinc 7. (pergit Quesnellius) Moyses, Prophetæ, & Doctores legis antiquæ nullum dederunt Deo Filium, cum non effecerint nisi mancipia per timorem. 8. Pari modo manere sub maledicto Legis baptizatos, sicut Judæos, si legem adimpleant ex solo timore. Ita cum Jansenistis Quesnellius.

47. Hæc tamen doctrina pluribus laborat falsis suppositis ab Ecclesia, & summis Pontificibus pluribus abhinc annis reprobatis. *In primis* enim, quod etiam mediante gratia sufficienti quis constituatur in potentia proxima observandi legem meritorie, patet ex declaratione primæ propositionis, & alibi sæpius. *Secundo*, quod non sit peccatum observare legem intuitu mercedis, ostensum est numero antecedenti. Insuper servare Legem ex timore pœnarum alias infligendarum, neutiquam esse peccaminosum, sed potius utile, & præparatorium ad gratiam (subintellige sanctificantem) sæpius decidit suprema Sedes: Nam Alexander VIII. sequentes duas confixit Theses Cap. IV. adhuc adducendas. Prima ordine 14. sic sonabat: *Timor Gehennæ non est supernaturalis*: altera Ordine 15. *Attritio, quæ ex Gehennæ, & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.* Prout etiam Concilium Tridentinum Sess. 6. de Justificat. Can. 8. anathematizavit quemlibet, *qui dixerit, gehennæ metu &c. peccatum esse, aut peccatores pejores facere.* Item Can. 5. Sess. 14. de Pœnitentia fulmine Apostolico percussit illam, *qui dixerit, eam contritionem, quæ paratur &c. in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, NB. amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, non esse verum, & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam.* Ubi principaliter intendit reprobare positionem Lutheri inter propositiones damnatas à Leone X. *Ordine sextam* cap. II. §. 2. jam relatam, in qua positione dictus hæresiarcha defendere nitebatur talem dolorem facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, nisi processerit ex affectu charitatis, prout apud Dominicum Viva hic limitat in Epistola ad Sulpitium. Mirandum itaque est, quod Quesnellius mori cupiens ut Catholicus crambem hanc hæreticam recoquere præsumpserit, etiam quasi in articulo mortis appellando ad futurum Generale Concilium. Experietur nunc hanc appellationem in supremo Tribunali Dei fuisse rejectam, tamquam illegitimam. *Tertio* Quesnellius supponit falsum, quasi gratiam Jesu Christi semper esse irresistibilem, quam etiam propterea male vocat *Victoriosam*: nam gratia efficax à SS. PP. appellatur *Victrix*, non quasi libertatem vincat, eamdem subjugando, sed quia superat tentationem, Diabolum, & concupiscentiam, uti recte notat noster Bonal *Part. 2. cap. 17. n. 17.* Item *quarto*, quod Christus sanguinem suum tantummodo pro multis fuderit, de quibus punctis videantur dicta partim propositione II. partim n. 18. & 38. *Quinto* falsum pariter est, quod in Lege veteri non fuerint à Deo intuitu meritorum Christi prævisorum concessæ gratiæ tam sufficientes, quam efficaces: cum Christus juxta jam dicta antecedentia post perpetratum Adæ peccatum nullum à summo Redemptionis beneficio excluserit. *Sexto* æque veritati Catholicæ consentaneum non est, quod omnes in veteri Testamento vixerint sub maledicto legis, seu sub peccato; In primis enim etiam *in statu veteris Testamenti* juxta formalia D. Thomæ p. 2. Quæst. 107. art. 1. ad 2. *fuerunt aliqui habentes Charitatem, & Gratiam Spiritus Sancti*: ergo nec ibidem præclusa fuit omnis via ad Charitatem. Deinde quamvis legem servassent ex metu pœnarum, necdum per hoc conformiter dictis antecedentibus peccatum commisissent, dummodo non simul retinuerint conditionatum affectum ad peccandum, ita, ut rati fuissent illud perpetrare, nisi pœnæ absterrerent. Exinde *septimo* patet, falsissimum quoque esse quod Moyses, & Prophetæ nil nisi mancipia per timorem effecerint. Num mancipia dicenda sunt ex qualibet Tribu Filiorum Israël duodecim millia signati, quos vidit Joannes Apocalyps. cap. 7. *Stantes ante Tronum in conspectu Agni?* Ex eodem fundamento nec alicujus peccati arguendi sunt baptizati, qui ex timore pœnarum legem adimplent, dummodo non simul affectum retineant ad peccatum, quod bene pro semper notandum: Sancti Patres enim, qui timorem servilem tamquam peccaminosum rejiciunt, loquuntur de timore serviliter servili, seu illo, qui simul retinet amorem ad peccatum. Vid. *Cap. IV. n. 165. & seqq.*

PROPOSITIO LXVIII.

48. *Dei Bonitas abbreviavit viam salutis, claudendo totum in fide, & precibus.*

DECLARATIO.

Nisi Quesnellius velit doctrinæ suæ propriæ, aliis duabus propositionibus, nimirum 51. & 52. contentæ, luculenter contradicere, debet hanc intelligere de fide non nuda, sed formata charitate, ita, ut sensum faciat sequentem: Dei bonitas abbreviavit, seu in compendium redegit viam salutis, omnia claudendo inter duos terminos fidei nempe, charitate formatæ, ac precum. In hoc tamen Quesnellii asserto præcipuus error in eo consistit: quod, dum omnia quoad salutem æternam obtinendam præcise intra hos duos terminos concludit, alia media ad salutem conducentia, uti gratias actuales infidelem ad fidem amplectendam excitantes, virtutem spei, misericordiam erga pauperes, abstinentiam, consilia Evangelica &c. excludere videatur. *Nec dicatur*, similes virtutes neutiquam excludi, dummodo ex imperio charitatis procedant, vel saltem eam virtutem supremam sibi conjunctam habeant. *Nam contra est*, quod, etsi majus comparetur meritum, quando taliter ista fiunt, id tamen ad contrahendam bonitatem ex parte dictarum virtutum necessarium non sit; cum singulæ ab invicem specie distinctæ habeant proprium objectum formale moraliter bonum, nec desit gratia divina præveniens, & concomitans memoratos actus moraliter bonos. Videantur dicta *n. 44. & seqq.* Item cap. IV. *n. 154.* & *n. 158.*

PROPO-

PROPOSITIO LXIX.

49. ***Fides**, usus, augmentum, & præmium fidei, **totum est** donum puræ liberalitatis Dei.*

DECLARATIO.

Negare, quod fides, usus, & augmentum fidei, aut præmium per actus fidei obtentum sit liberalissimum donum misericordissimi Dei, foret summa ingratitudo, merito cum Doctrina Pelagianorum, & semi-Pelagianorum ab Ecclesia condemnanda; hi enim propterea fuere reprobati, quia priores salutem nostram ex toto, posteriores vero saltem initium nostræ salutis, excluso supernaturali dono gratiæ, puris naturæ viribus adscripserunt. In hoc tamen errat Quesnellius, quod asserat, similes actus fidei ex toto ita esse purum liberalitatis Divinæ donum, ut simul eosdem actus excludat à ratione meriti: etsi enim actus boni mediante Divina gratia libere à nobis eliciti in radice sint pura Dei dona (quatenus nimirum Deus primam gratiam tamquam radicem omnium meritorum nulli confert intuitu operum naturalium, sed præcise gratuito) formaliter tamen habent etiam apud Deum suo modo rationem meriti in ordine ad præmium cœleste vel proxime, vel saltem remote; quando nimirum dicti actus boni, cooperante simul gratia Divina, libere ab hominibus eliciuntur, ita quidem, ut post primam supernaturalem illuminationem eliciti actus fidei cujuspiam Catechumeni baptizari cupientis censeantur meritorii de congruo; dum vero memorati actus repetuntur post receptum baptisma ab homine justo, sint quoque quoad augmentum præmii æterni meritorii de condigno: hinc Concil. Trident. Sess. 6. de justificat. can. 32. loquens generaliter de omnibus actibus, & operibus bonis hominis per gratiam sanctificantem justificati, recte anathematizavit eum, *qui dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita.*

PROPOSITIO LXX.

50. *Numquam Deus affligit innocentes, afflictiones semper serviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.*

DECLARATIO.

Verum quidem est, quod sæpe Deus nos affligat propter nostra peccata &c. falsum tamen, quod hæc sola sit causa; cum Deus etiam sanctis hominibus ob alios altissimos suæ Providentiæ fines, puta ad majorem spiritualem profectum, ad æternæ gloriæ incrementum, similes afflictiones immittat. Quis sanctior Christo Domino? Et quis majores Illo sustinuit ærumnas? Quænam post Christum purior Doloreissima Virginos MARIA? & quantas pertulit afflictiones, quamvis omni macula, etiam originali, caruerit? Suspicor, erroneam illam Quesnellii doctrinam esse desumptam ex Michaele Bajo, qui, ut similes instantias magis declinare posset, Beatissimam Virginem à Labe originali immunem negavit. Propositio ejusdem duplex inter damnatas 72. & 73. ita sonabat: *Omnes omnino Justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum: unde Job, & Martyres, quæ passi sunt, propter sua peccata passi sunt.* Item: *Nemo præter Christum est absque peccato originali; hinc beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut & aliorum justorum fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.*

PROPOSITIO LXXI.

51. *Homo ob sui conservationem potest sese dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter Ejus utilitatem.*

DECLARATIO.

Sunt alias Jansenistæ in Doctrina moralium, & in absolutione Sacramentali valde rigidi, in præsenti autem valde laxi, dum universaliter absque distinctione præceptorum Dei a præceptis Ecclesiæ, Legum Juris naturalis à Legibus Juris positivi adstruunt, hominem ob sui conservationem posse secum ipso dispensare quoad eam legem, quam Deus condidit propter ipsius utilitatem; Nam *contra est*, quod ex hac illimitata propositione sequeretur, hominem sæcularem, vel etiam Clericum voto solemni castitatis adstrictum secum ipse posse dispensare E. G. in præcepto naturali non fornicandi, seu nullam pollutionem voluntariam procurandi, si talis actus immunditiæ ex medicorum sententia conduceret ad conservandam sanitatem, vel ex eadem ratione, sive etiam ne diffametur, posse puellam gravidam secum dispensare ad procurandum abortum &c. & sic tandem ex principiis hujus doctrinæ excusari possent Acatholici Pastores ob datam à se Landgravio Hassiæ facultatem duas simul habendi uxores &c. Quæ, & similia quam absurda sint, nemo non videt. Ex mea parte credo, Jansenistas ideo principaliter laxissimam hanc excogitasse sententiam, ut Censuras Ecclesiasticas, quibus alias compellerentur pinguia dimittere beneficia, & Professuras, à se magis amoveant; de quo vide plura adhuc num. 59. & seqq,

PROPOSITIONES LXXII. LXXIII. LXXIV. LXXV. LXXVI. LXXVII. & LXXVIII.

52. LXXII. *Nota Ecclesiæ Christianæ est, quod sit Catholica, comprehendens & omnes Angelos Cœli, & omnes Electos, & justos terræ, & omnium sæculorum.*

LXXIII. *Quid est Ecclesia, nisi cœtus Filiorum Dei manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in Ejus Persona, redemptorum Ejus sanguine, viventium Ejus spiritu, agentium per Ejus gratiam, & exspectantium gratiam futuri sæculi.*

LXXIV. *Ecclesia, sive integer Christus, Incarnatum Verbum habet ut caput, omnes vero Sanctos ut membra.*

LXXV. *Ecclesia est unus solus homo, compositus ex pluribus membris, quorum Christus est Caput, vita, subsistentia, & persona unus solus Christus compositus ex pluribus sanctis, quorum est sanctificator.*

LXXVI. *Nihil spatiosius Ecclesia Dei, quia omnes Electi, & Justi omnium sæculorum illam componunt.*

LXXVII. *Qui non ducit vitam dignam Filio Dei, & membro Christi, cessat interius habere Deum pro Patre, & Christum pro Capite.*

LXXVIII. *Separatur quis a populo electo, cujus figura fuit populus Judaicus, & Caput est JESUS Christus, tam non vivendo secundum Evangelium, quam non credendo Evangelio.*

DECLARATIO.

Ovum ovo similius esse vix potest, quam Doctrina Calvini, & Quesnellii ad invicem quoad hoc, quod

quod uterque ab Ecclesia Christi excludat reprobos; Eamque ex solis prædestinatis, atque Electis constituat, addendo, quod pro his solis Christus suum sanguinem fuderit &c. Ceterum Quesnellius ultra Calvinum adhuc progredi videtur in eo, quod Ecclesiam non ex quibuscumque prædestinatis (ut pote ex quibus aliqui possunt pro nunc esse impii per finalem demum pœnitentiam convertendi) sed ex iis præcise componat Electis, qui manent in sinu Christi, aguntur per Ejus gratiam, ac vivunt Ejus spiritu secundum Evangelium. *Contra* tamen est, quod conformiter Apostolo 2. Timoth. cap. 2. v. 20. juxta jam dicta contra Calvinum Ecclesia sit illa magna Domus, *in qua sunt vasa aurea, & argentea, & lignea, & fictilia, quædam in gloriam, & quædam in contumeliam. Sic* Judas proditor teste Divo Augustino *Lib. de unitate Ecclesiæ cap.* 13. fuit in Ecclesia, sicuti Petrus, & reliqui Apostoli, & tamen erat reprobus. Vide de hoc fusius Cap. II. agendo de Visibili Christi Ecclesia contra Lutheranos, & Calvinistas.

PROPOSITIONES LXXIX. LXXX. LXXXI. LXXXII. LXXXIII. LXXXIV. & LXXXV.

53. *LXXIX. Utile, & necessarium est omni tempore, omni loco, & omni personarum generi studere, & cognoscere spiritum, pietatem, & Mysteria Sacræ Scripturæ.*

LXXX. Lectio Sacræ Scripturæ est pro omnibus.

LXXXI. Obscuritas sancti Verbi Dei non est Laicis ratio dispensandi seipsos ab ejus Lectione.

LXXXII. Dies Dominicus a Christianis debet sanctificari Lectionibus pietatis, & super omnia sanctarum Scripturarum. Damnosum est, velle Christianum ab hac Lectione retrahere.

LXXXIII. Est illusio sibi persuadere, quod notitia Mysteriorum Religionis non debeat communicari fœminis Lectione sacrorum Librorum. Non ex fœminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia ortus est Scripturarum abusus, & natæ sunt hæreses.

LXXXIV. Abripere è Christianorum manibus novum Testamentum; seu illis clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare.

LXXXV. Interdicere Christianis Lectionem S. Scripturæ, præsertim Evangelii, est interdicere usum luminis filii lucis, & facere, ut patiantur speciem quamdam excommunicationis.

DECLARATIO.

Sensus quidem harum propositionum videtur ex ipso textu satis clarus; Ecclesiæ tamen Catholicæ hic est summe injuriosus: Nam si Lectio sacræ Scripturæ est pro omnibus, atque insuper damnosum, vel Christianum ab hac lectione retrahere; tunc plane deberet Ecclesia (nisi velit esse noverca) filiis suis pro intellectu, ac captu faciliori passim versiones linguæ talis populi accomodatas procurare, & Lectionem non solum concedere, veram etiam eamdem cunctis, & quidem sedulam efficaciter inculcare; Cum tamen Sacri Concilii Tridentini Patres Regula quarta indicis Librorum prohibitorum experientia longe aliter docti Lectionem aliam neutiquam passim admittant absque consilio Parochi, aut Confessarii &c. Verba formalia loco cit. sunt sequentia: *Cum experimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti; quam utilitatis oriri, hac in parte judicio Episcopi aut Inquisitoris stetur, ut cum consilio Parochi, vel Confessarii Bibliorum à Catholicis Auctoribus versorum Lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint, ex hujusmodi Lectione non damnum, sed fidei, atque pietatis augmentum capere posse.* Ex quo utique supponit Concilium Tridentinum, non omnes ex hac lectione augmentum fidei, atque pietatis capere: ad quid enim alias Episcopis commisisset, ut ipsi primum discernant, utrum, & quinam ex illa lectione prædictam hauriant utilitatem? consequenter hæc prohibitio debet præsumi rationabilis. Cur igitur Quesnellius in præsenti repetit antiquam hæreticorum Cantilenam, qui eodem prorsus modo contra Ecclesiam Romano-Catholicam murmurare solent, ut Eamdem apud simpliciores, plebejos, & curiosas mulierculas magis odiosam reddant?

PROPOSITIO LXXXVI.

54. *Eripere simplici Populo hoc solatium, jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, est usus contrarius praxi Apostolicæ, & intentioni Dei.*

DECLARATIO.

Propositio ista mutata est a Protestantibus, qui pariter volunt, ut officia Divina pro instructione, & consolatione simplicium peragantur lingua vulgari, quatenus exinde populus quoque suam valeat Sacerdoti adjungere vocem, atque *Filii intelligant* (prout subjungit Quesnellius in suis reflexionibus paulo ante hanc propositionem) *quod Mater facit, & postulat pro ipsis.* Ast duo contra hæc dicta occurrunt bene notanda. *In primis*, quod haud inficias eamus, Ecclesiam posse, si vult, officia in lingua vulgari permittere. Solummodo negamus ad id teneri, & agere contra praxin Apostolorum &c. si non concedat. *Secundo* notandum, quod finis primarius, seu principalis Officii Divini tamquam alicujus actus Religionis sit ipsemet cultus Dei: Et licet consolatio populi possit suo modo dici finis saltem secundarius; hic tamen exinde sufficienter obtinetur, quod devote præsentes Divinis officiis, præsertim Sacrosanctis Missæ Sacrificiis specialem fructum acquirant, quamvis sensum verborum in Divinis officiis non intelligant. *Nec dicat* Quesnellius cum hæreticis, Divinum officium esse quoque institutum ad instructionem populi, quæ tamen deesset, si Divinum officium non celebretur in lingua vulgari: *Respondetur enim* negando illatum, loquendo de fine principali, conformiter jam dictis. Porro instructionem populi, si quæ ex officio Divino, vulgari lingua celebrando, speratur, abunde atque efficacius supplevit Concilium Tridentinum Sess. 22. de Sacrificio Missæ Cap. 8. sequenti notabili decreto: *Etsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem: non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur. Quam ob rem NB. retento ubique cujusque Ecclesiæ antiquo, & à Sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum Matre, & Magistra, probato ritu, ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, & non sit, qui frangeret eis; mandat Sancta Synodus Pastoribus &c. ut frequenter inter Missarum celebrationem per se, vel per alios ex iis, quæ in Missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cætera sanctissimi hujus Sacrificii Mysterium*

rium

rium aliquod declarent; diebus præsertim Dominicis, & festis. Volui referre verba omnia, quia singula singulare pondus habent, eaque non solum ad Quesnellianos, sed quoad executionem etiam ad alios diriguntur Catholicos.

PROPOSITIONES LXXXVII. & LXXXVIII.

55. *LXXXVII. Modus plenus sapientiæ, lumine, & charitate, est dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi ad minus satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur.*

LXXXVIII. Ignoramus, quid sit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, & detrectamus separationis istius ferre confusionem.

DECLARATIO.

Prior ex his duabus propositionibus confixis respicit directe ipsum Confessarium; altera vero directe pœnitentem. In priori Quesnellius docet spectare ad charitatem, Sapientiam, & lumen Confessarii, ut non illico pœnitenti largiatur absolutionem, sed potius præfato det spatium portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi insuper spiritum contritionis, & aliquatenus satisfaciendi justitiæ, antequam Deo reconcilietur. In posteriori Propositione Quesnellius vult, ut ipsemet peccator non statim petat possessionem bonorum illorum, quibus eum antea peccatum spoliavit: ubi principale utique bonum, quo homo per peccatum grave privatur, est ipsamet gratia sanctificans; hanc itaque juxta Quesnellium peccator non debet statim petere. Ita ille; sed quam male, patebit illico.

56. Itaque loquendo de propositione inter has duas prima, verum quidem est, Confessarium qua Judicem, vel qua medicum spiritualem rectissime agere, si subinde, puta apud recidivos, vel in occasione proxima constitutos &c. absolutionem suspendat, quando, gravibus circumstantiis simul confluentibus, plurimum dubitat de efficacia propositi; de quo vide inter propositiones ab Innocentio XI. damnatas ordine *sexagesimam capite quarto.* Ast communiter absolutionem suspendere ex eo motivo, ut peccator habeat spatium portandi, & sentiendi statum peccati, atque ut exinde jam ante reconciliationem incipiat satisfacere justitiæ Divinæ, est ordo præposterus, & doctrina ab Ecclesia rejecta, antequam Quesnellius suas Parisiis anno 1693. & 1694 edidit reflexiones in novum testamentum. Sic enim apud Cardinalem de Lugo *Disp.* 12. *de Pœnitentia.* Petrus de Osmo docens ex Christi lege, & præscriptione satisfactionem debere præmitti absolutioni, fuit damnatus pridem antea: Item Alexander VIII. anno 1690. quorumdam Jansenistarum propositiones reprobavit. Una ordine 16. taliter sonabat: *Ordinem promittendi satisfactionem absolutioni induxit &c. ipsa Christi Lex, & præscriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante.* Alia ordine 17. *Per illam praxim mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus.* Videsne, quam claris terminis hæc Quæsnellii de Pœnitentia doctrina fuerit jam antecedenter ab Ecclesia rejecta, ita ut mirari satis nequeam, quod Quesnellius, hoc non obstante, eamdem denuo reassumere, & defendere ausus fuerit; cui neutiquam suffragatur antiqua Ecclesiæ praxis, vi cujus solummodo absolutio Canonica à censuris, & pœnis pro foro externo non dabatur statim; secus vero absolutio Sacramentalis à peccatis ordinarie loquendo, ac quando alias sufficienter fuerunt instructi in principiis fidei.

57. Circa alteram propositionem directe concernentem ipsum pœnitentem, debuisset Quesnellius potius asserere immediate suæ doctrinæ contrarium: nimirum quod ille ignoret, quid sit peccatum, & vera Pœnitentia, qui non quo citius, eo melius, se disponit, ut beneficio Sacramentalis absolutionis iterum recipiat possessionem bonorum deperditorum, prætertim gratiæ sanctificantis, qua erat per grave peccatum privatus. Talis enim peccator, quamdiu cum Deo non reconciliatur, manet miserum diaboli mancipium, ruitque communiter loquendo de uno scelere in aliud: nam teste D. Gregorio Homil. 11. in Ezech. *Peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, suo pondere trahit ad aliud.* Insuper intra illud temporis spatium omnia ejusdem opera, quantumque moraliter bona, juxta Theologos sunt mortua, id est, nullatenus de condigno meritoria vitæ æternæ, ubi alias, si citius adeptus fuisset gratiam sanctificantem, potuisset intra illud temporis spatium ingentem sibi per eadem comparare thesaurum. Adhuc infelicior, imo omnium infelicissimus dicendus foret gravis ille peccator, qui noxiam sequens Quesnellii Doctrinam differret reconciliationem cum Deo, & interim vel usu rationis privaretur, aut ex infortunio aliquo, vel apoplexia, aliove accidenti subito mortem oppeteret. Neque isti casus forent valde rari, si ordinarie à peccatoribus deberet differri reconciliatio cum Deo, & propterea Confessarii communiter suspendere absolutionem, ut antea incipiant peccatores satisfacere. Longe aliter, ac Quesnellius suasit Spiritus Sanctus *Ecclesiastici capite quinto* quemlibet admonens peccatorem, sequentibus verbis notatu dignissimis: *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.*

PROPOSITIO LXXXIX.

58. *LXXXIX. Quartus decimus gradus conversionis peccatoris est, quod, cum sit jam reconciliatus, habet Jus assistendi Sacrificio Ecclesiæ.*

DECLARATIO.

Dum propositio ista peccatori reconciliato concedit jus assistendi sacrificio, eo ipso supponit, quod ante reconciliationem, mediante absolutione obtinendam, prædictum jus neutiquam habeat, sicque ab audienda Missa, uti excommunicatus abstinere debeat; cum tamen Ecclesia generaliter diebus Dominicis, & festivis auditionem Missæ præcipiat, neque peccatores, nisi fuerint specialiter excommunicati, atque exclusi, excipiat. Et profecto, si peregrina illa Quesnellii doctrina vera esset, templa sæpius diebus festivis plurimum evacuarentur, atque facile ex intermissione Missæ dignosci posset, quinam sint graves peccatores; item homines ad audiendas Missas à potestate Ecclesiastica diebus præceptis cogi nequirent, si, suspensa ad certum tempus absolutione, abstinere à Missis forent obligati.

PROPOSITIONES XC. XCI. XCII. & XCIII.

59. *XC. Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores de consensu saltem præsumpto totius corporis.*

XCI. Excommunicationis injustæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro: nunquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo, JESU Christo, atque ipsi Ecclesiæ per charitatem affixi sumus.

XCII. Pati potius in pace excommunicationem, & anathema injustum, quam prodere veritatem est imitari Sanctum Paulum: tantum abest, ut sit erigere se contra auctoritatem, aut scindere unitatem.

XCIII. JESUS quandoque sanat vulnera, quæ præceps primorum Pastorum festinatio infligit, sine ipsius Mandato: JESUS restituit, quod ipsi inconsiderato Zelo rescindunt.

DECLARATIO.

Ut intentum Quesnellii circa dictas quatuor propositiones magis penetretur, recolligendum, & notandum est ex dictis §. V. *In primis* Innocentium X. prævia maturissima deliberatione damnasse quinque propositiones ex Jansenii Libro quodam, quem *Augustinum* appellavit, excerptas. Notandum *secundo*, non obstante hac damnatione quamplures adhuc maxime in Gallia, & Belgio exstitisse, hæresi Jansenisticæ, præsertim in occulto, adhærentes, qui etiam hanc suam congregationem vocarunt *Ordinem Jansenistarum*, constituentes in ea unum *Abbatem*, alterum *Priorem*, Generales, quo officio ultimo Quesnellius longo tempore fungebatur. Notandum *tertio*, ut præfati, hucusque sub pelle ovina adhuc latitantes, magis dignoscerentur, ad instantiam Regis Christianissimi ab Alexandro VII. summo Pontifice præscriptam fuisse certam formulam, cui omnes Galliæ Archi-Episcopi, Episcopi, & quicumque Ecclesiastici Ordinis tam sæcularium, quam Regularium sese subscribere debuerunt, ac cum juramento affirmare, quod quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen *Augustinus*, excerptas, *sincero animo, etiam in sensu ab Auctore intento*, rejiciant. Fuit insuper annexa à Summis Pontificibus excommunicatio latæ sententiæ, incurrenda ab illis, qui aliquam ex his quinque propositionibus, quæ fuerunt damnatæ tanquam hæreticæ, docere, vel defendere ullatenus præsumpserint. Notandum *quarto*, Jansenistas exinde in magnas fuisse redactos angustias, utrum salva conscientia cum juramento sese huic formulæ subscribere, ac nihilominus adhuc interne possint tenere, & etiam, in occulto saltem, & clanculo doctrinam illam Jansenisticam dilatare, nec non verbis, & scriptis defendere, quin coram Deo aliquam incurrant excommunicationem? Inde notandum *quinto*, quod pro solvendo dubio recurrerint verosimiliter ad eorum Priorem Generalem Paschasium Quesnellium: saltem Is in allegatis supra propositionibus damnatis talia suggessit ipsis principia, ex quibus deducere potuerunt, se cum certa interna restrictione, seu æquivocatione posse, ne cathedras, & beneficia sua deperdant &c. formulæ subscribere; nec teneri veritatem, quam interne in doctrina Jansenii quasi pure Augustiniana inveniunt, exterius prodere, neque excommunicationem propterea coram Deo incurrere, si eamdem adhuc manuteneant, & in occulto defendant &c. nam (uti propositione 90. inquit Prior iste Generalis) ad valorem excommunicationis requiritur consensus Ecclesiæ, saltem præsumptus, qualis in præsenti non adest; cum præter aliquot Episcopos expresse non pauci contradicant Ordinis Ecclesiastici &c. &c. ubi autem excommunicatio est invalida, taliter excommunicatus coram Deo juxta *propositionem* 91. non excluditur ab Ecclesia; quin potius conformiter *propositioni* 92. stans pro veritate imitatur Sanctum Paulum optantem pro Fratribus suis *anathema esse*, *ad Romanos c.* 9. Sanabitque JESUS vulnera illa, quæ per excommunicationem præceps primorum Pastorum Festinatio inflixit sine ipsius mandato. Ita in substantia Quesnellius, ex quibus facile benignus Lector harum propositionum sensum intelliget.

60. Sed contra est 1. quod Deus Matth. cap. 16. & cap. 18. per illa verba: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis*, dederit Petro, & Successoribus potestatem excommunicandi independenter ab Ecclesiæ consensu. Contra est 2. Quod, dum Jansenistæ semper ad Concilia Generalia appellant, ipsum Concilium Trident. *Sess.* 25. *de Reform. c.* 3. loquens de excommunicationibus: quæ ab Episcopo feruntur, eam potestatem huic independenter à consensu Capituli, vel Parochorum adscribat. Formalia sic habent: *Totum hoc in ejus arbitrio & conscientia sit positum, quando ipse pro re, loco, persona, aut tempore eas decernendas esse judicaverit*: ergo à fortiori idem erit dicendum de Papa tanquam Episcopo Episcoporum: Contra est 3. quod in emergentia talium casuum præsumi debeat pro Superiore excommunicationem statuente, nisi *certo* constet contrarium: *nam* (uti inquit Bernardus de Præcept. & Dispensat. cap. 9.) *Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit certum displicere Deo, haud secus accipiendum est, quam si præcipiat Deus*; atqui in æternum nobis Jansenistæ non ostendent, excommunicationem maturissimo prævio examine latam in eos, qui tenent & defendunt quinque propositiones damnatas Jansenii, *certo* displicere Deo, ergo. Contra est 4. quod per hanc Quesnellii Doctrinam lata quibuscumque hæreticis, vel malevolis aperiretur porta ob excogitatas tales umbratiles rationes passim contemnendi fulminatam in eos excommunicationem, uti consideranti patet. Unde Jansenistæ per similia effugia Potestatem Ecclesiasticam eludere, atque quoad effectum frustrare allaborantes, non Paulum Apostolum, sed adhuc Saulum spirantem minas, & persequentem Ecclesiam imitantur.

PROPOSITIONES XCIV. XCV. XCVI. XCVII. XCVIII. XCIX. C. CI.

61. *XCIV. Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus inimicis, quam videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium, & foveri divisiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.*

XCV. Veritates eo devenerunt, ut sint lingua quasi peregrina plerisque Christianis, & modus eas prædicandi est veluti idioma ignotum; adeo remotus est à simplicitate Apostolorum, & supra communem captum fidelium; neque satis advertitur, quod hic defectus sit unum ex signis maxime sensibilibus senectutis Ecclesiæ, & iræ Dei in Filios suos.

XCVI. Deus permittit, ut omnes potestates sint contrariæ prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit, nisi Divinæ gratiæ.

XCVII. Nimis sæpe contingit membra illa, quæ magis

magis stricte unita Ecclesiæ sunt, respici, atque tractari tanquam indigna, ut sint in Ecclesia, vel tanquam ab ea separata; sed justus vivit ex fide, & non ex opinione hominum.

XCVIII. Status persecutionis, & pœnarum, quas quis tolerat tanquam hæreticus, flagitiosus, & impius, ultima plerumque probatio est: & maxime meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem JESU Christo.

XCIX. Pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo, aut aliquid examinare, aut agnoscere, se fuisse deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis id, quod Deum in sua Ecclesia posuit, ut in ea esset odor vitæ, V.G. bonos libros, instructiones, sancta exempla &c.

C. Tempus deplorabile, quo creditur honorari DEUS, persequendo veritatem, ejusque discipulos. Tempus hoc advenit... haberi, & tractari à Religionis Ministris tanquam impium, & indignum omni commercio cum Deo, tanquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in Societate Sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate, & Zelo quodam Religionis, persequendo flamma, ferroque viros probos, si propria passione est excæcatus, aut abreptus aliena; propterea, quod nihil vult examinare. Frequenter credimus sacrificare Deo impium, & sacrificamus diabolo Dei servum.

CI. Nihil spiritui Dei, & Doctrinæ JESU Christi magis opponitur, quam communia facere juramenta in Ecclesia, quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & Idiotis, & efficere, ut nomen, & veritas Dei aliquando deserviat consilio impiorum.

DECLARATIO.

Immerito in istis propositionibus conqueritur Quesnellius, falsissime imponendo Ecclesiæ, quasi abusive dominatum exerceret supra fidem fidelium, divisiones foveret, modos prædicandi antiquæ Ecclesiæ abrogaret, ipsos veritatis Prædicatores (Jansenistas nempe, & Quesnellii Sectatores; injuste persequeretur, membra Ecclesiæ strictius unita (nimirum denuo Jansenistas) gladio excommunicationis peccaminose separaret, bonos libros, instructiones, & sancta exempla (Jansenistarum) obstinate rejiceret, ac examinare negligeret, sicque ea, quæ à Deo sunt posita in odorem vitæ, converteret in odorem mortis, nec non contra spiritum DEI, & Doctrinam JESU Christi communia exquireret juramenta (puta præscribendo formulam abjurandi quinque propositiones Jansenii) sicque occasiones multiplicaret pejerandi, laqueos tenderet infirmis, & efficeret, ut nomen & veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum. Nescio sane, quomodo immaculatam Christi Sponsam veritatis fulgore nitentem, vel ipse Lutherus, aut Calvinus magis denigrare, & obfuscare potuissent. Calumniæ hæ sunt hæreticorum, non effata eorum, qui Catholici audiri, & in sinu Matris suæ, Catholicæ videlicet Ecclesiæ mori cupiunt. Videantur occurrente aliqua speciali difficultate præter plures alios Dominicus Viva *Tom. 2. Trutinæ Theologicæ*, & Crescentius Krisper in suo speciali Tractatu, *Nubila Jansenismi, & Quesnellianismi &c. dispulsa*, intitulato: vel si succinctum desideretur declarationis harum propositionum compendium; illud, & quidem satis clarum adducit Felix Potestas *in Examine Ecclesiastico* *ad Tomum tertium in appendice.*

§. Ultimus.

An Bajanistæ, Jansenistæ, & Quesnelliani in suis principiis quoad substantiam conveniant cum Lutheranis, & maxime cum Calvinistis, præsertim quoad Gratiam, & Liberum arbitrium?

Item.

Annectitur ad Finem succinctus modus disputandi cum ipsis.

62. Respondetur I. Quamvis prædicti non semper quoad terminos, ac phrases, item quoad accidentia conveniant cum Lutheranis, ac Calvinistis, concordant tamen cum ipsis sæpius quoad materiam de Gratia, & Libero arbitrio. Hæc Responsio etsi erui queat ex jam dictis in declarationibus Propositionum Jansenii, & Quesnellii, singulariter tamen quoad materiam de Gratia, & Libero arbitrio adhuc succincte probatur; ubi ex cap. 2. Recolligendum venit, tam Lutherum quam Calvinum negasse, quod gratia divina cohærere queat cum libero arbitrio tali, quale sibi annexam haberet non solum libertatem à coactione, verum etiam libertatem indifferentiæ: erat tamen Lutherum inter, & Calvinum hoc discrimen, quod Lutherus teneat, liberum arbitrium se habere mere passive seu esse rem de solo titulo, juxta propositionem inter damnatas à Leone X. *trigesimam sextam.* Econtra vero Calvinus equidem admittat concursum activum liberi arbitrii cum gratia; taliter tamen, ut voluntas præcise se habeat per modum instrumenti, quod ab artifice motum operationem impedire nequit; hinc uterque vult, in statu naturæ lapsæ ad rationem peccati sufficere libertatem à coactione, Errorem hunc Concilium Tridentinum *sess. 6. de justificatione* reprobat sequentibus formalibus.

Canone IV.

Si quis dixerit, liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari &c. neque NB. posse dissentire, si velit &c. moreque passive se habere; anathema sit.

Canone V.

Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo &c. anathema sit. His præsuppositis.

63. Probatur Responsio: Tam Bajus, quam Jansenius, ac Quesnellius docuerunt, ad rationem meriti, & demeriti sufficere libertatem à coactione, nec requiri libertatem à necessitate in statu naturæ lapsæ: ergo in substantia conveniunt cum Luthero, & Calvino, qui neutiquam negantes libertatem à coactione, circa alteram libertatem indifferentiæ idem, ac præcedentes sentiebant, & exinde à Concilio Tridentino allegato duplici Canone fuerunt rejecti. Antecedens probatur allegando ex quolibet eorum duas propositiones damnatas:

Inter rejectas Michaëlis Baji duæ sic sonabant;

XXVIII.

Pelagianus error est, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.

LXV.

Non nisi Pelagiano errore admitti potest aliquis usus liberi

liberi arbitrii bonus, sive non malus, & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit.

Inter Propositiones Jansenii.

I.

Aliqua Dei præcepta hominibus justis, volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.

III.

Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.

Inter Propositiones Quesnellii.

I.

Quid aliud remanet animæ, quæ Deum, ac ipsius gratiam amisit, nisi peccatum &c. & generalis impotentia &c. ad omne opus bonum?

II.

JESU Christi gratia, principium efficax boni cujuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum; absque illa non solum nihil fit, sed nec fieri potest.

Nota hîc I. quod ab istis nulla concedatur gratia interna sufficiens, sed solummodo efficax, quæ non omnibus datur, & consequenter illi, qui ea gratia carent, carent quoque libertate indifferentiæ ad servanda mandata Decalogi. Nota II. benigne Lector, quomodo in suis principiis, & quoad substantialia Bajus, Jansenius, & Quesnellius ad invicem cohæreant tam inter se, quam cum tertio, nimirum Calvino.

64. Respondetur II. Etiam ipsimet moderni Calvinistæ agnoscunt, sibique gratulantur, quod Jansenistæ in Substantialibus cum eorum doctrina conveniant, id unice optantes, ut quoque cum ipsis Romanæ Ecclesiæ aperta fronte renuntient: ad hoc ultimum apud Antonium Mayr in suo Augustino Doctore gratiæ *parte 2. Num.* 101. eosdem animat Labadius primo Catholicus, inde Jansenista, & demum Calvinianæ Hæresis Genevæ minister, qui suis antea rescripsit, non posse negari, quod circa grandia prædestinationis, & gratiæ dogmata eadem fides sit Calvinistarum, ac Jansenistarum. Optime noscunt Jansenistæ (inquit Jurieu apud Mayr *loc. cit n.* 103.) quod gratia invincibilis in sensu Calvini, & efficax in sensu Jansenii, eadem sit, quodque nulli gratiæ interiori aliter resistatur in Sistemate Jansenianо, quam Calviniano. Sic pariter Grotius cordate asseruit apud Mayr *loc. cit. n.* 68. si Catholici Jansenianas opiniones reciperent, duas Ecclesias, Romanam scilicet, & Calvinianam mox in unam coalituras. Et hinc Præcones Calvinianæ Sectæ in Hollandia librum Jansenii, cui nomen *Augustinus*, mox in vulgarem Patriæ suæ linguam traducentes alte clamarunt, nihil hoc libro aptius fore ad confirmanda fidei suæ dogmata. Nec videntur ipsimet Jansenistæ defacto circa materiam de gratia inficias ire; *Super materiam de gratia non est amplius solidum dissidium inter Catholicos, & Calvinistas*, inquit auctor Traditionis Ecclesiæ Romanæ, quem Auctorem Illustrissimus Archi-Episcopus Cameracensis apud Mayr *loc. cit.* asserit, fuisse ipsummet Quesnellium.

65. Quæres finaliter, quidnam sit observandum; si occurrat aliqua occasio disputandi cum Jansenistis? ubi per Jansenistas æque Michaëlis Baji, ac Jansenii, & Quesnellii Sectatores in principiis suis omnino convenientes intelligimus. Respondetur eodem ferme modo, quo præcedenti Capite circa Acatholicos. *Inprimis*, non facile digressionem esse faciendam ad materias particulares, sed sistendum in principiis generalibus, in Quæstionibus prolegomenicis, & hinc inde per decursum jam allegatis. *Secundo* principaliter inhærendum, quod Pontifex in materia fidei, ac morum loquens ex Cathedra sit regula infallibilis, non solum in materia Juris, sed etiam in materia facti talis, quod habet connexionem cum Quæstione juris. *Tertio* quod si multum contenderent, ad constituendam aliquam doctrinam in materia fidei in fallibilem præter decisionem Pontificis requiri etiam consensum Ecclesiæ; dato etiam hoc (nunquam concesso) talis consensus in præsenti, adest, cum Bullam Innocentii X. contra Jansenium, & alteram *Unigenitus* Clementis XI. contra Quesnellium omnes ferme Episcopi totius mundi (paucissimis respective exceptis, qui attendendi non sunt) omni cum submissione receperint. *Quarto*, Si ulterius vellent Jansenistæ, consensum hunc Ecclesiæ debere exprimi in aliquo Concilio generali, id esse falsissimum non solum in Quæstionibus prolegomenicis, sed etiam superius §. 1. Num. 3. & seqq. demonstratum jam fuit. Audiatur desuper S. Augustinus, quo potissimum, etsi falso, gloriantur Jansenistæ. Hic itaque Sanctus Antistes *Lib.* 4. *cap.* 12. contra duas Epistolas Pelagianorum sequentia habet formalia: *Aut vero Congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur, quasi NB. nulla hæresis aliquando nisi Synodi congregatione damnata sit; cum potius rarissime inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit &c. Verum istorum superbia &c. tantum se extollit &c. ut propter illos Orientis, & Occidentis Synodus congregetur. Quinto* accedit, quod eorum quoque doctrina in Concilio Generali Tridentino quoad plura puncta fuerit damnata, uti in declarandis propositionibus sæpius per decursum ostendimus. *Sexto* dum non raro ex ipsis querelam percipies, se nil unquam aliud tenuisse, quam doctrinam puram, quin sæpius formalia verba Divi Augustini, ut Augustinianos se vivere, & mori velle; cum Magnum Augustinum ipsamet Ecclesia antiqua cum Prædecessoribus Pontificibus, & SS. PP. unanimi voce maximis honorum, ac Laudum titulis semper extulerit. Tu Catholice ad hæc Jansenistis repone, neminem, nisi invidum, vel Sanctissimi hujus Antistitis eximia in Ecclesiam merita ignorantem altefato memorata laudū prædicata abnegare posse. Ast, ut cum Summorum Pontificum Oraculis, & Generalium Conciliorum Decretis par Eidem adscribatur infallibilitas, hoc nec ipse hic humillimus Ecclesiæ filius, si adhuc in terris existeret, pateretur, nec verus Catholicus manutenere præsumeret, præsertim postquam Alexander VIII. simile assertum *propositione 30. juxta dicenda cap. IV.* reprobavit. Verum quidem est, quod Jansenistæ sæpius verba etiam adducant formalia Divi Augustini, non tamen juxta sensum, & mentem ejusdem, quæ longe alia foret, si textus integros proferrent, & simul antecedentia cum subsequentibus connecterent. Notandum insuper est ex D. Thoma *Lect. 7. in 1. capit. Joannis*, quod Divus Augustinus, dum oppugnat Pelagianos, omnia puris naturæ viribus adscribentes, videatur in modo loquendi prima fronte omnia attribuere soli gratiæ, sicut econtra

dum certat contra Manichaeos, nullum liberum arbitrium agnoscentes, crederetur in modo scribendi favere Pelagianis.

CAPUT IV.

Declarans

Propositiones damnatas, à potiori pertinentes ad materiam Morum, seu ad Theologiam moralem.

Theologia moralis *est illa facultas, quæ principaliter ordinatur ad actus humanos laudabiliter dirigendos, & ad casus conscientiæ occurrentes recte resolvendos.* Ne autem utilissimæ, & ad excipiendas Confessiones necessariæ hujus facultatis limites sive per excessum, sive per defectum excedantur, proscripserunt summi Pontifices ex ejusdem finibus varias propositiones, quæ vel nimiam laxitatem, vel excessivum rigorem continebant. In præsenti ambæ declarabuntur succincte, & Lectores pro majori notitia sæpius ad Theologiam moralem Patris Reiffenstuel remittentur.

§. I.

Viginti octo Propositiones damnatæ ab Alexandro VII. cum Decreto eas damnante legi possunt in principio Tomi primi.

§. II.

Damnatæ viginti octo Propositiones declarantur.

PROPOSITIO I.

2. *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, & Spei, & Charitatis, ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.*

DECLARATIO.

Non defuerunt Doctores Catholici, qui cum Bañez, Serra, & Sancio docuerunt, memoratas virtutes Theologicas quoad exercitium suorum actuum nunquam obligare per se, ac directe, sed tantum per accidens, & indirecte, nimirum præcise pro tunc, quando alia quædam, quæ sine his virtutibus subsistere nequeunt peragere tenemur. Exemplificant hanc suam indirectam obligationem in aliquo peccatore gravi; qui adstringitur suo tempore amissam per peccatum mortale gratiam iterum vel per contritionem perfectam, vel per Sacramentum Pœnitentiæ cum attritione recuperare; talis enim peccator indirecte, & per accidens etiam tenetur elicere actum fidei; quoniam nequit hanc contritionem vel attritionem tanquam iterum reconciliativam cum Deo elicere, nisi simul credat in Deum, atque confidat, ab Ejus infinita Bonitate sibi peccatum denuo remittendum. *Ast contra est*, quod Sacra Scriptura non solum per accidens, ac in ordine ad alias virtutes, sed absolute, & immediate quoque, uti alia præcepta Decalogi, injungat exercitium harum virtutum: Nam, *qui non crediderit, condemnabitur.* Marc. cap. ult. v. 16. Et *qui non diligit, manet in morte.* 1. Joan. c. 3. v. 14. Unde etiam dilectio DEI Matth. c. 22. dicitur *primum, & maximum mandatum.* Vide de hoc fusius Reiffenstuel *Tract. 4. Dist. 2. num. 27. ac Dist. 6. n. 9. & Dist. 6. post Num. 9. in Additione.*

PROPOSITIO II.

3. *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

DECLARATIO.

Quoniam in Ordine Equestri Divi Jacobi à Sancta Sede Apostolica approbato Candidatus assumendus jurare debet, se nunquam recusasse duellum, ad quod fuerit provocatus; exinde aliqui Theologi intulerunt, licitum esse acceptare duellum provocato, ne recusans notam timiditatis apud illos incurreret: alias enim circa hoc punctum Regulam dicti Ordinis Sacra Sedes magis iniquam approbasset. Hoc tamen ipsum fundamentum, cui propositio à Summo Pontifice damnata innititur, laborat falso supposito: non enim Candidatus Ordinis hujus Equestris ab eodem repellitur, si recusaverit acceptare duellum, *ne DEUM duellando graviter offendat*, quamvis exinde forsan per accidens apud homines improbos, & vulgares incurrat aliquam notam timiditatis, quæ tamen nota curanda non est; dum econtra apud alios, Mandata Dei, & Ecclesiæ timentes, duellum acceptans judicatur potius imprudens, utpote vitæ propriæ non minus, quam alienæ cum maximo Reipublicæ detrimento valde prodigus. Fugere invasorem provocantem ex mera timiditate videtur Viro Equestri equidem ignominiosum, non autem recusare duellum, ne Deum graviter offendat; unde primum, non secundum teste Mendo apud Viva hic exigitur à Candidato Ordinis Equestris Divi Jacobi. *Videatur Reiffenstuel Tract. 9. Dist. 3. Num. 45. & seqq. Additionibus.*

PROPOSITIO III.

4. *Sententia asserens, Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt; & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Julii in Consistorio Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium, visa & tolerata est.*

DECLARATIO.

Duplex Quæstio moveri posset: *Prima*, utrum defacto sit vere probabile, Episcopum extra specialem aliquam facultatem posse absolvere ab hæresi occulta, & ab aliis Casibus Bullæ Cœnæ Domini necdum publicis? *Secunda* an sententia affirmans fuerit in Consistorio Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa, & tolerata? Ultima quæstio facile resolvitur, dicendo, quod testante Ipsomet Summo Pontifice in præsenti falsum sit, illam Doctrinam fuisse aliquando à Cardinalibus ad Trutinam revocatam, & toleratam. Utrum autem per hanc ipsam propositionem saltem indirecte quoque damnata fuerit Sententia Ledesmæ, Cordubæ, Vegæ, & Emanuelis Sa &c. volentium, Episcopum posse absolvere à Casibus Bullæ Cœnæ occultis, eo quod Concilium Tridentinum *Sess. 24. de Refor. cap. 6.* tribuerit Episcopis facultatem absolvendi in foro conscientiæ ab omnibus Casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, adhuc dubitatur? Ad quod Respondeo, quod opinio illorum Auctorum, qui Episcopis quidem tribuunt hanc facultatem; non tamen addunt, *quod præfata sententia fuerit à Consistorio Cardinalium tolerata &c.* quod (inquam) illa opinio in præsenti pariter fuerit damnata, ex ipsis verbis formalibus tam clare non constat; videtur tamen eadem jam aliunde carere solida probabilitate; quoniam Bulla Cœnæ Domini extra Romanum Pontificem omnibus adimit potestatem absolvendi

vendi à Casibus ibidem contentis, idque cum clausula: *non obstantibus NB. cujusvis Concilii Decretis.* Accedit, quod apud Viva hic sæpe Pontifices S. Pius V. Gregorius XIII. & Clemens VIII. declararint, non posse amplius Episcopos uti ea facultate à Tridentino concessa. Quam declarationem, & quidem diversorum Pontificum ab omni suspicione falsitatis esse immunem ex eo liquet, partim, quia ea reperitur in gravissimis Auctoribus; partim, quia eamdem in suis responsionibus secutæ sunt tam sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, quam Suprema Inquisitio quoad factas in hoc sacro Tribunali Decisiones, prout videri poterunt apud Eminent. Cardinal. Vincentium Petra in suis Commentariis *Tom.* 3. *Constitut.* 18. *Innocentii IV. n.* 19. *& seqq.* Et quis credet, tot responsiones, & Decisiones in causa tam ardua semper contigisse inconsulto aliquo Pontifice? unde à primo ad ultimum admisso quod Episcopis à Concilio Tridentino ante Bullam Coenæ Domini hæc fuerit potestas etiam quoad hæresin occultam concessa: defacto tamen per Bullam Coenæ Domini eadem de jure Ordinario fuit sublata; quamvis de speciali privilegio soleat Episcopis Germaniæ indulgeri ad eorum instantiam facultas, absolvendi ab omnibus Casibus reservatis etiam Bullæ Coenæ; in locis tamen, ubi impune grassantur hæreses. Videatur Reiffenstuel in Jure Canonico *Lib.* 5. *tit.* 7. §. 7. *N.* 367. *& in Theologia morali Tract.* 4. *dist.* 4. *num.* 29. & 30. Videri quoque poterit P. Pichler *Lib.* 5. *Decret. Tit.* 7. defendens, in Germania Episcopis etiamnum *de jure ordinario* competere potestatem absolvendi ab Hæresi occulta non obstante Bulla Coenæ, cui tamen sententiæ ob tot Declarationes, & Decisiones Supremorum Tribunalium contrarias adstipulari nequeo. Et quamvis in Germania inferiori, seu Belgio juxta aliquos AA. tam Episcopi, quam deputati ab his alii Sacerdotes soleant absque ullo scrupulo ab Hæresi occulta, imo etiam publica absolvere, id tamen si contingat, non fit de jure ordinario, sed teste Henno ex speciali privilegio ipsis à Gregorio XIII. ad instantiam Philippi II. Hispaniarum Regis concesso.

5. Quæres I. An Episcopi ab hæresi, & aliis Casibus Bullæ Coenæ Domini queant saltem in aliquibus casibus extraordinariis per se, vel per deputatos absolvere, quamvis non habeant illud speciale privilegium? *Respond.* Eosdem etiam non specialiter privilegiatos posse sic absolvere non solum in articulo, vel periculo mortis; verum etiam quando ex parte eorum, qui tale peccatum perpetrarunt, intercedit perpetuum, aut saltem longo tempore durans impedimentum, personaliter accedendi Summum Pontificem, vel Nuntium Apostolicum, aliumve Delegatum hac facultate absolvendi præditum. Ubi tamen inter Episcopum Germaniæ habentem singularem potestatem superiori numero declaratam, & inter alium, hac singulari potestate non præditum, sequens intercedit discrimen, quod posterior in simili casu apud laborantes impedimento longiori quidem tempore, non tamen in perpetuum durante, debeat exigere cautionem juratoriam de se sistendo in loco debito cessante impedimento: quale juramentum non requiritur, si Episcopus obtinuerit hanc singularem facultatem absolvendi specialiter. Ita communissima contra nonnullos; & ratio est, quia juxta Regulam communiter à Theologis receptam ob longius impedimentum intercedens personaliter accedendi Summum Pontificem Casus Papalis fit Episcopalis, *ne* alias intra tantum temporis spatium suspendendo absolutionem *pro dilatione Pœnitentiæ periculum immineat animarum*, uti loquitur Papa cap. *Mulieres.* Cap. *Quamvis.* & cap. *de cætero, de sententia Excommunicationis.* Item cap. *eos qui de sententia Excommunicationis in* 6. Et quamvis ibidem solummodo fiat sermo de incurrente excommunicationem reservatam ob percussionem Clerici; quia tamen ratio *periculi animarum* illic allegata pugnat etiam pro aliis excommunicationibus reservatis, pariformiter de illis erit discurrendum, nam *ubi eadem est ratio, eadem est Juris dispositio. Leg. ideo* 27. *ff. de Legibus.* Et *de similibus idem est habendum judicium. Cap.* 2. *de Translatione Episcopi.* Quod maxime verum est quoad Leges, & Canones respicientes salutem animarum, & ubi ratio Legis est contenta in ipsa Lege, prout in præsenti; etenim ratio in Lege expressa est anima Legis. *Can. consuetudo. Dist.* 1. *& L.* 7. *ff. de Portion. quæ Liberis &c.*

6. Quæres II. Quinam censeantur perpetuo, vel saltem longiori impedimento laborare, ut excusentur à personali accessu ad Curiam, vel ad specialiter delegatos à Summo Pontifice, quoad casus Bullæ Coenæ? *Respond.* Eosdem communiter recenseri infirmos, valetudinarios, decrepitos, Religiosos, mulieres, alterius potestati subjectos (uti sunt filii familias &c.) & inopes tanta paupertate pressos, ut ad Curiam ire nequeant: nam hi omnes, præsertim, si summus Pontifex, vel Nuntius Apostolicus sint in valde notabili distantia remoti, censentur habere moralem saltem impotentiam adeundi; cum vel absolute non, vel saltem non nisi cum maxima difficultate possint accedere. Porro taliter impediti personaliter adire Papam, possunt hoc beneficio absolutionis Episcopalis cum cautela superiori numero adjuncta uti, quin teneantur Romam mittere Procuratorem aliquem, vel supplicam scribere illuc ad S. Poenitentiariam pro obtinenda absolutione à censuris Papæ reservatis: nam Jura solummodo exigunt personalem accessum, quando Reus accedere potest, atqui in simili casu non potest; ergo. Videantur Reiffenstuel in Jure Canonico cit. lib. 5. *Tit.* 7. §§. 7. 8. & 9. ac Dominicus Viva hic.

7. Quæres III. Quanto tempore debeat impedimentum aliquod, quod alias non est perpetuum, durare, ut censeatur per illud quis excusatus à personali accessu ad summum Pontificem, Nuntium &c. pro absolutione hæresis, vel aliorum Casuum Bullæ Coenæ? *Respond. I.* Si impedimentum illud, v. g. infirmitas, alias non habens simul annexum periculum mortis, duret solummodo per aliquot dies, vel menses, exinde quis non excusatur à personali accessu, sed tenetur expectare, usque dum reconvalescat, nisi velit sibi per litteras Romæ procurare dispensationem, ut ab aliis cæteroquin non præditis hac facultate à simili censura absolvi queat. Ratio est, quia alias passim posset eludi vigor Bullæ Coenæ, & damnationis propositionis tertiæ, uti consideranti patet. *Respond. II.* Si tale impedimentum prudenter credatur duraturum pluribus annis, puta quinquennio, vel decennio, censetur excusari implicatus censuris Bullæ Coenæ à personali accessu ad Curiam &c. Ita communis: & ratio est; quia tale impedimentum vere censetur longo tempore durare. In dubio, prudentis judicio, ac perpensis simul circumstantiis spectanda est moræ hujus longitudo, ratione cujus possit Episcopus cæteroquin speciali facultate non præditus per se, vel per Deputatum à talibus Casibus, & censuris Bullæ Coenæ absolvere cum onere se sistendi cessante impedimento. Videatur Viva hic *num.* 6. & simul reflectatur,

quod

quod in Germania eo minor sit difficultas, quo Episcopi majorem habent facultatem absolvendi perse, vel per alios.

PROPOSITIO IV.

8. *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.*

DECLARATIO.

Quod Prælati Regulares post Bullam Coenæ Domini non habeant amplius facultatem in foro conscientiæ absolvendi sæculares ab hæresi occulta, clare paret ex terminis propositionis damnatæ: Utrum vero idem de aliis casibus Bullæ Coenæ sentiendum sit, adhuc dubitari posset. Ratio dubitandi est; quia propositio ista damnata præcise illis adimit potestatem absolvendi ab hæresi occulta quoad sæculares; ergo quoad alios casus videtur eamdem adhuc concedere. Respondetur tamen, hanc facultatem etiam quoad alios casus Bullæ Coenæ, quamvis non per hanc propositionem, attamen per ipsam Bullam Coenæ, Prælatis Regularibus, æque ac Episcopis adimi, quia memorata Bulla §. finali expresse abrogat omnia indulta, & Privilegia Regularium quoad hanc absolutionem, uti recte notat noster Sabinus Bononiensis in suæ Lucis moralis appendice, seu brevi notitia &c. *Quæsito* 4. *n.* 4. Videatur Reiffenstuel *Tract.* 13. Theolog. Moral. *Dist.* 2. *post. n.* 75. *additione* VI.

9. Quæres, An Prælati Regulares saltem non habeant facultatem per se, vel per suos substitutos absolvendi sæculares in foro interno ab hæresi occulta, aliove peccato in Bulla Coenæ reservato, si talis Casus ob interveniens impedimentum conformiter dictis num. 5. & seqq. ex Papali fiat Episcopalis? *Respondeo*, extra imminens periculum mortis negative; quamvis non desint Doctores affirmativam tenentes. Ratio mea principalis est; quia in casu intervenientis impedimenti summus Pontifex *c. de cætero*, & cap. *Eanoscitur*, ac alibi *de sententia excommunicationis* solummodo Episcopis quoad suos subditos dat hanc facultatem: ergo non Prælatis Regularibus quoad sæculares extraneos. Videatur Reiffenstuel *Lib.* 5. *Decretal. Tit.* 7. §. 8. *n.* 396. qui tamen num. 97. adjungit, quod, si adesset impedimentum adeundi non tantum Pontificem, verum etiam Episcopum, seu alios speciali hac facultate præditos, possit talis habens casum Bullæ Coenæ à quovis Confessario approbato absolvi.

10. Insuper pro praxi Confessariis speciali hac facultate absolvendi equidem non præditis adhuc deservire poterit, diversas posse influere circumstantias, propter quas talis hæresis, vel alius casus ne quidem amplius censeatur comprehendi sub casibus Bullæ Coenæ, & sic consequenter possit absolvi quoque ab aliis. Enumerantur utilissime dictæ circumstantiæ à Viva hic *n. IX. In primis*, si hæresis, vel alius casus in Bulla Coenæ reservatus fuerit tantum internus: nam Ecclesia defacto mere interna, præsertim cum annexa excommunicatione, non solet reservare. *Secundo*, si peccatum tale exterius positum sit tantummodo leve, quamvis internum foret grave. Sic à pari juxta Cardinal. de Lugo, Suarez, & alios, si percussio Clerici consideratis omnibus circumstantiis adhuc fuerit revera levis, non incurreretur excommunicatio lata in percussores Clericorum, quamvis talis habuisset intentionem data opportuna occasione graviter percutiendi; adeoque talis percussor posset absolvi à quolibet Sacerdote. *Tertio*, Si prudens foret dubium, utrum peccatum commissum comprehenderetur sub Casibus Bullæ Coenæ: nam *Odia sunt restringenda, & favores ampliandi. Regula.* 16. *Juris in* 6. *Quarto*, si ignorantia non crassa, aut supina à committente peccatum, ignoretur excommunicatio peccato annexa: nam stante hac ignorantia peccans non censetur contumax, sicque excusari à censura, propter quam talis casus in Bulla Coenæ reservatur. *Quinto* Si e. g. hæresis, alias in Bulla Coenæ reservata, fuerit præcise externa, non tamen interna, puta, si quis ex metu, vel vehementi ira quædam verba hæretica protulerit, licet interne in intellectu non sic crediderit: nam quamvis talis in foro externo præsumeretur hæreticus; in foro tamen conscientiæ non esset talis, sicque juxta Toletum, Suarez, Sanchez, nostrum Matthæuccium, & alios non incurreret Casum reservatum in Bulla Coenæ licet cæteroquin graviter peccaret, contra confessionem externam fidei. Plura adhuc circa hanc materiam vide apud Reiffenstuel *Tract.* 4. *Dist.* 4. *Quæst.* 3.

PROPOSITIO V.

11. *Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.*

DECLARATIO.

Ratio, cur hæc propositio fuerit damnata, est; quia talis denuntiator ab omni periculo poenæ talionis, aliave immunis est; quoniam coram tribunali sacræ Inquisitionis (apud quod, ubi viget, illa denuntiatio fieri debet) hoc crimen non tenetur probare tanquam actor, sed tantum deponere, quod audivit veluti testis, ac sufficit præfato sacro Tribunali hæc denuntiatio saltem ad diligentiam adhibendam pro ulteriori inquisitione, & ponendis Cautelis. Ita Felix Potestas *tom.* 2. *n.* 595. & Vivæ hîc, ambo Itali.

An autem etiam in Germania, ubi non viget sacra Inquisitio, & ubi Hæretici cum Catholicis permixti vivunt, sit facienda denuntiatio Episcopis cum tanto rigore, & quando crimen hæresis probari nequit, examinat La Croix, *Lib.* 2. *n.* 215. atque inclinat in negativam quando exinde non imminet periculum grave seductionis aliorum &c. dum autem ipsi objicitur allegata propositio damnata, ait, illam esse intelligendam tantummodo quoad loca, in quibus viget officium Inquisitionis, seu ubi Bullæ in tanto rigore usu receptæ sunt; non autem quoad Germaniam fuisse cum tanto rigore receptas, testantur plures Viri eximie docti.

12. Dixi autem notanter: *La Croix inclinat in negativam, quando NB. exinde non imminet periculum grave seductionis aliorum, &c.* nam stante gravi periculo perversionis aliorum, quis non solum jure positivo, sed etiam ex Lege naturali obligatus esset ad talem denuntiationem, cum quodlibet membrum teneatur sub gravi avertere notabile damnum, vel grave periculum notabilis damni Reipublicæ, quantum potest, etiam cum aliquo incommodo proprio. Censetur autem tale grave periculum seductionis semper adesse, si similes hæretici fuerint Pastores, vel alii Emissarii in terris Catholicis Romani Imperii occulte latentes, & nescio quos libellos venenatos in abscondito in populum spargentes, prout misera sæpius, & quidem novissime docuit experientia.

13. Quæres I. An apud talem Hæreticum, respectu

pectu cujus imminet periculum seductionis aliorum, tenetur quis ante denuntiationem præmittere aliquam correctionem Fraternam? Ratio dubitandi est; quia ipsemet Christus hunc ordinem correctionis præscripsisse videtur Matth. cap. 18. v. 15. & seqq. *Si peccaverit in te Frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum &c. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos &c. quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ.* Hoc tamen non obstante, Respondeo cum nostro Matthæuccio *in Cautela Confessarii Lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 3. absque prævia hac fraterna correctione faciendam esse denuntiationem talis periculosi hæretici, partim quia præmissa etiam hac privata correctione remaneret gravis formido, atque prudens dubium, utrum exinde se emendet, & non potius cum majori deinceps cautela venenum hoc ulterius in occulto diffundat non sine gravi Reipublicæ Catholicæ detrimento; quo stante prudenti dubio semper magis ad bonum totius Communitatis, quam ad particulare ejusdem membrum respici debet: partim quia ordo correctionis singularis præmittendæ non concernit crimina Reipublicæ noxia, sed particularia, seu privata, uti apud Matthæuccium *loc. cit.* in terminis docet D. Thomas 2. 2. *q.* 33. *art.* 1. *in corpore ad* 3. ubi taliter loquitur: *Quando imminet periculum multitudini, non habent ibi locum hæc verba Domini* (nimirum: si peccaverit in te Frater tuus &c.) *quia tunc frater peccans non peccat in te tantum, &c.*

14. Quæres II. An similem hæreticum quis teneatur denuntiare, si non certo sciat, eum periculose dilatare hoc venenum, sed id tantummodo ab aliis audierit? Ratio dubitandi est; quia in hac propositione damnata solummodo fit mentio de illis, qui *evidenter* sciunt, talem esse hæreticum, & tamen non denuntiant; eo quod probare non possint; atqui ille, qui tantum ab aliis audivit, exinde non evidenter scit, utrum dicta hæc aliorum à parte rei sint vera, nec ne? ergo. Respondeo ad hoc dubium. Quamvis talis intermittens denuntiationem non incideret in hanc propositionem damnatam ob causam in ratione dubitandi allatam; tenetur nihilominus, si à Viris fide dignis intellexerit, similem periculosum hæreticum (nihil tamen augendo, vel minuendo ex propriis) denuntiare. Ratio est partim, quia, si manifestantes sunt viri fide digni, manet adhuc grave periculum notabilis damni à quadam communitate Catholica incurrendi, ubi etiam ex lege naturali Charitatis vel justitiæ, præscindendo à particularibus constitutionibus, Bonum commune præponendum est bono privato; partim, quia in Edicto apud Dianam *Part.* 4. *Tract.* 5. *Resolut.* 28. videndo, præcipitur denuntiatio, *si quis sciverit, vel audierit ea delicta.* Et ita sentiunt apud Dianam *loc. tit.* Fagundez, Thomas à JESU, Rodriquez, Portell. &c. Quinimo Diana *loc. cit.* quoad simile vitium Reipublicæ summe noxium vult, ut debito loco indicetur, quamvis nesciatur positive, utrum manifestantes sint fide digni, nec ne, ubi tamen nil addi debet per aliquam auxesin, nec positive credi, quod E G. in simili casu quis sit talis Emissarius; ut pote cum necdum habeatur grave fundamentum id asserendi; proderit tamen similis denuntiatio ad ulteriorem indagationem in re ista præ aliis Reipublicæ noxia cum summa prudentia, cautela, & circumspectione taliter instituendam, ut tamen exinde indicatus apud alios, qui juvare nequeunt, non diffametur, antequam in majorem notitiam criminis per fundamenta graviora deveniatur.

PROPOSITIONES VI. & VII.

15. *VI. Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti Chartam postea legendam in qua ad venerem invitat, non censetur sollicitasse in Confessione; ac proinde non est denuntiandus.*

VII. Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.

DECLARATIO.

Pro faciliori utriusque damnatæ propositionis intellectu tria occurrunt notanda, quorum *primum* est, quod Gregorius XV. sapientissime perpendens, quanta mala ex sollicitatione ad turpia in confessionali sequantur, severissimam contra tales Sollicitantes emanare fecerit Bullam, incipientem, *Universis Dominici Gregis*, & anno 1623. 30. Aprilis editam. In hac omnes Sacerdotes Sæculares, & Regulares denuntiari mandat. I. *Qui* (sunt formalia Bullæ) *personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis Confessionis. II. sive ante, vel post immediate, seu III. occasione, vel prætextu confessionis hujusmodi, etiam Sacramentali Confessione non secuta, sive IV. extra occasionem Confessionis in Confessario* (seu Confessionali) *aut loco quocumque, ubi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare, vel procurare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint.*

16. Notandum II. Quod hæc denuntiandi obligatio sollicitatis ideo tam exacte fuerit imposita, partim ut similia enormia delicta, si quæ fiant, rigidissimis castigentur pœnis: partim ut ea perpetrantes non solum emendentur, verum quoque alii, videntes indeclinabilem talium delictorum denuntiationem, in futurum à gravissimo hoc peccato coerceantur, & deterreantur: partim ut periculo prostitutionis alicujus sacræ communitatis, aut vilipensionis Sanctissimi Sacramenti Pœnitentiæ efficacius in futurum præcaveatur. Et licet dicta Bulla Gregoriana in Germania, ubi non viget Tribunal Inquisitionis, dicatur non ubique recepta; adhuc tamen tales ibidem in Confessionali sollicitatæ personæ, si non *vi hujus Constitutionis*, ad minus *ex Lege Charitatis* tenentur ad denuntiationem, saltem in illis circumstantiis, in quibus denuntianti ex una parte non imminet prudens periculum gravis exinde damni; ex altera vero ex omissione denuntiationis Bonum publicum subit periculum prostitutionis ob tale membrum putridum alias incurrendæ: nam, si obligor ex fraterna Charitate, dum facile possum, avertere vere grave periculum notabilis damni à privato, multo magis id procedit respectu alicujus integræ Communitatis: ordinata enim Charitas exigit, ut Bonum commune præferatur bono privato, præsertim respectu talis membri putridi, apud quod privata correctio non proficit (*ordinarie* loquendo; ubi in dubio secundum ordinarie contingentia judicari debet, maxime quando agitur simul de periculo Boni publici. Cæterum redeundo iterum ad Bullam Gregorianam, ut vim, & efficaciam sanctissimi Intenti Summi Pontificis elidant, & eludant, varii varia excogitarunt, inter alia dicendo, cessare hujusmodi obligationem denuntiandi, quando sollicitans pœnitenti dat schedam ad turpia allicientem primum postea legendam; vel si ex parte post personam sollicitatam ipsimet huic sollicitanti confiteatur &c.

quam

quam utramque evadendi viam Alexander VII. præclusit damnando antedictas duas propositiones.

17. Notandum III. Ex hac ipsa Constitutione Gregoriana, uti etiam ex præced. n. 13. & 14. luculenter erui, quod præmissa correctio Fraterna privata non sit semper de præcepto Divino, quoad delicta Communitati valde noxia; nam alias neque Summi Pontifices immediatam denuntiationem Superiori, intermisso illo ordine faciendam, potuissent præcipere; cum nec ipsi aliquid agere queant contra præcepta Divina. Porro in dubio, quænam crimina Communitati sint valde noxia, Superiorum est, ea declarare, & subditorum, sese humiliter Eorum judicio submittere, nisi evidenter constet de injustitia Legis, quæ præsumi neutiquam debet, præsertim quando aliunde de Scientia, prudentia, & pietate Legislatorum constat: alias profecto brevi bonus Ordo laudabilis Gubernationis, & rectæ subordinationis Caput inter & membra in aliqua Republica subverteretur, uti recte observant melioris notæ Doctores, Canonistæ, Theologi, & ex parte etiam Ascetæ tractando de obedientia. Nec credant subditi similis Communitatis suggestioni diabolicæ: quasi nimirum illicò denuntiantibus adhibeatur fides, & ad executionem pœnæ etiam coram Deo Innocens trahatur. Absit hoc præsumere de prudentia Superiorum, qui prævie omnes circumstantias denuntiati, ipsius modi denuntiandi &c. bene perpendere, ac potius conservationem Boni publici, & evitationem delicti, quam confusionem delinquentis respicere debent. Ulteriora adhuc circa hanc materiam vide in Theologia Morali P. Reiffenstuel *Tract.* 14. *Dist.* 8. *Q.* 5. Vel in casu aliquo extraordinario apud nostram Felicem Potestatem in suo *Examine Ecclesiastico Tom.* 2. *per totum.*

PROPOSITIO VIII.

18. *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.*

DECLARATIO.

Urbanus VIII. in suo Decreto, *Cum sæpe contingat. &c.* de celebratione Missarum §. 2. mandavit, & præcepit *sub obtestatione Divini judicii, ut absolute tot NB. Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ Eleemosynæ præscriptæ fuerint, ita, ut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant; quin imo graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.* Ex quo consectaneum videbatur, non posse pro una Missa duplex stipendium recipi, sed esse obligatorium danti E. G. stipendium proportionatum pro una Missa omnes ejusdem fructus applicare. Ast non defuerunt Theologi, etiam post dictum decretum cum Molfesio, & Bartholomæo de Angelis, distinguentes inter fructum specialem, & specialissimum, quoad primum concedunt conformiter Decreto Urbani VIII. eadem applicari debere ex integro ad intentionem dantis stipendium; negant autem quoad fructum specialissimum, quem puteant posse in eadem Missa attribui alteri, & novum desuper recipi stipendium. Ubi nota, quod fructus *specialis*, seu medius is dicatur, qui cedit in bonum illius, pro quo sacrificium offertur. *Specialissimus* autem, qui cedit in bonum celebrantis, unde etiam à nonnullis vocatur fructus personalis. Utrum autem hic ultimus possit etiam pro altero applicari, valde dubium, & inter Theologos controversum est. Insuper nescitur determinate, an fructus specialissimus in suo valore, sit æquivalens fructui speciali; ubi Fill. & Nav. apud Viva hic existimarunt, fructum specialissimum trium Missarum æquivalere fructui medio unius Missæ. In hac itaque sententiarum incertitudine merito damnata fuit opinio eorum, qui in non leve præjudicium petentium pro stipendiis certas Missas putarunt, posse pro una Missa duplicatum recipi stipendium, unum pro medio, & alterum pro fructu specialissimo. Vide Reiffenstuel *Tract.* 14. *Dist.* 5. *n.* 51. *& seqq.*

PROPOSITIO IX.

19. *Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minore stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.*

DECLARATIO.

Summus Pontifex Urbanus VIII. loco superius allegato §. 4. *Omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibuit Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa Eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte ejusdem Eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.* Merito itaque damnata est Doctrina eorum, qui hanc ipsam sententiam adhuc post dictum Decretum Urbani VIII. defendere præsumpserunt; cum tamen ordinarie loquendo dantes stipendium habeant hanc intentionem, ut illud celebranti Missam, prout datum est, attribuatur, non autem alteri, respectu cujus singularem non habent obligationem. Videatur desuper cum suis exceptionibus Reiffenstuel *Tract.* 14. *Dist.* 15. *n.* 95. *& seqq.*

PROPOSITIO X.

20. *Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.*

DECLARATIO.

Ex infinito valore Sacrificii Missæ Thomas Hurtadus apud Viva hic, & nonnulli alii apud Mendo *Dissert.* 13. *Quæst.* 5. deduxerunt, non esse contra Justitiam, pro pluribus stipendiis etiam congruis unicam tantummodo offerre Missam; quia ob infinitatem Valoris Sacrificii nullus ex aliorum consortio patitur detrimentum, sed tantumdem accipit, quantum accepisset, si pro se solo fuisset oblatum Sacrificium; quoniam exinde Thesaurus ille infinitus non exhauritur. Sed contra est *primo*, quod etsi Sacrificium sit suo modo infiniti Valoris, quantum est in se, & sic in actu primo, non tamen sit tale in ordine ad nos, & in actu secundo, id est, Deus non voluit nobis infinito modo applicare. Simili distinctione expediuntur Hæretici, quando Catholicis objiciunt, quod merita Christi sint infiniti valoris, adeoque merita nostra nihil amplius contribuere possint in ordine ad vitam æternam consequendam. Contra est *secundo*, quod Urbanus VIII. juxta formalia n. 18. allegata expresse dicat, talem *graviter peccare, & ad restitutionem teneri*: ergo signum est, quod peccaverit contra Justitiam; quomodo enim alias teneretur ad restitutionem? Vides igitur, quam merito hæc propositio fuerit damnata.

PROPOSITIO XI.

21. *Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ aut ob aliam causam non tenemur in sequenti confessione exprimere.*

DECLARATIO.

Hanc reperies apud Reiffenstuel *Tract.* 14. *Dist.* 7. *n.* 45. Illud insuper pro aliquo peccatore gravi pluribus E. G. annis vel omnino non, vel sacrilege confitente superaddo consolatorium, quod nimirum, si nunc serio poenitentiam agat, omnia gravia peccata necdum directe remissa, quantum memoriæ occurrunt, clavibus Ecclesiæ subjiciat, & nihilominus nonnulla ex oblivione ob multitudinem intermittat, quod (inquam) eadem ita sint indirecte remissa, ut juxta communiorem cum Suarez, Victoria, Dominico Viva, & aliis non teneatur statim postea, quam primum memoriæ occurrunt, confiteri, sed sufficiat intentio eadem suo tempore clavibus Ecclesiæ subjiciendi; adeo quidem, ut, si intra illud spatium subitanea morte præoccupatus absque novo aliquo dolore obiret, adhuc salvaretur; supposito tamen, quod non commiserit nova gravia peccata, nunquam adhuc indirecte remissa. Exinde Confessarius ad infirmum gravissimis subjectum peccatis vocatus, facile cognoscit, quidnam responderi debeat, si E. G. talis ægrotus deposita dolorosa peccatorum suorum confessione eumdem taliter alloquatur: *Pater Reverende, quid mihi agendum, si in vestra absentia adhuc aliqua mihi incidant gravia peccata, ex oblivione pro nunc necdum confessa? & quorsum venirem, si, postquam similia delicta memoriæ occurrunt, subito phrænesi correptus, aut propter febrem acutam ratione privatus in tali statu in longam abirem æternitatem?* Tali gravi peccatori itaque, ne ex suggestione diaboli fiat pusillanimis, aut omnino in desperationem incidat, Confessarius confidenter reponat, eumdem propter illa peccata jam indirecte remissa neutiquam fore filium perditionis, quamvis subitanea morte præoccupatus exspiraret, dummodo defacto habeat voluntatem seriam eadem, si quæ occurrerent adhuc ante mortem suam, quantum moraliter potest, confitendi. Suadeat insuper anxio simili poenitenti ægroto, ut, dum incidunt de novo similia gravia peccata oblita, conetur elicere contritionem, & vocare Confessarium: posito autem, quod accelerata mors hos omnes bonos conatus in effectu impediret, pro consolatione subjungat, se neutiquam propter eadem tanquam jam indirecte remissa fore damnandum.

PROPOSITIO XII.

22. *Mendicantes possunt absolvere à Casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.*

DECLARATIO.

Concessa olim dicebatur Regularibus mendicantibus &c. vel immediate, vel per communicationem Privilegiorum potestas absolvendi à Casibus reservatis Episcopalibus, uti inter alias deducunt ex Bulla Pauli III. *Cum inter*, edita anno 1545. Et quamvis multi Locorum Ordinarii contenderent, hanc facultatem à Gregorio XIII. fuisse iterum sublatam, altefatus tamen Summus Pontifex apud Viva hîc anno 1583. Ipsemet declaravit contrarium. Successu autem temporis Urbanus VIII. expresse prohibuit, ne Regulares deinceps virtute suorum Privilegiorum absolverent à Casibus Episcopo Reservatis.

Hoc tamen Decretum aliqui Regulares ex variis Rationibus non satis solidis quoad suum Valorem revocarunt in dubium, sustinentes, illam facultatem absolvendi adhuc subsistere, quam tamen doctrinam in præsenti reprobavit Alexander VII. & denuo Clemens X. per Bullam *Superna* &c. editam 21. Junii anno 1670. Videantur de Casibus Episcopo reservatis plura apud Reiffenstuel. *Tractat.* 14. *Dist.* 7. *Quæst.* 2.

PROPOSITIO XIII.

23. *Satisfaciat præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.*

DECLARATIO.

Dato etiam, quod ante Concilium Tridentinum Bonifacius VIII. in Bulla *Super Cathedram*, & Clemens V. in Clementina *Dudum, de Sepulturis*, concessissent, uti plurimi volunt, quod Regulares Ordinariis præsentati, & ab Ipsis injuste reprobati, habeantur eo ipso pro approbatis, Pontifice eosdem pro tunc admittente; hæc tamen sententia videbatur correcta per Concilium Tridentinum *Sess.* 23. *de Reformat. cap.* 15. ubi ad evitanda varia incommoda absolute statuit, ut nullus Regularium deinceps Confessiones sæcularium absque Episcopi approbatione excipere *queat, Privilegiis & consuetudine quacumque etiam immemoriali non obstantibus*; quod ipsum Decretum cum expressa annullatione omnium, & singulorum privilegiorum roboravit Urbanus XIII. Bulla *Cum sicut accepimus* &c. Quoniam igitur tanquam necessarium quodpiam requisitum desideratur approbatio Episcopi, eadem absente, etsi injuste denegata, absolvi non poterunt sæculares, quamvis Episcopus injuste negans peccaret. Videatur Reiffenstuel *Tract.* 14. *Dist.* 8. *Qu. I. cum Appendice.*

PROPOSITIO XIV.

24. *Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.*

DECLARATIO.

Explicatio hujus propositionis jam invenitur apud Reiffenstuel. *Tract.* 10. *Dist.* 3. *n.* 10. Solummodo adhuc quæri posset, an supposita probabilitate illius sententiæ, quod Sacramentum Poenitentiæ possit esse validum, & informe, an (inquam) stante probabilitate hujus sententiæ satisfaciat præcepto annuæ Confessionis, qui recepit hoc Sacramentum tanquam validum, sed informe? ubi Suarez, Dicastillo, Medina, ac Sotus respondent affirmative, ea ratione; quia Ecclesia injungens receptionem annuam hujus Sacramenti videtur præcipere tantum ejusdem valorem, non autem fructum. Saltem hæc Responsio non videtur comprehendi sub Propositione damnata.

PROPOSITIO XV.

25. *Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius Pœnitentiam adimpleat.*

DECLARATIO.

Regula illa 68. Juris 6. *Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum*, non procedit in iis, in quibus

bus ex speciali ratione exigitur industria personæ, seu actio personalis, uti fit regulariter in satisfactione Sacramentali imposita partim ad novæ vitæ custodiam, partim ad præteritorum peccatorum vindictam, atque Castigationem. Sic etiam in multis aliis, puta in jejunio, recitatione Horarum Canonicarum, vel auditione Missæ nequit substitui alius, qui pro nobis his præceptis satisfaceret. Vide Reiffenstuel *Tract.* 14. *Dist.* 10. *n.* 15.

PROPOSITIO XVI.

26. *Qui Beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario.*

DECLARATIO.

Ut quis agere queat Confessarium juxta Concilium Tridentinum *Sess.* 23. *cap.* 15. Unum ex his tribus necessario requiritur, nimirum ut *vel* curatum Beneficium obtineat, quo concesso censetur eo ipso etiam concessa cum approbatione jurisdictio in concreditas oves, *vel* ut ab Episcopo per examen, *vel* si hoc non videbitur necessarium, alias idoneus judicetur, sicque approbationem, quæ gratis debetur, obtineat: ergo curatus non poterit sibi eligere pro Confessario aliquem simplicem Sacerdotem; cum ille simplex Sacerdos nec habeat curatum Beneficium, nec sit pro excipiendis Confessionibus ab Ordinario approbatus. *Videatur Reiffenstuel Tract.* 14. *Dist.* 8. *n.* 14. *&* 15.

PROPOSITIO XVII.

27. *Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere; quando alius modus defendendi non suppetit: uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publice, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.*

DECLARATIO.

Juxta dicenda, ne Laicis quidem est licitum occidere calumniatorem; nam inter damnatas ab Innocentio XI. Propositiones ordine trigesima sic sonat: *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit*: ergo multo minus id licebit Religiosis, vel aliis Clericis, qui honoribus mundanis nuntium remiserunt, ut vestigiis Christi inhærentes, Ejusdem mansuetudinem, & lenitatem imitarentur: Unde falsum adeo est, quod Clerici occidendo defendant proprium, vel Religionis suæ honorem; quin potius è contrario eumdem apud viros prudentes, & Deum timentes exinde deperdant. Exhibuisset Filio Pater Cœlestis ad defendendum honorem suum plus quam duodecim Legiones Angelorum si rogasset, Matth. *c.*26.*v.*23. Ast noluit; & numquid propterea honor Ejusdem fuit diminutus? Absit. Dantur longe alia remedia honorem hunc defendendi; quare propositio ista merito fuit damnata, utpote laborans falsissimo supposito. Vid. Reiffenstuel *Tract.* 9. *Dist.* 3. *n.* 23. *& seqq. cum quinque additionibus.*

PROPOSITIO XVIII.

28. *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes ac etiam Judicem, à quo iniqua certo imminet sententia si alia via non potest innocens damnum vitare.*

DECLARATIO.

Non apparet ullum solidum fundamentum, cur talis accusatus possit occidere accusatorem, aut testes, vel Judicem: nam vel talis accusatus probare potest iniquitatem accusantis, aut testium productorum, seu Judicis, vel non potest probare? *Si primum*: dantur alia Juris remedia, puta exceptionis, oppositionis aliorum testium pro se, appellationis &c. Quod si nequeat probare iniquitatem, ipsemet occidendo gravius incurreret periculum suæ propriæ vitæ per carnificem deperdendæ, cum similia homicidia ordinarie fiant palam saltem successu temporis. Accedit, quod, si illico liceret delatorem, testes, vel judicem occidere ideo, quia delati judicant, sibi imminere periculum sententiæ sua opinione certo injustæ pauci invenirentur, qui cum tanto vitæ periculo veridicos testes, vel indifferentes Judices agere vellent, non sine magno justitiæ vindicativæ, & ex consequenti Reipublicæ detrimento; cum facile homini in jure non perito, vel passione amoris proprii excæcato sententia possit apparere certo iniqua, dum aliis apparet eadem valde probabilis, vel etiam certo justissima. Videatur Reiffenstuel *loco superius citato.*

PROPOSITIO XIX.

29. *Non peccat maritus propria auctoritate occidens uxorem in adulterio deprehensam.*

DECLARATIO.

Ratio hujus damnationis est, quia talis occisio non tam se haberet per modum moderaminis inculpatæ tutelæ, quam vindictæ, quæ privatis personis est interdicta juxta communem, & juxta illud Levitici cap. 19. v. 18. *Non quæras ultionem &c.* idque maxime verum, si ex tali vindicta imminet periculum æternæ damnationis, uti in casu præsenti respectu uxoris adulteræ, si deprehensa in adulterio occideretur. Unde jam pridem ante dictam propositionem Nicolaus Papa *Can. Inter hæc* 6. *caus.* 33. *quæst.* 2. talem occisionem prohibuit, utpote quæ suspiciosis, & Zelotypis maritis portam aperiret contra omnem juris ordinem inauditas mactandi uxores. Neque Leges, quæ in contrarium solent allegari, tribuunt simili marito auctoritatem occidendi adulteram, sed tantummodo in foro externo admittunt remissionem illius pœnæ, quæ aliis homicidis juxta jura esset infligenda &c. Vide Reiffenstuel *loc. cit.*

PROPOSITIO XX.

30. *Restitutio à Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit pœna.*

DECLARATIO.

Jam eadem fusius data est à Patre Reiffenstuel *Tract.* 2. *dist.* 2. *additione post num.* 43. Item *Tract.* 6. *Dist.* 1. *num.* 34. *ac seqq. additionibus*, quorum Lectorem Brevitatis gratia remitto.

PROPOSITIO XXI.

31. *Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud*

aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.

DECLARATIO.

Rosella, Lopez, Angelus, & alii apud Sanchez *Lib.* 2 *conf. cap.* 2. *dub.* 62. docuerunt, posse in actualibus studiis à Beneficiatis studentibus satisfieri per alios recitationi Horarum Canonicarum: quia ob paritatem rationis potest quoque in simili casu satisfieri per alios obligationi residendi in loco Beneficii, *cap. fin. de Magistris.* Item pariformiter quoad Capellaniam collativam oneri Missarum. Sed contra est quod obligatio recitandi officium Divinum sit onus personale, sicut auditio Missæ, nec detur Beneficium, nisi propter officium: prout etiam Concil. Trid. Sess. 24. de Reform. cap. 12. vult, *ut omnes Divina per se, & non per alios compellantur obire officia.* Nec est paritas cum residentia; nam dum studia sunt incompatibilia cum residentia ordinarie loquendo, etiam Leges, quæ attendunt ad ordinarie contingentia, nolunt studentes ad residentiam obligare: èjcontra vero ordinarie non est incompatibilis cum studiis recitatio Horarum Canonicarum. Quod autem in Capellania collativa possit oneribus Missarum satisfieri per alios, provenit ex præsumpta voluntate fundatoris; ubi tamen quoad recitationem Horarum potius ex Concilio Tridentino; & consuetudine eruitur voluntas contraria: Unum adhuc adverte in præsenti, quod Capellania collativa, de qua mentionem facit propositio damnata, sit illa, quæ erigitur au ctoritate Prælati Ecclesiastici: Quando vero relinquunt præcise Laici absque auctoritate Ecclesiastica bona sua cum eo onere, ut quot annis certa pensio detur alicui Clerico pro tot Missis celebrandis &c. vocatur Capellania non collativa quæ nec proprie est Beneficium: unde obtinens talem Capellaniam non collativam non tenetur ad Horas Canonicas, nisi alias jam fuerit Subdiaconus, vel id singulariter in litteris fundationis exigatur.

PROPOSITIO XXII.

32. *Non est contra justitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia Collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica pecunia interveniente non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.*

DECLARATIO.

Loquitur hæc Thesis confixa de illis Beneficiis, respectu quorum Collator non est adstrictus ad unum certum, sed spectat ad liberum arbitrium ejusdem, utrum hunc velit alteri præferre. Itaque pro ipsa electione, seu determinatione unius præ altero volunt Auctores thesis confixæ cum Vincentio Candido *T.* 1 *de Benefic. Disquisit.* 18. *art.* 39. citra læsionem justitiæ aliquid exigi posse; cum id non petatur pro Beneficio, sed potius pro libera hujus præ altero electione, quæ electio utique pretio est æstimabilis, partim quia Collator se privat illa libertate, quam ante determinationem habuit: partim quia præ alio electus exinde magnum capit emolumentum, neque neglecto per hoc fit injuria, si præcedens interveniente pecunia præ ipso ad dictum temporale emolumentum ex electione proveniens determinetur: etenim eo ipso, quia libera est electio, nulli ex justitia quidquam debetur. Ita illi. Sed contra est, quod à parte rei prætextus iste sit palliata Simonia; cum in effectu detur, & accipiatur pecunia pro ipso Beneficio. Insuper per illam sententiam lata aperiretur porta sæpius excedendi terminos justitiæ distributivæ, ac intromittendi cum maximo Ecclesiæ detrimento in Ecclesiastica Beneficia minus dignos, & divites, exclusis dignioribus, & pauperibus. Falsum præterea est suppositum, quod electio illa unius præ alio sit pretio æstimabilis; cum Collator alicui, indeterminato saltem, debeat conferre Beneficium ex officio; & licet nullus ex determinatis habeat in dato casu jus ad ipsum Beneficium, habet tamen quilibet Jus, ut non petatur ab eo pecunia propter determinationem ad Beneficium. Nec dicatur, pecuniam à determinato dari sponte: Respondetur enim dari sponte coacte. Accedit adhuc, quod Ecclesia pariter habeat jus, ut à simili Collatore nullum temporale pro ipsa determinatione in maximum prædicta Ecclesiæ detrimentum exigatur. Et plane, si ex eo, quod quis habeat liberum arbitrium determinandi unum præ alio, inferri posset, quod pro illa determinatione ad unum pecunias accipere valeat, tunc in casu, quo quis ex officio tenetur alicui pauperi nobili puellæ ad augendam dotem dare mille florenos, posset licite à Titia, quam eligit præ aliis in ordine ad dotem, accipere quingentos florenos; quia Titia mavult adhuc habere residuos quingentos, quam ut hæc summa non ipsi, sed alteri puellæ conferatur. Vide Reiffenstuel *Tract.* 5. *Dist.* 3. *n.* 45.

PROPOSITIO XXIII.

33. *Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat; puta quia non vult se subjicere præcepto.*

DECLARATIO.

Quod Ecclesia nequeat extra præcepta Divina quidpiam de novo sub peccato gravi præcipere, inquiunt quidem Acatholici *Cap. II.* jam refutati; ast nullus Catholicorum id asserere audet, apud quos in confesso est, Ecclesiam posse sub gravi obligare, si velit; quæstio solummodo à nonnullis movebatur, utrum voluerit actu sub gravi peccato fideles ad jejunium servandum adstringere, necne? Ubi, quod fuerit Summorum Pontificum voluntas quoad jejunium æque, ac quoad reliqua Ecclesiæ præcepta, graviter obligandi, patet tum ex Canone, *non liceat. de consecrat. Dist.* 3. *& Can. Quadragesima Dist.* 5. tum ex ipsa damnatione hujus propositionis, quam non reprobasset, si non intendisset graviter obligare ad observantiam jejunii. Vide Reiffenstuel *Tract.* 10. *Dist.* 2. *n.* 39.

PROPOSITIO XXIV.

34. *Mollities, Sodomia, Bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem.*

DECLARATIO.

Adscribitur à Dominico Viva hic sententia illa, sub ista propositione contenta, Caramueli in sua Theologia fundamentali num. 1199. cui præter Armillam, & Canum adstipulatur Graffis cum decem Doctoribus Lovaniensibus. Contra tamen est, quod

quod licet hæc tria turpissima sint contra unicam virtutem Castitatis, ipsi tamen opponantur secundum speciei morali diversas adinvicem rectitudines. Vide Reiffenstuel *Tract. 9. Dist. 4. num. 66. & 68.*

PROPOSITIO XXV.

35. *Qui habet copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto dicens: commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.*

DECLARATIO.

Nonnulli, qui tenent circumstantias præcise aggravantes non necessario exprimi debere in confessione, exinde intulerunt, intra speciem simplicis fornicationis non esse necessario indicandum, utrum fuerit exercita actualis copula cum soluta, vel solummodo intervenerint impuri aspectus, aut impudici tactus, vel etiam præcise impura desideria: etenim (uti sentiebant) tactus, aspectus, & ipsa copula, uti etiam desiderium respectu alicujus solutæ solummodo intra speciem fornicationis distinguuntur ad invicem secundum magis & minus, ac consequenter se habent per modum circumstantiarum aggravantium, quas juxta probabilem sententiam necesse non est confiteri: sicque sufficit in Confessione dicere E. G. *commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem semel*; cum sic explicaretur species, & numerus: sicuti à pari in peccato furti ob eamdem rationem sufficeret in Confessione se accusare: *abstuli summam gravem semel*, non addendo, utrum fuerit centum vel mille floreni, quia hæ tantum sunt circumstantiæ aggravantes. Et ita docuerunt cum Caramuele in Theologia fundamentali *fundamento 25. num. 45.* nonnulli Recentiores Complutenses apud Turrianum *de Pœnit. Quæst. 9 art. 2. disp. 29.*

36. Ast contra est, quod *In primis* Scotistæ illi, qui cum Reiffenstuel *Tract. 1. Dist. 2. qu. 4.* actui externo adscribunt propriam aliquam bonitatem, vel malitiam, negent, actum internum, & externum fornicationis &c. non distingui ab invicem specie, quamvis ultro fateantur, has species adinvicem esse subordinatas, ita, ut actualem copulam præter impura desideria ordinarie etiam oscula, tactus impudici &c. præcedere, vel comitari, aut saltem brevi subsequi soleant; adeoque exprimens in Confessionali ipsam copulam sufficienter censeatur implicite exprimere desiderium, & tactus impudicos: quamvis econtra per alia verba in propositione damnata contenta: *peccavi contra castitatem cum soluta*, non sufficienter indicetur; utrum peccaverit vel solo impuro desiderio absque aliquo tactu impudico, vel præcise tactu impudico absque copula, vel demum per ipsam perfectam copulam fornicariam. Contra est *secundo*, quod etsi cum Viva hic, & plurimis aliis propugnetur in actu externo alicujus tactus impudici, vel actualis copulæ non relucere malitiam moralem specialem, & distinctam ab actu interno; adhuc tamen juxta præfatos Doctores exponi debeat à pœnitente, utrum solo desiderio, vel tactu impudico, aut etiam per ipsam copulam fornicariam peccaverit; quia alias non manifestaretur entitas actus, seu ipsum individuum peccati commissi: *Tenemur enim* (inquit Viva ferme in formalibus) *numerum peccatorum taliter explicare, ut unumquodque simul explicetur secundum individuationem suam, supposito, quod illa individuatio speciali alio, & alio modo* (prout contingit in præsenti) *participet ipsam malitiam specificam peccati. E. G. licet non teneamur aperire, num peccatum commissum contra Castitatem diu duraverit, vel qualiter fuerit intensum, eo quod hæc spectent ad circumstantias, non ad entitatem, seu substantiam actus: explicanda tamen est diversitas actuum eorum, qui diversimodo peccati speciem participant; atque adeo explicandum est, num peccatum patratum cum soluta contra Castitatem fuerit merus tactus, vel an fuerit copula: cum hujusmodi duo actus in æstimatione morali per diversos modos individuandi contrahant eamdem speciem luxuriæ.* Ita Dominicus Viva.

PROPOSITIO XXVI.

37. *Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.*

DECLARATIO.

Expositum jam fuit propositione XXII. quod obligatus ad aliquid agendum, seu conferendum nequeat propter liberam determinationem unius præ alio pecunias exigere, idque fortissime stringit apud Judicem, qui, si stante utrinque paritate rationum posset inclinare in plus offerentem, eo ipso redderet sententiam venalem, quod in omni jure prohibetur, conformiter Baldo *in cap. super eo de Transact.* Item posset licite esse acceptator personarum; cum tamen *in judiciis non sit acceptio personarum habenda*, Juxta Reg. 12. Juris in 6. Quare in simili casu si nullus litigantium existat in possessione, & cæteroquin attentis omnibus circumstantiis rationes utrobique sint quasi æquales, Judex debet pro æqualitate dubii rem litigiosam inter litigantes dividere, vel si indivisibilis est, & uni datur, alteram medietatem saltem in æquivalenti secundo reddere, vel consensu partium arbitros statuere, aut alio modo inter litigantes (nisi ipsimet ad invicem amicabiliter componere velint) transactionem proponere, uti recte Suarez, Herincx, Layman, Bannez, & Sporer, ac communior contra nonnullos apud Dianam *Part 2. Tract. 2. Resolut. 3.* tenentes in tali casu posse judicem adjudicare causam, cui voluerit. Vide Reiffenstuel *Tract. 1. Dist. 3. n. 61. & seqq.*

PROPOSITIO XXVII.

38. *Si liber sit alicujus junioris, & moderni: debet opinio censeri probabilis, dum non constat rejectum esse à Sede Apostolica tamquam improbabilem.*

DECLARATIO.

Nam hic reprobatur illa sententia, quæ defendit unum Auctorem omni exceptione majorem, posse reddere aliquam opinionem extrinsece vere probabilem, cum Auctor omni exceptione major censeatur ille, qui est valde peritus tam juris naturalis, tum positivi, qui insuper ordinarie suas conclusiones solet gravibus firmare rationibus; & præterea fundamenta contraria bene discutere, atque veritatem potius, quam novitatem amare. E contra verò illico, & absque ulteriori discussione censere aliquam opinionem vere probabilem præcise ex eo, quia liber est alicujus Junioris, & moderni, idem est, ac aperire januam omnibus laxitatibus. Quot enim

sunt Auctores moderni novitatum potius, quam veritatum amatores! quot rationum pondera pro & contra adducta non æqua lance perpendunt! quot apud modernos scribendi libros pruritus, dum aliquam umbratilem, & mere speculative, non practice probabilem adinveniunt favorabilem rationem, absque ideo ulteriori hæsitatione actionem licitam pronunciant! Ipsæmet propositiones à modernis Pontificibus damnatæ, quæ continebant sæpius doctrinam aliquot Juniorum Auctorum, testes nostri effati agere possunt. Revolve modernos Catalogos Librorum prohibitorum jussu Sacræ Congregationis Indicis impressos, ibique non solum antiquos, sed quoque Juniores reperies reprobatos. Nec refert, quod libri moderni defacto ordinarie non soleant vulgari Typis, nisi antea à Censoribus approbati: nam contra est, quod etiam defacto non raro ex culpabili negligentia superficialiter tantum similes libri, præsertim si fuerint grandiores, à Censoribus relegantur, vel ex humano respectu erga Auctores, & ex convenientia absque ulteriori rationum examine quædam dissimulentur. *O! si libri transirent per ignem rigorosi examinis, antequam imprimerentur, non haberemus tot propositiones damnatas, neque tot libros prohibitos!* Exclamat noster Sabinus Bononiensis in sua Luce morali *part. 2. ad finem* scribens in dictam propositionem damnatam.

PROPOSITIO XXVIII.

39. *Populus non peccat; etiamsi absque ulla causa non recipiat Legem à Principe promulgatam.*

DECLARATIO.

Teste Dominico Viva hic num. II. Cajetanus, Valentia, Filliucius, Lessius, Navarrus, & Sa contra Suarez, Vasquez, & alios docuerunt, acceptationem, & consensum populi esse essentiale requisitum ad Legis validitatem; ex quo haud dubie alii intulerunt, consequenter nec peccare populum, si absque ulla causa Legem Principis non recipiat, dummodo ceteroquin Auctoritatem ejusdem non contemnat. Ego quidem quoad Leges Civiles in Statu Democratico, in quo potestas ferendi Leges residebat penes populum, facile id admitto, conformiter Legi 32. *de quibus ff. de Legibus &c.* Quoad Leges vero Ecclesiasticas, & quoad Civiles in Statu Monarchico, & Aristocratico, ubi potestas ferendi Leges competit Principi, vel certis Optimatibus, omnino negandum existimo. Ratio est, quia loquendo de Constitutionibus Ecclesiasticis Christus Superioribus Ecclesiasticis dedit hanc potestatem independenter à consensu populi; quoad Leges autem Civiles in Statu Monarchico Populus Lege aurea in Imperatorem omne suum Dominium, & Potestatem contulit *L. 1. ff. de Const. Princip.* quod idem suo modo dici poterit in Statu Aristocratico in ordine ad Ducem, & primarios Optimates &c. juxta diversitatem Regiminis in tali Republica. Videatur Reiffenstuel *Tract. 2. Dist. 1. nu.* 36. & in Jure Can. *Lib. 1. Decret. Tit. 2. §. 6.*

§. III. & IV.

40. *Damnatæ quindecim Propositiones explicantur.*

PROPOSITIO XXIX.

41. *In die jejunii qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in finem comederit, non frangit jejunium.*

DECLARATIO.

Uti plura furta minuta unam summam gravem, ita plures modicæ comestiones constituunt unam notabilem quantitatem. Ratio est, quia in similibus moralibus, quæ parvitatem materiæ admittunt, datur inter partes aliqua unio moralis, ad complendum aliquod totum notabile graviter prohibitum: Sic E. G. plures partes non notabiles Officii Divini intra unum diem intermissæ faciunt tandem unam notabilem partem ejusdem, uti similiter plura opera servilia modica eodem festo sæpius replicata conficiunt tempus notabile. Duo tamen hic bene observanda occurrunt, *In primis*, quod quantitas, ut dicatur notabilis, major debeat esse, si ponatur per plures actus interpolatos, quam si fiat simul unico actu; uti patet in materia de furtis. *Secundo*, quod debeat adverti per similia minuta deveniri tandem ad quodpiam notabile. Vid. Reiffenstuel *Tract. 10. Dist. 2. num. 7. & post. num. 37. additione II.*

PROPOSITIO XXX.

42. *Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab oblatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.*

DECLARATIO.

Eugenius IV. apud Silvestrum, Navarrum, & Tabiennam quoad præsens dubium sibi propositum expresse declaravit, eos dumtaxat officiales à jejunio excusari, *qui laboriosa opera exercent*: ergo non omnes indifferenter, qui corporaliter laborant, erunt exempti ab observatione jejunii. Censentur autem *laboriosa opera* exercere *Fabri lignarii, Ferrarii, Fossores, Agricolæ opera ruralia exercentes, Textores pannorum, Figuli Lapidum, vel Fœni Sectores, Trituratores*, & omnes alii laborantes cum magna agitatione membrorum, in qua multi spiritus vitales consumuntur: non autem *Pictores, Scribæ, Sartores*, aliive, apud quos, ut artem suam exerceant, notabilis membrorum agitatio haud requiritur. In dubio inquiri poterit apud Tamburinum *Lib. 4. in Decalogum c. 5. §. 7.* vel apud Sporer in Præcepta Decalogi *Tract. 3. in Appendice Sect. 4. num. 57. & seqq.* aut apud Reiffenstuel *Tract. 10. Dist. 2. num. 68. & seqq.*

PROPOSITIO XXXI.

43. *Excusantur absolute à præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.*

DECLARATIO.

Quoniam juxta proxime dicta ad jejunium obligantur opifices illi, qui non exercent laboriosam artem, a fortiori pariter adstringentur illi, qui iter breve instituunt ex oblectamento, & sine notabili defatigatione &c. Vid. Reiffenstuel *Tract. 10. Dist. 2. n. 70. & 71. cum Additione sequenti.*

PRO-

PROPOSITIO XXXII.

44. *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima, obliget.*

DECLARATIO.

Merito hæc propositio rejecta fuit, cum obligationem in Quadragesima abstinendi ab ovis, & lacticiniis Jura satis insinuent. Sic enim Can. *Denique*. Dist. 4. D. Gregorius Papa inquit: *Par est, ut qui his diebus à carnibus animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam trahunt originem Carnis, jejunemus: à lacte videlicet, Caseo, & ovis.* Item Can. 56. sextæ Synodi Trullanæ edentes in Quadragesima Lacticinia excommunicationi subjiciuntur. Intellige tamen id totum quoad loca, in quibus ex defectu ciborum jejunalium legitimus usus contrarius non fuit introductus. Reiffenstuel. *loc. cit. n.* 9. & 10.

PROPOSITIO XXXIII.

45. *Restitutio fructuum ob missionem horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui Beneficii fecerit.*

DECLARATIO.

Ratio damnationis est, quia donatio, ipsam omissionem Horarum præcedens, fuit omnino liberalis, per quam res absolute donata transit in dominium pauperis donatarii, adeoque per eamdem non poterit satisfieri obligationi novæ, primum post hanc donationem supervenienti. Vide Reiffenst. *Tract.* 6. *Dist.* 1. *n.* 34. & *seqq. Additionibus.*

PROPOSITIO XXXIV.

46. *In die Palmarum recitans officium Paschale satisfacit præcepto.*

DECLARATIO.

Cum S. Pius V. in Bulla sua, ordinarie Breviariis præfixa, in virtute S. Obedientiæ injungat, ut non aliter Horæ Canonicæ recitentur, quam juxta ritum in Breviario præscriptum; consequens est, graviter peccari, si die Palmarum recitetur brevissimum Officium Paschale; quoniam sic plane notabiliter deflectitur à ritu Breviarii, & alias singulis diebus per totum annum absque gravi peccato possent dici brevissimæ Vesperæ Sabbati Sancti, & Matutinum succinctum Paschatis. Vid. Reiffenstuel *Tract.* 6. *Dist.* 1. *n.* 60.

PROPOSITIO XXXV.

47. *Unico Officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti, & crastino.*

DECLARATIO.

Ex eo, quod in aliquibus Casibus per unicum actum satisfieri possit duplici præcepto, intulerunt nonnulli, quod etiam unico officio aliquis satisfacere queat duplici præcepto recitandi Horas, nimirum pro die præsenti, & crastino. Si quis enim auditione unius Missæ satisfit, dum in Dominicam incidit simul Festum SS. Apostolorum Petri, & Pauli, quamvis in eo casu occurrat duplex præceptum, nempe ratione Dominicæ, & ratione diei Festivi SS. Apostolorum, cur non pariformiter recitatione unius officii possit satisfieri duobus præceptis Ecclesiasticis, uni pro hodierno, & alteri pro crastino obligantibus? Sed contra est, quod dentur quoque non pauca, quibus non satisfit per unicum actum; sic enim unica solutione non extinguo duplex debitum, nec tempore Quadragesimæ unico jejunio satisfacio duplici præcepto jejunandi pro hodierno, & crastino die. Ratio est, quia nonnulla præcepta sunt adeo affixa certo die, ut quilibet die habeat sibi annexam suam distinctam obligationem cum ipso die expirantem, nec in alium diem transferibilem: talia sunt præcepta jejunandi, & Horas Canonicas recitandi. Vid. Reiffenstuel, *Tract.* 6. *Dist.* 1. *n.* 74.

PROPOSITIO XXXVI.

48. *Regulares possunt in foro conscientiæ uti Privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum.*

DECLARATIO.

Non defuerunt Theologi, qui cum Henriquez, Virginio Alviset, & Brunone Chassaing censerunt, Regulares Privilegiis suis, etiam explicite per clausulam *non obstantibus Privilegiis &c.* à Concilio Tridentino revocatis, adhuc uti posse, non quidem in foro externo; cum id vetitum fuerit à Gregorio XIII. ad vitanda inter Episcopos, & Regulares dissidia, sed præcise in foro interno, & conscientiæ. At hæc doctrina quoad Privilegia à Tridentino per clausulas derogatorias cassata (secus dic quoad alia) merito in præsenti fuit reprobata; cum Concilium Tridentinum, approbante Summo Pontifice, quædam Privilegia Regularium per clausulas derogatorias absolute, & indistincte revocaverit, adeoque non solum pro foro externo, sed etiam interno. Inter hæc per clausulas derogatorias specialiter revocata numerantur illa, quæ continentur *sess.* 23. *de Reform. cap.* 12. de promotione ad Presbyteratum ante inchoatum annum vigesimum quintum. Item ibidem *cap.* 13. de recipiendis duobus Sacris Ordinibus eodem die. Item *cap.* 15. de Confessionibus sæcularium excipiendis independenter ab approbatione Ordinarii &c. quæ omnia defacto nequeunt amplius à Regularibus etiam in foro interno practicari. Eodem modo cuncta Privilegia, quæ opponuntur dispositioni Concilii Tridentini quoad integram *sessionem vigesimam quintam de Regularibus*, censentur defacto abrogata, eo quod Concilium Tridentinum capite ultimo, seu *vigesimo dictæ sessionis* 25. expresse præceperit, ut omnia, & singula in superioribus decretis contenta observentur *non obstantibus eorum omnium, & singulorum Privilegiis, sub quibuscumque Verborum formulis conceptis &c.* Videatur utilissime Reiffenstuel in jure Canon. *Lib.* 5. *Decret. tit.* 33. *præsertim* §. 6.

PROPOSITIO XXXVII.

49. *Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie sunt revalidatæ.*

DECLARATIO.

Quod Paulus Quintus Pontifex anno 1606. die

die 23. Maii per Bullam: *Romanus Pontifex*, omnes & singulas indulgentias quibuscumque Institutis, & Personis Regularibus antecedenter directe, ac immediate concessas revocaverit, ac nonnullas novas substituerit, patet ex Theologia morali Patris Reiffenstuel *Tract.* 12. *Dist.* 3. *Quæst.* 6. Putarunt tamen nonnulli Academiæ Salmanticensis Doctores cum Rodriguez, *Resol.* 77. *n.* 45. eas omnes indulgentias successu temporis iterum fuisse revalidatas, quam sententiam Alexander VII. in præsenti damnavit; cum nulla queat afferri Bulla nova, hanc generalem revalidationem clare, ac solide demonstrans.

50. Hoc tamen non obstante verum est, quod nonnullæ indulgentiæ post revocationem istam fuerint de novo vel à Paulo V. ipsomet, vel à Successoribus revalidatæ. Sic enim ob hanc rationem adhuc valet indulgentia plenaria concessa per Leonem X. Pauli V. Antecessorem tam Franciscanis, quam per communicationem Monialibus, Tertiariis, ac Cordigeris sub potestate, seu directione Generalis nostri constitutis, si Rosarium Franciscanorum septemplici decade constans recitaverint. Uti Paulus V. anno 1609. apud Latusca V. *Indulgentia*, & in Rubricis nostris particularibus nu. 89. (apud alios n. 90.) post suam revocationem generalem de novo concessit, & Innocentius X. in Brevi: *Exponi Nobis*, edito 15. Maii anno 1688. confirmavit. Eodem modo respectu superius memoratorum adhuc subsistunt maximæ illæ indulgentiæ Stationis Sanctissimi Sacramenti, vi quarum Fratres Minores (idem dic de Monialibus, Tertiariis, & Cordigeris superius indicatis) possunt teste Dominico Viva hic *n.* 8. lucrari ex concessione Leonis X. omnes indulgentias concessas Ecclesiis Romanis, Hierusalem, Compostellæ, & Portiunculæ, dummodo coram Sanctissimo Sacramento *sex Pater*, *& Ave cum totidem Gloria Patri &c.* & ultimum quidem pro Sanct. Papa recitaverint, quem ingentem thesaurum per Paulum V. vel non fuisse revocatum, vel per Urbanum VIII. iterum revalidatum, testantur cum communi nostrorum Theologorum Rodriguez, & Quintanad. apud Viva hic. Idem tenent Rubricæ nostræ particulares *n.* 88. *&* 89. referentes singulare quoddam Breve Apostolicum Innocentii XII. die 19. Maii anno 1694. emanatum, quod incipit: *Debitum Pastorale.* Nec dictis contrarium existit Breve quodpiam aliud Innocentii XI. relatum à Patre Reiffenstuel Tract. XII. Dist. 3. Quæst. 7. in quo Summus Pontifex §. *ac demum*, declarat, *omnes indulgentias concessas ante Breve Pauli V editum 23. Maii anno 1606. Personis Regularibus quarumcumque Religionum, & Ordinum etiam Mendicantium esse nullius roboris & momenti.* Etenim altefatus expresse subjungit: *nisi fuerint deinde Romani Pontificis auctoritate innovatæ, aut confirmatæ*, inter quas computantur indulgentiæ superius adductæ. Cæteroquin tamen nequit ex dictis adhuc inferri sub terminis generalibus, *indulgentias à Paulo V. renovatas hodie esse revalidatas.*

PROPOSITIO XXXVIII.

51. *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi* quamprimum, *est consilium, non præceptum.*

DECLARATIO.

Concilium Tridentinum *sess.* 13. *de Eucharistia cap.* 7. quoad Sacerdotes in specialem Reverentiam tremendi Missæ Sacrificii hæc ponit formalia: *Si necessitate urgente Sacerdos absque prævia confessione celebraverit NB. quamprimum confiteatur.* Cum autem *ly confiteatur* non necessariò videatur involvere præceptum, quin possit quoque importare præcise consilium; Villalobos, Machado, & Ledesma inclinabant potius ad consilium, quoniam juxta notam Regulam Juris; *odia oportet potius restringere, quam ampliare.* Sed contra est, quod communis usus, & DD. consensus magis per allegata verba indicet importari præceptum, quam consilium, ut idipsum similiter Rubricæ Missalis clarius per verbum *debet* insinuare videntur, dum Tit. de defectibus dispositionis animæ ita legitur: *Si quis in casu necessitatis non habens copiam Confessoris in peccato mortali absque contritione celebret, graviter peccat. Secus, si conteratur: debet tamen, cum primum poterit, confiteri.* Vide Reiffenstuel *Tract.* 14. *Dist.* 2. *n.* 33. *& seqq.*

PROPOSITIO XXXIX.

52. *Illa particula* quamprimum *intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.*

DECLARATIO.

Agnoscentes alii in illis verbis Concilii Tridentini *ly quam primum confiteatur*, contineri quodpiam præceptum id adeo laxe explicarunt, ut in effectum non sit præceptum, sicque in re ipsa cum prioribus coincidant. Inquiunt enim præfatam particulam *quamprimum* intelligi, quando alias Sacerdos confitebitur suo tempore, puta dum iterum celebravit Missam de novo. Sed contra est, quia taliter contra communem sensum Ecclesiæ hoc non esset speciale præceptum quoad Sacerdotes: quia etiam Laici habentes grave peccatum tenentur confiteri, quando suo tempore communicabunt; hinc stante hac laxa declaratione æque parum Sacerdos, ac Laicus peccaret, si in simili casu, nimirum post tres menses à Sumptione Eucharistiæ, cum sola contritione peracta computandos, confiteretur, posito nimirum, quod de novo post trimestre sacrificare, & communicare vellet. Vide Reiffenstuel *loco superius cit.*

PROPOSITIO XL.

53. *Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantum veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oriatur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.*

DECLARATIO.

Distinctio est facienda inter oscula causa amicitiæ juxta morem Patriæ contingentia, & inter ea, quæ obiter fiunt ex levitate animi absque delectatione aliqua. Item supposito etiam, quod oscula imprimantur ex aliqua delectatione, iterum attendendum, num delectatio fuerit purè sensibilis, vel simul carnalis? Oscula amicitiæ juxta morem Patriæ possunt carere omni culpa. Oscula ex

levitate animi plerumque sunt venialia, uti pariter oscula ex sola delectatione sensibili. Quodsi vero pariter accedat delectatio Carnalis, deliberate impressa erunt mortalia; quia æque, imo magis disponunt ad copulam, quam sola delectatio morosa. Unde Summi Pontifices Clemens VIII. & Paulus V. apud Viva hîc *num.* 1. jubent Inquisitoribus Fidei denuntiari illos, qui asserunt, similia oscula, amplexus, aut tactus non esse peccata mortalia. Vid. Reiffenstuel *Tract.* 9. *Dist.* 4. *num.* 71. *& sequentibus ac præsertim Additionibus post. numero* 78.

PROPOSITIO XLI.

54. *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo* regalo, *dum deficiente illa nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.*

DECLARATIO.

Quod gravis peccator absolvi nequeat, nisi verum habeat propositum evitandi gravia peccata in futurum, extra controversiam est: nam *dolor, seu detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero*, est ex necessariis requisitis ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ juxta Concilium Trid. *Sess.* 14. *de Pœnitent. cap.* 3. *&* 4. Alia autem quæstio est, utrum concubinarius censeatur habere verum tale propositum necessario ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ requisitum, quando equidem Confessario promittit, quod nolit amplius peccare cum sua concubina, non tamen eamdem vult dimittere ex sequentibus motivis; quia nimirum nimis utilis est ad oblectamentum, vel quia alia famula nimis difficulter invenitur, vel quia epulæ ab alia famula præparatæ magno tædio ipsum afficerent, vel demum; quia ex absentia nimis ægre vitam ageret. In quibus, & similibus casibus Joannes Sancius cum Vivaldo apud Dianam *Part.* 2. *Tract.* 6. *Resolut.* 45. putat adesse adhuc verum propositum, & quod consequenter talis sit absolvendus toties quoties &c. quamvis etiam (quod mirari satis nequeo) nullus profectus appareat. Sed contra est, quod motiva similia necdum hominem talem carnalem constituant physice, vel moraliter impotentem ad dimittendam concubinam, sed potius sint vanæ excusationes, quas caro, & sanguis, ac cæcus amor subministrant. Unde nec signum prudenter credibile apud tales apparet alicujus efficacis propositi, dum cœlum, & æternam Salutem, cujus amittendæ periculo manifesto se exponunt, talibus oblectamentis post habere videntur. Dico *oblectamentis*: nam *ly Regalo* quod in propositione damnata pro excusatione proponitur, est teste Sabino Bononiensi hîc nomen Hispanum, & latine sonat *blandimentum*, *delicium*, seu *suavitas epularum.* Vim inferant Venerei isti circa dimissionem Concubinæ effrenatæ suæ passioni, & palpabiliter experientur assistentem sibi gratiam Divinam: nam, *Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Matth. cap. 11. v. 12. Vide Reiffenstuel fusius de hac materia agentem *Tract.* 14. *Dist.* 8. *Quæst.* 4. *cum Additionibus.*

PROPOSITIO XLII.

55. *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.*

DECLARATIO.

Ipsimet contractui mutui intrinsece inest, se in gratiam mutuatarii ad tempus dominio, & usu pecuniæ mutuatæ privare: ergo præcise propter ipsum certum tempus exigere plus ultra sortem idem est in re, ac propter hunc contractum, seu intuitu talis mutui aliquid petere ultra sortem, quod tamen ultimum juxta omnes apertam continet usuram, nisi lucrum cessans, aut damnum emergens, vel periculum, consideratis circumstantiis amittendi capitale, seu sortem, aliusve justus titulus excuset. Viderint ergo illi, qui commune interesse quinque florenorum per annum pro centum mutuatis excedentes, singulis mensibus pro unico floreno mutuato exigunt denarium; ita ut interesse unius floreni, superet ad finem anni medietatem ejusdem floreni, utpote ad duodecim denarios ascendens. Aperta hæc est usura, plus quam Judaïca, & neutiquam in aliqua Republica toleranda. Vide Reiffenstuel *Tract.* 8. *Dist.* 4. *num.* 40. & 41.

PROPOSITIO XLIII.

56. *Annuum legatum pro anima relictum non durat plus, quam per decem annos.*

DECLARATIO.

Ratio damnationis dictæ propositionis est; quia annuum illud legatum pingue E. G. & proportionatum stipendio potuit esse factum absque restrictione ad certum tempus; ergo non debet annuum legatum indefinite factum illico restringi, ad decennium. *Dices*; Juxta Sotum, & alios Doctores nulla anima ultra decennium detinetur in purgatorio: ergo nec præsumendum est, quod fundator ultra decennium petierit persolvi contenta in litteris fundationis. *Respond.* Inprimis antecedens gratis asseri, atque esse falsum & contra communem persuasionem fidelium, ac contrarium apud Dominicum Viva hîc patere ex Historiis Ecclesiasticis, viquarum plures animæ longe ultra decennium in hoc ergastulo sunt detentæ. Deinde dato etiam, quod ex revelationibus in uno, alterove casu constaret, animam fundatoris certo jam frui beatitudine, adhuc hæredes tenerentur satisfacere legato annuo perpetuo; quia ex Ecclesiæ communi praxi censetur voluntas fundatoris, ut suffragium illud, si non sibi, saltem aliis de familia prosit.

PROPOSITIO XLIV.

57. *Quoad forum conscientiæ reo correcto, ejusque contumacia cessant censuræ.*

DECLARATIO.

Non est quæstio de foro externo, in quo etiam mortuus indiget absolutione, si decesserit cum censura publica, etsi obierit vere contritus juxta *Capitulum, à nobis*, & *Cap. Sacris, de sentent. Excommunicat.* Item *Cap. Is cui. eodem in* 6. Sermo itaque solummodo instituitur quoad forum conscientiæ, in ordine ad quod nonnulli putarunt, reo correcto, & cessante contumacia eo ipso statim cessare censuras absque ulteriori absolutione. Ratio esse potuit; quia censura se habet juxta communem instar medicinæ; curato autem infirmo non amplius Medicus applicat temporalem Medicinam; adeoque nec Judex Ecclesiasticus spiritualem: nam cessante causa motiva cessat Effectus. Sed contra est, quod censura non solum sit medicina, verum etiam poena; unde etiam *pœna medicinalis* vocatur. Subsumitur, atqui poena stat etiam in contrito; ergo pariter censura, nisi tollatur aliunde à potestatem habente. Vide Reiffenstuel, *Tract.* 13. *Dist.* 1. *n.* 42.

PROPOSITIO XLV.

58. *Libri prohibiti*, Donec expurgentur, *possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.*

DECLARATIO.

Notandum ex Viva hic, quod Libri Hæreticorum hæresin continentes, vel de Religione tractantes, in Bulla Coenæ prohibeantur absolute sub excommunicatione reservata; alii vero passim prohiberi soleant sub clausula: *Donec Corrigantur.* De his itaque ultimis aliqui Theologi docuerunt, retineri posse, donec opportune eorum correctio aut expunctio fuerit indulta, cui tamen Doctrinæ repugnant Regulæ Indicis præscriptæ in Concilio Tridentino, in quibus absolute prohibetur à Pontifice, ne quis apud se habeat, vel retineat Libros quovis titulo interdictos, & consequenter parendum est Pontifici mandanti, ut dicti Libri deferantur Inquisitori S. Officii, ubi id viget, ut recte observat Sabinus Bononiensis, dum scribit in dictas propositiones damnatas. Quid in Germania quoad libros prohibitos secundæ classis sentiendum? Vide Reiffenstuel, *Tract.* 4. *Dist.* 4. *n.* 42.

§. V.

60. *Damnatio Sexaginta quinque Propositionum per Decretum I. Innocentii XI. Videatur in principio Tomi primi.*

§. VI.

Declaratio prædictarum 65. Propositionum.

PROPOSITIO I.

61. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.*

DECLARATIO.

Doctrina, quæ in hac propositione damnata continetur primarium fundamentum suum desumpsit ex illo Probabilistarum principio: *quicumque probabiliter operatur, prudenter operatur; quia operatur ex ratione gravi.* Ita recte advertit Dominicus Viva hic *num. II.* Quare Theologi illius Doctrinæ (inter quos à Diana *Part.* 1. *Tract.* 13. *Resol.* 2. numerantur Lorca, Serra, Ledesma &c.) taliter secum discurrebant: operatio directa per actum prudentiæ utique non est peccaminosa, quoniam vitia non diriguntur per virtutes, inter quas numeratur prudentia; atqui collatio sacramenti cum opinione probabili de valore ejusdem, est operatio directa per actum prudentiæ: nam qui probabiliter operatur, prudenter operatur, ergo. Sed contra est *primo*, quod ex hoc discursu sequeretur, licere etiam in collatione Baptismi, & sacramenti Ordinis sequi sententiam probabilem relicta tutiore; quod tamen nec ipsi hi Theologi asserere ausi fuerunt. Contra est *secundo*, quod pariter sequeretur, licitum fore in collatione Sacramentorum sequi sententiam minus tutam, non solum quando ista est probabilior; verum etiam, si simul est minus probabilis, uti consideranti patet. Igitur negatur suppositum, quod ubi agitur de valore alicujus Sacramenti, operatio directa per opinionem probabilem relicta tutiori sit operatio directa à virtute prudentiæ; etenim transmisso etiam, quod in materia honestatis, & ubi agitur præcise de licitate, seu licentia actionis, *prudenter operetur, quicumque probabiliter operatur*, id tamen falsum est in quæstionibus de valore Sacramentorum, in quibus ex una parte dictus valor non dependet ex determinatione collatoris, sed potius ex voluntate institutoris Sacramentorum; ex altera vero parte collator sequendo opinionem præcise probabilem relicta tutiori exponit recipientem tale Sacramentum gravi periculo, ne frustretur gratia sanctificante, alias moraliter certo acquirenda, si collator secutus fuisset sententiam. Accedit, quod etiam loquendo in materia honestatis axioma illud: *quicumque probabiliter operatur, prudenter operatur*, multis sit subjectum difficultatibus, explicationibus, & distinctionibus; ita, ut non pauci ex Theologis nolint in hoc fundare suum ultimum dictamen de formali honestate actus, uti advertit in libello quodam *Disquisitio Theologica* intitulato *Quæst.* 2. §. 3. *num.* 58. *& seqq.* ac fusius per integrum tomum examinat Christophorus Rassler in sua *Norma recti.* Vid. Reiffenstuel, *Tract.* 1. *Dist.* 3. *n.* 58. *& seqq.*

62. Quæres I. An in materia Valorem concernente collator Sacramentorum possit libere, relicta tutiore, sequi sententiam probabilem, si eadem non solum æque probabilis, sed etiam probabilior apparet tutiore? E. G. controvertitur inter Theologos in Tractatu de Poenitentia, utrum ad essentiam formulæ absolutoriæ pertineant sola illa Verba *absolvo te*, vel etiam alia tria, *à peccatis tuis*? Ubi Scotistæ cum pluribus RR. defendunt tanquam probabilibus, sola priora duo *absolvo te* essentialiter requiri. Quæritur ergo, an in praxi Confessarius

possit

possit licite sequi hanc sententiam probabiliorem, uti supponimus, vel utrum obligetur addere *à peccatis tuis*, sequendo sententiam tutiorem? Respond. Confessarium obligari in praxi ad sententiam tutiorem addendo formulae absolutoriae etiam illa verba: *à peccatis tuis*. Probatur *primo*; quia alias poenitentem exponeret Confessarius probabili periculo, ne invalide reciperet hoc Sacramentum cum ingenti suo detrimento: eo ipso enim, quod sententia requirens ad valorem etiam expressionem verborum *a peccatis tuis*, sit probabilis, adest ratio gravis pro eadem, etsi minoris ponderis, & sic pariter adest periculum grave proportionatum ponderi rationum. Probatur *secundo*; quia in propositione damnata indefinite dicitur, in Sacramentis Collatorem non posse sequi sententiam probabilem relicta tutiore; atqui sententia probabilior adhuc continetur sub genere probabili, sicut magis album sub genere albi: ergo,

63. Quaeres II. An saltem recipiens Sacramenta non possit in quaestionibus, valorem concernentibus, eligere sibi sententiam aeque probabilem, vel etiam probabiliorem, minus tamen tutam, relicta tutiore, simul & adhuc vere probabili? Respond. Imprimis quoad Sacramentum *Baptismi*, *Ordinis Presbyteratus*, vel *Episcopalis &c.* omnino negative: incurreret enim taliter recipiens grave periculum maximi damni tam ex parte sui, quam aliorum: quia posito, quod à parte rei non esset valide baptizatus (uti adsunt graves id asserendi rationes, licet minus probabiles) exinde consectaneum foret, quod invalide quoque reciperet alia Sacramenta non sine gravi irreverentia: item talis, vel etiam invalide ordinatus in Presbyterum, quoque invalide celebraret, & absolveret, seque ipsum in grave periculum conjiceret, an valide à suis peccatis absolvatur. Respond. *secundo* quoad Sacramenta vivorum augmentum gratiae causantia, an recipiens ea possit sibi eligere sententiam probabiliorem minus tutam relicta tutiori, simulque vere adhuc probabili, majus est dubium, ac dependet ab alia quaestione circa collatorem Sacramenti, utrum is ad tutiorem vere probabilem relicta probabiliori minus tuta obligetur praecise ex charitate erga proximum &c. vel an etiam ex virtute Religionis erga Sacramenta, ne eadem periculo invaliditatis, & sic irreverentiae exponantur? *Si prius*, tunc eo ipso recipiens, si ipsemet sponte velit eligere probabiliorem minus tutam, videtur non graviter peccare; quia sponte cedit juri suo circa augmentum gratiae, prout etiam certis temporibus potest licite intermittere Communionem, etsi exinde gratia augeretur. Quodsi vero collator Sacramentorum obligetur conficere, & aliis conferre Sacramenta ex virtute Religionis (puta ex reverentia erga ipsamet haec Sacratissima Mysteria) patet, quod ex tunc neque recipiens se absque ulla necessitate exponere queat periculo invaliditatis, relinquendo in praxi sententiam tutiorem vere adhuc probabilem, & sequendo minus tutam probabiliorem. Et hoc ultimum cum Soto, Valentia, & aliis tenet Suarez, *Tom. 3. in 3. part. Disp. 16. Sect. 2.* contra Pontium, Salas, Machado, Salonium &c. Quidquid tamen de hoc sit, illud mihi certum videtur, quod defendens, recipientem, non obligari ad tutiorem &c. necdum incurrat damnationem hujus propositionis, utpote quae de conferente, non de recipiente loquitur.

64. Quaeres III. An in materia Valorem Sacramentorum concernente possint tam conferens, quam recipiens sequi sententiam moraliter certam, sicque absolute tutam, etsi contraria adhuc sit tutior? Exemplum ponamus denuo de Sacramento Poenitentiae, ubi inter Doctores movetur quaestio, utrum ad attritionem necessario requisitam debeat intervenire aliquis actus dilectionis DEI, ut summi Boni in se, vel non? Et licet non pauci Theologi talem dilectionem exigant, nobis tamen citra ullam censuram hujus sententiae in supplemento Patris Reiffenstuel *Tract. 24. Dist. 6. post num.* 47. sententia negativa post Concilium Tridentinum videbatur moraliter certa. Data ergo hac hypothesi, quaeritur, utrum non obstante ista morali certitudine adhuc sit obligatio eliciendi cum attritione aliquem actum dilectionis Dei super omnia, vel non? Respond. quamvis eliciens hunc actum dilectionis Dei haud dubie magis meritorie operetur, non tamen datur obligatio eumdem eliciendi. Ratio est quia concesso illo supposito (de quo latius in supplemento, & adhuc suo loco) sententia negans requiri hanc dilectionem, jam est satis tuta, utpote moraliter certa, sicque practice excludens omnem formidinem, NB. fundatam in gravi ratione: ergo non datur obligatio sequendi adhuc tutiorem uti recte cum Viva tenet Matthaeuccius in cautela Confessarii *Lib. 2. cap. 1. num. 6.* & plane aliàs omnes deberent exire ex hoc mundo; quoniam tutius est, in aliqua Religione vivere, ubi viridis floret observantia, quam in mundo; quippe in Religione juxta S. Bernardum, *Homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, irrigatur frequentius, securius quiescit, moritur fiducius, purgatur citius, praemiatur copiosius.*

PROPOSITIO II.

65. *Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.*

DECLARATIO.

Quod in causis criminalibus, praesertim capitalibus, debeat Judex favere Reo, etsi ipsi rationes allegatae pro Reo quoad principia directa appareant minus probabiles prae oppositis, Doctores teste Viva hîc communiter adstruunt cum Reiffenstuel *Tract. 1. Dist. 3. additione post num. 62.* Neque id intendit summus Pontifex in praesenti damnare, sed tantummodo illorum doctrinam improbat, qui admiserunt, etiam in causis civilibus posse Judicem pro suo beneplacito ferre sententiam secundum opinionem suam minus probabilem, quando aliqua dubietas ex diversitate opinionum circa jus exoritur. Taliter quidem Salonius, Ledesma, Delrio, Lorca, ac alii plures apud Dianam *Part. 1. Tract. 13. Resol. 3. & Part. 11. Tract. 2. Resolut. 60.* voluerunt ex ea ratione; quia Judex in simili casu se determinans ad minus probabilem adhuc prudenter operatur; nam qui probabiliter agit, prudenter agit. *Sed falsum est*, quod Judex in eo casu prudenter agat, eo quod Jura in casu, quo nulla parte litigantium existit in quieta possessione rei litigiosae: expresse eumdem obligent, ut sententiam pronuntiet juxta opinionem, quae omnibus considerandis consideratis ipsi videtur probabilior. Ita enim *L. ob carnem §. 3. ff. de testibus* &c. *Si testes 4. Quaest. 2. & 3.* expresse habetur

tur: *confirmabit Judex motum animi sui ex argumentis, & testimoniis, quæ rei aptiora, & vero proximiora esse compererit.* Item cum moveretur quæstio de ætate hominis, Legislator *L.* 13. *ff. de probationibus* respondit: *Causa cognita veritatem excuti oportere, & ex eo potissimum annos computari, ex quo præcipuam fidem ea re constare NB. credibilius videtur. C. Capellanus de feriis.* juncta Glossa eligitur sententia, quæ validiore, & meliore nititur ratione. Ex quo patet, quam merito propositio his Legibus e diametro contraria fuerit damnata. Videatur Reiffenstuel *Tract.* 1. *Dist.* 3, *num.* 61. & *seqq.*

66. Dices: Si Judex videat, quod una pars litigantium afferat quidem pro se rationes probabiliores; altera vero præter rationes minus quidem, vere tamen adhuc probabiles, adducat in sui favorem Regulam possessoriam, licite Judex pronuntiat in favorem possidentis, uti tenet Figuera apud Kugler in sua Crisi hic: ergo licite potest Judex sequi sententiam minus probabilem. Respondeo imprimis, Antecedens non esse omnino certum: Legitur quidem in Jure Reg. 65. Juris in 6. *in pari casu potior est conditio possidentis*; nulla autem fit ibidem mentio, si alterius causa sit notabiliter melior, seu probabilior: admittamus tamen Antecedens, supposito, quod allegans pro se regulam possessoriam habeat possessionem legitimam, certam, seu cum justo titulo. Negatur tamen consequentia, quod nimirum Judex statim pro libitu suo possit sequi sententiam minus probabilem, vel majoris claritatis causa distinguitur consequens: Potest Judex sequi sententiam minus probabilem, supposito, quod alter allegans rationes speculativas probabiles simul existat in certa legitima possessione, conced. consequentia. Si nullus ex litigantibus existat in tali possessione, negatur consequentia. Sive adhuc aliter: potest Judex sequi sententiam, quæ sit minus probabilis attendendo præcise ad principia directa, & speculativa, con. cons. quæ sit & maneat minus probabilis respiciendo pariter ad principia practica, & reflexa, neg. conseq. Instantia dari potest in causis criminalibus, in quibus eodem modo discurritur. Vid. Reiffenstuel *Tract.* 1. *Dist.* 3. *Addiione post n.* 26.

PROPOSITIO III.

67. *Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.*

DECLARATIO.

Quænam dicatur tenuis probabilitas, fusius explicat Reiffenstuel *Tract.* 1. *Dist.* 3. *n.* 45. & 46. Ego puto, inter terminos tenuis probabilitatis comprehendi quoque eam, quæ quidem aliquibus Auctoribus apparet gravis, pluribus autem non; ita ut neque per auctoritatem extrinsecam, neque per rationem intrinsecam intellectus meus aliquo modo alliciatur, seu moveatur ad assensum, E. G. judicant aliqui Auctores apud La Croix *Lib.* 6. *part.* 1. *num.* 260. aquam rosaceam, & similes succos distillatos esse materiam validam Baptismi; communissima tamen Doctorum id negat, eo quod hic humor per distillationem extractus non amplius existat vera aqua elementaris, sed potius succus rosaceus, in quem aqua illa naturalis affusa, seu attracta per nutritionem plantæ, fuerat conversa, sicut à pari vinum adustum per distillationem ex aliquo vino extractum non amplius est verum vinum, sicque nec materia consecrabilis: quia tamen aliqui Auctores defendunt, succum illum rosaceum extractum esse substantialiter adhuc aquam naturalem, licet nonnullis qualitatibus permixtam, poterit illorum Theologorum sententia mihi apparere tenuiter probabilis. Vi autem hujus propositionis damnatæ non possumus sequi sententiam tenuiter probabilem, *generatim*, seu *regulariter*, loquendo: interim tamen in casu necessitatis etiam in collatione Sacramentorum id non censetur prohibitum, dummodo fiat sub conditione, qua posita valor Sacramenti periculo irreverentiæ ex una parte non exponitur; ex altera vero recipienti accrescere potest notabilis utilitas, nec aliunde aliquod (uti suppono) sequitur absurdum. Et hinc in defectu alterius aquæ apud infantem necdum baptizatum, & morti proximum recte (Charitate proximi id volente) adhibetur aqua rosacea, vel idem infans, si aliter fieri nequeat, in minima parte corporis, E. G. digiti baptizatur, cum conditione tamen, *si valeat*. Inde miror, quod aliqui Confessarii in praxi sint adeo difficiles moribundum Catholicum sensibus destitutum conditionate absolvere, cum sententia talem Absolutionem admittens sit saltem tenuiter probabilis Absque dubio censeretur prudenter agere ille, qui infantem necdum baptizatum conditionate baptizaret, etsi tantum foret tenuiter probabile, quod adhuc vivat: cur igitur moribundus Catholicus non possit in allegato casu conditionate absolvi? Vid. Reiffenstuel *Tract.* 14. *Dist.* 7. *n.* 69. & *sequentibus.*

PROPOSITIO IV.

68. *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.*

DECLARATIO.

Testibus Dominico Viva, & Augustino Mathæuccio Auctor hujus Thesis confixæ erat Joannes Sanctius in suis Selectis *Disp.* 19. *num.* 7. & 9. scribens, quod sicut homo in aliis materiis, & præceptis excusatur à peccato, si sequatur opinionem minus probabilem, ita etiam in præcepto credendi veritates Fidei Catholicæ excusabitur infidelis à peccato infidelitatis ductus opinione minus probabili. *Sed contra est*, quod tractando de vera Religione agatur de summo puncto, à quo pendet æterna nostra felicitas: nam deficiente Religione deficiunt vera Sacramenta, & consequenter etiam illa facilia remedia, quibus gratiam sanctificantem deperditam iterum recuperare, & recuperatam augere possumus. Si itaque in ipsis Sacramentis juxta jam dicta nequimus sequi sententiam minus probabilem, multo minus in puncto veræ Religionis, ubi variæ quæstiones circa numerum, & valorem Sacramentorum solent intervenire. Agitur enim hic de gravissimo præjudicio, V. G. an Pastores sint legitime ordinati; an valide absolvant suos pœnitentes; an sola fides justificet; an in illa Religione habeatur

beatur, & oviculis præscribatur id, quod est necessarium necessitate medii ad Salutem &c? Quis igitur sibi persuadeat, in his maximi momenti quæstionibus, in quibus agitur de gravissimo præjudicio, & ubi veritas rei non dependet ex determinatione nostri intellectus; posse quempiam sequi opinionem minus probabilem? Potius talis Infidelis, seu Hæreticus, cui videtur sua Religio probabilius falsa, tenetur implorato Divino auxilio in puncto hoc maximi momenti sedulo ulteriorem indagare veritatem, quæ certo eidem patefiet, si in inquirendo non fuerit culpabiliter negligens. Imo (uti tenent duo Scholarum Principes Doctores Angelicus, & Subtilis) si quis infidelium in sylvis enutritus ea, quæ sibi lumine naturæ notæ sunt, recte observet, Deus, qui non deficit in necessariis ad salutem, tali etiam Angelum, vel Missionarium Apostolicum mitteret, qui ipsum Mysteriis credendis imbueret, uti Petrum destinavit ad Cornelium *Act. cap.* 10. Vide Reiffenstuel *Tract.* 4. *Dist. num.* 30. *&* 31.

PROPOSITIONES V. VI. & VII.

69. V. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non au demus.

VI. Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum Charitatis erga Deum.

VII. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possimus.

DECLARATIO.

Has propositiones rejectas jam cernes ab Alexandro VII. unde mirum, quod adhuc Catholici Doctores inventi fuerint, qui easdem etiam post illam reprobationem manutenere præsumpserint. Ulteriorem explicationem vide supra §. 1. *num.* 2. ac apud Reiffenstuel *Tract.* 4. *Dist.* 6. *num.* 9. *& Additione sequenti.*

PROPOSITIONES VIII. & IX.

70. VIII. Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

IX. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.

DECLARATIO.

Dictæ duæ propositiones apud Reiffenstuel *Tract.* 1. *Dist.* 2. *Quæst.* 5. *præsertim additione post nu.* 36. taliter explicantur, ut tamen nullatenus obsint Doctrinæ plurimorum Theologorum, actus indifferentes in individuo admittentium: nam utique omittere auditionem Missæ die, quo nullum adest præceptum audiendi, non erit peccatum; cum talis omissio non sit contra præceptum, sed tantummodo contra consilium; sed neque eadem omissio Missæ erit bona, uti consideranti patet, consequenter est indifferens. Econtra vero quia delectabilitas illa, quæ intervenit in comestione, & copula, per naturam ordinatur quasi medium ad conservationem individui, & speciei humanæ tanquam ad suum finem, deordinate agit, qui cibo vel copula utitur propter solam delectabilitatem, cum hoc habeat pro fine actionis suæ, quod potius deberet esse medium ejusdem: sicque saltem venialiter peccat. *Conjugalis concubitus generandi causa non habet culpam: concupiscentiæ vero satiandæ tantum venialem*, inquit Augustinus *Lib. de Bono conjugali cap.* 6. prout allegatur à Matthæuccio in Cautela Confessarii, quem vide *lib.* 2. *cap.* 6. *&* 7.

71. Quæres incidentaliter, an, si non obstante damnatione hujus utriusque propositionis adhuc admitti possint alii actus indifferentes in individuo, an (inquam) tales actus debeant censeri ita indifferentes, ut etiam excludant omnem imperfectionem? Ante Responsionem nota, quod imperfectio, prout distinguitur ab omni peccato etiam veniali, definiatur quod sit *actio, vel omissio repugnans consilio in re ad mores spectante.* H. N.

Respond. Actus indifferentes in individuo non necessario excludunt imperfectionem, quin cum ea stare possint. Probatur exemplis: sic enim conformiter jam dictis intermittere Missæ auditionem die non festo: item non sequi inspirationes Divinas ad opera de consilio tendentes, communiter censentur aliqua indifferentia, utpote omissiones rei nec præceptæ, nec prohibitæ, & tamen similes intermissiones reputantur passim imperfectiones (quid enim alias esset imperfectio?) ergo indifferentia aliqua non necessario imperfectionem, sed tantummodo rationem veri alicujus peccati excludit. Quare pro actibus indifferentibus posset adhuc formari sequens probatio: imperfectio est aliquid, quod nec est moraliter in individuo bonum, nec moraliter aliquod peccatum; utpote cum non sit materia sufficiens pro Sacramentali absolutione; sed non potest sufficienter explicari talis imperfectio, nisi admittatur actus inter moraliter bonum, ac peccaminosum medius, per quem intelligimus actum indifferentem: ergo.

PROPOSITIONES X. & XI.

72. X. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

XI. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus solis actibus externis.

DECLARATIO.

Inter omnium prima mandata DEUS nobis hæc duo Matth. *cap.* 22. v. 37. & 39. posuit; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua; & in tota mente tua, & diliges proximum tuum sicut te ipsum*: ergo sicut Deum tenemur diligere non solum externe, verum etiam interne, ita pariter proximum: nam proximus diligendus est propter DEUM. Item solemus nos ipsos diligere actibus non solum externis; verum etiam in mente nostra actibus internis; cur igitur non pariformiter proximum, cum eumdem diligere teneamur sicut nosmetipsos? Vide Reiffenstuel *Tract.* 4. *Dist.* 6. *num.* 13.

PROPOSITIO XII.

73. Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus superfluum statui, & ita vix aliquis tenetur ad Eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

DECLARATIO.

Scandalosa hæc sententia divitibus avaris latam aperit portam, quam pauperibus immisericorditer claudit. Quis enim non videt, exinde facile eludi posse omnem obligationem succurrendi pauperibus, quam tamen sacraScriptura sæpius tam efficaciter inculcat? *Quod superest, date Eleemosynam*, inquit Christus Luc. cap. 11. & 1. Timoth. cap. 6. *Divitibus hujus sæculi præcipe, facile tribuere &c.* ac alibi sæpius. Ast avari, si vera foret propositio damnata, illico respondere possent nihil superflui sibi superesse, consequenter ad præceptum pauperibus etiam gravi necessitate pressis de superfluis statui erogandi se neutiquam fore obstrictos; cum defacto in sæcularibus, etiam Regibus, vix inveniatur superfluum statui. En fructum pessimum ex mala arbore! O si cessaret nimius luxus in Christianis, quam multa superflua statui restarent applicanda pauperibus! Vide Reiffenstuel *Tract. 4. Dist. 6. num. 42. & Additione sequenti.*

PROPOSITIONES XIII. XIV. & XV.

74. XIII. *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.*

XIV. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris; non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

XV. Licitum est filio gaudere de Parricidio parentis, à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias, inde ex hæreditate consecutas.

DECLARATIO.

Quod non liceat generaliter ob qualecumque etiam leve emolumentum proprium gaudere de morte alterius, vel e contrario ob qualecumque damnum exiguum proprium de proximi vita tristari, clare eruitur ex tribus allegatis propositionibus damnatis. Et ratio hujus est; quia, uti recte observat noster Sabinus Bononiensis hîc, similibus affectibus gaudii, vel tristitiæ deliberate volitis nostrum emolumentum temporale in affectu præfertur vitæ proximi, quæ tamen est Ordinis longe altioris, quam bona temporalia: consequenter sic præponendo bona temporalia vitæ alterius, notabiliter læderetur Ordo Charitatis erga proximum. Confirmatur, juxta Mandatum Christi *Matth. cap. 22.* tenemur proximum diligere sicut nosmetipsos: atqui nemo prudenter bonum inferioris Ordinis per malum superioris Ordinis sibi obtinendum exoptat, E. G. divitias per mortem propriam; quid enim sibi mortuo prodessent divitiæ? ergo. His tamen non obstantibus multos apud Moralistas reperies casus, in quibus similis lætitia de bono proprio, vel tristitia de bono alterius pronuntiatur licita. Quæstio igitur remanet, ex qua Regula dignosci queat; licitum esse, de incommodo, ac damno alterius ob commodum, & emolumentum proprium exinde oriturum gaudere, vel e contrario tristari de bono, & commodo alterius ob malum sibi propterea graviter timendum?

75. Ante resolutionem Notandum I. quod *aliud* sit gaudere de incommodo, malo, ac damno alterius (V. G. de morte immatura Parentis) quatenus id alteri damnosum est, ita, ut ipsum damnum alteri obveniens sit motivum gaudendi; & *aliud* gaudere de malo &c. alterius, quatenus ex hoc sibimetipsi obvenit aliquod emolumentum. Primum gaudium juxta omnes absolute non est licitum, quia foret odium inimicitiæ, seu abominationis personæ, uti recte advertit Reiffenstuel *Tract. 4. Dist. 7. n. 7.* Dubium igitur solummodo restat quoad secundum, quando bonum, ac emolumentum exinde obveniens est motivum gaudendi; ubi Notandum II. quod emolumentum obveniens tanquam motivum gaudendi (puta in præsenti hæreditas paterna) possit *imprimis* ita influere *qua bonum reduplicative*, ut tamen de medio acquirendi illud (puta in præsenti de immatura morte parentis) prorsus præscindatur. *Secundo* taliter, ut per istud gaudium, ac complacentiam pariter ipsa E. G. mors immatura parentis immediate attingatur, non quidem tanquam finis, ac motivum, sed tanquam medium acquirendi. Sic etiam in alio exemplo discurrendo de voluntate efficaci, si volo sumere medicinam, ut acquiram sanitatem, hac voluntate immediate, ac directe attingo non solum sanitatem, sed etiam medicinam, sanitatem quidem tanquam motivum, ac finem; medicinam vero tanquam medium acquirendi hunc finem. Porro præcedens gaudium præcisivum à damno alterius in similibus non videtur illicitum, sicque nec comprehensum sub propositione damnata; cum depuret suum gaudium totaliter à malo alterius, uti cum Cardena hîc num. 4. Kugler in dictas propositiones docet, atque inservit ad multos tollendos scrupulos, ac solvendos casus, præsertim in Primogenituris, Majoratibus, & Canonicatibus certum numerum Capitularium habentibus; ubi Secundo-Geniti Familiæ, & Domicellares exspectare debent, usque dum per mortem locus aliquis vacet. De altero vero gaudio, quando malum proximi directe etiam attingitur tanquam medium, adhuc remanet dubium, ad quod.

76. Respond. Ad dignoscendam licitatem similium actuum debet quasi ponderatio ab intellectu per libram Charitatis institui inter commodum, seu emolumentum ex una, & damnum ex altera parte. Si emolumentum proprium sit præponderans damno alterius, licet gaudere etiam immediate de damno tanquam de medio, per quod bonum acquiritur, dummodo citra peccatum alteri hoc damnum acciderit; quoniam de ipso peccato numquam licet formaliter gaudere. Item, si incommodum, ac damnum proprium eventurum sit valde grave, quasi præponderans emolumento alterius, licitum erit tibi de bono alterius tristari. E contra vero si malum alterius multum præponderet bono proprio, non licebit tibi de damno alterius lætari: sicut neque licitum erit tristari de adepto alterius emolumento, si tibi exinde tantummodo exiguum comparative incommodum oriatur. Ratio utriusque partis est; quia instituendo ad invicem in libra Charitatis ponderationem inter bonum, & malum, prior modus gaudendi, & contristandi non videtur invertere ordinem dilectionis inter objecta, bene vero posterior, uti recte cum aliis notat Dominicus Viva *Part. I. Trutinæ Theologicæ propositione 13. Innocentii XI.*

77. Exem-

77. Exemplificatur pro majori claritate in sequentibus Casibus. Sic I. Filia à Patre, vel Uxor à Fratre sui mariti multum solicitata ad peccatum Carnis potest gaudere de immatura morte Parentis, vel Fratris Mariti sui propter conservationem salutis spiritualis propriæ animæ: nam salus animæ est præponderans saluti corporis. II. Licitum est tristari, si homicidæ, aliique malefactores passim tolerentur impune in non leve detrimentum Reipublicæ; nam bonum Reipublicæ moraliter est præponderans vitæ privatæ malefactorum. Econtra III. Est prohibitum matri gaudere de morte suæ Filiæ, eo quod à marito eadem subinde fuerit acerbioribus aliquo modo verbis increpata, & exinde apud Matrem querula, à qua molestia Mater nunc est libera: nam modicæ hujus molestiæ liberatio non est bonum præponderans malo mortis filiæ. Aliter foret sentiendum, si præcedentes ærumnæ suæ filiæ fuissent valde graves, & sic vita valde amara; etenim moraliter discurrendo *melior est mors, quam vita amara*: Ecclesiastici cap. 30. v. 17. IV. Pariter illicitum est de Victoria à Catholicis contra hæreticos reportata tristari ex eo, quia unus ex occisis hisce hæreticis erat tuus consanguineus, solitus singulis annis quasdam tibi conferre gratias, nunc per mortem ejus sublatas: nam bonum Reipublicæ Catholicæ est præponderans tuo damno privato, quod ex morte occisi nunc suffers.

78. Quæres: an, ubi permissum est de incommodo alterius ob emolumentum proprium ex post facto gaudere, pariter ex hoc fine liceat antecedenter alteri hoc incommodum optare, seu inefficaciter desiderare? Ante Responsionem nota, quod desiderium inefficax non sit voluntas absoluta, quæ taliter vult objectum, ut simul inquirat media obtinendi illud: hoc enim non foret licitum. Quare desiderium inefficax est tantummodo voluntas conditionata, quæ exoptat, ut, si malum præponderans aliter tolli, vel bonum præponderans aliter acquiri haud posset, id fieret (absque tamen tua cooperatione) morte illius, qui hoc malum causat. H. N. Respondet Vasquez apud dictum Dominicum Viva, id fore licitum; nam hoc desiderium inefficax in effectu non aliter influit, quam gaudendo de illo objecto, uti apud eumdem advertit D. Thomas. Sic Filia à Patre blanditiis allecta sæpius ad peccatum carnis, etsi nequeat Patrem occidere, potest tamen ejusdem mortem naturalem inefficaciter desiderare. Insuper membrum Reipublicæ potest optare, ut malefactores Reipublicæ noxii è medio tollantur. Item, quando quis ducit vitam valde amaram, etsi nequeat se vita privare per varia media, potest tamen sibi mortem optare, prout taliter Elias 3. Reg. cap. 19. *Petiit animæ suæ, ut moreretur* ad evadendas Jezabelis insidias. Simile petitum ad Dominum legitur à Moyse factum *Num. cap.* 11.

PROPOSITIONES XVI. & XVII.

79. *XVI. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.*

XVII. Satis est, actum fidei semel in vita elicere.

DECLARATIO.

De utraque hac propositione satis dictum jam fuit in expositione primæ inter Theses confixas ab Alexandro VII. quorsum Lectorem remittimus, vel ad Reiffenstuel, *Tract.* 4. *Dist.* 2. *num.* 13. & 28.

PROPOSITIO XVIII.

80. *Si à Potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum consulo, tacere, ut peccaminosum per se non damno.*

DECLARATIO.

Quia Potestas publica sæcularis est ordinata tantum ad bonum politicum, non autem ad bonum spirituale, sicque jus interrogandi non habere videtur nisi in ordine ad bonum politicum, exinde intulerunt nonnulli, non esse peccaminosum ad ejusdem interrogationem circa fidem, maxime si interrogans fuerit Tyrannus, tacere, vel eam aliqua æquivocatione eludere, sicuti fieri potest in aliis casibus, quando Reum illegitimus Judex interrogat. *Sed contra est*, quod dicta obligatio candide respondendi non tam descendat ex Jure, quod habet similis Potestas publica interrogans, quam ex mandato Divino affirmativo. *Qui me erubuerit, & meos sermones* (inquit Christus Luc. cap. 9. v. 26.) *hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in Majestate sua, &c.* In quæ verba noster Lyranus taliter glossat: *Non solum credere est necessarium ad Salutem, sed etiam confiteri ore; secundum quod dicitur Rom.* 10. *v.* 10 *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad Salutem. Hæc autem confessio pertinet ad præceptum affirmativum &c.* Videantur Dominicus Viva hîc, & Reiffenstuel, *Tract.* 4. *Dist.* 2. *n.* 45.

PROPOSITIO XIX.

81. *Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.*

DECLARATIO.

Etsi in isto Syllogismo: *Quidquid Deus revelavit, est infallibiliter verum; seu Deus revelavit, se esse Unum in essentia, & Trinum in Personis, ergo id est infallibiliter verum*: Etsi (inquam) in isto Syllogismo Major sit summa certitudine vera, cum Deus nec fallere, nec falli possit; minor tamen, *quod Deus sit locutus, seu id revelaverit*, nobis non constat immediate, sed tantum mediate ex motivis credibilitatis, quæ sunt rationes extrinsecæ prævie nos impellentes ad affirmandum, quod Deus sit locutus; unde quia motiva illa extrinseca impellentia ad assensum fidei eliciendum, nos tantum moraliter certos reddunt de locutione Dei; exinde nonnulli intulerunt, voluntatem per piam affectionem non posse efficere, ut assensus fidei ab his motivis præviis aliquo modo dependens sit in se ipso magis firmus, quam mereatur pondus rationum, seu motivorum credibilitatis ad assensum fidei impellentium. *Sed contra est*, quia ex hoc sequeretur, quod tantum moraliter certum sit, Deum esse unum in essentia,

&

& trinum in personis, sicque certius foret, quod *Petrus sit animal rationale*, quam quod *detur Trinitas Personarum*; cum prima Propositio evidenter, ac physice &c. sit certa; altera vero tantum in eorum principiis foret certa moraliter, utpote dependens à motivis credibilitatis, quæ nos tantum moraliter certificant, quod Deus ita fuerit locutus: & sic simpliciter loquendo adhuc posset tali propositioni subesse falsum, quam sequelam nullus Catholicorum ausus est admittere; cum actui supernaturali nequeat subesse falsum. Unde in articulis fidei, qui non clare sed obscure proponuntur, potest voluntas mediante pia aliqua affectione intellectui in obsequium fidei imperare, ut se captivet, & firmius adhæreat, quam mereatur pondus rationum extrinsece impellentium; maxime cum propter hæc ipsa motiva non habeat ullam rationem gravem prudenter dubitandi, utrum Deus sic fuerit locutus, seu revelaverit, vel non? Inde talis debet esse paratus potius vitam, quam fidem supernaturalem de tali mysterio E. G. SS. Trinitatis perdere, exclamando cum Sancto Augustino Lib. 7. confess. cap 10. *Facilius dubitarem me vivere, quam vera non esse, quæ audivi in corde.* Vid. Reiffenstuel *Tract.* 4. *Dist.* 3. *num.* 55. *& seqq.*

PROPOSITIO XX. & XXI.

82. *XX. Potest quis prudenter repudiare assensum, quem habeat supernaturalem.*

XXI. Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis; imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

DECLARATIO.

Si assensus fidei supernaturalis cum notitia solum probabili revelationis, & cum formidine fundata in gravi ratione de opposito stare posset, consectaneum quoque foret, talem assensum posse prudenter repudiari. Falsum autem est antecedens; nam assensus fidei concurrente simul habitu fidei infuso, aut gratia actuali divina elicitus, est actus supernaturalis, *cui non potest subesse falsum*, uti inquit Concilium Trident. *sess. 6. de Justificat. cap.* 9. Itaque quando elicitur fides actualis supernaturalis circa aliquem articulum fidei, V. G. de SS. Trinitate, taliter se res habet: *In primis* propositis motivis moraliter evidentibus excitatur intellectus per gratiam divinam ad formandum judicium credibilitatis, quo affirmatur, esse evidenter credibile, Deum, qui nec fallere potest, nec falli revelasse tale mysterium. Deinde *secundo* Voluntas supernaturali lumine accensa per piam affectionem in obsequium fidei imperat intellectui, ut huic Mysterio per assensum fidei firmissime adhæreat, actualiter credendo, E. G. Trinitatem personarum ex eo motivo; quia Deus, qui revelavit, est summe verax in dicendo. Et demum *tertio* intellectus concurrente simul habitu fidei infuso, vel alia saltem supernaturali gratia talem in substantia, vel saltem quoad modum supernaturalem assensum fidei præstat, E. G. circa altefatum Mysterium SS. Trinitatis, paratus potius principia naturaliter evidentia, quam tale Sacratissimum Mysterium negare, & potius vitam, quam talem articulum deserere. Debet autem hic bene attendi, ne isti duo actus intellectus, *primus*, quo judico evidenter esse credibile Deum revelasse, quod sit Trinus in personis, & *alter*, quod propter summam Ejusdem veracitatem actualiter affirmo, quod sit Trinus in personis, ad invicem confundantur: nam prior pertinet ad judicium credibilitatis; posterior vero ad actus fidei supernaturalis.

83. Dices: Saltem fides adhuc imperfecta potest stare cum dubio, vel formidine gravi: ergo dicta in duabus propositionibus adhuc subsistunt saltem quoad fidem imperfectam. Anteced. probatur *in primis*, quia ipsemet Christus Matth. cap. 14. v. 31. taliter allocutus est Petrum: *Modicæ fidei, quare dubitasti?* En! fidem saltem modicam stantem non dubio. *Secundo* Pater energumeni Marc. cap. 9. v. 23. dum Jesus eum excitavit ad fidem, exclamavit: *Credo Domine: adjuva NB. incredulitatem meam*; quam fidem S. Chrysostomus in illum textum vocat introductivam, ac incipientem. *Tertio* fides rusticorum, simplicium, vel puerorum nititur dicto unius Parochi, vel Ludimagistri, quod utrique non est motivum convincens, & moraliter certificans Deum sic fuisse locutum: Responderi posset quoad omnia ista tria puncta in compendio distinguendo antecedens: fides imperfecta naturalis, & humana stare potest cum tali dubio, & formidine. Conced. supernaturalis Divina, Neg. Respondetur tamen adhuc aliter absolute negando antecedens; vocatur autem fides Petri, & Patris energumeni (supposito etiam, quod fuerit supernaturalis) adhuc imperfecta, incipiens, & introductoria, non quod actualis gravis formido, & incredulitas simul steterit cum fide, sed quia dicta fides nondum fuit ita radicata, quin facile iterum amitteretur succedente dubio, vel incredulitate. Paucis, fides Petri fuit modica, quia dubitavit, non componendo fidem cum dubitatione, sed amittendo illam per dubitationem. Quantum ad dictum unius Ludimagistri vel Parochi, etsi non sit motivum moraliter certificans absolute; est tamen tale relative, nimirum in ordine ad pueros, & simplices nullatenus dubitantes, quin ea, quæ sibi proponuntur, contineant veram doctrinam Ecclesiæ. Quod si graviter de hoc formidarent, & nihilominus crederent, hæc illorum fides non esset supernaturalis, & divina, sed mere humana, teneretur que magis adhuc apud sapientiores indagare veritatem, vel in eorum absentia defectum hunc Deus supplebit collustratione divini Luminis. Vide Dominicum Viva hic.

PROPOSITIO XXII.

84. *Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.*

DECLARATIO.

Divus Paulus ad Hebræos *cap.* 11. *v.* 6. dum ad justificationem requirit fidem tanquam necessariam, æqualiter loquitur de Deo in se ipso, ac de Deo tanquam Remuneratore: ergo, si requiritur necessario necessitate medii fides explicita Dei unius, etiam requiretur eodem modo fides explicita Remuneratoris. Unde practice prudentissime agunt illi Parochi, Missionarii, ac alii, qui postquam ex pueris, vel simplicibus ad præviam interrogationem de Deo tulerunt responsum, *quod unus sit Deus, & tres Personæ*, illico alterum subjungunt interrogatorium: *Quorsum deveniant, si mali sint, seu Deum graviter offendant*, & quorsum, *si boni, & legem observent?* ubi bene instructi respondebunt: *Si bonus sum, veniam in cœlum, si malus, in infernum*: exinde

ergo

ergo similes jam agnoscunt Deum etiam ut remuneratorem, & quidem in ordine ad Munera, & dona supernaturalia, sicque habent ea, quæ juxta DD. Catholicos defacto sunt certo necessaria necessitate medii. Vide Reiffenstuel *Tract.* 4. *Dist.* 2. *n.* 16. *& seqq.*

PROPOSITIO XXIII.

85. *Fides late dicta ex testimonio creaturarum similive motivo ad justificationem sufficit.*

DECLARATIO.

Fides, quæ defacto, ac in moderna Providentia disponit ad justificationem, debet inniti revelationi Dei, in dicendo summe veracis, uti nobis innotescit ex Concilio Trident. sess. 6. de justificat. cap. 6. sequentibus Verbis: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum, NB. credentes vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt*; adeoque fides late dicta non est sufficiens dispositio ad justificationem, utpote quæ non innititur testimonio ipsius Dei revelantis, sed creaturarum, similive motivo. Et hinc etiam rusticus E. G. circa mysterium Sanctissimæ Trinitatis non habet pro motivo formali actus fidei ipsum testimonium Parochi, sed potius auctoritatem Dei revelantis summe veri; quamvis per judicium credibilitatis affirmet, Deum sic revelasse, eo quod Parochus id attestetur, de cujus fidelitate non dubitat. Vide Reiffenstuel *Tract.* 4. *Dist.* 2. *n.* 20. *&* 21.

PROPOSITIO XXIV.

86. *Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.*

DECLARATIO.

Ex eo, quod multi doctores apud Reiffenstuel *Tract.* 6. *Dist.* 2. *n.* 32. videndi, contra Lessium, Medinam, & Valentiam &c. probabilissime teneant, in juramento promissorio admittendam esse parvitatem materiæ à gravi peccato excusantem, nonnulli intulerunt, idem esse sentiendum in juramento assertorio, si Deus vocetur in testem mendacii levis. Ast contra est, quod in violato juramento assertorio gravitas perjurii non de sumatur ex re, circa quam juratur, sicuti fit in juramento promissorio, sed potius eruatur ex illa irreverentia, quæ irrogatur primæ Veritati, adducendo eamdem in testem alicujus falsi, quæ malitia, & gravis irreverentia semper habetur, quantumcumque levis sit res, circa quam Deus falso adducitur in testem: Sic à pari gravitas peccati Simoniæ non desumitur ex gravitate materiæ temporalis pro re spirituali contempta, qui censetur semper, imo magis intervenire, dum temporale etiam levissimum datur pro re ipsa spirituali, quasi nimirum pretium temporale rem spiritualem in æstimatione adæquare posset &c. Videatur Reiffenstuel *Tract.* 6. *Dist.* 2. *n.* 29. *& n.* 31. *&* 32. Item *in additionibus post n.* 40.

PROPOSITIONES XXV. XXVI. XXVII. & XXVIII.

87. *XXV. Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.*

XXVI. Si quis vel solus, vel coram aliis sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.

XXVII. Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad Salutem corporis, honores, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita, ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.

XXVIII. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

DECLARATIO.

Propositiones istæ damnatæ fundantur potissime in restrictione pure mentali, quam ex causa gravi plusquam quinquaginta Auctores apud Lumbier, *Tom.* 3. *Sum. n.* 1825. teste Patre Joanne Kugler *in sua Crisi Theologica* hîc pronunciarunt esse licitam. Sed *contra est*, quod talis utens restrictione pure mentali aliud exterius sentiat, sicque mentiatur; quoniam mentiri est contra mentem ire: atqui mendacium ex communi Theologorum est intrinsece malum, repugnans Societati humanæ, sicque nunquam licitum, *ne pro vita quidem defendenda*, ut inquit Pontifex, cap. *Super eo, de usuris*: ergo. Aliter subinde discurrendum venit in restrictione non pure mentali, de qua vide fusius Reiffenstuel *Tract.* 6. *Dist.* 2. *n.* 38. 39. *&* 40. *cum sequentibus quinque additionibus.* Poteris etiam occurrente circa hanc materiam aliquo casu notabiliori inquirere apud Dominicum Viva hîc, dum scribit in propositionem XXVIII. & num. III. in nonnullis contradicit opinioni Patris Cardenas, & Lumbier.

PROPOSITIO XXIX.

88. *Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.*

DECLARATIO.

Ratio hujus damnationis est, quia simulare Sacramentorum administrationem ponendo externe omnes partes Sacramenti; interne autem nullam habere intentionem administrandi Sacramentum, idem est, ac mentiri; non enim refert, utrum quis mentiatur verbo, vel facto, prout notat Divus Thomas 2.2. *Quæst. III. Art. I.* atqui ob metum gravem mentiri non licet, ne quidem pro defendenda vita, *cap. Super eo, de Usur.* ergo nec licebit simulare ex metu gravi Sacramentorum administrationem. *Confirmatur*: Non licet ob metum gravem sacrilege administrare Sacramentum; cum non liceat ob metum gravem peccare: ergo non licebit ob metum gravem ficte, seu simulate administrare Sacramentum

tum; quoniam majus peccatum est simulate administrare Sacramentum, quam sacrilege; juxta *cap. 7. de celebratione Missarum, juncto Summario*, hinc licet formulam absolutoriam: *Ego te absolvo à peccatis tuis*, proferre super aliquem scienter incapacem Sacramentalis absolutionis. Itaque quando absolute negando absolutionem foret periculum, ne Confessarius Sigillum Confessionis exinde frangat, deberet sub formatione crucis alia oratio E. G: *Misereatur &c.* tacite proferri, aut sub obscuro dici: *Ego te neutiquam absolvo à peccatis tuis*, ita ut adverbium *neutiquam* non perciperetur ab adstantibus, uti advertit Kugler in cit. proposit. Videatur susius Cardenas, & Dominicus Viva, quando scribunt in dictam propositionem.

PROPOSITIONES XXX. XXXI. XXXII. & XXXIII.

89. *XXX. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.*

XXXI. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

XXXII. Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

XXXIII. Licitum est tam hæredi, quam Legatario contra injuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicuti & jus habenti in Cathedram, & præbendam contra eorum possessionem injuste impedientem.

DECLARATIO.

Quoniam omnes istæ actiones excedunt moderamen inculpatæ tutelæ? ideo merito prohibentur, prout etiam jam ante Innocentium XI. similem propositionem ordine 17. damnavit Alexander VII. Vid. Reiffenstuel, *Tract. 9. Dist. 3. Quæst. 2. per totum, junctis simul Additionibus.*

PROPOSITIO XXXIV.

90. *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.*

DECLARATIO.

Nunquam licet ponere talem actionem quæ directe esset ordinata ad procurandum abortum foetus animati, quia nunquam licet privatis directe occidere, nisi per modum inculpatæ tutelæ; unde etiam si talis puellæ gravidæ abortum procurantis, motivum sumendi medicinam ex se ordinatam ad abortum promovendum neutiquam foret ipsa occisio prolis, sed potius conservatio vitæ, vel famæ propriæ, aut etiam totius familiæ; hoc tamen non obstante neutiquam liceret sumere medicinam ex se immediate ordinatam ad procurandum abortum; quamvis enim in tali casu puella non intenderet occisionem prolis tanquam finem, ac motivum, eamdem tamen vellet directe tanquam medium, quo conservatur sua vita, aut fama propria, vel familiæ &c. Sicuti enim medicina talis ex natura sua ordinatur ad procurandum abortum, ita procuratio abortus ordinaretur ad conservandam vitam, vel famam, sicque utrumque assumeretur directe, non quidem quasi finis, sed tanquam medium, quod homini privato extra moderamen inculpatæ tutelæ nunquam licet, Exempli gratia, si Tyrannus tibi minaretur, quod velit te simul cum fratre tuo interficere, nisi tu fratrem proprium, vel alium tibi Charum occidas, exinde tibi permissum non est occidere fratrem tuum, ex fine, ut tuam exinde conserves vitam. Plura, & quidem utilissima de abortu videre poteris apud Sporer *Part. 4. Theologiæ Sacramentalis integro cap. 4.* His igitur suppositis quæstio remanet, an idem sit sentiendum, si foetus necdum fuerit animatus; ubi Bordonus, Zambellus, Torreblanca, & alii apud Dianam, *part. 6. Tract. 8. Resol. 37.* putarunt, in simili casu procurationem abortus ob tam gravem causam, præsertim ad evitandam mortem licere, cum exinde foetus nec vita temporali, nec æterna utpote necdum informatus anima rationali, privaretur, prout tamen utrumque contingeret, si foetus jam esset animatus, ac nondum baptizatus.

91. Sed *contra est primo*: non licet procurare pollutionem directe ad declinandum periculum mortis, uti apud Catholicos est in confesso; ergo neque licebit procurare directe abortum ad declinandum periculum mortis; & multo minus ad evitandam infamiam. Consequentia probatur: ideo præcipue non licet procurare pollutionem; quia semen ex sua natura est ordinatum ad propagationem speciei naturæ humanæ: sed foetus inanimatus adhuc proximius à natura est ad eundem finem ordinatus, quoniam ex semine primum fit embrio &c. ergo. *Contra secundo*: quia in Jure Canonico tam qui foetui viventi adimit vitam, quam qui foetum necdum animatum a vita impedit, censetur reus homicidii: ergo si non licet per medicinam directe expulsivam procurare abortum foetus animati, neque licebit quoad foetum inanimatum. Anteced. probatur ex *cap. si aliquis de Homicidio* ibi: *Si aliquis causa explendæ libidinis &c. mulieri ad potandum dederit, ut non possit generare, aut concipere, vel nasci soboles, de homicidio tenetur.*

92. Dices: Potest sumi pharmacum directe expulsivum foetus necdum animati, atque procurativum abortus, si matri alias periculum intrinsecum mortis per ipsum talem foetum immineat, nisi expellatur: ergo etiam ob paritatem rationis similiter erit dicendum, si imminet periculum extrinsecum mortis infligendæ ab alio, nisi idem contingat. Antecedens est doctrina communissima teste Sanchez, *Lib. 9. de Matrim. Disp. 20. n. 10.* quam sententiam pariter defendit Dominicus Viva hic, supposito, quod foetus adhuc sit inanimis: secus si foret animatus; quia tunc prolem privaret altiori bono, quam est vita temporalis, nimirum vita pariter spirituali, ac æterna ob defectum baptismi. Respond. transmisso antecedenti negando consequentiam, & paritatem. Disparitas est, quia stante periculo vitæ alias per ipsum foetum inanimatum adimendæ, talis foetus habet se per modum aggressoris vitæ; potest autem injustus aggressor vitæ per modum moderaminis inculpatæ tutelæ etiam vivus, & alias ratione privatus (multo magis nondum habens animam rationalem) occidi, si aliter periculum hoc grave declinari nequeat, præsertim si occidendus in bonis altioris ordinis, quam si ipsa vita temporalis, exinde damnum non incurrat, prout certo non incurrit foetus, adhuc inanimatus, utpote necdum habens vitam spiritualem. Econtra vero, quando alicui periculum depen-

deperdendæ vitæ non per ipsum foetum, sed ab alio aliquo extrinseco imminet, talis foetus non censetur aggressor vitæ alterius; unde procurans ejusdem abortum excedit limites justæ defensionis per modum moderaminis inculpatæ tutelæ. **Dixi** notanter: *Transmisso antecedenti*, etenim nec illud adeo evidens apparet, ut non inveniantur nonnulli cum Navarro contrarii. Hoc certum omnino est, quod etiam stante periculo illo intrinseco illud extremum remedium licite applicari nequeat, si supersint alia, quibus periclitanti Matri succurri queat, puta per incisionem venæ, vel per medicinas non directe ad expulsionem foetus ordinatas &c. quamvis per eas subinde per accidens abortus contingat.

PROPOSITIO XXXV.

93. *Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur; ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.*

DECLARATIO.

In primis probabile non est fœtum carere anima rationali, quamdiu in utero existit; quoniam procurans abortum talis foetus, E. G. quatuor mensibus post conceptionem, verum committit homicidium, uti cum Julio Claro, Gomez, Covarruvias, & Juristis communiter sentit Stephanus V. Papa, *Can. consuluisti*. 20. *Causa* 2. *Quæst*. 5. prope finem; quidquid nonnulli præsertim ex iis, qui Sectam Stoicorum sequuntur, contradicant. Deinde dato etiam, quod hæc sententia speculative probabilis esset; contraria tamen foret longe communior, sicque ille, qui in tali dubio, & in conflictu duarum sententiarum adhiberet ultimis mensibus ante nativitatem quodpiam pharmacum directe expulsivum foetus, consequenter se exponeret deliberate periculo, utrum non exinde occideret foetum jam anima rationali informatum, adhuc coram DEO esset reus homicidii; sicuti à pari alius, qui in dumetis latitantem Globo trajiceret, dubius utrum hìc sit homo, vel aliqua fera, ob tam manifestum periculum, cui se voluntarie exponeret, coram tribunali Divino à culpa homicidii non excusaretur. Unde allegata propositio dupliciter errat: *In primis*, quod defendat tanquam probabile, foetum carere anima rationali, quamdiu in utero est. *Secundo*, quod ex Speculativa aliqua probabilitate statim, etiam in re tam graviter præjudiciosa tertio quoad praxin inferat, talem in nullo abortu esse reum homicidii; cum tamen se manifesto exponat periculo occidendi foetum jam animatum.

94. Quæres ergo, quo die censeatur foetus in utero materno animari? Respond. de hoc jam factam esse mentionem apud Reiffenstuel, *Tract*. 9. *Dist*. 3. *n*. 35. *& seqq*. Diana *Part*. 7. *Tract*. 5. *Resol*. 6. apud Dominicum Viva hìc pronuntiat tanquam moraliter certum, nullum foetum ante diem quadragesimum animari. Quinimo si foetus fuerit sexus foeminei, quod animatio non contingat juxta Viva ante diem octuagesimum. Quodsi præmissa etiam diligenti inquisitione adhuc dubitetur, an foetus ille expulsus mas, vel foemella fuerit, teste eodem, juxta praxin Sacræ Poenitentiariæ talis procurans abortum censetur, effectu secuto, irregularis. Alii vero apud Sporer, *Tract*. 4. *Cap*. 4. *n*. 751. *& seqq*. mitius de hoc sentiunt, eo quod in tali casu dubitetur de ipso corpore delicti, utrum revera aliquis vivens fuerit occisus? Secus foret dicendum in aliis casibus, in quibus constat de corpore delicti, puta, quod aliquis fuerit interfectus; dubitetur autem, num per tuam, vel alterius actionem; tunc enim juxta clara jura *Cap. ad audientiam* 12. & *Cap. significasti* 18. *de Homicidio*, deberes te gerere tanquam irregularem. Vide Reiffenstuel, *Tract*. 9. *Dist*. 3. *n*. 34. *& seqq*. Item *Tract*. 13. *Dist*. 3. *Quæst*. 2. *Additione* 6. & post *quæst*. 4. *in Appendice Additione* 5.

PROPOSITIO XXXVI.

95. *Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.*

DECLARATIO.

Ex eo, quod divites constituti in gravi necessitate teneantur dare eleemosynam de superfluis statui, nonnulli intulerunt, ea denegata posse talem pauperem uti occulta compensatione, nec divitem quoad hanc ablationem esse prudenter invitum, eo quod alias obligetur ad erogandum. Sed *contra est*, quod dives in simili casu non obligetur ex justitia, sed tantum ex misericordia, seu charitate, & quidem non huic determinate, qui aufert, sed solummodo indeterminate illis, quos in ordine ad superflua status ipsemet consideratis considerandis elegerit; unde, qui privata auctoritate talia auferrent, peccarent contra justitiam, foretque Dominus prudenter invitus circa hanc ablationem privata auctoritate factam. Vide Reiffenstuel, *Tract*. 9. *Dist*. 5. *n*. 13. *& 14. & Additione post n*. 104.

PROPOSITIO XXXVII.

96. *Famuli, & Famulæ domesticæ possunt occulte Heris surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.*

DECLARATIO.

Non damnatur in præsenti illa sententia, quæ ait, posse famulos uti occulta compensatione, si aliunde ex communi peritorum sensu aperte constet, salarium, famulis datum, omnibus consideratis considerandis, esse improportionatum, atque injustum. Itaque solummodo reprobatur ea opinio, quæ dimensionem illam inter operas ex una, & mercedem ex altera parte committit judicio ipsorum famulorum, quales amore proprio excæcati, nec conditiones alias, ad licentiam utendi occulta compensatione requisitas, respicientes, facile sibi persuadent, operas suas esse majores salario, &c. Ex quo amplissima famulis janua aperiret defraudandi Heros suos. Vide Reiffenstuel, *Tract*. 9. *Dist*. 5. *n*. 39. & fusius in Jure Canonico, *Lib*. 3. *Decretal*. *Tit*. 18. §. 4.

PROPOSITIO XXXVIII.

97. *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumque sit magna summa totalis.*

DECLARATIO.

In præsenti damnantur illi, qui docebant, non obli-

obligari sub gravi ad restitutionem eum, qui post præmissa plura levia furta adjungit ultimum de se quidem leve, in sensu tamen composito cum prioribus notabilis quantitatis constitutivum. Putarunt autem prædicti, ideo talem furem non obligari ad restitutionem sub gravi, quia singulis furtis peccavit tantum venialiter; videtur autem adesse improportio inter culpam levem, & pœnam gravem, seu inter peccatum veniale in damnificando commissum, & inter onus damnum resarciendi sub peccato gravi: prout patet à pari in illo, qui ex aliqua incuria venialiter peccaminosa non extinxit candelam, si exinde fuerit exortum incendium, & combusta domus &c. Sed *contra est*, quod omnino falsum sit, per ultima furta minuta peccari tantum venialiter, si quis advertat, per conjunctionem horum cum præcedentibus deveniri ad summam notabilem. Deinde ponamus, quod talis in ultimis furtis fuisset immemor furtorum præcedentium, nec intendisset unquam per furta minuta ascendere ad summam gravem; in hoc quidem casu per talia furta minuta non peccaret graviter; hoc tamen non obstante postquam reflectit se super ea, & quando res illæ leves sæpius ablatæ apud ipsum adhuc in se, vel in æquivalenti existunt, tenetur non tam titulo *injustæ acceptionis*, quam titulo *rei acceptæ* sub mortali ad restitutionem; quia videt per similia furta minuta, ad invicem moralem unionem habentia, se ditari; proximum autem, vel Rempublicam graviter damnificari. Unde non est paritas inter hunc furem plura minuta successive auferentem, & inter alterum ex incuria venialiter peccaminosa incendentem domum; nam prior tanquam factus exinde ditior tenetur restituere, *titulo rei acceptæ*; alter vero, cum ex incensa domo nihil acceperit, obligaretur tantummodo *titulo injustæ acceptionis*, seu damnificationis. Ubi quoad hoc ultimum (non quoad primum) videtur multis Theologis difficile, quod ante sententiam Judicis detur obligatio resarciendi sub gravi damnum illatum ex culpa Theologice levi, absque eo, quod damnificans exinde ullatenus factus fuerit ditior. Vide Reiffenstuel. *Tract.* 9. *Dist.* 5. *Quæst.* 2. *cum Additionibus.*

PROPOSITIO XXXIX.

98. *Qui alium movet, vel inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati.*

DECLARATIO.

Sicuti si quis alios per malum suum exemplum movet ad damnificandum, exinde talis non obligatur ad restitutionem damni illati, ita pariter nonnulli intulerunt, idem esse dicendum, si per verba, & consilia sic moveat, cum parum referre videatur, utrum quis verbo, vel exemplo alterum moveat, ut damnum inferat. Sed *contra est*, quod prior dans malum exemplum non peccet contra justitiam, sed peccato Scandali contra Charitatem, cum non intendat positive (uti supponitur) suum malum exemplum ordinare ad inducendum alterum, ut similiter tertium damnificet, sicque nec censeatur causa moralis influens in damnum tertii; Econtra vero consilium dans, & inducens per verba, ut tertius damnificetur, eo ipso sua verba dirigit ad damnificandum tertium, sicque censetur causa moraliter influens in simile damnum; & consequenter tenetur ad restitutionem, supposito, quod alterum per suum consilium actualiter moveat, & alter realiter tertio damnum inferat. Vide Reiffenstuel, *Tract.* 9. *Dist.* 5. *Quæst.* 3. & 4.

PROPOSITIO XL.

99. *Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ: cum contractu revenditionis prævie inito cum intentione lucri.*

DECLARATIO.

Mohatra, seu *Baratra* testibus Sabino Bononiensi, & Matthæuccio, est nomen Hispanicum. Apud quosdam Italos juxta eosdem vocatur *Stocco.* Porro contractus Mohatra à Patre Reiffenstuel, *Tract.* 8. *Dist.* 4. *n.* 26. sic exemplificatur: Petit quis mutuos centum florenos à mercatore, & mercator non vult pecuniam mutuare, paratus tamen est illi vendere merces credito, sed summo pretio, V. G. centum quinque florenis, ex fine, ut eas iterum revendat numerata pecunia, prout etiam alter res sic emptas denuo offert mercatori, qui tamen hasce non aliter emit, seu potius redimit, quam pretio, ponamus, infimo, V. G. nonaginta quinque florenis. Talis contractus, si contingat venditio cum pacto revenditionis prævie inito, est illicitus, & consequenter merito prohibitus, utpote palliatam continens usuram; cum in effectu idem sit, & talis mercator totidem acquirat, & quidem vi pacti prævie initi; ac si in mutuo pro nonaginta quinque florenis mutuatis centum ac quinque accepisset, uti consideranti patet. Quod si pactum de revendendo non intercederet, præfatus contractus non contineretur sub præfata propositione prohibita, quamvis etiam tunc practice posset esse periculosus, cum simile pactum saltem implicitum illic sæpe reperiatur.

PROPOSITIO XLI.

100. *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.*

DECLARATIO.

Si non interveniat simul lucrum cessans, vel damnum emergens, neque sit ullum periculum sortis principalis amittendæ, nec ulla difficultas pretio æstimabilis in acquirendo illo capitali, quod alteri mutuatur &c. falsum est, quòd ipsa pecunia numerata, utpote in se ipsa sterilis, sit pretiosior numeranda. Quod si dicas, per pecuniam numeratam, & præsentem potuisse mutuantem instituere negociationem cum ingenti lucro, quo debet nunc carere, usquedum sibi iterum hoc capitale à mutuatario in futurum numeretur, seu restituatur. Respondeo, id esse extra statum quæstionis; supponitur enim hîc, pecuniam præsentem alias mansuram in arcula prorsus otiosam absque interventu alicujus lucri cessantis. Nec opponas cum Caramuele contrario: Chirographum, in quo mille floreni primum in futurum numerandi continentur, esse minoris pretii, quam mille florenos præsentes in numerata pecunia; Et hinc etiam juxta communem praxin talia Chirographa minoris emuntur: ergo pecunia numerata

rata est pretiosior primum numeranda. Nam *contra est*, quod hic contractus non sit amplius contractus mutui; sed potius emptionis & venditionis, ubi Chirographa propterea minori pretio emuntur, vel quia ordinarie adest aliquod periculum, aut difficultas in acquirenda sorte principali in dictis Chirographis, expressa, vel quia similia Chirographa sunt quasi merces ultroneæ, seu ultro oblatæ ad emendum: juxta Theologos autem ex utroque capite solent merces decrescere in pretio. Cæterum plura adhuc de Chirographis videre poteris apud Reiffenstuel, *Tract.* 8. *Dist.* 4. *post. n.* 102. *Additione* 5. & 6.

PROPOSITIO XLII.

101. *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex Justitia debitum.*

DECLARATIO.

Quod præter onus restituendi iterum ipsum capitale Mutuatarius simul aliquam naturalem obligationem antidoralem gratitudinis contrahat erga Mutuantem, in præsenti non negatur: ex hoc tamen nonnulli Theologi apud Dianam, *Part.* 1. *Tract.* 8. *Resol.* 62. & *part.* 11. *Tract.* 7. *Resol.* 23. male inferunt, eam obligationem gratitudinis posse à mutuante deduci in pactum, taliter, ut Mutuatarius promittat se daturum auctuarium in gratitudinem, non ex obligatione justitiæ, sed veracitatis, & fidelitatis, ut proin possit deinde illud exigi tanquam debitum ratione promissionis. Nam *contra est*, quod etsi, dum Petrus Paulo in gravi necessitate constituto mutuat mille florenos, Paulus præter onus restituendi cum tempore Capitale contrahat obligationem antidoralem cujusdam gratitudinis; hæc tamen obligatio antidoralis non determinate consistat in auctuario pecuniæ mutuatæ, sed in aliquo indeterminato juxta arbitrium Mutuatarii, qui potest huic obligationi antidorali satisfacere etiam orando pro Mutuante, vel eum apud alios laudando &c. sicuti eodem modo discurritur in collatione, & præsentatione ad Beneficia. Et plane alias, si Adversariorum doctrina subsisteret, Usuris, & Simoniis immensum ostium pateret, uti consideranti patet. Quare generaliter committitur usura expressa, vel palliata, quandocumque extra lucrum cessans, vel damnum emergens, aut similes reales titulos præter sortem principalem quodpiam auctuarium in pactum deducitur, & Auctoritate privata constituitur.

102. Dixi notanter: *Auctoritate privata*, per quæ verba nolo impugnare in præsenti eorum sententiam, quæ defendit, *Auctoritate publica* id fieri posse taliter, quatenus nimirum vi dominii alti (uti proportionaliter discurritur in materia de præscriptione) Potestas publica, maxime suprema, determinatum, atque moderatum in mutuo constituit auctuarium ad tollendas lites, anxietates, & dubia, alias sæpius eventura, utrum hìc & nunc, in isto vel illo mutuo vere interveniat lucrum cessans, vel damnum emergens, & quantum vi hujus prætendi queat &c. qua determinatione absoluta multi ad mutuandum aliis promptiores adduntur, ac lites diminuuntur, quoniam ordinarie apud Judicem in illo determinato auctuario sisteretur, nisi evidenter constaret, lucrum cessans, vel damnum emergens &c. id excedere. Quod non leviter videretur promovere Bonum publicum. Plura de usuris vide apud Reiffenstuel, *Tract.* 8. *Dist.* 4. *Quæst.* 2. 3. & 4. Item fusius in Jure Canonico *Lib.* 5. *Decret. Tit.* 19.

PROPOSITIONES XLIII. & XLIV.

103. *XLIII. Quidni non nisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?*

XLIV. Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

DECLARATIO.

Mendacium juxta jam dicta est malum intrinsecum, quod dicitur leve, si fiat in materia levi; grave autem, si contingat in materia gravi: quoniam autem juxta communem non sunt facienda mala, ut eveniant bona, consequenter neque per mendacium potest alicui imponi falsum crimen, ut evitetur nocumentum proprium, alias in bonis fortunæ, vel famæ incurrendum. Nec retorqueatur argumentum in Homicidio, quod pariter juxta Doctores est malum intrinsecum, & tamen licet per modum moderaminis inculpatæ tutelæ ad evitandum grave damnum in bonis fortunæ; adeoque idem dicendum esse cum proportione quoad mendacium. Respondetur enim negando consequentiam, & paritatem. Disparitas est; quia mendacium ita est intrinsece malum, ut in nullis liceat circumstantiis, etiamsi per hoc Respublica liberaretur à gravissimis malis; econtra vero non est taliter intrinsece malum homicidium, utpote quod in aliquibus circumstantiis permittitur, puta Principibus jus gladii habentibus occidendo malefactores in vindictam publicam, vel privatis per modum moderaminis inculpatæ tutelæ. Accedit, quod læsio famæ alterius per calumniosum mendacium contingens ordinarie nec sit remedium efficax, nec unicum ad conservanda bona fortunæ, vel famæ propriæ; cum per calumnias, & mendacia ordinarie non obtineatur honor, ac bona fama, sed potius deperdatur, & alter, si resciat, tantummodo magis ad detrahendum exinde accendatur; ac insuper multa supersint alia media, dummodo amor proprius excæcans non aliter male suggereret, adeoque committens tale mendacium excedit limites moderaminis inculpatæ tutelæ, & consequenter non est præsumendum, quod natura, vel potius Deus Auctor naturæ mendacium ordinaverit, ac permiserit adhiberi tanquam remedium pro conservatione famæ propriæ, vel bonorum fortunæ, sicque mendacium manet mendacium leve in materia levi, & grave in materia gravi. Vide Dominicum Viva hìc, & Reiffenstuel, *Tract.* 9. *Dist.* 6. *n.* 11. & 12.

PROPOSITIONES XLV. & XLVI.

104. *XLV. Dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium; sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam, quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut contra.*

XLVI. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; imo, etiamsi

sit finis ipsius rei spiritualis, sic, ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.

DECLARATIO.

Simonia est, si temporale principaliter detur pro spirituali, aut vice versa spirituale pro temporali, interveniente simul aliquo pacto explicito, prout clare decisum reperitur in *cap.* Tua Nos, 34. *de Simonia*; idque in præsenti non controvertitur: inquiritur tamen ulterius, utrum pariter Simoniacum censeatur, si temporale pro spirituali nec detur tanquam pretium, nec signo aliquo exteriori expresso in pactum deducatur, sed solummodo sit motivum propter quod obtinendum datur temporale?

105. Notandum ulterius, quod motivum illud obtinendi spirituale pro temporali possit habere tacite annexam adhuc intentionem obligandi alterum ad dandum spirituale desideratum, V. G. Beneficium; vel non possit habere annexam hanc intentionem obligandi alterum, V. G. aliquis Moderator instruens filium cujusdam Nobilis, habentis jus præsentandi ad pingue Beneficium, potest per suam instructionem velle tacite obligare Nobilem, ut ipsum præsentet ad tale Beneficium, vel potest non habere hanc intentionem obligandi, etsi speret, se citius tempore Vacaturæ præsentandum, si nunc diligens fuerit quoad instructionem filii. In hoc secundo casu Simonia non intervenit; bene tamen in primo: & quidem si alter accipiens temporale pro spirituali ex circumstantiis advertit, quod dans temporale intendat per hoc tacite obligare ipsum ad reddendum spirituale, atque nihilominus ad recipiat, conferendo vicissim spirituale, vel saltem illud promittendo, erit Simonia mutua ex utraque parte. Quod si vero non advertat, erit Simonia solummodo mentalis ex parte dantis, non quidem pœnis Canonicis, uti Simonia realis, bene tamen districto Dei Judicio subjecta. Totum hoc clare deducitur ex dispositione Juris Canonici *cit. cap. Tua Nos.* 34. *de Simonia*, ubi Innocentius III. circa Clericum quempiam Ecclesiæ conferentem bona sua, ut in Canonicum recipiatur, talem notatu dignissimam ponit resolutionem: *Tua Nos duxit discretio consulendos &c. &c. Devotioni tuæ taliter respondemus, quod, si quis Clericus cum conditione, vel pacto largiatur, aut offerat bona sua, ut illa postmodum pro præbenda retineat, & in Canonicum admittatur, hujusmodi oblatio, vel receptio fieri non poterit sine vitio Simoniæ; cum in talibus omnis pactio, & conventio cessare debeat juxta Canonicas Sanctiones. Si vero pure, & sine pacto, vel conventione qualibet offerat, rogans humiliter ut in Canonicum admittatur; & bona sua retineri sibi liceat pro præbenda, & Clerici ejusdem Ecclesiæ puræ consentiant; hujusmodi receptio fieri poterit absque scrupulo Simoniacæ pravitatis; NB. licet haud taliter duximus respondendum; quia nobis datum est de manifestis tantummodo judicare: si tamen is, qui talem donationem facit, ea intentione ducatur, ut per temporalia bona, quæ offert, spiritualia valeat adipisci, & Clerici, qui eum in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuri; sine dubio tam ille, quam isti apud districtum Judicem (qui scrutator est cordium, & cognitor Secretorum) culpabiles judicantur.* Ita Summus Pontifex; idque cum proportione applicat, si vicissim detur spirituale, ut obtineatur temporale. Cæterum ut utraque propositio damnata adhuc magis intelligatur, sequentia formantur Quæsita.

106. Quæres I. Quandonam motivum proxime explicatum censeatur tacite annexam habere intentionem vicissim alterum obligandi? Ante Resolutionem nota. Motivum per temporale obtinendi spirituale, vel vice versa per spirituale acquirendi temporale, posse esse vel intrinsecum, ac primarium, vel extrinsecum, & secundarium. H. N. Respond. Si motivum fuerit intrinsecum, ac primarium, censetur tacite contineri intentio obligandi alterum, atque in hoc sensu censetur reprobata utraque propositio superius allegata; non vero, si fuerit motivum tantummodo extrinsecum, aut secundarium, atque impulsivum, ut citius, promptius, vel in hoc, non in alio tempore spirituale fiat &c. Ita Dominicus Viva hîc n. 5. & seqq. atque expresse sic tenet Divus Thom. in casu, quo pro actu spirituali datur aliquod temporale, ubi exemplum adducit cujusdam Canonici euntis ad Ecclesiam, in qua accedentibus distribuuntur præsentiæ, uti vocantur; ubi *Quodlibet.* 18. *art.* 11. ita loquitur: *Si hujusmodi distributionem recipiat quasi finem suæ operationis N. B. principaliter intentum, Simoniam committit; si autem principalem finem habet Deum, ad hujusmodi distributiones vero respicit secundario, non tanquam in finem* (supple uti superius *principalem*) *sed sicut in id, quod est necessarium ad suam sustentationem, constat, quod non vendit actum spiritualem, & ita Simoniam non committit, nec peccat: Sic enim acceptio distributionum non erit causa, quare ad Ecclesiam vadat, sed proprie hujusmodi* (supple *frequentationis Ecclesiæ*) *determinatio; quare nunc vadat, & non alia vice.* Pariformiter est discurrendum de Sacerdote aliquo, qui hodie V. G. Missam legit, quia se offert occasio acquirendi stipendium, alias forsan hodie non celebraturus. Talis enim Sacerdotis hodie celebrantis finis primarius adhuc est cultus Divinus, uti supponitur, etsi secundario intendat stipendium titulo sustentationis, ex quo etiam determinat hodie celebrare primario ad promovendum cultum divinum, secundario vero ut stipendium titulo honestæ sustentationis acquirat. Viderint autem hîc, quomodo coram Deo excusentur illi Canonici, & Sacerdotes, qui nunquam, aut vix unquam comparent, nisi adsint præsentiæ valde pingues, vel rarissime legunt Missam, quando non offertur stipendium: videtur plane apud Hosce non raro ipsa utilitas temporalis fuisse primarium motivum accedendi Ecclesiam, aut celebrandi Missam.

107. Quæres II. An honoraria data, vel promissa ante præsentationem Patronis habentibus jus præsentandi ad Beneficia &c. censeantur interpretative indicare ea parte dantis motivum primarium obtinendi per hæc aliquod Beneficium: Item an talia honoraria possint à Patronis &c. recipi? Respondeo, utrum taliter donantes coram Deo, & in foro interno habuerint pro motivo primario, & intrinseco per honoraria obtinere Beneficium, indifferenti examine conscientiæ ipsimet donantes dijudicare debent. In foro autem externo id in dubio ex circumstantiis dijudicatur; ubi ad hæc tria maxime attenditur, nimirum ad personam *dantis*, & *accipientis*, ad *quantitatem muneris*, & *ad tempus donantis.* Illud autem Patronis, seu Collatoribus Beneficiorum præcipue notandum venit, quod, sicuti si Judicibus absque expressione mutuæ obligationis offeruntur tantummodo levia, puta esculenta, & poculenta, paucis diebus consummabilia, illa non præsumantur data cum intentione obligandi Judicem ad favorabilem sententiam, sicque juxta plurimos Theologos *arg. L. Plebiscito. ff. de officio Præsidis*, & *Cap. statutum.* §. *Insuper, de Rescriptis in* 6. licite recipiantur, ita pariter admitti possint in casu quæstionis, quamvis

haud

haud dubie securius fit, etiam similia ante præsentationem respuantur; econtra vero, quia ob periculum universale sententiæ venalis absolute prohibetur Judicibus recipere munera in considerabili quantitate, *L.* 18. *ff. de officio Præsidis*, & *cap* 11. §. 4. *de Rescript. in* 6. quia nimirum dantes præsumuntur velle obligare Judicem ad pronuntiandum in favorem dantis; ita ob idem universale periculum inhibetur Patronis, & similibus ante præsentationem &c. recipere notabilia honoraria, vel promissa de dandis; hæc enim solent homines mirabiliter excæcare, & trahere ad favorem intentum largientis. Vide Viva hic *n.* 6.

108. Quæres III. An, si divites Religiosis, vel pauperibus largiantur pecunias, vel alia temporalia ut pro ipsis certas preces persolvant, censeatur talis largitio Simoniaca? Ratio dubitandi est; quia videtur hic intervenire primarium motivum accipiendi pro temporali aliquod spirituale, quod juxta dicta censetur tacite continere pactum Simoniacum. Hoc tamen non obstante Respond. talis elargitio non est Simoniaca, quamvis etiam Religiosi, vel mendici sese obligarent ad persolutionem illarum precum. Ratio est; quia similis Eleemosyna non datur ex motivo primario pro ipsis precibus quasi venalibus, sed potius per modum stipendii pro sustentatione, ita, ut exinde accipientes sese sustentare, sicque illas preces persolvere queant, eo ferme modo, quo Sacerdoti celebranti aliquot Missas tribuitur taxata pecunia. Et plane, si talis elargitio foret Simoniaca, deberent omnes fundationes piæ anniversariorum, aut similium bonorum operum ex eadem ratione censeri Simoniacæ. Item non possent licite Religiosi sese propterea obligare ad preces persolvendas, quæ tamen doctrina pridem fuit ab Ecclesia reprobata, dum Eadem inter alios Vvicleffi errores etiam sequentem propositionem ordine 25. damnavit: *Omnes sunt Simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus.* Vide Reiffenst. *Tract.* 5. *Dist.* 3. *n.* 43. *ac sequentibus*, & adhuc fusius in Jure Canonico *Lib.* 5. *Decret. tit.* 3. *præsertim* §§. *V. VI. IX. & X.*

PROPOSITIO XLVII.

109. *Cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium vel primo videtur per digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo pro positivo; vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.*

DECLARATIO.

Intendebat Concilium Tridentinum concreditis oviculis providere de Pastoribus dignioribus, id est, Ecclesiæ, consideratis considerandis, magis proficuis; inde absque restrictione ad concursum *Sess.* 24. *de Reform. cap.* 1. absolute præcipit, ut non nisi digniores, & Ecclesiæ utiliores ad similia officia promoveantur, quam summe sollicitam Supremi Pastoris cum universali Ecclesia vigilantiam nonnulli Theologi sine solido fundamento, & in non leve Ecclesiarum particularium præjudicium vel eluserunt improprjando sensum verborum, vel ad solum limitarunt concursum: hinc merito reprobati à summo Pontifice. Vid. Reiffenstuel, *Tract.* 11. *Dist.* 1. *Quæst.* 4.

PROPOSITIONES XLVIII. & XLIX.

110 XLVIII. *Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.*

XLIX. Mollities jure naturæ prohibita non est; unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

DECLARATIO.

Concedunt quidem Adversarii ultro, tam fornicationem, quam mollitiem prohiberi Jure Divino positivo; cum S. Paulus 1. *Corinth. cap.* 6. *v.* 9. & 10. expresse dicat: *Neque fornicarii &c. neque molles neque masculorum concubitores &c. Regnum Dei possidebunt.* Negant tamen cum Caramuele *Lib.* 4. *Theologiæ intentionalis n.* 1960. & 1965. hanc prohibitionem esse pariter juris naturalis. Ast contra est *primo*, quod S. Paulus æque loquatur de fornicariis, & mollibus, uti de Masculorum concubitoribus, seu Sodomitis; atqui peccatum Sodomiticum est utique contra lumen naturæ; cum etiam bestiæ, alias instinctum naturæ sequentes, ordinario abhorreant congressum intra eumdem sexum: ergo. Contra est *secundo*, quod, sicuti lex naturalis ad propagationem generis humani intendit bonum prolis, ita econtra censeatur prohibere omnia ea, quæ sunt impeditiva hujus boni, atqui tam mollities, quam fornicatio sunt impeditivæ hujus boni: ergo. Min. probatur, & quidem de Mollitie patet per se, cum semen ad propagationem generis humani à natura ordinatum per mollitiem effundatur extra vas debitum: & licet per fornicationem propagatio prolis potius promoveri videatur; quia tamen, si jure naturæ, & in lege naturali liceret indistinctim fornicatio, sicque etiam concubitus vagus, passim negligeretur cura vitæ, & bonæ educationis prolis, cum nullus vellet ordinarie esse Pater ejusdem; adeoque signum est, quod etiam per eamdem in supposito, quod foret licita, impediretur bonum prolis: ergo. Contra est *tertio*; quod mollities, & etiam fornicatio ordinarie non soleant, uti matrimonium, ex fine prolis habendæ, sed potius ex vehementia delectationis venereæ exerceri; unde contra ordinem naturæ intellectus nimium quantum absorbetur, & sensibus prorsus subjicitur, cum maximo damno, & quidem eo magis, quia Deus non solet fornicariis, & mollibus tribuere illa specialia auxilia, quæ concedit conjugatis tam ut Auctor gratiæ, quam naturæ: oportuit igitur Jure naturæ prohiberi, quod ordinarie fit contra ordinem Juris naturæ, dum potentia superior (nempe intellectus) adeo vehementer, & cum tanto damno subjicitur potentiis inferioribus, nimirum sensitivis. Contra est *quarto*, quod illa sit operatio intrinsece mala, sicque jure naturali prohibita, quæ ex se est principium cæcitatis mentis, præcipitationis, & aliorum pessimorum affectuum; sed talis operatio est mollities & fornicatio, utpote quæ teste D. Gregorio *Lib.* 31. *Moral.* producit octo filias, quæ sunt *cæcitas mentis, inconsideratio, præcipitatio, inconstantia, amor sui, tædium Dei, affectus præsentis sæculi, & horror, vel desperatio futuri*: ergo: Vide Reiffenstuel *Tract.* 9. *Dist.* 4. *n.* 12. & *n.* 45.

PRO-

PROPOSITIO L.

111. *Copula cum conjugata consentiente maritr non est adulterium, adeoque sufficit in Confessione dicere, se esse fornicatum.*

DECLARATIO.

Adulteram committere duplex peccatum, nimirum fornicationis, & injustitiæ, si viro invito admittat copulam cum altero, gratis concedunt ipsimet adversarii; quoniam tunc præter malitiam contra virtutem castitatis etiam lædit jus, quod habet vir in corpus uxoris suæ. Quia autem juxta Regulam 27. Juris in 6. *scienti, & consentienti non fit injuria,* putant nonnulli, peccatum injustitiæ tolli, si vir in talem Copulam cum alieno consentiat, sicque remanere solum peccatum fornicationis in Confessionali exprimendum, eo ferme modo, quo, si virgo vi, ac contra suam voluntatem fuerit violata, committitur à stupratore duplex peccatum, contra castitatem nempe & contra justitiam; ubi tamen alterum peccatum injustitiæ cessat, si Virgo in copulam sponte consentiat. *Sed contra est,* quod in Sacra Scriptura indefinite ad Roman. cap. 7. mulier vocetur *adultera,* quæ *vivente Viro fuerit cum alio Viro.* Unde jus Viri in corpus uxoris ex præcepto Divino non est remissibile, ac in alium transferibile; utpote quod non tam bonum particulare conjugum, quam bonum commune status conjugalis, ac prolis recte educandæ respicit. Itaque, sicuti ob hanc rationem adhuc facit injuriam statui Clericali, qui Clericum etiam consentientem percutit, ita pariter facit injuriam statui conjugali, qui etiam cum consensu utriusque conjugis copulam cum alterius Uxore exercet. Nec est paritas inter hanc, & alteram copulam cum Virgine exercitatam: etenim virgo habet jus in corpus suum transferibile in alium; alias enim nec posset matrimonium contrahere: & quamvis cæteroquin virgo jus illud extra conjugium illicite tradat alteri: id tamen adhuc fit valide; unde spontaneo virginis consensu in copulam tollitur injuria alias Virgini per stuprum inferenda. Vid. Reiffenstuel *Tract. 9. Dist. 4. n. 18. & n. 22.* Item *Recentis. Tract. de Reg. Juris in Reg. XXVII. fol. apud me 75.*

PROPOSITIO LI.

112. *Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam Virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne à domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.*

DECLARATIO.

Quoad influxum in peccata aliena dantur certi quidam gradus, ita ut unus per actionem suam in eadem tantum remote, alter suo modo, & comparative loquendo propinque, ille adhuc propinquius, & demum iste omnino immediate, & intrinsece concurrere censeatur, prout totum patebit consideranti exempla inferius ponenda. Porrò immediate, & intrinsece influere in peccatum numquam licet ex quacumque causa, cum non sint facienda mala, ut eveniant bona. Quod si autem influxus non sit immediatus, propinquius tamen, quo major est propinquitas concursus, eo gravior requiritur causa ponendi similem actionem. Hinc quia Herum ascendere volentem per fenestras ad constuprandam Virginem adjuvare *submittere humeros*, vel *deferendo scalam &c.* quia (inquam) similes actiones sunt valde propinquæ (si non omnino intrinsece concurrentes ad peccatum constuprationis) hinc non licet famulis easdem exercere ex causa, *ne torvo vultu à suis Heris aspiciantur, suo modo male tractentur, vel etiam domo expellantur*; Quoniam ordinarie tales famuli iterum alios Dominos absque gravissima difficultate pro famulitio acquirere possunt, dummodo aliàs se bene gerant &c. cooperante præsertim ad hoc singulariter Divina gratia, utpote cum ex amore erga Deum, ne eumdem offendant, talem famulatum dereliquerint. Hæc itaque certa sunt; ast difficultas adhuc remanet, quidnam circa hanc propositionem damnatam sentiendum sit, si famulus, negans has actiones, manifestum incurrat periculum, ne à Domino furioso *occidatur*, vel *ubsque ad mortem verberetur*, aut *membrum amputetur*: Item si domo expulsus non acquirat alium Dominum, exinde coactus subire *mendicitatem gravissimam*, morte ipsa amariorem &c.? Ad quod

113. Respondeo, non deesse Doctores, qui cum Lumbier, & Dominico Viva hîc sentiunt, tales actiones neque imminentibus his gravissimis malis esse immunes à propositione damnata, & consequenter neque sic licere famulis; eo quod judicent, easdem esse intrinsece malas, atque immediate influere in constuprationem Virginis: Sicuti ergo (pergunt ulterius) juxta communem ob pariformem influxum immediatum non est permissum Catholicis apud Mauros, vel Turcas captivis etiam *ob periculum mortis* admovere ignem tormentis bellicis ad occidendos Christianos, neque vocare concubinam expresse ad peccandum, ita pariformiter neque famulis licebunt superius allegatæ actiones; eo quod utrobique immediate, & intrinsece videantur influere in peccatum; in quam sententiam multum quoque inclinat P. Reiffenstuel *Tract. 4. Dist. 7. n. 23. & 24.* si considerate legatur. Econtra non desunt quoque alii Theologi, qui cum Castropalao valde probabiliter tenent contrarium, existimantes illas actiones famulorum non æque immediate, & intrinsece influere in ipsum peccatum, sicuti tamen immediate in illud influit immediata admotio ignis ad tormenta &c. &c. versus præsentes Christianos. Etenim, quamvis etiam priores actiones famulorum multum appropinquent peccato, non tamen sunt immediate perpetrativæ actus alicujus ex se peccaminosi; nam posset Herus his ipsis famulorum actionibus uti ad subveniendum virgini, si forsan constupraretur ab alio; sicque ad operandum laudabiliter &c. Profecto ex eadem ratione juxta Suarez, Sanchez, Lessium, & alios licitum est Christianis captivis in Triremibus Maurorum, vel Turcarum ob grave periculum mortis, aut alterius mali ipsa morte acerbioris remigare contra Christianos, Sarcinas, & arma necessaria convehere, propugnacula ædificare &c. quamvis enim hîc & nunc ista omnia à Mauris vel Turcis ordinentur ad delendos Christianos; ex se tamen prædictæ actiones possunt ordinari pariter ad eosdem defendendos. Atque hanc sententiam quoque Cardenas apud Kugler hîc judicat esse probabilem; optat tamen, desuper esse decisionem à Sede Romana.

114. Quæres, quænam sint Regulæ compendiosæ, pro praxi, ex quibus erui queat, utrum similes actiones, ex quibus alter occasionem peccandi sumit, poni queant? Respond. apud Dominicum Viva hîc prudenter poni sequentes I. quod nunquam liceat ponere actionem talem, quæ immediate, & intrinsece influat in verum peccatum alterius; sic nunquam licet famulo, vel cubiculario citare concubinam expresse ad peccandum cum Hero, vel nomine ejus scribere litteras invitatorias ad peccandum, vel agere internuntium deferendo ad concubinam litteras, in quibus scit, expresse similem vocationem contineri. Ita Rebellus, Sanchez, & Viva hîc. II. Si actio tua non sit de se mala, ulterius adverte, quomodo hæc, & in quo gradu propinquitatis ad peccatum alterius juxta prudens Judicium (hoc enim in similibus debet potissimum agere) concurrat; nam juxta jam dicta quo propinquior est concursus, eo gravior requiritur causa concurrendi; hinc teste Viva *loc. cit.* causa, quæ excusat locatorem à locanda domo certæ meretrici, non sufficit famulo ad aperiendum hic prostibulo obseratum ostium, si veniat moraliter certo ad peccandum cum Hero suo: item quæ causa sufficit famulo ad comitandum Dominum pergentem ad Amasiam, est insufficiens ad deferendam scalam, seu submittendos humeros. III. Reflecte ad quantitatem damni proprii, si hanc tuam actionem intermittas; nam quo majus est damnum proprium alias eventurum, eo citius excusatur tua actio ab influxu peccaminoso: sic conformiter dictis juxta Castropalao, & alios periculum mortis excusat à peccato famulum deferentem scalam Hero suo &c. non item torvus ejusdem vultus. IV. Attende ad ipsam pravitatem peccati occasione tuæ actionis ab altero perpetrandi; quo enim majus est illud eo major ex parte tua requiritur causa actionem tuam ponendi.

PROPOSITIO LII.

115. *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.*

DECLARATIO.

Quod possit Ecclesia similia præcipere sub mortali, in secundo capite contra Acatholicos diversis in locis ostensum jam fuit; quod autem actu sic intenderit præcipere, vel ex eo patet; quia aliàs Acatholici non ita murmurarent quoad similia contra summum Pontificem. Et plane communis sensus est fidelium, quinque præcepta Ecclesiæ obligare etiam in conscientia, & quidem sub gravi in materia notabili. Hinc denuo mirandum, quod Theologi quidam Catholici, postquam intellexerunt quoad jejunium Ecclesiasticum similem doctrinam ab Alexandro VII. propositione ordine 23. præcedenter jam fuisse damnatam, nihilominus eamdem quoad observationem Festorum resuscitare præsumpserint. Nescio sane, qualem similes intrinsecus erga Sedem Apostolicam habeant submissionem. Vide Reiffenstuel, *Tract.* 10. *Dict.* 1. *n.* 24.

PROPOSITIO LIII.

116. *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul à diversis celebrantibus audit.*

DECLARATIO.

Citantur à Diana, *Part.*2. *Tract.*17. *Resolut.*18. & *Part.*10. *Tract.*15. *Resol.*3. quamplures Auctores pro hac sententia; quoniam autem eadem nunc expresse à Summo Pontifice damnata fuit, exinde nobis clare constat de mente ejusdem, nimirum; quod, dum nobis præcipit diebus festivis auditionem Missæ, nolit, ut plures partes Sacerdotum simul celebrantium ad invicem combinentur. Ratio à priori esse potest; quia Missa combinatur ex partibus successivis; ergo non conflatur per unionem moralem aliqua Missa ex partibus simul existentibus. Sicuti enim ex hac ipsa ratione non censeretur unicum Missæ Sacrificium fieri, si duo Sacerdotes simul & semel celebrarent, & quidem unus ab introitu usque ad consecrationem calicis usque ad finem simul & semel cum priori inciperet; ita ob paritatem rationis non censeretur una Missa audiri, si partes hujus Entis successivi simul, & semel existentes combinarentur. Vide Reiffenstuel, *Tract.* 10. *Dict.* 1. *n.*40. & 41.

PROPOSITIO LIV.

117. *Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.*

DECLARATIO.

Equidem sententia, quæ impotentem recitare Matutinum, & Laudes adhuc obligabat ad Horas minores, fuit jam ante Thesin hanc confixam inter Doctores communior; non tamen defuerunt, qui contrarium tenuerunt, eo quod major pars trahat ad se minorem. *Cap.* 1. *de iis, quæ fiunt à majori parte &c.* Contra tamen est, quod Officium Divinum unius Diei confletur ex talibus Horis, quarum singulæ contineant integram aliquam orationem; ita ut etiam seorsim, seu ab invicem separatim recitari possint: sicuti ergo aliquis debitor in materia justitiæ non potens solvere centum, obligatur adhuc solvere decem, si potens sit, ita etiam in materia Religionis, qui nequit solvere pensum Canonicum quoad Matutinum & Laudes, obligatur tamen adhuc, si potest, quoad Horas minores: nam in similibus ab invicem etiam moraliter separabilibus procedit illud axioma commune; *Qui non potest solvere totum, quod debet, tenetur solvere totum, quod potest.*

118. Unde illa Regula: *Major pars trahit ad se minorem*, desumpta ex *cap.* 1. *de iis, quæ fiunt à majori parte*, &c. procedit quidem in ferendis suffragiis; ubi regulariter loquendo V. G. in Electionibus proceditur secundum majoritatem votorum, non autem in aliis ab invicem divisibilibus, & unum morale totum in se ipsis constituere valentibus: Sic qui vovit Deo vaccam, & vitulum dare, supposito, quod Vacca interim interierit, obligatur adhuc offerre vitulum; & qui quatuor septimanis Quadragesimæ ex legitima causa nequivit jejunare, tenetur adhuc cessante hac causa legitima ad jejunium ultimis duabus Hebdomadis: nam quamvis jejunium quadragesimale V. G. sit unum integrum morale, conflatur tamen illud ex talibus partibus ad invicem separabilibus, quæ ipsæmet in se ipsis iterum possunt constituere aliquod totum.

119. Dices: Qui non potest integro die jeju-

nare ex communi Doctorum non obligatur jejunare usque ad prandium, quamvis commode posset: Item, qui non potest totam Missam audire, neque tenetur audire partem minorem Missæ: Similiter qui non potest recitare majorem partem unius Horæ Canonicæ, neque obligatur ad minorem ejusdem Horæ; ergo etiam à pari, qui nequit recitare Matutinum & Laudes, tanquam majorem partem Officii Divini, neque adstringitur ad minorem, quoniam *major pars trahit ad se minorem.* Respondeo, jam superiori numero fuisse notatum, quod aliud sit unum integrum morale habens partes ab invicem moraliter separabiles &c. & aliud unum totum moraliter individuum, seu non habens tales partes juxta moralem prudentum æstimationem ab invicem separabiles. In secunda classe comprehenduntur tam jejunium ejusdem diei, quam Horæ Canonicæ; ubi consequenter multi Auctores non improbabiliter admittunt, procedere allegatam Regulam de parte majori ad se trahente minorem. Totum autem officium Divinum in ordine ad partiales Horas Canonicas reponitur in prima classe. Quoad Missam sciendum, quod ibidem principale, imo essentiale sit consecratio Corporis & Sanguinis Christi, & saltem integrale ipsa sumptio; hinc puto cum Sanchez & Viva, eum, qui potest iis assistere, teneri, quamvis à reliquis cogatur abesse.

120. Quæres: An sententia illa, quæ tenet, excusatum quoad Matutinum & Laudes, excusari quoque quoad alias Horas, sit etiam damnata quoad ægrotos? Ad hoc quæsitum in hanc ipsam propositionem num. I. Dominicus Viva respondet in formalibus: *Sententia illa Suarezii, tom. 2. de Relig. Lib. 4. cap. 28. n. 27. Sanchez, Palai, Lessii, quod nimirum ægrotus certo impotens majorem partem Officii recitare simpliciter deobligetur, ne redigatur ad angustias perplexitatis, non videtur carere solida probabilitate, præsertim quia firmata est consuetudine, quæ vim habet tacitæ dispensationis.* Ego tamen in similibus suaderem pro majori securitate petitionem dispensationis à Superiore, vel Confessario; nec debent hi in illa danda multum esse scrupulosi, præsertim si advertant periculum perplexitatis, alias ex parte ægroti eventuræ.

PROPOSITIO LV.

121. *Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.*

DECLARATIO.

Substantiæ præcepti Ecclesiastici posse satisfieri aliquoties per actus, ad quos intervenit etiam grave peccatum exemplis patet: sic enim luxuriosus satisfacit præcepto audiendi Missam; quamvis sub ea impura foveat desideria erga præsentem amasiam, quæ ipsam non parum ad hanc traxit Ecclesiam: item avarus satisfacit præcepto jejunii Quadragesimalis, etsi eundem propria quoque ad id incitet avaritia, quatenus exinde, detrahendo suis quoque secundam refectionem, plures coacervet pecunias &c. Pari modo ante damnationem hujus propositionis intulerunt multi, per graviter peccaminosam manducationem Corporis Domini satisfieri præcepto Ecclesiastico annuæ Communionis, quoniam adhuc valide suscipitur Corpus Christi. Sed *contra est*, quod Ecclesia Can. *omnis utriusque sexus de Pœnitent. & remiss.* præcipiat, ut non solum valide, sed etiam NB. *reverenter* ad minus in Paschate suscipiatur Eucharistiæ Sacramentum; atqui reverenter non suscipit, qui illud sumit sacrilege; cum hæc sacrilega susceptio numeretur, inter maximas irreverentias Deo exhibitas; ergo. Vide Reiffenstuel *Tract.* 10. *Dist.* 3. *n.* 28. & 29.

PROPOSITIO LVI.

122. *Frequens Confessio, & Communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota Prædestinationis.*

DECLARATIO.

Judas apostata per suam indignam Eucharistiæ susceptionem certe non censetur habuisse notam prædestinationis; imo potius post buccellam panis intravit in eum satanas; quomodo ergo in his, qui gentiliter vivunt, frequens Communio potest esse nota prædestinationis, cum SS. PP. etiam tepidorum frequentem Communionem improbent?

123. *Decretum II. Innocentii XI. circa quotidianam Communionem refertur in principio Tomi primi.*

PROPOSITIO LVII.

124. *Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.*

DECLARATIO.

Juxta Concilium Tridentinum *Sess.* 14. *de Sacramento Pœnitentiæ cap.* 4. attritio, quæ ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ disponit, est *donum Dei, & Spiritus Sancti impulsus*: consequenter non sufficit attritio pure naturalis, utpote puris naturæ viribus elicita. E. G. si quis dolet de peccato ob infamiam, aut ob pœnas temporales à Potestate politica inferendas, talis attritio esset pure naturalis, sicque non foret sufficiens; utpote ex toto improportionata formæ introducendæ supernaturali, id est, gratiæ justificativæ, seu sanctificanti. Eodem modo dicendum foret, si doleret de *turpitudine peccati*, quatenus hæc *turpitudo* importat *disconvenientiam cum natura rationali*: secus dicendum, si similia referantur ad Deum NB. *offensum*, ac *Vindicem* hujus offensionis lumine fidei supernaturali cognitum &c. Vide Reiffenstuel, *Tract.* 14. *Dist.* 6. *n.* 41. & Dominicum Viva hîc.

PROPOSITIO LVIII.

125. *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.*

DECLARATIO.

Confessarius Judex simul est, & Medicus, qua *Judex* debet præsens vi sui officii non solum discernere inter speciem & numerum gravium peccatorum; verum etiam attendere, utrum Pœnitens suus habeat reliqua necessario requisita ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, inter quæ haud dubie computantur verus dolor, & serium propositum Vitam suam emendandi. Qua *Medicus* similiter vi officii sui obligatur invigilare in futurum spiritualiter, ac in anima ægroti, præscribendo salubria remedia præservativa, ne deinceps tam cito in priora relabantur peccata. Hinc si Confessarius

pœnitentem interrogat de consuetudine alicujus peccati, non debet interrogatus suo fidere judicio proprio, sic E. G. secum discurrendo: *Ego Confessus sum omnia mea gravia peccata quoad speciem, & numerum, una cum vero dolore, & firmo proposito; hinc male adhuc insuper me interrogat Confessarius de consuetudine, cui non teneor respondere.* Absit similis discursus, quem amor proprius suggessit; nam talis interrogatus debet præsumere, quod Confessarius ex circumstantiis prudenter dubitet, vel de efficacia doloris, vel de serio proposito; vel sibi persuadeat relapsum certo iterum subsecuturum, nisi aliqua præscribantur præservativa, & consequenter tenetur Confessario ad mentem suam respondere, eo quod ille tam qua *Judex*, quam qua *Medicus* juste interroget vi sui officii, sicque habeat jus interrogandi. Idem à fortiori est sentiendum de eo, qui non solum est consuetudinarius, verum etiam in occasione proxima constitutus, si de eadem à Confessario interrogetur. Vide Reiffenstuel, *Tract.* 14. *Dist.* 7. *num.* 53.

126. Quæres: An possint dari casus, in quibus pœnitens etiam non interrogatus teneatur in Confessionali dicere, quod sit consuetudinarius? Resp. Posse similes casus omnino contingere, maxime, si ex una parte pœnitens non adhibuerit media deponendi hanc consuetudinem; ex altera vero Confessarius judicaret, peccat, peccata pœnitentis potius esse materialia, quam formalia, nisi addatur consuetudo. Ita sub his terminis communis. Ratio est; quia alias graviter deciperetur Confessarius, credens pœnitentem tantum materialiter, non formaliter, vel tantum venialiter, non mortaliter deliquisse. Casus pro majori claritate potest esse sequens: Titius solet ex præcipitantia, & indeliberatione, vel tantummodo semi deliberate intra diem decies, vel ultra blasphemare, nulla tamen adhibens remedia, hanc consuetudinem extirpandi. Exinde Titius non sufficienter se accusaret in Confessionali dicendo; *Ego ab ultima Confessione ante mensem peracta, quolibet die circiter decies blasphemavi indeliberate tamen vel semi deliberate,* sed deberet insuper, quamvis à Confessario non interrogatus addere: *nec sum conatus per aliqua salubria remedia hanc blasphemandi consuetudinem deponere, quamvis meam cognoverim obligationem*: supposito nimirum, quod eamdem sciverit. Ratio est; quia exinde propter *consuetudinem* in his circumstantiis omnes blasphemiæ fiunt indirecte voluntariæ, sicque graviter peccaminosæ, quod nesciret Confessarius, si circumstantia *consuetudinis* non adderetur. Cæteroquin generaliter loquendo in illa sententia, quæ cum Reiffenstuel tenet, circumstantias mere aggravantes non esse necessario in Confessione detegendas, omnino defendi potest, non esse obligationem manifestandi Confessario consuetudinem, per se loquendo, nisi pœnitens à Confessario interrogetur; cum illa præter ipsum numerum peccatorum nil addat, quam circumstantiam aggravantem, dummodo cæteroquin habeatur efficax dolor cum serio Proposito.

PROPOSITIO LIX.

127. ***Licet Sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis V. G. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut indulgentiæ.***

DECLARATIO.

Impotentiam physicam, vel moralem excusare ab integritate materiali Confessionis, communis est Theologorum sententia; ita quidem, ut licite pro hic & nunc ea peccata etiam gravia, respectu quorum talis impotentia intercedit, & nihilominus dari Absolutio Sacramentalis, E. G. si ex Confessione alicujus peccati merito timeatur grave damnum vel proprium, vel alienum, sive corporale, sive spirituale, illud licite reticetur, atque non obstante hac dimidiata Confessione licite datur Absolutio Sacramentalis; quoniam in simili casu censetur adhuc adesse impotentia moralis similia confitendi peccata, prout plura talia exempla adducit Sporer *Part.* 3. *Theolog. Sacrament. cap.* 3. *Quæst.* 6. § 2. & *duobus sequentibus.* Ex hoc, quia nimirum grave damnum alias incurrendum importat impotentiam moralem, nonnulli intulerunt, quod in magno confluxu populi liceat dimidiare Confessionem, & nihilominus accipere Absolutionem Sacramentalem; nam cum in simili concursu, præsertim si simul famosæ sint Indulgentiæ, plerumque accedere soleant varii quoque graves peccatores, diutius Confessionem protrahentes, deberent vel hi, vel alii adstantes plures absque Absolutione, & sic absque lucratione Indulgentiarum discedere, si in simili casu licitum non foret Confessionem dimidiare: quod utique reputatur magnum damnum, nimirum thesauro isto indulgentiarum, & simul gratia Sacramentali, alias per absolutionem obtinenda, privari. Sicque consequenter intercedit impotentia moralis respectu Confessionis materialiter integræ. Ita ante propositionem damnatam discurrebant nonnulli, censuitque Gobat apud La Croix *Lib.* 6. *Part.* 2. *n.* 1149. eorum sententiam probabilem.

128. Sed contra est *primo*, quod falsum sit ipsum concursum Pœnitentium in aliqua festivitate constituere (uti voluit Thesis confixa) aliquam impotentiam moralem; cum sæpius tam hi graves peccatores, quam alii adstantes, licet cum aliquali longiori expectatione vel ab hoc, vel ab aliis Confessariis adhuc expediri queant; præsertim si Confessarius prudenter rem aggrediatur, & superflua intermittat interrogatoria. Et posito etiam, quod nonnulli ex Pœnitentibus absque Absolutione domum redire deberent, hæc necdum foret causa dimidiandi Confessionem ob sequelas infra videndas. Contra est *secundo*; dato etiam quod aliquis gravissimus Peccator deberet absque Absolutione discedere, talis non tam grave damnum incurreret, quam carentiam potius magnæ gratiæ alias acquirendæ, deberetque sibi imputare, quod hanc sarcinam peccatorum vel non præcedente die, vel adhuc anterius deposuerit, poteritque id præstare alio commodiori tempore. Quod si supponas, interea, si absque absolutione dimittantur, intervenire simul periculum proximum mortis, aut alterius valde gravis mali, vel adesse in bello imminentem jam cum hoste conflictum &c. &c. haud dubie poterit dimidiari Confessio, & nihilominus dari absolutio, cum vera, uti suppono, intercedat impotentia moralis, in qua sufficit Confessio formaliter integra. Quæstio autem hic solummodo agitatur, an præcise propter confluxum populi possint dimidiari Confessiones? Contra est *tertio*, quod, si præcise propter concursum posset absolutio dari dimidiate confessis, aperiretur ostium pluribus laxitatibus, & inconvenientiis, E. G. tempore magnæ festivitatis posset in pagis Paro-

chus, vel alius Confessarius, Officium Divinum, vel Concionem peragere adstrictus, dimidiatas ferme semper audire Confessiones, cum ordinarie prævideat, multos alios sine absolutione discessuros. Idem poterit contingere ultimo die Paschatis, ubi non raro solent intervenire graves peccatores toto anno non confitentes. Item gravissimi peccatores ferme semper evenirent cum dimidiata Confessione, qui non solent nisi in his magnis festivitatibus, indulgentiis, vel peregrinationibus &c. suam deponere Confessionem. Et quomodo taliter Confessarius qua Medicus posset cognoscere statum sic spiritualiter ægroti, ac congruam præscribere Medicinam? Vide Reiffenstuel, *Tract.* 14. *Dist.* 7. *n.* 7. *& seqq.*

129. Quæres; An, si in magno confluxu inter alios Pœnitentes accedat aliquis jam plurimis annis, vel omnino non, vel semper sacrilege confessus, qui creditur non rediturus, nisi modo absolvatur, exinde possit à Confessario cum dimidiata Confessione absolvi? Ad hoc dubium respondet Lumbier etiam post propositionem affirmativè apud Cardenas *in* 2. *Crisi D.* 38. *n.* 14. Econtra vero ipse Cardenas *loc. cit. num.* 16. negative, eo quod talis posset redire, si vellet; quod autem ex malitia non sit rediturus, non facit necessitatem physicam, vel moralem absolvendi dimidiate confessum. Ego vero, si viderem apud talem peccatorem cor contritum, ac humiliatum, eumdem non dimitterem sine Absolutione Sacramentali, si bona fide accessisset credens, se tantummodo obligatum detegendi peccata ex erubescentia intermissa; non autem alia in Confessionibus sacrilegis jam detecta. Nec forem anxius circa nimis exactam enumerationem specierum & numeri forsan non sine magna pœnitentis perturbatione nova exquirendam, adderem tamen, ut pro majori quiete conscientiæ suæ alio tempore magis commodo adhuc exactius se examinet, & vel mihi, vel alteri peccata gravia necdum directe remissa, quæ defacto memoriæ non occurrunt, de novo confiteatur; quoniam probabilissime ex oblivione in talibus circumstantiis plura remanebunt. Et fortassis in similibus circumstantiis nec Cardenas foret contrarius, videturque cum Lumbier sentire Dominicum Viva *hic num.*

PROPOSITIO LX.

130. *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra Legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis nulla spes appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.*

DECLARATIO.

In hoc sacro Tribunali juxta communem Theologorum pœnitens dicitur accusator simul reus, & testis; unde, quia Judex allegatis à reo in sui favorem testibus fidem habere debet, exinde Joannes Sanctius apud Arriaga *Disp.* 38. *de Pœnit. n.* 29. intulit, quod à fortiori Confessarius Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi debeat credere, nimirum quod *vere doleat*, & *serium habeat propositum* emendandi vitam suam, si ille ita asserat, seu ore proferat: etenim juxta S. Thomam *Quodlib.* 1. *art.* 12. in foro Pœnitentiæ creditur homini pro se, & contra se. Supposito ergo, quod Confessarius Pœnitenti teneatur sic credere, pariter obligatur talem absolvere; cum omnis sufficienter dispositus jus habeat ad absolutionem. Ita in substantia Joannes Sanctius. Sed *contra est*, quod, etsi in hoc Sacro Tribunali Judex, seu Confessarius Reo loquenti pro se ipso, & agenti testem in causa propria, teneatur credere, si non adsint aliqua signa, quæ in hac materia valorem actus concernente, prudenter dubium reddunt Confessarium, utrum pœnitens nimirum habeat omnia ad valorem absolutionis requisita, nec ne? secus tamen dicendum, si talia signa ex una parte adsint, ex altera vero prudenter judicetur, per suspensionem absolutionis ad tempus magis solidari firmitatem propositi, deque eodem magis certificari Confessarium ex subsequentibus effectibus. Accedit, quod Confessarius juxta Theologos non solum sit *Judex*, verum etiam *Medicus*, cujus officium est curare vulnera præsentia, & impedire futura; id est, non solum invigilare, ut efficax habeatur detestatio peccatorum de præsenti, sed ut quoque in executione sequatur emendatio actualis in futurum, prout pariter juxta Concil. Trid. *Sess.* 14. *de Pœnitent. cap.* 8. in hunc ipsum finem injungitur satisfactio: nimirum *ad castigationem præteritorum*, & simul ad *novam vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum.* Vide Reiffenstuel. *Tract.* 14. *Dist.* 8. *n.* 48. *& seqq.*

131. Cæterum, ne aliqui Juvenes Confessarii, non recte dicta intelligentes, in errorem deducantur, passim consuetudinarios, etiam illos, qui non habent conjunctam simul aliquam occasionem proximam extrinsecam, absque absolutione dimittentes, antequam aliquoties tentarint per præscripta remedia, utrum forsan non subsit spes emendationis: ne (inquam) similes in errorem deducantur, sequens Doctrina aliquantulum fusius proponitur, bene notanda; nimirum, quod efficacia doloris, vel propositi neutiquam consistat in aliquo judicio de futura ipsius propositi continuatione, sed potius in seria voluntate actuali existente de præsenti, tempore nimirum confessionis; unde juxta communem Theologorum potest stare firmitas propositi cum credulitate relapsus, id est, E. G. Petrus de præsenti potest habere in confessionali voluntatem non peccandi graviter ita firmam, ut, si hîc & nunc præsens foret prior tentatio, vel occasio, persistente adhuc hac voluntate per Divinam gratiam non peccaret graviter; quamvis cæteroquin tanquam incertus, quamdiu in futurum hæc præsens voluntas efficax sit duratura, relapsum timere possit: Et licet in simili casu, ne fiat pusillanimis in resistendo tentationibus, vel omnino desperet, sit erigendus à Confessario in spem firmam adjutorii Divini, dummodo etiam sua addere velit; hoc tamen non obstante, si pœnitens respondeat, se habere quidem nunc firmam voluntatem assumendi remedia: considerata tamen sua fragilitate ex jam expertis adhuc non posse ex integro hunc suum repellere timorem, exinde præfatus timor de futuro non excludet firmitatem propositi de præsenti. Quod si ergo timor, vel credulitas de relapsu non impedit firmitatem propositi, si se teneat ex parte pœnitentis, nihilo minus impedire censetur, si se teneat hîc timor, aut credulitas de opposito ex parte Confessarii; & consequenter præcise per hoc, quod timeat Confessarius relapsum sui pœnitentis, non debet ipsi propterea illico denegare absolutionem, dummodo habeat peccator serium propositum in præsenti, ubi propositio damnata voluit juxta jam dicta, semper id à Confessario præsumi debere, quotiescumque pœnitens sic dicit: quæ tamen opinio fuit reprobata in iis circumstantiis, in quibus Confessarius ex aliis gravibus rationibus sive omnino credit contrarium etiam quoad efficaciam propositi de præsenti, aut saltem pruden-

ter

ter dubitat, utrum dicta pœnitentis in re ipsa ita subsistant, uti ait, vel potius amor proprius, & excæcatum exinde pœnitentis judicium taliter suggesserint? Quibus stantibus tum *qua Judex*, ut ex ipsis effectibus se magis certificet de firmitate propositi præsentis, tum *qua Medicus*, ut præcaveat ipsis actualibus peccatis pro futuro, poterit ad tempus suspendere absolutionem, si spes sit futuræ emendationis, nec interea immineat periculum mortis.

132. Quæres I. Quænam sint illa signa, ob quæ Confessarius vel asserto Consuetudinario non credere, vel saltem prudenter de efficaci dolore, & serio proposito ejusdem dubitare, sicque absolutionem ad tempus suspendere possit, quamvis ille ore proferat, se habere verum dolorem cum serio proposito? Respondeo, maxima hîc opus esse Confessariis circumspectione, ne in nimium rigorem, vel in excessivam laxitatem declinent: in *rigorem* quidem, dum nimium sunt proni ad suspensionem absolutionis, sicque multos gratia Sacramentali, vel remissione pœnarum in indulgentiis alias obtinenda injuste vivant, qui coram oculis Divinæ Majestatis fuissent absolutionis omnino capaces. In *laxitatem* vero, dum omnes indiscriminatim absolvunt, dummodo ore proferant, *se firmum habere propositum*: ubi, si subinde saltem apud aliquos suspendissent ad breve tempus absolutionem, mirum fructum emendationis actualis reportassent. Quare sequentes regulæ singulariter præ oculis sunt habendæ. I. Frequens relapsus non semper est signum inefficacis doloris, aut propositi, alias enim væ! habentibus ordinaria sola peccata venialia, in quæ sæpe post Confessionem relabuntur: verum quidem est, quod frequens relapsus semper sit signum inconstantis, & mutabilis voluntatis; non tamen semper inefficacis doloris vel propositi antecedentis. Vide de hoc La Croix *Lib.6. part.2. Num.*1731. ubi etiam explicat nonnullos SS. PP. qui apparenter videntur contrarii. II. Tunc frequens relapsus est signum valde probabile inefficacis doloris & propositi, quando ab experientia habetur, quod talis consuetudinarius in re tam ardua vix ullam habeat curam præscripta exequendi remedia; hincque sæpe cum iisdem specie, & numero peccatis, quin etiam multiplicatis redeat. Nonnulli Practici apud Sporer *Part. 3. Theol. Sacrament. cap. 2. num.* 332. cum eadem specie, & cum eodem, imo majori numero ter, vel quater absque ullo conatu emendationis redeuntes dimiserunt ad tempus absque aliqua Sacramentali absolutione, nisi in ultima Confessione specialia, qualia antea nunquam ostenderunt, exhibuerint doloris &c. indicia: Pater Sporer autem *loc. cit.* id non practicavit, nisi post sex, vel octo Confessiones sine ulla emendatione peractas. III. Signa pro spe secuturæ emendationis enumerantur inter alia à Claudio La Croix *loc. cit. num.*1821. sequentia: si pœnitens à Confessione facta rarius, vel difficilius peccarit: si sæpius sibi vim fecerit contra tentationem: si adhibuerit remedia præscripta contra relapsum: si ex professo ad Confessarium accesserit, quem putat suggesturum efficaciora remedia: si offerat se sincere ad priora remedia serius, ac studiosius adhibenda &c. IV. Semper mitius agendum cum peccatore relapso propter habitus malos ante contractos, quos statim nequit deponere, quam cum alio habente occasionem proximam extrinsecam.

133. Quæres II. Quid agendum sit Confessario cum consuetudinariis in periculo mortis constitutis, vel alias, nisi absolvantur, in barathrum desperationis, sese præcipitantibus, eundo de vitio in vitium, ut vel sic abyssus abyssum invocet? Respond. I. Si talis pœnitens sit constitutus in periculo mortis, tunc si ex gravibus rationibus Confessarius prudenter dubitat de efficacia doloris, vel de firmitate propositi in præsenti, debet ipsum absolvere conditionate; quia dubitaretur de aliquo respiciente valorem actus, & cæteroquin in simili casu ob periculum mortis suspensio Absolutionis summum posset pœnitenti afferre damnum. Respond. II. Si talis consuetudinarius necdum morti proximus ex specialibus gravibus circumstantiis prudenter timeatur ex denegata absolutione deterior futurus; tunc vel Confessarius dubitat de ipsa firmitate, & efficacia propositi præsentis, vel præcise de continuatione propositi in futurum? Si primum; meo judicio recte aget talis Confessarius, si eumdem conditionate absolvat; quia utique melius est, eumdem conditionate, & sic absque periculo irreverentiæ exhibendæ Sacramento, absolvere, quam per denegatam absolutionem in Barathrum desperationis cum multiplicatione peccatorum præcipitare? Si vero Confessarius præcise dubitet de continuatione propositi in futurum, tunc iterum imprudenter huic denegaret absolutionem: Nam quatenus est Judex, potius respicere debet ad propositum præsens, quod si videret absolute validum, absolute in præsenti casu absolvat; si dubium, conditionate. Econtra vero qua Medicus imprudenter adhiberet pro præservativo remedium illud, quod prævidet, hîc & nunc potius obesse, quam profuturum.

134. Quæres III. Quid sentiendum sit de consuetudinariis illis, qui quidem ordinarie ad Confessionale mera afferunt peccata venialia, in quæ tamen frequenter iterum relabuntur? Resp. I. Si hi fuerint homines tepidi, qui, dummodo non relabantur in aperte mortalia, cæteroquin de venialibus vitandis nullam curam habent, soliti sæpe potius propter hanc vel illam festivitatem, quam ex fine emendandi confiteri, circa tales consuetudinarios Confessarii justam habent causam timendi de inefficacia doloris, ac propositi; quamvis in dicenda juxta formulam jam assuetam sua culpa similes pœnitentes ore proferant, se dolere de peccatis suis cum firmo proposito; ita ut facile contingere possit quod tales consuetudinarii cum venialibus confessionale intrent, & cum mortali Sacrilegio exeant. Ratio est, quia ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ absolute requiritur efficax dolor cum serio proposito saltem virtualiter in dolore efficaci incluso. Resp. II. Quoad alios consuetudinarios circa peccata venialia Confessario, ut se ab anxietate de invalida absolutione eximere valeat, sequentia pro praxi deservire possunt. *In primis*, quod, si firmitas propositi possit stare cum credulitate relapsus quoad mortalia, multo magis quoad venialia, ut pote in quæ ob fragilitatem humanam quis citius, & facilius labitur, quam in mortalia. *Secundo*, quod in venialibus peccatis non requiratur ad valorem Sacramenti dolor, ac propositum efficax ex motivo universali, & de qualibet specie illorum, sed sufficiens sit particulare, & de hac specie &c. *Tertio*, quod etiam intra unicam speciem peccati venialis sufficiat, si quis doleat præcise de tanto numero, ac proinde proponat præcise ipsam frequentiam emendare; quamvis non quælibet individua intra eamdem speciem. *Quarto*, quod prudentiores pro majori securitate efficaciæ doloris, & firmitatis sui propositi soleant in genere omnia sua peccata in aliis

Confessionibus jam detecta includere, & ad ea quoque dolorem suum cum proposito extendere; item eumdem adhuc firmius ad peccata venialia; quæ contingunt ex malitia, quam quæ ex mera humana fragilitate; plus ad proximiora peccatis mortalibus, quam ad remotiora; magis ad deliberata, quam semideliberata dirigere. Videantur Sporer *Part.* 3. *Theolog. Sacramentalis Cap.*2. *Sect.*4. *Q.* 2. §.4. *n.* 334. *ac seqq.* La Croix *Lib.* 6. *par.* 2. *num.* 681. Item *num.* 902. *usque ad num.*915. Bosco *Tract. de Pœnitentia num.*245. *& seqq.* pluresque alii.

135. *Corollarium*: Circa relapsos in peccata venialia, & nunc, dum infirmi morti sunt proximi, quoad firmitatem propositi anxios, ponitur sequens notabilis Casus. Petrus Religiosus ex humana fragilitate sæpius in peccatis venialibus recidivus, nunc vero in periculo mortis constitutus optaret ante mortem adhuc lucrari perfecte, ac integre per confessionem suam E. G. tempore Portiunculæ indulgentias plenarias, ut absque pœnis purgatorii ad Deum Salvatorem suum recta posset venire; ast ex parte factus pusillanimis ita secum discurrit: *Scio ex una parte, quod Indulgentiæ plenariæ non obtineantur, nisi quis præter efficacem dolorem sibi proponat omnia etiam levissima, ac semideliberata peccata evitare; ex altera vero parte moraliter prorsus sum certus quod supervicturus iterum relabar; quoniam etiam justus septies in die cadit, & juxta Conc. Trid. sess.* 6. *de justificat. Can.*23. *nemo potest cavere omnia peccata sine extraordinario aliquo Privilegio Dei rarissime concesso, quodque nemo sibi spondere potest; quomodo ergo possum elicere vere efficax, & serium propositum evitandi omnia peccata venialia, sicque lucrari indulgentias plenarias?* Respondeo *in primis*, tali suadendum esse, ut suum propositum vitandi omnia venialia principaliter dirigat ad quædam certa, & deliberata &c. uti dictum numero superiori. *Secundo* poterit ipsi à Confessario proponi doctrina Patris La Croix *Lib.*6. *part.*2.*n* 908. nimirum sufficere, quod suum propositum sit efficaciter *affectivum*, etsi non sit efficaciter *effectivum*, id est, quod de præsenti hoc actualiter existens propositum sit incomponibile cum omni peccato, quamdiu illud durabit; quamvis jam prævidetur, quod, si supervivat, hæc seria voluntas non semper sit permansura. Et quis hunc actum similis Religiosi improbabit, si ita diceret: *Domine Deus, habeo voluntatem seriam omnia peccata etiam minima venialia evitandi, ita, ut si nunc occurret occasio quodpiam perpetrandi, nollem; optime tamen nosco ex Concilio Tridentino, quod moraliter certo hæc mea seria voluntas non sit semper duratura, si supervixero. Opto igitur citius mori, quam illud in vita superstes attingere momentum, quo prævides me relapsurum fore, si adhuc viverem.*

PROPOSITIONES LXI. LXII. & LXIII.

136. *LXI. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimo directe, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.*

LXII. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, & honesta non fugiendi occurrit.

LXIII. Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

DECLARATIO.

Jam præcedenter agendo de Thesibus ab Alexandro VII. reprobatis hæc materia propositione ordine 41. examini subjecta, & ad trutinam Theologicam appensa fuit; ubi ulterior explicatio invenietur, uti etiam apud Reiffenstuel, *Tract.* 14. *Dist.* 8. *Quæst.* 4.

PROPOSITIO LXIV.

137. *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam culpabilem nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.*

DECLARATIO.

Absolvendum non esse illum, qui vincibiliter vel etiam invincibiliter ignorat, quod *Deus sit*, & *quod accedentibus ad se remunerator sit*: nemini est dubium, cum hæc duo apud adultos rationis capaces sint necessario credenda necessitate Medii; econtra vero quoniam Mysteria SS. Trinitatis & Incarnationis juxta quamplures Doctores tantummodo sunt necessario credenda necessitate præcepti, videtur de his mitius sentiendum, ac tales absolute absolvendi præsertim si ob copiam confitentium desit tempus memoratos ignorantes, & de sua inscitia dolentes ante absolutionem instruendi. Sed *contra est* quod etsi valde probabile sit, allegata Mysteria esse tantum necessaria necessitate præcepti; attamen etiam sententia adstruens contrarium apud Reiffenstuel *Tract.*4.*Dist.* 2.*n.*17. pariter est valde probabilis, unde sic absolvens exponeret Sacramentum periculo invaliditatis, quod juxta dicta propositione I. non licet.

138. Quæres, quid ergo agendum sit Confessario, si in confessionali deprehendat pueros, vel alias rudes laborare ignorantia circa principalia Mysteria fidei SS. Trinitatis, & Incarnationis Dominicæ, qui tamen serio promittunt, quòd velint ex proxime addiscere, sicque ignorantiam suam deponere? Ante responsionem suppono, quod tales absolvi non possent, si laborarent ignorantia vincibili, & nollent eam, quam possent, deponere; uti per se patet; cum tales forent in actuali voluntate peccatum suum continuandi; sicque incapaces absolutionis. Quod si autem serio ad promittant, se velle proxime hanc ignorantiam deponere, de qua nunc sincere dolent, quæstio adhuc remanet: Ad quam Respon. I. Extra articulum mortis neque tales esse absolvendos, antequam eosdem Confessarium breviter pro modulo & capacitate pœnitentium ipsos instruat de Mysterio *SS. Trinitatis & Incarnationis.* Ratio est; quia juxta dicta præcedentia saltem probabile est, hæc duo Mysteria esse necessario credenda necessitate medii; sicque absolvendo absque aliqua prævia instructione, Sacramentum Pœnitentiæ exponeretur periculo probabili invaliditatis. Respond. II. Si tales pœnitentes de suis peccatis omnibus, sicque virtualiter saltem etiam de hac ignorantia vincibili (supposito, quod fuerit talis) doleant; nec tamen ob periculum imminentis mortis amplius instrui queant, absolvi debet, non quidem absolute, ob probabilitatem sententiæ, fidem SS. Trinitatis, & Incarnationis defendentis necessariam necessitate medii: bene tamen adhuc conditionate, cum sic ex una parte talis absolutio

ſolutio non obſit reverentiæ Sacramenti, ex altera vero eadem morti proximus ſumme videtur indigere. Ita cum Cardenas P. Dominicus Viva hic num. 9. contra Matthæuccium in cautela Confeſſarii, qui ultimus, ſcribens in iſtam propoſitionem n. 10. nimis rigide pronuntiat, talem peccatorem ne quidem conditionate poſſe abſolvi, addens, contrariam doctrinam ſub propoſitione damnata comprehendi. Sed contra eſt, quod ſententia, defendens notitiam Myſteriorum SS. Trinitatis & Incarnationis eſſe tantummodo neceſſariam neceſſitate præcepti, ſit adhuc vere probabilis: ſi ergo in materia etiam tenuiter tantum probabili poſſum in ſumma neceſſitate conditionate baptizare, & dato ſigno tantum tenuiter probabili alicujus doloris ſenſibilis conditionate abſolvere, cur non æque laboranti ignorantia dictorum Myſteriorum potero in tali mortis periculo impertiri abſolutionem conditionate, ſi is doleat de ſuis peccatis cum propoſito, & deficiat tempus in his punctis ipſum ulterius inſtruendi? Vide Reiffenſt. loc. cit. n. 24. & Viva hic.

PROPOSITIO LXV.

139. *Sufficit illa Myſteria ſemel credidiſſe.*

DECLARATIO.

Obligationem ſæpius in vita eliciendi actum fidei jam ſuperius oſtendimus, ſcribendo in propoſitionem inter damnatas ab Alexandro VII. ordine primam. Quoniam autem Sanctiſſima Myſteria SS. Trinitatis, & Incarnationis ſunt principalia, per quæ à Judæis, & Mahometanis diſtincti agnoſcimur, merito hæc fides principaliter ad ea ſeſe debet extendere: nec puto in hoc practice eſſe difficultatem: dum enim nos ſæpius ſigno crucis munimus, & imaginem Crucifixi in templis, vel alibi repræſentatam aſpicimus, quis credat, quod non ſubinde ſaltem exercite circa Myſteria repræſentata aliquem actum fidei pro modulo capacitatis eliciamus?

§. VII.

140. *Decretum I. Alexandri VIII. Circa duas Propoſitiones de Peccato Morali, legi poteſt in principio Tomi primi.*

§. VIII.

Prædictæ duæ propoſitiones explanantur.

PROPOSITIO I.

141. *Bonitas objectiva conſiſtit in convenientia objecti cum natura rationali: formalis vero in conformitate actus cum regula morum: ad hoc ſufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative: HUNC homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decurſu vitæ ſuæ moralis.*

DECLARATIO.

Theſis iſta ab Alexandro VIII. rejecta, jam fuit explicata ſuperius, agendo de prima propoſitione damnata ab Alexandro VII. Ubi nota, iſtam propoſitionem eſſe propter ultima ejus verba propterea reprobatam: quia tenuit, HUNC finem ultimum non debere neceſſario amari, nec in principio, nec in decurſu vitæ, quæ propoſitio non ſolum ab Alexandro VII. ſed etiam Innocentio XI. ordine 5. & 6. anathemate jam antea fuerat confixa, prout propterea Alexander VIII. lamentatur in præfatione, unam ex præfatis duabus propoſitionibus NB. reſuſcitari in majorem fidelium perniciem.

PROPOSITIO II.

142. *Peccatum Philoſophicum, ſeu morale eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: Theologicum vero & morale, eſt tranſgreſſio libera Divinæ Legis. Philoſophicum quantumvis grave illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.*

DECLARATIO.

Hæc videri poterit vel apud Reiffenſtuel, *Tract.* 3. *Diſt.* 1. *poſt n.* 2. *in Additione*, vel apud Viva hic.

§. IX.

143. *Decretum II. Alexandri VIII. damnans 31. Propoſitiones, maximè circa Sacramentum Pœnitentiæ, legere eſt in principio Tomi primi.*

§. X.

Prædictæ 31. propoſitiones declarantur.

PROPOSITIO I.

144. *In ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum mortale, & ad demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in cauſa ſua peccato originali, & voluntate Adami peccantis.*

DECLARATIO.

Docuerunt Lutherus, & Calvinus, libertatem indifferentiæ, qua poſitis omnibus requiſitis poteſt quis agere, vel non agere &c. poſt Adæ peccatum eſſe extinctam, & nihilominus actionem aliquam malam imputari ad peccatum; quia (inquiebant aſſeclæ priorum Michaël Bajus conformiter propoſitionibus damnatis 65. 66. & 67. ac Janſenius juxta propoſitionem ex damnatis ordine tertiam) ad peccandum ſufficit libertas à coactione, ita ut quis aliunde per extraneos non cogatur, ſed eligat malum per ſuam propriam potentiam volitivam: non autem exigatur libertas à neceſſitate, ſeu libertas indifferentiæ ſuperius explicata, quæ excluderet neceſſitatem peccandi. Sententia iſta tam à Concilio Trident. *Seſſ.* 6. *Can* 5. & 6. quam à Summis Pontificibus Pio V. Gregorio XIII. Innocentio X. & Alexandro VII. fuit rejecta ſub fulmine excommunicationis: Rationes rejiciendi fuſius inveniuntur apud Controverſiſtas. Ut autem hoc fulmen excommunicationis ſaltem aparenter in foro externo evadant, ſubintroierunt alii, concedentes quidem requiri ad merendum aliquam libertatem indifferentiæ, non tamen formalem, ſed virtualem in ſua cauſa, quam cauſam taliter declarant, ne pro eadem aſſignent peccatum originale, & libertatem Adami; ſed plane hæc libertas indifferentiæ, prout ab his Auctoribus explicatur, non excludit neceſſitatem ex parte operantis; cum juxta hanc explicationem etiam motus indeliberati voluntatis provenientes ex concupiſcentia,

centia, & actus cum ignorantia invincibili exerciti forent nihilominus peccaminosi, utpote procedentes ex potentia volitiva; cujus ignorantiae, & concupiscentiae non raro causa est ipsum peccatum originale, utpote per quod intellectus noster magis obstructus fuit, & fomes peccati ortum traxit. Sicque haec sententia tantum in Verbis differt à Doctrina Calvini, Baji, Jansenii, & hinc merito fuit pariter rejecta ab Alexandro VIII. Vide *Cap. II. & III.* ubi plura circa praesentem materiam invenies.

PROPOSITIO II.

145. *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat à peccato formali.*

DECLARATIO.

Cum nihil libere sit volitum, quin praecognitum, non poterit operatio censeri libera libertate indifferentiae, sicque imputabilis ad demeritum, quando invincibiliter, seu inculpabiliter ignoratur malitia actus; hincque merito Doctrina illa, quae voluit, posse peccatum personale stare cum ignorantia invincibili, fuit rejecta, ex quo ipso fundamento fuit damnata propositio ordine 68. Michaëlis Baji, taliter sonans: *Infidelitas pure negativa in iis, quibus Christus non est praedicatus, peccatum est.* Vide dicta praecedentia.

PROPOSITIO III.

146. *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.*

DECLARATIO.

Sinichius, & alii Tutiorismi Sectatores errorem hunc ex principiis Jansenii desumpserunt, quo via ad salutem ob moralem impossibilitatem amplectendi semper tutissimum omnino intercluditur, ut recte advertit Viva hic. Et quid exinde sequitur? quaerit Sabinus Bononiensis in istam propositionem, sibiquemetipsi taliter respondet: *Experientia demonstrat, quod sequatur ruina, & pernicies debilium, qui nimio pressi onere onus ipsum excutiunt, dicentes viam Mandatorum Dei, & Ecclesiae esse impossibilem gressibus humanis, onus, & jugum Christi tali modo esse intolerabile, sicque desperantes se vitiis, & libertati omnimode committunt; ubi consequenter hos nimia severitas perdit, quos temperata lenitas servasset.* Ex communissimo Theologorum etiam rigidiorum consensu saltem in materia honestatis, qui juxta probabiliorem operantur, prudenter operantur. Quomodo ergo contra communissimam docentes contrarium, & exinde quamplures facientes perplexos possunt secure sibimetipsis persuadere, quod sic docendo, & aggravando suave jugum Christi quoad propriam conscientiam tutius agant? aliud est NB. *tutiora sequi, aliud, quod semper ad tutiora obligemur.* Et quomodo tali modo Thomistae castra Angelici, & Scotistae Doctoris subtilis, in multis Divo Thomae contrarii, sequi possent? quomodo Milites, à fortiori Belli duces pugnare valerent? cum, etsi fundamenta pro suo Rege Ipsis appareant validiora, saepius tamen nec isti de justitia belli, nec illi de veritate suae Sententiae ita certi sint, ut fundamenta alterius partis ipsis neque amplius ullatenus probabilia appareant? Vid. Reiffenstuel, *Tract. I. Dist. 3. n. 50. &c.*

PROPOSITIO IV.

147. *Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non solis Electis, sed pro omnibus &c. solis fidelibus.*

DECLARATIO.

Non solum Calvinus, verum etiam Jansenius negarunt, Christum esse mortuum pro reprobis; cum hac tamen distinctione, quod prior etiam neget, quaecumque beneficia, ac dona supernaturalia conferri reprobis ex meritis Christi. Econtra vero Jansenius ipsis multa beneficia supernaturalia ex meritis Christi concedit, sicque in hoc sensu Christum esse mortuum pro reprobis admittit, non tamen pro aeterna illorum Salute. Ambo rejecti sunt à Summis Pontificibus; ut autem hanc damnationem eludant, subintroierunt alii admittentes quidem, Christum etiam mortuum pro reprobis; ast pro solis fidelibus, non tamen pro infidelibus reprobis, hincque subjunxerunt aliam sequentis tenoris.

PROPOSITIO V.

148. *Pagani, Judaei, Haeretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt à Jesu Christo influxum; adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem sine omni gratia sufficienti.*

DECLARATIO.

Haec propositio merito, uti & prior, in qua fundatur, rejecta fuit: Deus enim *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, Joan. 1. qui & *pro omnibus mortuus est*. 2. Corinth. cap. 5. & *dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*. 1. ad Timoth. cap. 2. v. 6. Estque *propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*. 1. Joan. cap. 2. Videantur dicta circa Calvinum, *Cap. II.* & circa Jansenium *Cap. III.*

PROPOSITIO VI.

149. *Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic, ut proinde merito possimus petere: à gratia sufficiente*, libera nos Domine.

DECLARATIO.

Jansenius statim in prima ex suis quinque propositionibus damnatis non solum gratiam sufficientem in statu naturae lapsae negavit in ordine ad certa praecepta; sed & in subsequentibus docuit, gratiam interiorem quamcunque per Christum Salvatorem datam, esse unicam, efficacem, seu illam, cui nunquam resistitur. Novatores alii equidem sufficientem absolute non negant; dicunt tamen, illam esse perniciosam, eo quod conjungatur semper cum omissione culpabili actus praecepti. Merito exinde damnatur. Absit enim à Christiano asserere, quod Christus Dominus, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, nobis per suam sanctissimam mortem, & sacratissima merita quippiam perniciosum procuraverit. Quod autem homines huic gratiae non cooperentur, nullatenus

tenus Deo, sed propriæ malitiæ adscribendum est. Certe etiam in ordine naturali est beneficium neutiquam perniciosum habere oculos: sibi autem imputet, qui claudendo palpebras noluerit iis uti ad videndum &c.

PROPOSITIO VII.

150. *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi; si Dei, Charitas Patris est: si mundi, Concupiscentia Carnis, hoc est, mala est.*

DECLARATIO.

Per doctrinam propositionum Joannis Sinichii, & Macarii Havermans, ac nonnullorum aliorum Lovaniensium resuscitatur error Michaëlis Baji à S. Pio V. & Gregorio XIII. reprobatus per damnationem propositionis trigesimæ octavæ, quæ sic sonabat: *Omnis caro creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur &c. aut laudabilis illa Charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur.* Vide de hoc plures propositiones *sequentes*, atque *undecim*. Et quis dicet, Ethnicos Principes, qui plura in Jure Civili statuerunt ex motivo, ut suum cuique tribuerent, exinde male fecisse?

PROPOSITIO VIII.

151. *Necesse est, infidelem in omni opere peccare.*

DECLARATIO.

Denuo hæc doctrina videtur jam damnata antecedenter, quando propositio Michaëlis Baji ordine vigesima quinta proscripta fuit sequentis tenoris, *Omnia opera infidelium sunt peccata, & virtutes Philosophorum sunt vitia.* Quinimo etiam prius rejecta fuit per Concilium Trid. anathematizans Sess. 6. Can. 7. illum, *qui dixerit opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata.* Et quis tenebit, esse peccatum, si infidelis misericordia motus pauperi dederit Eleemosynam, cum tamen ipsemet Nabuchodonosor *Danielis cap.*4. fuerit admonitus, ut peccata sua Eleemosynis redimat?

PROPOSITIO IX.

152. *Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.*

DECLARATIO.

Turpitudo alicujus peccati dupliciter ab homine potest considerari; nimirum, vel prout ea idem est, ac disconvenientia cum creatura rationali; vel aliter, prout nimirum est difformitas ad Legem, quo modo consideratur, si quis in Sacramento Pœnitentiæ doleat de turpitudine peccati. Si stante prima cognitione, turpitudo illa adhuc committitur, vocatur *peccatum Philosophicum*; in secunda autem consideratione, si nihilominus perpetratur, *peccatum theologicum*, quatenus nimirum cognitio difformitatis ad Legem eo ipso involvit simul saltem confusam aliquam cognitionem Ipsius Legislatoris per transgressionem Legis offensi. Et quamvis (uti eruitur ex dictis §. præcedenti) quoad peccata contra naturam, ac intrinsece mala istæ duæ cognitiones, ordinariæ saltem, concurrant; demus tamen casum, quod aliquis in sylvis enutritus saltem ad aliquale tempus possit habere ignorantiam invincibilem DEI, etiam tunc, quando, ex puro lumine naturæ cognoscat, E. G. occisionem innocentis esse disconvenientem alicui creaturæ rationali, data hæc hypothesi, si talis ex hoc motivo evitet occisionem innocentis, hic utique vitando non committit peccatum; non *Philosophicum*, quia non contra, sed conformiter dictamini luminis naturalis operatur, neque *Theologicum*; quia, uti supponitur in hypothesi, habet ignorantiam, & quidem invincibilem supremi Legislatoris offensi. Credo, quod docentes hanc damnatam propositionem, eamdem, uti priores, desumpserint ex principiis Michaëlis Baji, volentis, omne, quod non ex amore Dei procedit, malum esse, uti pariter tenuit apud Dominicum viva hîc Calvinus in Antidot. ad Sess. 6. C.25. dicens: *Dei judicio nihil est sincerum, nec probum, nisi quod ex perfecto ejus amore manat.*

PROPOSITIO X.

153. *Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, mere ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.*

DECLARATIO.

Sane obstupescendum, quod homines, qui volunt esse Catholici, similia docere audeant; cum tamen Concil. Trident. Sess. 6. Can. 31. rejecerit tale assertum ut hæreticum his verbis: *Si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis operatur; anathema sit.* Ac præterea Regius Psaltes *Psalm.* 118. expresse exclamat ad Deum: *Inclinavi cor meum ad faciendas Justificationes tuas in æternum NB. propter retributionem.*

PROPOSITIO XI.

154. *Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.*

DECLARATIO.

Uti bene notat Dominic. Viva hîc: ex deliramento Michaëlis Baji superius jam allegato, & refutato (quod scilicet inter charitatem & iniquitatem nihil mediet) denuo descendit hæc Thesis confixa, quod videlicet peccaminosæ sint nostræ operationes, si non procedant ex fide supernaturali, quæ per dilectionem operatur. Vide dicta Proposit. VII. atque Proposit. VIII. & dicenda Proposit. XIII. ac seq.

PROPOSITIO XII.

155. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, etiamsi videantur credere, non est fides Divina, sed humana.*

DECLARATIO.

Assertum errorem jam proscripserat Concilium Trid. *Sess.* 6. *cap.* 15. ubi docet, fidem infusam non amitti per quodvis mortale (sicut tamen amittitur gratia) sed per peccatum infidelitatis: tum *Can.* 28. in quo ponit sequentia: *Si quis dixerit, amissa*

amissa peccatum gratia simul & fidem semper amitti &c. aut eum, qui NB. fidem sine charitate habet, non esse Christianum; anathema sit. Accedit Auctoritas Divi Pauli in peccatore fidem sine charitate subsistere posse agnoscentis, dum ait 1.*Cor. c.*13. *Si habuero NB. omnem fidem, Charitatem autem non habuero, nihil sum.* Ubi utique agnoscit fidem sine Charitate posse dari.

PROPOSITIO XIII.

156. *Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, Charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.*

DECLARATIO.

Quam juste hæc propositio fuerit damnata, equidem jam superius, *num.* 155. propositione X. ostensum fuit quorsum etiam finaliter Lector remittitur: interim tamen pro majori claritate circa præsentem, & duas subsequentes propositiones adhuc sequentia occurrunt advertenda.

157. *Primo* notandum, quod vera virtus, quatenus ab altera distincta, habeat objectum formale aliud, ac prior: nam habitus ab actibus, & actus specificantur ab objectis, potestque in virtutibus in medio consistentibus peccari vel per *excessum*, vel per *defectum* contra eamdem virtutem, E. G. contra virtutem *liberalitatis* per excessum peccatur *prodigalitate*, per defectum *avaritiæ*.

158. *Secundo* notandum, quod unica virtus possit habere ex unico, eodemque motivo formali distinctos actus: nimirum prosecutivos sui boni, & aversativos mali, quatenus oppositi huic bono: sic castitas prosequendo bonum elicit actus Castitatis, per aversionem autem detestatur actus impudicitiæ: Sic etiam, ut proximius accedamus ad nostrum intentum, Charitas tanquam virtus suprema Theologica actibus amoris prosequitur Deum ut summum ac infinite bonum in se: & actibus aversativis detestatur peccatum, quatenus malum offensivum hujus summi Boni infiniti in se, qui actus aversativi etiam contritio perfecta vocari solent.

159 *Tertio* notandum, tam ex Concilio Trid. quam communi Catholicorum sensu, quod Fides, Spes, & Charitas sint tres veræ virtutes Theologicæ ad invicem inter se distinctæ, & sic habentes distincta ob invicem objecta, seu motiva formalia: nam fidei motivum formale est *Deus summe verax in dicendo*; Virtus Spei *Deus* supernaturaliter lumine prævio fidei cognitus, *quatenus nobis summe bonus*; Charitatis, *Deus quatenus infinite bonus in se.* Sicut autem juxta præcedens notatum quoad virtutem charitatis prosequor infinitum bonum in se, & detestor peccatum grave quatenus oppositum huic infinito bono in se, ita pariter quoad virtutem spei desidero possessionem Dei per visionem, & fruitionem beatificam mihi summe boni, & detestor peccatum grave, ac pœnas gehennæ exinde promeritas, quatenus sunt opposita, & impeditiva hujus summi boni alias possidendi.

160. *Quarto* notandum, quod cujuslibet virtutis qua talis motivum, formale, ac specificatum debeat esse bonum, & honestum in se; alias enim si objectum est indifferens, nisi aliunde ex altiori fine extrinseco, V.G. ex amore Dei juxta consilium Divi Pauli imperetur, atque sic elevetur: quod si ergo objectum aliquod fuerit bonum, ac honestum in se, etiam actus tendens in illud objectum erit bonus, & honestus in se, nisi circumstantiis extrinsecis per accidens vitietur. E. G. quia sublevare miseriam egeni est objectum honestum, & moraliter bonum in se, etiam elargitio eleemosynæ facta ex dicto fine est actus bonus, & honestus in se: neque est necessarium ad contrahendam hanc bonitatem moralem, ut simul alia motiva extranea assumam, puta, ut dem eleemosynam positive ex motivo charitatis, dummodo illa alia motiva positive non excludam.

161. *Quinto* notandum, exinde justissime fuisse damnatos Bajanistas, Jansenistas, & Quesnellianos, eo quod putaverint, nullum actum posse esse bonum, & honestum, nisi imperetur à suprema virtute Theologica, nimirum charitate, quasi vero omnes alii actus forent vitiosi; cum tamen lumine fidei ex Sacra Scriptura cognoscatur, Deo alias quoque virtutes placere; cum etiam istæ habeant propria & ab invicem distincta objecta formalia moraliter bona.

162. His ergo prænotatis cum reliquarum virtutum actus sint in se ipsis boni, & honesti, ac etiam suo modo meritorii, dummodo fuerint à gratia actuali, & lumine fidei directi, cur non æque poterit dici de virtute spei Theologicæ? & consequenter quo fundamento solido asseritur, operari intuitu æternæ beatitudinis esse vitiosum? Volui hæc fusius proponere, quia meo judicio ex istis prænotatis plurimum dependet recta intelligentia hujus, & sequentium duarum Thesium confixarum.

PROPOSITIO XIV.

163. *Timor gehennæ non est supernaturalis:*

DECLARATIO.

Illi, qui putarunt, timorem conceptum ex acerbitate pœnarum esse vitiosum, eo ipso intulerunt, eumdem non esse supernaturalem: ens enim supernaturale dicit aliquem ordinem, & respectum ad æternam gloriam, qualem utique nequit habere vitium. Quod autem timor gehennæ sit vitiosus, putarunt ex ea ratione, quia crediderunt, hunc timorem adhuc includere affectum ad peccatum, atque detestantem grave peccatum propter metum gehennæ taliter esse constitutum, ut adhuc peccatum continuaret, si gehenna non esset, sicut projiciens merces in mare ob periculum naufragii interne adhuc habet animum retinendi merces, si naufragium foret, de quo ultimo videatur Reiffenstuel, *Tract.*1. *Theol. Moral. Dist.*1. *num.*28. *& seqq.* Sed *contra est*, quod falsissimum dicatur, timorem gehennæ includere affectum adhuc peccandi, si gehenna non esset; cum enim lumine fidei bene cognoscatur, per affectum ad peccatum grave includi novum peccatum grave ex timore gehennæ alias subeundæ, ita est saltem interpretative, constitutus, ut ex timore gehennæ absolute nolit ullum tale peccatum, quo gehennæ pœna incurritur. Econtra vero projiciens merces in mare ad evitandum naufragium bene prævidet, internum affectum ad merces suo fini intento neutiquam obesse, modo in actu exercito merces projiciat in mare, ut navis suo pondere exoneretur, sicque censetur ad merces affectum retinere. Quod si eodem modo ex circumstantiis specialibus pariter peccator retineret affectum ad peccandum, si gehenna non esset, haud dubie talis timor non esset honestus, & consequenter nec supernaturalis.

164. Ut hoc magis intelligatur, sciendum, quod in ordine ad propositum *duplex* sit timor, unus

filialis,

filialis, alter servilis. Filialis est, quo quis timet peccatum, quatenus est offensa Dei infinite boni in se, filiorum quippe est timere offensam Patris; atque hic timor ortum trahit à charitate. Timor servilis est, quo quis culpam fugit, ne pœna subire cogatur: & hic est iterum duplex, nempe unus est servilis cum nulla inclusione affectus ad peccatum, seu, uti Dominicus Viva ait, materialiter servilis, alius vero formaliter talis; seu, uti alii loquuntur, serviliter servilis, idest, cum inclusione affectus ad peccatum. Prior absolute, saltem virtualiter omne desiderium ad peccatum excludit, paratus interpretative assumere sibi aliud motivum detestandi peccatum, si inferius non foret. Econtra vero posterior retinet adhuc desiderium saltem conditionatum ad peccatum. Hic ultimus timor, qui forsan aliquoties intervenit apud consuetudinarios, & in occasione proxima constitutos &c. reprobatur à sancto Augustino, & aliis SS. PP. non autem prior, qui potius originem habet à virtute spei, uti timor filialis à charitate, atque inculcatur, *Luc. cap. 12. v. 5.* ac alibi sæpius à Sacra Scriptura, nec non à Concilio Tridentino *sess. 14. de Pœnitentia, cap. 2.* vocatur *donum Dei, & Spiritus Sancti impulsus.* Timere, ne quis mittatur in gehennam, *bonus est, & utilis est timor,* inquit D. Augustinus *in psalm. 127.*

PROPOSITIO XV.

165. *Attritio, quæ gehenna, & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei, propter se non est bonus motus, ac supernaturalis.*

DECLARATIO.

Si timor gehennæ est bonus, & supernaturalis, eo ipso quoque dolor peccati ex eo timore gehennæ elicitus, erit pariter bonus, & supernaturalis; & hinc Carolus ab Assumptione sub nomine ficto *Philaleti* cum Bajanis & Jansenistis ut in suis absurditatibus consequenter loquatur, tam unum negavit, quam alterum, bene prævidens, si concesserit primum, debere quoque admitti secundum tanquam consectaneum. Quamplures autem ante damnationem hujus propositionis defenderunt, attritionem ex gehennæ, & pœnarum metu conceptam sine dilectione benevolentiæ Dei propter se non esse bonam; quia vel crediderunt cum Bajanistis &c. nullum actum esse bonum absque Charitate Dei, vel quia putarunt, similem actum attritionis semper continere aliquem affectum ad peccatum, quod utrumque jam superius fuit reprobatum. Profecto capere satis nequeo, quomodo homines Catholici, qui summo Pontifici saltem cum Concilio generali, vel consensu universalis Ecclesiæ adscribunt infallibilitatem, talia propugnare audeant, cum Concilium Generale ultimum Tridentinum, nempe *sess. 14. de Pœnitent. cap. 4.* expresse doceat, quod attritio, quæ ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur, non solum non faciat hominem magis hypocritam (uti voluit Lutherus) verum etiam ad Dei gratiam Sacramento disponat, sitque bonus motus, fine quo gratia in Sacramento non confertur. Quomodo autem malum potest disponere ad bonum? Item quomodo affectus ad peccatum est componibilis cum vero actu charitatis, ut conjunctim disponant ad gratiam justificativam? Præterea quo fundamento ad excludendum in timore gehennæ affectum ad peccatum necessario requiritur actus charitatis? quare non posset dictus affectus etiam excludi per actum spei, considerando, quod affectus ad peccatum sit incompossibilis cum evitatione gehennæ, & consecutione beatitudinis æternæ?

166. Incidentaliter hic etiam ad illos Doctores Catholicos me converto, qui equidem tum propter satis claros textus Concilii Tridentini superius ex parte jam allegatos, tum propter has propositiones damnatas gratis admittunt, talem attritionem esse bonum motum, ac supernaturalem; addunt tamen, eamdem absque aliquo actu charitatis benevolentiæ ad Sacramentum Pœnitentiæ tantum disponere *remote*; ut autem disponat *proxime*, requiri simul aliquem actum amoris Dei benevoli, saltem in aliquo gradu remisso. Econtra vero extra Sacramentum Pœnitentiæ, ut talis amor Divinus, vel contritio perfecta proxime disponat ad remissionem peccatorum gravium, exigunt similem actum in gradu intenso. Ita illi. Hæc quidem sententia per propositionem præsentem necdum confixa reputatur; quin imo Alexander VII. in Decreto anno 1667. die 5. Maii edito, & Benedictus XIII. in Concilio Lateranensi anno 1725. celebrato in Appendice, *Part. 3. Instruct. Sacrament. ad Sacramental. Confess.* severissime prohibuerunt, ne dicta sententia aliqua censura afficiatur. Interim tamen, etsi laudem omnino, quando dolor tali modo elicitur; adstruere tamen obligationem sic eliciendi, ita ut alias Sacramentum exponi censeatur probabili periculo invaliditatis, non possum penetrare, quo solido fundamento hæc assertio de facto nitatur: nam plures rationes ante Concilium Tridentinum in hujus favorem adductæ (puta, quod talis attritio sit inordinata, quod contineat affectum ad peccatum &c.) de facto cadunt; quia tam Concilium Tridentinum, quam summi Pontifices declararunt, illam attritionem etiam absque actu dilectionis esse honestam, & supernaturalem. Insuper Concilium Tridentinum *sess. 14. de Pœnitentia cap. 3. & cap. 4.* dum sollicite enumerat partes Sacramenti Pœnitentiæ, atque ad ejusdem valorem exigit attritionem, vel *ex turpitudinis peccati consideratione,* vel *ex gehennæ, & pœnarum metu* conceptam, nullam facit mentionem de aliquo actu dilectionis Dei benevolæ, quasi simul ad attritionem requisito: ergo signum est, quod talis actus non requiratur, ne cogamur alias concedere, quod Concilium in re tam ardua, & adeo nobis necessaria doctrinam tradiderit mutilam, & valde mancam, qua possemus induci, &c.

167. Dices *primo*: Ex ipso Concilio Tridentino citata *Sess. 14. cap. 4.* sufficienter erui, quod præter timorem gehennæ vel aliquis actus prosecutivus amoris DEI super omnia, vel aversativus offensæ propter Deum summe dilectum super omnia debeat intervenire: nam Concil. loc. cit. ait: *Hoc timore utiliter concussi Ninivitæ &c. plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrarunt*: subsumitur; sed misericordiam, seu veniam suorum peccatorum utique Ninivitæ non impetrassent, nisi intervenisset aliquis actus amoris DEI super omnia; utpote pro eo tempore, quo Sacramentum Pœnitentiæ necdum erat institutum summopere necessarium ad remissionem peccatorum; ergo. Sed *contra* est, quod argumentum hoc laboret malo supposito, quasi nimirum per impetratam exinde à Ninivitis Misericordiam intelligatur *remissio peccatorum.* Quis enim credat, quod omnes omnino Ninitivæ elicuerint veram ibidem contri-

contritionem, sicque omnes omnino à suis peccatis gravibus fuerint liberati? Quare per virtutem pœnitentiæ in cinere & cilicio peractæ potius omnes impetrarunt misericordissimam remissionem pœnæ temporalis, alias ipsis universaliter per Prophetam Jonam intentatæ; quæ remissio pœnæ temporalis fieri potuit absque aliquo actu amoris Dei, vel contritionis perfectæ. Et plane alias, si illa Ninivitarum pœnitentia fuisset necessaria, & ordinata ad immediatam remissionem ipsorum peccatorum exinde sequeretur; quod sicuti apud Ninivitas ad remissionem peccatorum requirebatur perfecta contritio, & quidem in Sententia Adversariorum, valde intensa, ita pariter talis exigatur in Sacramento Pœnitentiæ; cum talem dolorem ad Sacramentum Pœnitentiæ requirat Concilium Tridentinum, qualem habuerunt Ninivitæ in Cinere & Cilicio agentes pœnitentiam. Vides amice Lector; quomodo hoc Adversariorum fundamentum sit potius pro nobis, quam contra nos, si hoc responsum attente consideres.

168. Dices *secundo*: Saltem ex aliquo alio prævio textu Concilii Tridentini deduci, quod cum timore gehennæ debeat ad salutarem pœnitentiam concurrere aliquis actus initialis amoris Dei: nam *Sess. 6. de justificat. cap. 6.* habetur; quod peccatores præparentur ad recipiendam gratiam justificativam tunc, quando Justitiæ Divinæ timore utiliter concussi Deum tanquam *omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*. Respond. Distinguendo anteced. peccatores præparantur ad justitiam, quando Deum diligere incipiunt, vel amore amicitiæ, vel amore concupiscentiæ, conced. necessario, ac determinate amore amicitiæ, Nego. Amor concupiscentiæ, qua Deus amatur ut nobis summe bonus, &c. pertinet ad virtutem Spei; amor autem amicitiæ ad virtutem Charitatis Theologicæ. Si amamus fontem, quatenus dulces pro nobis ex eo profluunt aquæ, amamus illum ut nobis bonum. Legant Adversarii textum in fonte, agnoscent Deum *Fontem omnis justitiæ* non deservire ad suum intentum, præsertim, cum insuper ibidem Deus proponatur accedentibus ad se tamquam *Remunerator*, quod motivum denuo ad virtutem Spei Theologicæ reducitur. Alias adhuc solutiones memorati textus invenies apud Viva hîc; ubi etiam reperies, quod non omnes actus ibidem enumerati requirantur necessario formaliter, & explicite tanquam *conditiones sine quibus non* ad justificationem ponendi. Vide etiam de tota ista Quæstione Reiffenstuel, *Tract. 14. Dist. 6. Quæst. 4. ac in Supplemento ibidem.*

169. Cæterum omnia dicta præcedentia in compendium redigendo erues ex his amice Lector *primo*, quod detestatio dolorosa de peccato gravi vel ob omissam exinde æternam beatitudinem, vel ob acerbitatem pœnarum propterea incurrendarum, ut sit salutaris, nunquam possit includere simul affectum ad peccatum. *Secundo*, quod talis detestatio dolorosa possit habere simul conjunctum aliquem actum dilectionis DEI benevolæ, cum Spes, & Charitas non sint virtutes ad invicem incomponibiles. *Tertio*, quod tamen talis conjunctio non sit necessaria ad hoc, ut memorata dolorosa detestatio sit moraliter bona, & supernaturalis. *Quarto* demum, quod illa conjunctio cum actu dilectionis Dei super omnia neque requiratur ad valorem doloris in Sacramento Pœnitentiæ: nam dum Concilium Trident. *Sess. 14. cap. 4.* enumerans conditiones necessarias ad valorem hujus Sacramenti illam unionem non requisivit, neque nos debemus exigere.

Nec possum mihi persuadere, quod sententia illa communis, tenens, non requiri ad dolorem Sacramentalem amorem benevolum Dei, fuisset à Summis Pontificibus Alexandro VII. & Benedicto XIII. tolerata, si in Sacramento tam necessario quoad praxin fuisset judicatum, subesse grave periculum invaliditatis Sacramenti Pœnitentiæ; prout tamen revera subesset, si contraria opinio consideratis omnibus considerandis judicaretur adhuc practice niti solido, & valde gravi fundamento. Quod si opponas, memoratos Summos Pontifices tolerasse quoque opinionem illam, quæ ad valorem dolorosæ Confessionis requirit aliquem actum amoris amicitiæ DEI: Respondeo, tolerantiam illam facilius capi posse ex ea ratione; quia, quamvis etiam non requiretur; attamen in praxi non noceret, nec valori Sacramenti obstaret, si simul conjungatur in Confessione dolorosa actus amoris Dei benevoli, seu amicitiæ, è contra vero plurimum obesset, ac maximi peccatores non pauci exponerentur gravi periculo invalidæ absolutionis, si actus amoris Dei super omnia necessarius foret ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem, quem tamen actum multi pœnitentes intermitterent, decepti ex doctrina communi, quæ eundem amorem amicitiæ etiam practice nullatenus requirit.

170. Quæres. An, dum rustici, vel pueri interrogati à Confessario, *quare doleant de peccatis* reponunt: *quia Deum offendi*, an (inquam) talis dolor reducendus sit ad virtutem Spei, vel Charitatis? Respondeo id debere cognosci ex modo quo *Deum offensum* tales simplices apprehendunt: nam si apprehendunt Deum offensum ut justum scelerum vindicem, ex his offensis ad infligendas pœnas commotum, sicque, ne has pœnas subire debeant, detestentur grave peccatum, quod esset inductivum harum pœnarum, talis dolor pertinebit ad virtutem *Spei*; sicuti si econtra sibi sistunt Deum ut infinite bonum in se, nunc per peccata offensum, spectabit ad *Charitatem*. Ego sæpius similia interrogatoria instituendo expertus sum, quod à potiori Deum sibi repræsentent, quatenus Redemptorem pro nobis flagellis cruentatum, spinis coronatum, & ignominiose cruci affixum, ubi vix efficacius, & intensius ad serium dolorem commoveri poterunt, quam si ipsis hac occasione proponatur ingratitudo erga tantum Redemptorem, & Clementissimum diversarum gratiarum Collatorem, quem per gravia peccata ostentui habent, & de novo Cruci affigunt. Meo autem judicio dictus dolor pertinet potius ad amorem concupiscentiæ, & ad virtutem Spei, quam ad Charitatem, cum DEUS repræsentetur *quatenus nobis bonus*; quamvis cæteroquin gratis admittatur, quod etiam similes actus sint quasi scintillæ, vel flammam Charitatis excitantes, vel jam excitatam ulterius foventes &c.

Dicere autem cum Joanne Pontas Ecclesiæ Cathedralis Parisiensis Pœnitentiario in suo Dictionario V. *Contritio, casu 3.* & cum Eusebio Amort ibidem, quod Charitas benevola feratur in Deum etiam *prout est nostrum summum Bonum*, ac insuper, quod amor ille initialis jam contineatur *in proposito servandi præcepta* &c. seu (quod in re ipsa plane idem est) *in proposito non amplius graviter peccandi*: Hoc (inquam) dicere, est nobiscum in re ipsa loquendo quoad praxin convenire; cum etiam nos requiramus dolorem serium ex motivo aliquo universali extensivo ad omnia peccata mortalia elicitum cum firmo proposito non amplius graviter peccandi, seu (quod in effectu idem est) nullum amplius transgrediendi

grediendi præceptum graviter obligans. Sed tali modo loquendo amor concupiscentiæ, & amor amicitiæ: item Spes & Charitas ad invicem confunduntur in ordine ad præsens tam quoad actus prosecutivos, quam quoad aversativos, de quibus supra *num.* 160. Item per dictam explicationem non attingitur mens Illustrissimi Episcopi Porphyriensis le Drou, & adhærentium, qui cum eodem tam *in suis Dissertationibus de Attritione & Contritione*, quam in *confutatione discussionis Theologicæ* volunt, attritionem esse sincerum animi dolorem de peccatis propter Deum, NB. habito respectu ad ipsum *propter se super omnia dilectum*; exinde addentes, quod attritio, & contritio tantum distinguantur secundum magis, & minus, id est, secundum majorem, vel minorem intensionem actus, & quod sæpius actus Charitatis, benevolentiæ, seu amicitiæ sit separabilis à gratia justificativa, quando nimirum ille à gravi peccatore extra Sacramentum Pœnitentiæ elicitur in gradu valde remisso, qualem actum solent vocare *Charitatem imperfectam.* Atque contra hos potissimum procedunt dicta præcedentia.

PROPOSITIONES XVI. & XVII.

171. *XVI. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi Lex, & præscriptio, naturæ rei idipsum quodammodo dictante.*

XVII. Per illam praxin mox absolvendi ordo Pœnitentiæ est inversus.

DECLARATIO.

A nostro Sixto IV. antea Ordinis Generali, deinde Summo Pontifice error iste, qui erat Petri de Osmo, damnatus fuit, uti testatur Cardinalis de Lugo *Disput.* 12. *de Pœnitentia num.* 42. Accedit ratio, quod hoc Sacramentum sit institutum ad formam judicii proferentis sententiam, sed hæc solet proferri ante executionem pœnæ decretæ: ergo. Quando autem adducuntur Orosius Cardinalis, S. Cyprianus, & Abbo Archi-Episcopus Rhemensis, testantes in antiqua Ecclesia satisfactionem ordinarie præstitam ante absolutionem, præfati, & alii Auctores, intelligendi sunt de Absolutione Canonica, qua olim delinquentes in foro Canonico absolvebantur à residuis pœnis Canonicis, & publicis, non autem de Absolutione Sacramentali à peccatis occultis, uti recte ex Francolino advertit Eusebius Amort *parte* 1. *Historiæ Indulgentiarum in Dissertat. prælim.* § *VI. num.* 40. ubi insuper num. 41. subjungit rationes, cur in foro quoque externo Canonico hîc vigor pro nunc moderationem acceperit. Vide de his ipsis duabus propositionibus cap. III. num. 55. Item P. Fontana *parte* 3. *in Constitut. Unigenitus proposit.* 87. & P. Francolinum lib. 7. de pœnitentia, ac D. Eusebium Amort loc. cit.

PROPOSITIO XVIII.

172. *Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.*

DECLARATIO.

Gratis, & temerarie Novatores Rigoristæ finxerunt quod moderna praxis administrandi Sacramentum Pœnitentiæ habeatur pro abusu, cum nunquam ostendi queat, dictam praxin esse contra præceptum Divinum, vel Ecclesiasticum. Vide Dominicum Viva hîc *num. V.*

PROPOSITIO XIX.

173. *Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato Originali.*

DECLARATIO.

Contenderunt teste Viva hîc num. 2. Lutherus, & Calvinus, concupiscentiam, seu fomitem peccati esse ipsum peccatum originale; ex quo haud dubie sequeretur, sicuti apud nos etiam post baptismum remanet concupiscentia, ita & permanere ipsum peccatum originale; quod idem videntur occulte sentire rigidi hi Novatores, atque exinde inferre, quod homo debeat tota vita sua agere Pœnitentiam pro peccato originali, utpote quod in principiis Lutheri, ac Calvini adhuc remanet etiam post Baptismum, cum remaneat pro tunc fomes peccati, seu concupiscentia, in qua constituunt rationem peccati originalis. Ast falsum est, quod ipsa concupiscentia sit peccatum originale juxta clarum textum Concil. Triden. *Sess.* 5. *de peccato originali, Can. Sev. num.* 5. Præterea (uti bene advertit Matthæuccius in sua Cautela Confessarii *Lib.* 3. *Cap.* 3. *num.* 42.) ista propositio enervat efficaciam Baptismi, per quem, etsi remaneat concupiscentia, nihilominus plene, & integre remittitur peccatum originale, & actualia ante Baptismum commissa juxta Tridentinum *Sess.* 3. *Can.* 5. *in Decreto de Peccato Originali*, ac *Sess.* 14. *de Pœnitentia in Cap.* 2. Item remittitur omnis pœna *Can. per Baptismum de Consecrat. Dist.* 4. Propterea Baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda est satisfactio, sed morientes, si post susceptum Baptismum aliam culpam non committant, statim ad Regnum Cœlorum, & Dei visionem pervenient, uti loquitur expresse Concilium Florent. *in Decreto Eugenii*, ac Tridentinum *Sess.* 6. *de Justificat. cap.* 14. definit in Baptismo totam pœnam semper remitti. Ad quid ergo opus est agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali?

PROPOSITIONES XX. & XXI.

174. *XX. Confessiones apud Religiosos factæ pleræque vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.*

XXI. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, seu satisfactione ob quæstum, seu lucrum subsidii temporalis.

DECLARATIO.

Sunt Rigoristæ in Sacramento Pœnitentiæ erga alios nimis severi, uti patet ex damnatis antecedentibus propositionibus; hîc autem erga seipsos nimium laxi, dum publice sine scrupulo, & anxietate conscientiæ talia absolute, & generaliter Regularibus mendicantibus de Religione Catholica, in cujus Gremium plures milliones animarum etiam in Indiis tanquam extremis orbis partibus adduxerunt, eximie meritis, falsissimo impingere præsumunt, quæ certe sine gravissima detractione asseri nequeunt, imo nec sine nota temerarii judicii cogitari. Videatur Dominicus Viva hîc.

PROPOSITIO XXII.

175. *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.*

DECLARATIO.

Etsi non negetur; aliquando consultum esse, ut Pœnitentia persolvatur, antequam sacra Communio percipiatur: attamen si id non fiat, Sacrilegium committi ex nullo textu Sacræ Scripturæ aut Concilii Oecumenici probari potest. Scio quidem, quod Paulus Apostolus requirat, ut quis antequam ad has Epulas Divinas accedat, se ipsum probet, id tamen non ita intelligendum venit, quasi necessario præcedenter ante accessum ad S. Communionem prævia condigna satisfactio requireretur, sed potius de prævia Confessione debet fieri interpretatio. Audiatur desuper Concilium Tridentinum *Sess.* 13. *de Eucharistia Cap.* 7. taliter loquens: *Ecclesiastica consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat.* Item quomodo consultum invenitur, ut V. G. consuetudinarius, cui singulis diebus per aliquot hebdomades brevis oratio tanquam pœnitentia medicinalis imponitur, ut (inquam) talis consuetudinarius à cibo hoc alias singulariter confortante abstineat, usquedum per hanc pœnitentiam condigne pro suis peccatis satisfaciat.

PROPOSITIO XXIII.

176. *Similiter arcendi sunt à Sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.*

DECLARATIO.

Datur etiam suo modo in absurdis aliqua cohærentia, ita nimirum, ut ex uno absurdo sequantur plura. Sic quia Bajani juxta jam dicta conformiter propositioni 38. damnatæ Michaëlis Baji docuerunt, omnem actionem humanam deliberatam, quæ non est Charitas Patris, esse dilectionem mundi, & concupiscentiam carnis, exinde occulti asseclæ Michaëlis Baji, ac Novatores consequenter inferunt, præparationem illam, qua juxta Apostolum Paulum homo seipsum probat, ut de pane illo edat &c. debere necessario procedere ex purissimo amore Divino, alias autem fore dilectionem mundi, peccaminosam, & consequenter tales à S. Communione arcendos. Ast reprobantur partim ex jam dictis antecedentibus, partim ex Concilio Tridentino, quod *Sess.* 13. *cap.* 7. declarans illam præparationem ad sacram Communionem ab Apostolo Paulo desideratam non facit ullam mentionem Charitatis purissimæ quasi necessario prærequisitæ, sed potius Sacramentalis Confessionis, supposito, quod quis in peccato gravi extiterit.

PROPOSITIO XXIV.

177. *Oblatio in templo, quæ fiebat à B. Virgine MARIA in die Purificationis suæ per duos Pullos Columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quod indiguerit purificatione, & quod filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset secundum verba Legis.*

DECLARATIO.

Equidem hæc Thesis confixa directe non spectat ad Theologiam moralem, uti consideranti patet; ut tamen nulla ex propositionibus ab Alexandro VIII. rejectis absque aliquali saltem declaratione relinquatur, succincte explicatur. Prænotandum itaque ex Origene *Hom.* 14. *in Lucam*, à fœminis parturientibus post tempus purificationis (id est triginta diebus post partum duos Pullos Columbarum à pauperibus; à ditioribus autem unum agnum anniculum, & unum pullum columbæ in Lege veteri fuisse in templo oblatos, & quidem pullus columbæ semper offerebatur pro peccato, id est, pro immunditia contracta à genitrice, & ab infante, tum ob conceptionem impuram ex concupiscentia carnis ortum trahentem, tum ex vi nativitatis sordidæ: nam cum novem illis mensibus in utero Matris aliqua excrementa, & copia sanguinis congregentur, in enixu partus expelluntur; & quia tota hæc miseria NB. ex infectione peccati, ac concupiscentia tanquam fomite peccati oritur, idcirco Sacrificium illius pulli pro peccato offerri dicebatur, uti bene notat Dominicus Viva *hîc num.* 3. Jam autem ter immaculata, ac purissima Dei Genitrix MARIA juxta Isaïam *Cap.* 7. tanquam Virgo peperit filium, & quidem conceptum de Spiritu Sancto; prout Symbolum Apostolorum nos docet, consequenter his immunditiis ex concupiscentia carnis, & concubitu cum viro evenientibus subjecta neutiquam fuit: *Nequaquam immunda judicatur, quæ Sancto Spiritu obumbrante totius munditiæ, & Sanctitatis auctorem genuisse probatur*: inquit apud Dominicum hîc *n.* 7. S. Eligius; & S. Augustinus, *Lib. de Hæresib. Cap.* 5. *contra Manichæos* ait: *Stulte, unde sordes ex Virgine Matre, ubi non est concubitus cum homine Patre? nihil plane in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, &c. &c. Vere ô Beata Virgo, vere non habes causam, nec tibi opus est purificatione*: Concludit Sanctus Bernardus *Serm.* 1. *de Purificatione.* Neque ex eo quod offerendo duos pullos columbarum antiquæ Legi purificationis sese subjecerit, sequitur, quod purificatione indiguerit; alias pariter ex circumcisione Christi deberet inferri in ipso macula originalis peccati, & ex dato tributo subjectio Christi ad Cæsarem colligeretur, uti recte notat Matthæuccius *in Cautel. Confess. Lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 56.

PROPOSITIO XXV.

178. *Dei Patris sedentis simulacrum nefas est Christiano in templo collocare.*

DECLARATIO.

Videtur hæc propositio renovare errorem Iconoclastarum in VII. Synodo Generali ad annum 787. sub Adriano Papa damnatum quæ damnatio denuo renovata fuit à Concilio Trid. *Sess.* 25. *in Decreto de Invocat. Sanct.* contra Lutheranos, & Calvinistas statuentes, imagines Christi, Deiparæ, & aliorum Sanctorum non solum in templis habendas, sed etiam eis debitum honorem, & venerationem impertiendam. Nec dicatur cum his Novatoribus, in isto aliisque Conciliis equidem fuisse definitum retentionem imaginum Christi, Deiparæ

&

& Sanctorum, nihil autem esse decisum de imaginibus repræsentantibus ipsummet Deum. Nam *contra est*, quod eadem videatur ratio, ut consideranti patet: Si enim Deus Pater sub figura corporea apparuit Danieli, prout ipsemet testatur *Cap.* 7. *Ibi aspiciebam, donec Throni positi sunt, & Antiquus dierum sedit*; & Spiritus Sanctus sub specie columbæ *Matth. cap.*3. cur non poterit Deus etiam sub figura corporea repræsentari, & in templo collocari; Nec obest, quod Deus sit incorporeus: nam etiam Angeli sunt incorporei, & tamen constat ex Dei imperio *Exodi cap.*25. Angelos sculpta similitudine expressos fuisse, & in VII. Synodo definitum esse, imagines Angelorum posse depingi. Consule de hoc ulterius Theologiam Polemicam.

PROPOSITIO XXVI.

179. *Laus, quæ defertur MARIÆ, ut Mariæ, vana est.*

DECLARATIO.

Errorem hunc Leo Isauricus inter hæreticos post Gentiles, & Mahumetanos omnium primus jam docuit, quem resuscitaverunt Wiclephistæ teste Valdensi, *T.*3. *cap.* 118. nullam aliam salutationem honorificam B. V. concedentes, quam civilem, qualis etiam Regibus & Magnatibus exhibetur. Errori huic repugnat perpetuus Ecclesiæ usus, & Traditio, ac novissime Concilium Trident. *Sess* 25. superius citatum, præcipiens non solum laudem, sed etiam honorem ac cultum B. Virgini, ac Sanctis exhiberi, qui quidem non sit cultus Latriæ, sed Hyperduliæ respectu Beatæ Virginis, & Duliæ respectu aliorum Sanctorum. Videantur dicta Patris Reiffenstuel, *Tract.*5. *Dist.*1. *Quæst.*3. *&* 4.

PROPOSITIO XXVII.

180. *Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus*: In nomine Patris &c. *prætermissis illis*: Ego te baptizo.

DECLARATIO.

Cum ad valorem Baptismi requiratur, ut exprimatur actio Ministri, sicuti ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, hinc sicuti in Sacramento Pœnitentiæ, si omitteretur: *Ego te absolvo*, nunquam repetitum legitur validum Sacramentum Pœnitentiæ, ita pariter discurrendum, si in baptismo intermissum fuit: *Ego te baptizo.* Et hinc Alexander tertius (prout refertur cap. 1. de Baptismo) jam anno 1175. declaravit Baptismum tanquam invalidum, in quo sub expressione formæ non continentur hæc verba: *Ego te baptizo.* Vide Reiffenstuel, *Tract.*14. *Dist.*3. *Quæst.*3.

PROPOSITIO XXVIII.

181. *Valet Baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat; intus vero in corde suo apud se revolvit: Non intendendo facere, quod facit Ecclesia.*

DECLARATIO.

